MISSALE ROMANUM
CUM LECTIONIBUS

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI CONCILII VATICANI II INSTAURATUM AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

I

TEMPUS ADVENTUS - TEMPUS NATIVITATIS
TEMPUS PER ANNUM ANTE QUADRAGESIMAM



EDITIO IUXTA TYPICAM ALTERAM

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
MCMLXXVII

Revisione rite peracta, concordat
cum originali adprobato.

E Vicariatu Civitatis Vaticanæ, die 21 novembris 1975.

✠ Petrus Canisius van Lierde, Vic. Gen.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



CONSTITUTIO APOSTOLICA

MISSALE ROMANUM
EX DECRETO CONCILII ŒCUMENICI VATICANI II
INSTAURATUM PROMULGATUR

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Missale Romanum, ex decreto Concilii Tridentini a Decessore Nostro S. Pio V anno MDLXX promulgatum,[1] nemo non suscipit in multis iisque mirificis utilitatis fructibus esse numerandum, qui ex eadem Sacrosancta Synodo in universam Christi Ecclesiam dilapsi sunt. Per quattuor enim sæcula, non modo illud ritus latini sacerdotes pro norma habuerunt, ad quam Eucharisticum Sacrificium facerent, sed sacri etiam Evangelii nuntii in omnes fere terras invexerunt. Innumeri præterea sanctissimi viri animorum suorum erga Deum pietatem, haustis ex eo sive Sacrarum Scripturarum lectionibus sive precationibus, copiosius aluerunt, quarum præcipuam partem sanctus Gregorius Magnus in certum digesserat ordinem.

Sed ex quo tempore latius in christiana plebe increbescere et invalescere cœpit sacræ fovendæ liturgiæ studium,

[1] Const. Apost. *Quo primum,* die 14 iulii 1570 data.

quod, de Decessoris Nostri ven. rec. Pii XII sententia, ostendere visum est, æque providentis Dei erga huius ætatis homines propensissimæ voluntatis indicium, æque Sancti Spiritus per Ecclesiam suam salutiferum transitum,[2] palam pariter eluxit, Missalis Romani formulas tum aliquatenus recognoscendas tum accessionibus esse locupletandas. Cuius rei faciendæ initium idem Decessor Noster attulit Vigilia paschali et Ordine Hebdomadæ sanctæ instauratis,[3] qui proinde primum quasi gradum posuit ad Missale Romanum novis huius temporis animi sensibus accommodandum.

Recens autem Concilium Œcumenicum Vaticanum II, edita Constitutione a verbis « Sacrosanctum Concilium » incipiente, generalis renovationis Missalis Romani fundamenta locavit: statuens, ut primum « textus et ritus ita ordinarentur ut sancta, quæ significarent, clarius exprimerent »; [4] deinde, ut « Ordo Missæ ita recognosceretur, ut singularum partium propria ratio necnon mutua conexio clarius paterent, atque pia et actuosa fidelium participatio facilior redderetur »; [5] tum ut, « quo ditior mensa verbi Dei pararetur fidelibus, thesauri biblici largius aperirentur »; [6] ut postremo « novus ritus concelebrationis conficeretur, Pontificali et Missali Romano inserendus ».[7]

Attamen huiusmodi Missalis Romani renovatio nequaquam ex improviso inducta putanda est; cum ad eam haud dubie viam munierint progressiones in disciplinis liturgicis, proximis hisce quattuor sæculis, factæ. Nam si, post Concilium Tridentinum celebratum, ad Missalis Romani recognitio-

[2] Cf. Pius XII, *Allocutio iis, qui primo Conventui ex omni natione de Liturgia pastorali, Assisii habito, interfuerunt,* die 22 septembris 1956: *A.A.S.* 48 (1956) p. 712.

[3] Cf. S. Congr. Rituum, Decr. *Dominicæ Resurrectionis,* 9 febr. 1951: *A.A.S.* 43 (1951) pp. 128 ss.; Decr. generale *Maxima redemptionis nostræ mysteria,* 16 nov. 1955: *A.A.S.* 47 (1955) pp. 838 ss.

[4] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 21.

[5] Cf. *ibid.*, n. 50.

[6] Cf. *ibid.*, n. 51.

[7] Cf. *ibid.*, n. 57.

nem non parum adiuvarunt evoluti et inspecti « vetusti Bibliothecæ Vaticanæ aliique undique conquisiti codices », uti confirmatur Constitutione Apostolica « Quo primum » a Decessore Nostro S. Pio V data, posthæc nimirum hinc vetustissimi liturgici fontes et reperti et foras emissi sunt, hinc liturgicæ Orientalis Ecclesiæ formulæ altius sunt investigatæ; ita ut optarent multi, ut huius generis cum doctrinæ tum pietatis divitiæ, non modo in tabulariorum tenebris non iacerent, sed e contrario in lucem prolatæ christianorum mentes animosque illustrarent et pascerent.

Nunc vero, ut novam Missalis Romani compositionem, summis saltem lineamentis, quasi præfiniamus, in primis animadvertimus, « Institutione Generali », qua in libro tamquam prooemio usi sumus, novas normas Eucharistici Sacrificii celebrandi proponi, sive quoad ritus persolvendos et officia uniuscuiusque astantis et participis propria, sive quoad suppellectiles et loca rei divinæ peragendæ necessaria.

Præcipua instaurationis novitas in Precatione eucharistica, quam vocant, versari existimanda est. Quamvis enim in romano ritu prima eiusdem Precationis pars, hoc est præfatio, varias, sæculis volventibus, susceperit formulas, altera tamen pars, quam Canonem Actionis appellabant, per illud tempus, quod a IV ad V sæculum actum est, immutabilem induit formam; cum, e contrario, Liturgiæ Orientales in ipsas Anaphoras quandam varietatem reciperent. Hac autem in re præterquam quod Precatio eucharistica aucta est copia præfationum, vel ex antiquiore Romanæ Ecclesiæ traditione sumptarum, vel nunc primum compositarum, quibus et peculiares partes mysterii salutis clarius patefierent, et plura uberioraque gratias agendi argumenta præberentur, præterea ut eidem Precationi tres novi Canones adderentur statuimus. Attamen sive ut pastoralibus, quas nominant, rationibus consuleretur, sive ut concelebratio expeditius procederet, iussimus verba dominica in qualibet Canonis formula una eademque esse. Itaque in quavis Precatione eucharistica illa sic proferri volumus: supra panem: « Accipite et manducate ex hoc omnes: Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis tradetur »;

et supra calicem: « Accipite et bibite ex eo omnes: Hic est enim calix Sanguinis mei novi et æterni testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem ». Verba autem « Mysterium fidei », de contextu verborum Christi Domini deducta, atque a sacerdote prolata, ad fidelium acclamationem veluti aditum aperiunt.

Quoad Ordinem Missæ, « ritus, probe servata eorum substantia, simpliciores facti sunt ».[8] Ea namque prætermissa sunt, « quæ temporum decursu duplicata fuerunt vel minus utiliter addita »,[9] præsertim circa ritus oblationis panis et vini, et circa ritus fractionis panis et Communionis.

Huc accedit quod « restituuntur ... ad pristinam sanctorum Patrum normam nonnulla quæ temporum iniuria deciderunt »; [10] cuius generis sunt homilia [11] et oratio universalis seu oratio fidelium [12] et ritus pænitentialis, seu reconciliationis cum Deo et cum fratribus, initio Missæ peragendus: cui, ut oportebat, suum redditum est momentum.

Ad hæc, iuxta illud Concilii Vaticani II præscriptum, quo præcipiebatur « ut intra præstitutum annorum spatium, præstantior pars Scripturarum Sanctarum populo legeretur »,[13] totum lectionum corpus diebus dominicis legendarum, in trium annorum ordinem tributum est. Præterea diebus utcumque festis, lectioni Epistolæ et Evangelii alia præponitur, ex Veteri Testamento, vel, tempore paschali, ex Actibus Apostolorum sumpta. Hac enim adhibita ratione, enucleatius mysterii salutis continuus processus illustratur, verbis Dei revelatis demonstratus. Quæ amplissima lectionum biblicarum copia, qua diebus festis præstantior Sacrarum Scripturarum pars fidelibus proponitur, accessione profecto completur reliquarum librorum sacrorum partium, quæ diebus profestis recitantur.

[8] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 50.
[9] Cf. *ibid.*, n. 50.
[10] Cf. *ibid.*, n. 50.
[11] Cf. *ibid.*, n. 52.
[12] Cf. *ibid.*, n. 53.
[13] Cf. *ibid.*, n. 51.

Quæ sane omnia hoc modo ordinata sunt, ut magis ac magis in christifidelibus ea verbi Dei fames [14] exstimuletur, qua, Spiritu Sancto duce, novi fœderis populus ad perfectam Ecclesiæ unitatem veluti urgeri videatur. Hisce ita compositis, illud etiam vehementer fore confidimus, ut sacerdotes et fideles simul sanctius animum suum ad Cenam Domini præparent, simul, Sacras Scripturas altius meditati, verbis Domini uberius in dies alantur. Exinde denique sequetur, ut, iuxta Concilii Vaticani II monita, divinæ litteræ sive quasi quidam spiritualis vitæ fons perennis, sive præcipuum christianæ doctrinæ tradendæ argumentum, sive demum cuiusvis theologicæ institutionis medulla ab omnibus habeantur.

Verumtamen in hac Missalis Romani instauratione, non solum tres, de quibus adhuc diximus, partes, hoc est Precatio eucharistica, Ordo Missæ et Ordo lectionum, mutatæ sunt, sed ceteræ etiam, in quibus idem constat, recognitæ et valde variatæ sunt, id est: Temporale, Sanctorale, Commune Sanctorum, Missæ rituales et Missæ votivæ, quæ vocant. In quibus peculiaris quædam diligentia ad orationes adhibita est, quæ non solum numero auctæ sunt, ut novis horum temporum necessitatibus novæ responderent, sed etiam vetustissimæ ad antiquorum textuum fidem redditæ. Ex quo factum est, ut singulis præcipuorum temporum liturgicorum feriis, scilicet Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ et Paschæ, diversa cotidie adiceretur oratio.

Quod reliquum est, licet textus Gradualis Romani, ad cantum saltem quod attinet, non fuerit mutatus, tamen, facilioris intellectus gratia, sive psalmus ille responsorius, de quo S. Augustinus et S. Leo Magnus sæpe commemorant, sive antiphonæ ad introitum et ad communionem in Missis lectis adhibendæ, pro opportunitate, instaurata sunt.

Ad extremum, ex iis quæ hactenus de novo Missali Romano exposuimus quiddam nunc cogere et efficere placet. Cum Decessor Noster S. Pius V principem Missalis Romani editionem promulgavit, illud veluti quoddam unitatis litur-

[14] Cf. *Amos* 8, 11.

gicæ instrumentum idemque tamquam genuini religiosique cultus in Ecclesia monumentum christiano populo repræsentavit. Haud secus Nos, etsi, de præscripto Concilii Vaticani II, in novum Missale « legitimas varietates et aptationes »[15] ascivimus, nihilo tamen secius fore confidimus, ut hoc ipsum a christifidelibus quasi subsidium ad mutuam omnium unitatem testandam confirmandamque accipiatur, utpote cuius ope, in tot varietate linguarum, una eademque cunctorum precatio ad cælestem Patrem, per summum Pontificem nostrum Iesum Christum, in Spiritu Sancto, quovis ture fragrantior ascendat.

Quæ Constitutione hac Nostra præscripsimus vigere incipient a die XXX proximi mensis Novembris hoc anno, id est a Dominica I Adventus.

Nostra hæc autem statuta et præscripta nunc et in posterum firma et efficacia esse et fore volumus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Decessoribus Nostris editis, ceterisque præscriptionibus etiam peculiari mentione et derogatione dignis.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die III mensis aprilis, in Cena Domini N. I. C., anno MCMLXIX, Pontificatus Nostri sexto.

PAULUS PP. VI

[15] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* nn. 38-40.

INSTITUTIO GENERALIS MISSALIS ROMANI

PROŒMIUM

1. Cenam paschalem cum discipulis celebraturus, in qua Sacrificium sui Corporis et Sanguinis instituit, Christus Dominus cenaculum magnum, stratum (Lc 22, 12) parari mandavit. Quod quidem iussum etiam ad se pertinere Ecclesia semper est arbitrata, cum de iis statuebat, quæ, in disponendis hominum animis, locis, ritibus, textibus, ad sanctissimæ Eucharistiæ celebrationem spectarent. Normæ quoque hodiernæ, quæ, voluntate Concilii Œcumenici Vaticani II innixæ, præscriptæ sunt, atque novum Missale, quo Ecclesia ritus Romani in Missa celebranda posthac utetur, iterum sunt argumentum huius sollicitudinis Ecclesiæ, eius fidei immutatique amoris erga summum mysterium eucharisticum, atque continuam contextamque eius traditionem, quamquam res novæ quædam inductæ sunt, testantur.

Testimonium fidei immutatæ

2. Missæ natura sacrificalis, a Concilio Tridentino, quod universæ traditioni Ecclesiæ congruebat, sollemniter asserta,[1] rursus enuntiata est a Concilio Vaticano II, quod circa Missam hæc significantia protulit verba: « Salvator noster in Cena novissima Sacrificium eucharisticum Corporis et Sanguinis sui instituit, quo Sacrificium Crucis in sæcula, donec veniret, perpetuaret, atque adeo Ecclesiæ dilectæ Sponsæ memoriale concrederet Mortis et Resurrectionis suæ ».[2]

Quod sic a Concilio docetur, id formulis Missæ continenter exprimitur. Etenim doctrina, quæ hac sententia

[1] Sessio XXII, 17 sept. 1562: DS 1738-1759.
[2] Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 47; cf. Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen Gentium*, nn. 3, 28; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, nn. 2, 4, 5.

Sacramentarii Leoniani presse significatur: « quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur »,[3] apte accurateque explicatur in Precibus Eucharisticis; in his enim sacerdos, dum anamnesin peragit, ad Deum nomine etiam totius populi conversus, ei gratias persolvit et sacrificium offert vivum et sanctum, oblationem scilicet Ecclesiæ et hostiam, cuius immolatione ipse Deus voluit placari,[4] atque orat, ut Corpus et Sanguis Christi sint Patri sacrificium acceptabile et toti mundo salutare.[5]

Ita in novo Missali lex orandi Ecclesiæ respondet perenni legi credendi, qua nempe monemur unum et idem esse, excepta diversa offerendi ratione, Crucis Sacrificium eiusque in Missa sacramentalem renovationem, quam in Cena novissima Christus Dominus instituit Apostolisque faciendam mandavit in sui memoriam, atque proinde Missam simul esse sacrificium laudis, gratiarum actionis, propitiatorium et satisfactorium.

3. Mirabile etiam mysterium præsentiæ realis Domini sub speciebus eucharisticis, a Concilio Vaticano II[6] aliisque Ecclesiæ Magisterii documentis[7] eodem sensu eademque sententia, quibus Concilium Tridentinum id credendum proposuerat,[8] confirmatum, in Missæ celebratione declaratur non solum ipsis verbis consecrationis, quibus Christus per transubstantiationem præsens redditur, sed etiam sensu et exhibitione summæ reverentiæ et adorationis, quæ in liturgia eucharistica fieri contingit. Eadem de causa populus christianus adducitur, ut feria V Hebdomadæ sanctæ in Cena Domini et in sollemnitate Ss.mi Corporis et Sanguinis Chri-

[3] Cf. Sacram. Veronense, ed. Mohlberg, n. 93.
[4] Cf. Prex Eucharistica III.
[5] Cf. Prex Eucharistica IV.
[6] Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 7, 47; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* nn. 5, 18.
[7] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Humani generis, A.A.S.* 42 (1950) pp. 570-571; Paulus VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei, A.A.S.* 57 (1965) pp. 762-769; *Sollemnis Professio Fidei,* 30 iunii 1968, nn. 24-26: *A.A.S.* 60 (1968) pp. 442-443; S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, nn. 3 f, 9: *A.A.S.* 59 (1967) pp. 543, 547.
[8] Cf. Sessio XIII, 11 oct. 1551: DS 1635-1661.

sti hoc admirabile Sacramentum peculiarem in modum excolat adorando.

4. Natura vero sacerdotii ministerialis, quod presbyteri proprium est, qui in persona Christi sacrificium offert cœtuique populi sancti præsidet, in ipsius ritus forma, e præstantiore loco et munere eiusdem sacerdotis elucet. Huius vero muneris rationes edicuntur et perspicue ac fusius explanantur in gratiarum actione Missæ chrismatis, feria V Hebdomadæ sanctæ; quo videlicet die institutio sacerdotii commemoratur. In illa enim collatio potestatis sacerdotalis per manuum impositionem facta illustratur; atque ipsa potestas, singulis officiis recensitis, describitur, quæ est continuatio potestatis Christi, Summi Pontificis Novi Testamenti.

5. Sed hac sacerdotii ministerialis natura etiam aliud quiddam, magni sane faciendum, in sua luce collocatur, id est regale sacerdotium fidelium, quorum sacrificium spiritale per presbyterorum ministerium in unione cum sacrificio Christi, unici Mediatoris, consummatur.[9] Namque celebratio Eucharistiæ est actio Ecclesiæ universæ; in qua unusquisque solum et totum id agat, quod ad ipsum pertinet, respectu habito gradus eius in populo Dei. Quo efficitur, ut etiam rationes quædam celebrationis magis attendantur, quibus sæculorum decursu interdum est minor cura adhibita. Hic enim populus est populus Dei, Sanguine Christi acquisitus, a Domino congregatus, eius verbo nutritus, populus ad id vocatus, ut preces totius familiæ humanæ ad Deum admoveat, populus, qui pro mysterio salutis gratias in Christo agit eius Sacrificium offerendo, populus denique, qui per communionem Corporis et Sanguinis Christi in unum coalescit. Qui populus, licet origine sua sit sanctus, tamen per ipsam participationem consciam, actuosam et fructuosam mysterii eucharistici in sanctitate continenter crescit.[10]

[9] Cf. Conc Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 2.

[10] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*. n. 11.

Traditio non intermissa declaratur

6. Cum præcepta enuntiaret, quibus Ordo Missæ recognosceretur, Concilium Vaticanum II præter alia mandavit quoque, ut ritus nonnulli restituerentur « ad pristinam sanctorum Patrum normam »,[11] iisdem videlicet usum verbis ac S. Pius V in Constitutione Apostolica « Quo primum » inscriptis, qua anno 1570 Missale Tridentinum est promulgatum. Ob hanc vero ipsam verborum convenientiam notari potest, qua ratione ambo Missalia Romana, quamvis intercesserint quattuor sæcula, æqualem et parem complectantur traditionem. Si autem huius traditionis ponderentur interiora elementa, intellegitur etiam, quam egregie ac feliciter prius perficiatur altero.

7. Temporibus sane difficilibus, quibus catholica fides de indole sacrificali Missæ, de ministeriali sacerdotio, de reali et perpetua Christi sub eucharisticis speciebus præsentia in discrimen fuerat adducta, id S. Pii V imprimis intererat, ut recentiorem traditionem, immerito oppugnatam, servaret, minimis tantummodo ritus sacri mutationibus inductis. Re quidem vera Missale illud anni 1570 paulum admodum distat a primo omnium anno 1474 typis edito Missali, quod vicissim fideliter quidem repetit Missale temporis Innocentii PP. III. Codices insuper Bibliothecæ Vaticanæ, quamquam aliquot intulerant locutionum emendationes, haud tamen permiserunt, ut in illa pervestigatione « veterum et probatorum auctorum » plus quam liturgici commentarii mediæ ætatis inquirerentur.

8. Hodie, contra, illa « sanctorum Patrum norma », quam sectabantur Missalis S. Pii V emendatores, locupletata est innumerabilibus eruditorum scriptis. Postquam enim Sacramentarium Gregorianum anno 1571 primum editum est, vetera Sacramentaria Romana et Ambrosiana critica arte sæpe typis sunt divulgata, perinde ac vetusti libri liturgici Hispani et Gallicani, qui plurimas preces non levis præ-

[11] *Ibid.*, n. 50.

stantiæ spiritalis, eo usque ignoratas, in conspectum produxerunt.

Traditiones pariter priscorum sæculorum, antequam ritus Orientis et Occidentis constituerentur, nunc idcirco melius cognoscuntur, quod tot reperta sunt documenta liturgica.

Præterea progredientia sanctorum Patrum studia theologiam mysterii eucharistici lumine perfuderunt doctrinæ Patrum in antiquitate christiana excellentissimorum, uti S. Irenæi, S. Ambrosii, S. Cyrilli Hierosolymitani, S. Ioannis Chrysostomi.

9. Quapropter « sanctorum Patrum norma » non postulat solum, ut conserventur ea, quæ maiores nostri proximi tradiderint, sed ut comprehendantur altiusque perpendantur cuncta præterita Ecclesiæ tempora ac modi universi, quibus unica eius fides declarata est in humani civilisque cultus formis tam inter se differentibus, quippe quæ vigerent in regionibus Semiticis, Græcis, Latinis. Amplior autem hic prospectus cernere nos sinit, quemadmodum Spiritus Sanctus præstet populo Dei mirandam fidelitatem in conservando immutabili fidei deposito, licet permagna sit precum rituumque varietas.

Ad novas rerum condiciones accommodatio

10. Novum igitur Missale, dum testificatur legem orandi Ecclesiæ Romanæ, fideique depositum a Conciliis recentioribus traditum tutatur, ipsum vicissim magni momenti gradum designat in liturgica traditione.

Cum enim Patres Concilii Vaticani II asseverationes dogmaticas Concilii Tridentini iterarunt, in longe alia mundi ætate sunt locuti; qua de causa in re pastorali valuerunt afferre proposita et consilia, quæ ante quattuor sæcula ne prævideri quidem potuerunt.

11. Agnoverat iam Tridentinum Concilium magnam utilitatem catecheticam, quæ in Missæ celebratione continetur; unde tamen colligere omnia consectaria, ad vitæ usum quod attinet, nequibat. A multis reapse flagitabatur,

ut sermonem vulgarem in Sacrificio eucharistico peragendo usurpari liceret. Ad talem quidem postulationem, Concilium, rationem ducens adiunctorum illa ætate obtinentium, sui officii esse arbitrabatur doctrinam Ecclesiæ tralaticiam denuo inculcare, secundum quam Sacrificium eucharisticum imprimis Christi ipsius est actio, cuius proinde efficacitas propria eo modo non afficitur, quo fideles eiusdem fiunt participes. Idcirco firmis hisce simulque moderatis verbis edictum est: « Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur ».[12] Atque condemnandum esse pronuntiavit eum, qui censeret « Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere ».[13] Nihilominus, dum hinc vetuit in Missa linguæ vernaculæ usum, illinc animarum pastores eius in locum congruentem substituere catechesim iussit: « Ne oves Christi esuriant ... mandat sancta Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios, ex his, quæ in Missa leguntur, exponant atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et festis ».[14]

12. Propterea congregatum, ut Ecclesiam aptaret ad proprii muneris apostolici necessitates hisce ipsis temporibus, Concilium Vaticanum II funditus perspexit, quemadmodum Tridentinum, didascalicam et pastoralem indolem sacræ Liturgiæ.[15] Et, cum nemo catholicorum esset, qui legitimum efficacemque ritum sacrum negaret lingua Latina peractum, concedere etiam valuit: « Haud raro linguæ vernaculæ usurpatio valde utilis apud populum exsistere possit », eiusque adhibendæ facultatem dedit.[16] Flagrans illud studium, quo

[12] Sessio XXII, Doctr. de SS. Missæ Sacrificio, can. 8: DS 1749.
[13] *Ibid.*, can. 9: DS 1759.
[14] *Ibid.*, can. 8: DS 1749.
[15] Cf. Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 33.
[16] *Ibid.* n. 36.

hoc consultum ubivis est susceptum, profecto effecit ut, ducibus Episcopis atque ipsa Apostolica Sede, universæ liturgicæ celebrationes quas populus participaret, exsequi liceret vulgari sermone, quo plenius intellegeretur mysterium, quod celebraretur.

13. Verumtamen, cum linguæ vernaculæ usus in sacra Liturgia instrumentum sit, quamvis magni momenti, quo apertius exprimeretur catechesis mysterii, quæ in celebratione continetur, Concilium Vaticanum II admonuit præterea, ut aliqua Tridentini præscripta, quibus non omnibus locis erat obtemperatum, ad exitum deducerentur, veluti homilia diebus dominicis et festis habenda[17] et facultas inter ipsos sacros ritus quasdam monitiones intericiendi.[18]

Potissimum vero Concilium Vaticanum II, a quo suadebatur « illa perfectior Missæ participatio, qua fideles post communionem sacerdotis ex eodem sacrificio Corpus dominicum sumunt »,[19] incitavit, ut aliud optatum Patrum Tridentinorum in rem transferretur, ut scilicet ad sacram Eucharistiam plenius participandam « in singulis Missis fideles adstantes non solum spiritali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent ».[20]

14. Eodem quidem animo ac studio pastorali permotum, Concilium Vaticanum II nova ratione expendere potuit institutum Tridentinum de communione sub utraque specie. Etenim, quoniam hodie in dubium minime revocantur doctrinæ principia de plenissima vi communionis, qua Eucharistia sub una specie panis suscipitur, permisit interdum communionem sub utraque specie, cum scilicet, per declaratiorem signi sacramentalis formam, opportunitas peculiaris offerretur altius intellegendi mysterii, quod fideles participarent.[21]

[17] *Ibid.* n. 52.
[18] *Ibid.* n. 35, 3.
[19] Cf. Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 55.
[20] Sessio XXII, Doctr. de SS. Missæ Sacrificio, can. 6: DS 1747.
[21] Cf. Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 55.

15. Hoc pacto, dum fida permanet Ecclesia suo muneri ut magistræ veritatis, custodiens « vetera », id est depositum traditionis, officium quoque explet considerandi prudenterque adhibendi « nova » (cf. Mt 13, 52).

Pars enim quædam novi Missalis preces Ecclesiæ apertius ordinat ad temporis nostri necessitates; cuius generis sunt potissimum Missæ rituales et pro variis necessitatibus, in quibus traditio et novitas opportune inter se sociantur. Itaque, dum complures dictiones integræ manserunt ex antiquissima haustæ Ecclesiæ traditione, per ipsum sæpius editum Missale Romanum patefacta, aliæ plures ad hodierna requisita et condiciones accommodatæ sunt, aliæ, contra, uti orationes pro Ecclesia, laicis, operis humani sanctificatione, omnium gentium communitate, necessitatibus quibusdam nostræ ætatis propriis, ex integro sunt contextæ, sumptis cogitationibus ac sæpe ipsis locutionibus ex recentibus Concilii documentis.

Ob eandem porro æstimationem novi status mundi, qui nunc est, in vetustissimæ traditionis textuum usu, nulla prorsus videbatur inferri iniuria tam venerando thesauro, si quædam sententiæ immutarentur, quo convenientius sermo ipse cum hodiernæ theologiæ lingua concineret referretque ex veritate condicionem disciplinæ Ecclesiæ præsentem. Hinc dicta nonnulla, ad existimationem et usum bonorum terrestrium attinentia, sunt mutata, haud secus ac nonnulla, quæ exterioris quandam pænitentiæ formam prodebant aliarum Ecclesiæ ætatum propriam.

Hoc denique modo normæ liturgicæ Concilii Tridentini pluribus sane in partibus completæ et perfectæ sunt normis Concilii Vaticani II, quod ad exitum perduxit conatus ad sacram Liturgiam fideles propius admovendi, qui per hæc quattuor sæcula sunt suscepti, præsertim vero recentiore ætate, maxime studio rei liturgicæ a S. Pio X eiusque Successoribus promoto.

Caput I

DE CELEBRATIONIS EUCHARISTICÆ MOMENTO ET DIGNITATE

1. Celebratio Missæ, ut actio Christi et populi Dei hierarchice ordinati, centrum est totius vitæ christianæ pro Ecclesia tum universa tum locali, ac pro singulis fidelibus.[1] In ea enim culmen habetur et actionis qua Deus in Christo mundum sanctificat, et cultus quem homines exhibent Patri, eum per Christum Dei Filium adorantes.[2] In ea insuper mysteria Redemptionis ita per anni circulum recoluntur, ut quodammodo præsentia reddantur.[3] Ceteræ autem actiones sacræ et omnia opera christianæ vitæ cum ea cohærent, ex ea profluunt et ad eam ordinantur.[4]

2. Maxime proinde interest ut celebratio Missæ seu Cenæ Dominicæ ita ordinetur, ut ministri atque fideles, illam pro sua condicione participantes, eos fructus plenius exinde capiant,[5] ad quos obtinendos Christus Dominus sacrificium eucharisticum sui Corporis et sui Sanguinis instituit illudque, velut memoriale passionis et resurrectionis suæ, Ecclesiæ dilectæ sponsæ concredidit.[6]

3. Quod apte fiet si, attentis natura aliisque adiunctis uniuscuiusque cœtus, universa celebratio ita disponatur, ut

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 41; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 11; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* nn. 2, 5, 6; Decr. de pastorali Episcoporum munere, *Christus Dominus,* n. 30; Decr. de Œcumenismo, *Unitatis redintegratio,* n. 15; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, nn. 3 *e,* 6: *A.A.S.* 59 (1967) pp. 542, 544-545.

[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 10.

[3] Cf. *ibid.,* n. 102.

[4] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 5; Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 10.

[5] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 14, 19, 26, 28, 30.

[6] Cf. *ibid.,* n. 47.

consciam illam, actuosam atque plenam participationem fidelium inducat, corporis nempe et animi, fide, spe et caritate ferventem, quæ ab Ecclesia exoptatur et ab ipsa celebrationis natura postulatur, et ad quam populus christianus vi baptismatis ius habet et officium.[7]

4. Quamvis fidelium præsentia et actuosa participatio, quæ ecclesialem celebrationis naturam apertius manifestant,[8] aliquando non possint haberi, eucharistica celebratio sua efficacia et dignitate semper est prædita, quippe quæ sit actus Christi et Ecclesiæ,[9] in quo sacerdos semper agit pro salute populi.

5. Cum autem Eucharistiæ celebratio, sicut et universa Liturgia, fiat per signa sensibilia, quibus fides alitur, roboratur et exprimitur,[10] maxime curandum est eas formas et elementa ab Ecclesia proposita seligi et ordinari, quæ, attentis personarum et locorum adiunctis, actuosam et plenam participationem intensius foveant et fidelium utilitati spiritali aptius respondeant.

6. Hæc itaque Institutio eo spectat ut tum lineamenta generalia præbeat, quibus Eucharistiæ celebratio apte ordinetur, tum regulas exponat, quibus singulæ celebrationis formæ disponantur.[11] Conferentiæ autem Episcopales, iuxta Constitutionem de sacra Liturgia, normas pro sua dicione statuere possunt, quæ ad traditiones et ingenium populorum, regionum et diversorum cœtuum attendant.[12]

[7] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 14.

[8] Cf. *ibid.*, n. 41.

[9] Cf. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 13.

[10] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 59.

[11] Cf. pro Missis in cœtibus particularibus: S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Actio pastoralis*, 15 maii 1969: *A.A.S.* 61 (1969) pp. 806-811; pro Missis cum pueris: Directorium de Missis cum pueris, 1 novembris 1973: *A.A.S.* 66 (1974) pp. 30-46; de modo uniendi Horas Officii cum Missa: Institutio generalis de Liturgia Horarum, ed. typ. 1971, nn. 93-98.

[12] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 37-40.

Caput II

DE STRUCTURA MISSÆ EIUSQUE ELEMENTIS ET PARTIBUS

I. De generali structura Missæ

7. In Missa seu Cena dominica populus Dei in unum convocatur, sacerdote præside personamque Christi gerente, ad memoriale Domini seu sacrificium eucharisticum celebrandum.[13] Quare de huiusmodi sanctæ Ecclesiæ coadunatione locali eminenter valet promissio Christi: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (Mt 18, 20). In Missæ enim celebratione, in qua sacrificium Crucis perpetuatur,[14] Christus realiter præsens adest in ipso cœtu in suo nomine congregato, in persona ministri, in verbo suo, et quidem substantialiter et continenter sub speciebus eucharisticis.[15]

8. Missa duabus partibus quodammodo constat, liturgia nempe verbi et eucharistica, quæ tam arcte inter se coniunguntur, ut unum actum cultus efficiant.[16] Siquidem in Missa mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi paratur e qua fideles instituantur et reficiantur.[17] Quidam autem ritus celebrationem aperiunt et concludunt.

[13] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 5; Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 33.

[14] Cf. Conc. Trid., Sess. XXII, cap. I: DS 1740; cf. Paulus VI, sollemnis professio fidei, 30 iunii 1968, n. 24: *A.A.S.* 60 (1968) p. 442.

[15] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 7; Paulus VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei,* 3 sept. 1965: *A.A.S.* 57 (1965) p. 764; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum Mysterium,* 25 maii 1967, n. 9: *A.A.S.* 59 (1967) p. 547.

[16] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* n. 56; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum Mysterium,* 25 maii 1967, n. 10: *A.A.S.* 59 (1967) p. 547.

[17] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 48, 51; Const. dogm. de divina Revelatione, *Dei Verbum,* n. 21; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 4.

II. De diversis elementis Missæ

De lectione verbi Dei eiusque explanatione

9. Cum sacræ Scripturæ in Ecclesia leguntur, Deus ipse ad populum suum loquitur et Christus, præsens in verbo suo, Evangelium annuntiat.

Ideoque lectiones verbi Dei, quæ elementum maximi momenti liturgiæ præbent, cum veneratione ab omnibus sunt audiendæ. Quamvis autem verbum divinum in lectionibus sacræ Scripturæ ad omnes homines cuiusque temporis dirigatur iisque intellegibile sit, eius tamen efficacitas expositione viva, idest homilia, utpote parte actionis liturgicæ,[18] augetur.

De orationibus aliisque partibus ad sacerdotem pertinentibus

10. Inter ea quæ sacerdoti tribuuntur, primum locum obtinet Prex eucharistica, quæ culmen est totius celebrationis. Accedunt deinde orationes, idest collecta, oratio super oblata et oratio post communionem. Hæ preces a sacerdote, qui cœtui personam Christi gerens præest, ad Deum diriguntur nomine totius plebis sanctæ et omnium circumstantium.[19] Merito igitur « orationes præsidentiales » nominantur.

11. Item ad sacerdotem, munere præsidis cœtus congregati fungentem, spectat proferre quasdam monitiones atque formulas introductionis et conclusionis in ipso ritu prævisas. Natura sua hæ monitiones non exigunt ut omnino ad verbum proferantur forma qua in Missali exhibentur; unde expedire poterit, saltem in aliquibus casibus, veris

[18] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 33, 52.
[19] Cf. *ibid.*, n. 33.

communitatis condicionibus aliquatenus eas aptare.[20] Sacerdoti præsidi etiam spectat verbum Dei nuntiare, necnon benedictionem finalem impertire. Ipsi insuper licet, brevissimis verbis, introducere fideles in Missam diei, antequam celebratio inchoetur; in liturgiam verbi, ante lectiones; in Precem eucharisticam, ante præfationem; necnon universam actionem sacram, ante dimissionem, concludere.

12. Natura partium « præsidentialium » exigit ut clara et elata voce proferantur et ab omnibus cum attentione auscultentur.[21] Proinde dum sacerdos eas profert aliæ orationes vel cantus non habeantur, atque organum vel alia instrumenta musica sileant.

13. Sacerdos vero non solum tamquam præses nomine totius communitatis preces effundit, sed etiam aliquando nomine dumtaxat suo, ut ministerium suum maiore cum animi attentione et pietate adimpleat. Huiusmodi preces secreto proferuntur.

De aliis formulis in celebratione occurrentibus

14. Cum Missæ celebratio natura sua indolem « communitariam » habeat,[22] dialogis inter celebrantem et cœtum fidelium necnon acclamationibus magna vis inhæret: [23] etenim non sunt tantum signa externa celebrationis communis, sed communionem inter sacerdotem et populum fovent et efficiunt.

15. Acclamationes et responsiones fidelium salutationibus sacerdotis et orationibus illum participationis actuosæ gradum constituunt, qui in omni Missæ forma a fidelibus

[20] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Litt. circ. de Precibus eucharisticis, 27 aprilis 1973, n. 14: *A.A.S.* 65 (1973) p. 346.
[21] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram,* 5 martii 1967, n. 14: *A.A.S.* 59 (1967) p. 304.
[22] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 26, 27; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 3 *d:* *A.A.S.* 59 (1967) p. 542.
[23] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 30.

congregatis præstandus est, ut actio totius communitatis clare exprimatur et foveatur.[24]

16. Aliæ partes, ad actuosam fidelium participationem manifestandam et fovendam valde utiles, quæ universo cœtui tribuuntur, sunt præsertim actus pænitentialis, professio fidei, oratio universalis et oratio dominica.

17. Demum ex aliis formulis:

a) nonnullæ ritum seu actum per se stantem, uti hymnus Glória, psalmus responsorius, Allelúia et versus ante Evangelium, Sanctus, acclamatio anamneseos, cantus post communionem, constituunt;

b) nonnullæ vero, uti cantus ad introitum, ad offertorium, ad fractionem (Agnus Dei) et ad communionem, ritum aliquem comitantur.

De modis proferendi varios textus

18. In textibus clara et elata voce proferendis sive a sacerdote sive a ministris sive ab omnibus, vox respondeat generi ipsius textus, prouti hic est lectio, oratio, admonitio, acclamatio, cantus; necnon formæ celebrationis et sollemnitati cœtus. Ratio insuper habeatur indolis diversarum linguarum et ingenii populorum.

In rubricis ergo et in normis quæ sequuntur, verba « dicere » vel « proferre » intellegi debent sive de cantu sive de recitatione, servatis principiis supra propositis.

De momento cantus

19. Ab Apostolo monentur christifideles qui in unum conveniunt exspectantes adventum Domini sui, ut una simul cantent psalmis, hymnis et canticis spiritualibus (cf. Col 3, 16). Cantus enim est signum exsultationis cordis (cf. Act 2, 46). Unde S. Augustinus recte dicit: « cantare amantis est »,[25] et iam antiquitus in proverbium venit: « bis orat qui bene cantat ».

[24] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram,* 5 martii 1967, n. 16 *a: A.A.S.* 59 (1967) p. 305.

[25] Sermo 336, 1: PL 38, 1472.

Magni ergo fiat usus cantus in celebrationibus, attentis ingenio populorum et facultatibus cuiuslibet cœtus, ita tamen ut non necessarium semper sit omnes textus cantu proferre qui per se cantui destinantur.

In seligendis tamen partibus quæ revera canantur eæ præferendæ sunt quæ maioris sunt momenti, et præsertim quæ a sacerdote vel ministris, populo respondente, canendæ sunt, aut a sacerdote et populo simul proferendæ.[26]

Cum autem frequentius in dies fideles ex diversis nationibus inter se conveniant, expedit ut iidem fideles aliquas saltem partes Ordinarii Missæ, præsertim vero symbolum fidei et orationem dominicam, modulis adhibitis facilioribus, lingua latina simul cantare sciant.[27]

De gestibus et corporis habitibus

20. Communis corporis habitus, ab omnibus participantibus servandus, signum est communitatis et unitatis cœtus: mentem enim et sensus animi participantium exprimit eosdemque fovet.[28]

21. Ad uniformitatem in gestibus et corporis habitibus obtinendam, fideles monitionibus obtemperent, quas diaconus, vel sacerdos vel alius minister, durante celebratione proferunt. Insuper in omnibus Missis, nisi aliter caveatur, stent ab initio cantus ad introitum, vel dum sacerdos accedit ad altare, usque ad collectam inclusive; ad cantum Allelúia ante Evangelium; dum ipsum Evangelium proclamatur; necnon dum professio fidei et oratio universalis fiunt; atque ab oratione super oblata usque ad finem Mis-

[26] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram,* 5 martii 1967, nn. 7, 16; *A.A.S.* 59 (1967) pp. 302, 305; cf. Missale Romanum, Ordo cantus Missæ, ed. typ. 1972, Prænotanda.

[27] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 54; S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Œcumenici,* 26 septembris 1964, n. 59: *A.A.S.* 56 (1964) n. 891; Instructio *Musicam sacram,* 5 martii 1967, n. 47: *A.A.S.* 59 (1967) p. 314.

[28] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 30

sæ, præter ea quæ infra dicuntur. Sedeant autem dum proferuntur lectiones ante Evangelium et psalmus responsorius; ad homiliam et dum fit præparatio donorum ad offertorium; atque, pro opportunitate, dum sacrum silentium post Communionem servatur. Genuflectant vero, nisi ob angustiam loci vel frequentiorem numerum adstantium aliasve rationabiles causas impediantur, ad consecrationem.

Est tamen Conferentiæ Episcopalis gestus et corporis habitus in Ordine Missæ romanæ descriptos ingenio populorum aptare.[29] Attendendum tamen erit, ut sensui et indoli cuiusque partis celebrationis respondeant.

22. In gestibus numerantur etiam actiones, quibus sacerdos altare adit, dona afferuntur, atque fideles ad communionem accedunt. Convenit ut huiusmodi actiones decore peragantur, dum cantus ipsis proprii fiunt, iuxta normas pro singulis statutas.

De silentio

23. Sacrum quoque silentium, tamquam pars celebrationis, suo tempore est servandum.[30] Eius autem natura a tempore pendet, quo in singulis celebrationibus occurrit. In actu enim pænitentiali et post invitationem ad orandum singuli ad seipsos convertuntur; lectione autem vel homilia peracta, ea quæ audierunt breviter meditantur; post communionem vero in corde suo Deum laudant et orant.

III. De singulis Missæ partibus

A) Ritus initiales

24. Ea quæ liturgiam verbi præcedunt, scilicet introitus, salutatio, actus pænitentialis, Kýrie, Glória et collecta, characterem habent exordii, introductionis et præparationis.

[29] Cf. *ibid.*, n. 39.
[30] Cf. *ibid.*, n. 30; S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 17: *A.A.S.* 59 (1967) p. 305.

Finis horum rituum est, ut fideles in unum convenientes communionem constituant et recte ad verbum Dei audiendum digneque Eucharistiam celebrandam sese disponant.

Introitus

25. Populo congregato, dum ingreditur sacerdos cum ministris, cantus ad introitum incipitur. Finis huius cantus est celebrationem aperire, unionem congregatorum fovere, eorumque mentem in mysterium temporis liturgici vel festivitatis introducere atque processionem sacerdotis ministrorumque comitari.

26. Peragitur autem a schola et populo alternatim, vel simili modo a cantore et populo, vel totus a populo vel a schola sola. Adhiberi potest sive antiphona cum suo psalmo in Graduali romano vel in Graduali simplici exstans, sive alius cantus, actioni sacræ, diei vel temporis indoli congruus, cuius textus a Conferentia Episcopali sit approbatus.

Si ad introitum non habetur cantus, antiphona in Missali proposita recitatur sive a fidelibus, sive ab aliquibus ex ipsis, sive a lectore, sin aliter ab ipso sacerdote post salutationem.

Salutatio altaris et populi congregati

27. Cum ad presbyterium pervenerint, sacerdos et ministri altare salutant. Venerationis autem significandæ causa, sacerdos et diaconus ipsum altare osculantur; et sacerdos, pro opportunitate, illud incensat.

28. Expleto cantu ad introitum, sacerdos et universus cœtus signant se signo crucis. Deinde sacerdos communitati congregatæ præsentiam Domini per salutationem significat. Qua salutatione et populi responsione manifestatur Ecclesiæ congregatæ mysterium.

Actus pænitentialis

29. Salutatione populi facta, sacerdos vel alius minister idoneus potest brevissimis verbis introducere fideles in

Missam illius diei. Postea sacerdos invitat ad actum pænitentialem, qui a tota communitate confessione generali perficitur, absolutioneque sacerdotis concluditur.

Kýrie, eléison

30. Post actum pænitentialem incipitur Kýrie, eléison, nisi forte locum iam habuerit in ipso actu pænitentiali. Cum sit cantus quo fideles Dominum acclamant eiusque misericordiam implorant, de more peragitur ab omnibus, partem nempe in eo habentibus populo atque schola vel cantore.

Acclamatio quæque de more bis dicitur, non tamen excluso, ratione ingenii diversarum linguarum necnon musicæ artis vel rerum adiunctorum, maiore numero, vel brevi « tropo » intercalato. Si Kýrie non cantatur, recitetur.

Glória in excélsis

31. Glória est antiquissimus et venerabilis hymnus, quo Ecclesia, in Spiritu Sancto congregata, Deum Patrem atque Agnum glorificat eique supplicat. Cantatur vel a cœtu fidelium, vel a populo alternatim cum schola, vel ab ipsa schola. Si non cantatur, recitandum est ab omnibus simul aut alternatim.

Cantatur autem vel dicitur diebus dominicis extra tempus Adventus et Quadragesimæ, necnon in sollemnitatibus et festis, et in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus.

Collecta

32. Deinde sacerdos populum ad orandum invitat; et omnes una cum sacerdote parumper silent, ut conscii fiant se in conspectu Dei stare, et vota sua in animo possint nuncupare. Tunc sacerdos profert orationem, quæ solet « collecta » nominari. Per eam indoles celebrationis exprimitur et precatio verbis sacerdotis ad Deum Patrem, per Christum in Spiritu Sancto, dirigitur.

Populus precationi se coniungens, illique assentiens, acclamatione Amen suam facit orationem.

In Missa unica dicitur collecta; quod valet etiam de orationibus super oblata et post Communionem.

Collecta concluditur conclusione longiore, idest:

si dirigitur ad Patrem: Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum;

si dirigitur ad Patrem, sed in fine ipsius fit mentio Filii: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum;

si dirigitur ad Filium: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

Orationes vero super oblata et post Communionem concluduntur conclusione breviore, idest:

si diriguntur ad Patrem: Per Christum Dóminum nostrum;

si diriguntur ad Patrem, sed in fine ipsarum fit mentio Filii: Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum;

si diriguntur ad Filium: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

B) Liturgia verbi

33. Partem præcipuam liturgiæ verbi constituunt lectiones e sacra Scriptura desumptæ cum cantibus inter eas occurrentibus; homilia autem, professio fidei et oratio universalis seu oratio fidelium illam evolvunt et concludunt. Nam in lectionibus, quas homilia exponit, Deus populum suum alloquitur,[31] mysterium redemptionis et salutis patefacit, atque nutrimentum spiritale offert; et ipse Christus per verbum suum in medio fidelium præsens adest.[32] Hoc verbum divinum populus suum facit cantibus, et ipsi adhæret professione fidei; eo autem nutritus, oratione uni-

[31] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 33.
[32] Cf. *ibid.*, n. 7.

versali pro necessitatibus totius Ecclesiæ et pro totius mundi salute preces fundit.

Lectiones biblicæ

34. In lectionibus mensa verbi Dei paratur fidelibus et thesauri biblici iis aperiuntur.[33] Cum ex traditione officium legendi lectiones non sit munus præsidentiale sed ministeriale, convenit ut, de more, diaconus vel, eo deficiente, alius sacerdos legat Evangelium; lector vero alias lectiones. Deficiente tamen diacono vel alio sacerdote, Evangelium a sacerdote celebrante legatur.[34]

35. Lectioni evangelicæ maximam venerationem esse tribuendam, ipsa Liturgia docet, cum eam præ ceteris lectionibus speciali honore insigniat, sive ex parte ministri ad eam annuntiandam deputati et per benedictionem vel orationem sese præparantis; sive ex parte fidelium, qui per acclamationes Christum præsentem sibique loquentem agnoscunt et profitentur, et lectionem ipsam stantes auscultant; sive ex ipsis signis venerationis libro Evangeliorum tributis.

Cantus inter lectiones occurrentes

36. Post primam lectionem sequitur psalmus responsorius, seu graduale, quæ est pars integralis liturgiæ verbi. Psalmus de more sumitur e lectionario, eo quod singuli eius textus directo conectuntur cum singulis lectionibus: electio igitur psalmi e lectionibus pendet. Attamen, ut populus responsum psalmodicum facilius proferre valeat, textus aliqui responsorum et psalmorum pro diversis temporibus anni aut pro diversis ordinibus Sanctorum selecti sunt, qui adhiberi valent, loco textus lectioni respondentis, quoties psalmus cantu profertur.

Psalmista, seu cantor psalmi, in ambone vel alio loco apto profert versus psalmi, tota congregatione sedente et

[33] Cf. *ibid.*, n. 51.

[34] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Œcumenici,* 26 septembris 1964, n. 50: *A.A.S.* 56 (1964) p. 889.

auscultante, immo de more per responsum participante, nisi psalmus modo directo, id est sine responso, proferatur.

Si canitur, præter psalmum in lectionario assignatum, sumi potest vel graduale e Graduali romano, vel psalmus responsorius aut alleluiaticus e Graduali simplici, sicut in his libris describuntur.

37. Secundam lectionem sequitur Allelúia vel alter cantus, prout tempus liturgicum postulat.

a) Allelúia cantatur omni tempore extra Quadragesimam. Inchoatur sive ab omnibus sive a schola aut a cantore, et, si casus fert, repetitur. Versus sumuntur e lectionario vel e Graduali.

b) Alter cantus consistit in versu ante Evangelium aut in altero psalmo seu tractu, prout inveniuntur in lectionario vel in Graduali.

38. Quando una tantum habetur lectio ante Evangelium:

a) tempore quo dicendum est Allelúia, haberi potest aut psalmus alleluiaticus, aut psalmus et Allelúia cum suo versu, aut tantum psalmus vel Allelúia;

b) tempore quo Allelúia non est dicendum, haberi potest aut psalmus aut versus ante Evangelium.

39. Psalmus post lectionem occurrens, si non cantatur, recitetur; Allelúia vero vel versus ante Evangelium, si non cantantur, omitti possunt.

40. Sequentiæ, præter quam diebus Paschæ et Pentecostes, sunt ad libitum.

Homilia

41. Homilia est pars liturgiæ et valde commendatur: [35] est enim ad nutrimentum vitæ christianæ necessaria. Sit oportet explicatio aut alicuius aspectus lectionum sacræ

[35] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 52.

Scripturæ aut alterius textus ex Ordinario vel Proprio Missæ diei, ratione habita sive mysterii, quod celebratur, sive peculiarium necessitatum auditorum.[36]

42. Diebus dominicis et festis de præcepto homilia habeatur in omnibus Missis, quæ concurrente populo celebrantur; ceteris vero diebus commendatur, præsertim in feriis Adventus, Quadragesimæ et temporis paschalis, necnon in aliis festis et occasionibus, in quibus populus frequentior ad ecclesiam convenit.[37]

Homilia de more ab ipso sacerdote celebrante habeatur.

Professio fidei

43. Symbolum, seu professio fidei, in celebratione Missæ eo tendit ut populus verbo Dei, in lectionibus et per homiliam audito, assentiat et respondeat, et regulam fidei sibi revocet in mentem antequam Eucharistiam celebrare incipiat.

44. Symbolum autem dicendum est a sacerdote cum populo diebus dominicis et in sollemnitatibus; dici potest etiam in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus.

Si vero in cantu profertur, de more ab omnibus aut alternatim cantetur.

Oratio universalis

45. In oratione universali, seu oratione fidelium, populus, sui sacerdotii munus exercens, deprecatur pro omnibus hominibus. Expedit ut huiusmodi oratio in Missis cum populo de more habeatur, ita ut obsecrationes fiant pro sancta Ecclesia, pro iis qui in potestate nos regunt, pro iis qui variis premuntur necessitatibus, ac pro omnibus hominibus totiusque mundi salute.[38]

[36] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Œcumenici,* 26 septembris 1964, n. 54: *A.A.S.* 56 (1964) p. 890.

[37] Cf. *ibid.,* n. 53: *A.A.S.* 56 (1964) p. 890.

[38] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 53.

46. Intentionum series de more sint:

a) pro necessitatibus Ecclesiæ,

b) pro rem publicam moderantibus et salute totius mundi,

c) pro oppressis quacumque difficultate,

d) pro communitate locali.

Attamen in celebratione aliqua particulari, uti Confirmatione, Matrimonio, Exsequiis, ordo intentionum pressius respicere potest particularem occasionem.

47. Est sacerdotis celebrantis precationem moderari, brevi monitione fideles ad orandum invitare ipsamque oratione concludere. Expedit ut intentiones a diacono vel a cantore vel ab alio proferantur.[39] Totus cœtus vero precationem suam exprimit sive invocatione communi post intentiones prolatas, sive oratione sub silentio.

C) Liturgia eucharistica

48. In Cena novissima, Christus sacrificium et convivium paschale instituit, quo sacrificium crucis in Ecclesia continue præsens efficitur, cum sacerdos, Christum Dominum repræsentans, idem perficit quod ipse Dominus egit atque discipulis in sui memoriam faciendum tradidit.[40]

Christus enim accepit panem et calicem, gratias egit, fregit deditque discipulis suis, dicens: Accipite, manducate, bibite; hoc est Corpus meum; hic est calix Sanguinis mei. Hoc facite in meam commemorationem. Proinde Ecclesia totam celebrationem liturgiæ eucharisticæ partibus hisce Christi verbis et actibus respondentibus ordinavit. Siquidem:

[39] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Œcumenici,* 26 septembris 1964, n. 56: *A.A.S.* 56 (1964) p. 890.

[40] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 47; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum Mysterium,* 25 maii 1967, n. 3, *a, b: A.A.S.* 59 (1967) pp. 540-541.

1) In præparatione donorum, ad altare afferuntur panis et vinum cum aqua, ea nempe elementa, quæ Christus in manus suas accepit.

2) In Prece eucharistica Deo pro toto opere salutis gratiæ aguntur, et oblata Christi Corpus et Sanguis fiunt.

3) Per fractionem unius panis unitas fidelium manifestatur, et per communionem fideles accipiunt Corpus et Sanguinem Domini eodem modo ac Apostoli de manibus ipsius Christi.

Præparatio donorum

49. Initio liturgiæ eucharisticæ dona, quæ Corpus et Sanguis Christi efficientur, ad altare afferuntur.

Imprimis altare, seu mensa dominica, quæ centrum est totius liturgiæ eucharisticæ,[41] præparatur, cum corporale, purificatorium, missale et calix, nisi ad abacum paratur, in eo collocantur.

Oblationes deinde afferuntur: panis et vinum laudabiliter a fidelibus præsentantur, a sacerdote autem vel a diacono loco opportuno accipiuntur et super altare deponuntur comitantibus formulis statutis. Quamvis fideles panem et vinum ad liturgiam destinata non iam de suis proferant sicut olim, ritus tamen illa deferendi vim et significationem spiritalem servat.

Etiam pecunia vel alia dona pro pauperibus vel pro ecclesia a fidelibus allata vel in ecclesia collecta accepta habentur; quapropter loco apto extra mensam eucharisticam collocantur.

50. Processionem, qua dona afferuntur, cantus ad offertorium comitatur, qui protrahitur saltem usquedum dona super altare deposita sunt. Normæ de modo cantandi eædem sunt ac pro introitu (n. 26). Si non cantatur, antiphona ad offertorium omittitur.

[41] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Œcumenici*, 26 septembris 1964, n. 91: *A.A.S.* 56 (1964) p. 898; Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 24: *A.A.S.* 59 (1967) p. 554.

51. Dona in altari collocata, et ipsum altare, incensari possunt, ut oblatio Ecclesiæ eiusque oratio sicut incensum in conspectum Dei ascendere significentur. Etiam sacerdos et populus incensari possunt a diacono vel alio ministro, post incensata oblata et altare.

52. Deinde sacerdos manus lavat, quo ritu desiderium internæ purificationis exprimitur.

53. Depositione oblatorum facta et ritibus qui eam comitantur perfectis, per invitationem ad orandum una cum sacerdote et per orationem super oblata præparatio donorum concluditur et Prex eucharistica præparatur.

Prex eucharistica

54. Nunc centrum et culmen totius celebrationis initium habet, ipsa nempe Prex eucharistica, prex scilicet gratiarum actionis et sanctificationis. Sacerdos populum ad corda versus Dominum in oratione et gratiarum actione elevanda invitat eumque sibi sociat in oratione, quam nomine totius communitatis per Iesum Christum ad Deum Patrem dirigit. Sensus autem huius orationis est, ut tota congregatio fidelium se cum Christo coniungat in confessione magnalium Dei et in oblatione sacrificii.

55. Præcipua elementa e quibus Prex eucharistica constat, hoc modo distingui possunt:

a) Gratiarum actio (quæ præsertim in præfatione exprimitur) in qua sacerdos nomine totius populi sancti Deum Patrem glorificat et ei gratias agit pro toto opere salutis vel aliqua eius ratione particulari, secundum diversitatem diei, festi vel temporis.

b) Acclamatio: qua tota congregatio, cælestibus virtutibus se iungens, cantat vel recitat Sanctus. Hæc acclamatio, quæ partem ipsius Precis eucharisticæ constituit, ab omni populo cum sacerdote profertur.

c) Epiclesis: qua per invocationes peculiares Ecclesia virtutem divinam implorat, ut dona ab hominibus oblata

consecrentur, seu Corpus et Sanguis Christi fiant, et ut hostia immaculata, in Communione sumenda, sit in salutem eorum qui illam participaturi sunt.

d) Narratio institutionis et consecratio: verbis et actionibus Christi sacrificium peragitur, quod ipse Christus in Cena novissima instituit, cum suum Corpus et Sanguinem sub speciebus panis et vini obtulit, Apostolisque manducandum et bibendum dedit et iis mandatum reliquit idem mysterium perpetuandi.

e) Anamnesis: per quam, mandatum adimplens, quod a Christo Domino per Apostolos accepit, Ecclesia memoriam ipsius Christi agit, recolens præcipue eius beatam Passionem, gloriosam Resurrectionem et ad cælos Ascensionem.

f) Oblatio: per quam in ipsa hac memoria Ecclesia, eaque præsertim hic et nunc congregata, in Spiritu Sancto hostiam immaculatam Patri offert. Intendit vero Ecclesia ut fideles non solummodo immaculatam hostiam offerant sed etiam seipsos offerre discant, et de die in diem consummentur, Christo mediatore, in unitatem cum Deo et inter se, ut sit tandem Deus omnia in omnibus.[42]

g) Intercessiones: per quas exprimitur Eucharistiam celebrari in communione cum tota Ecclesia tam cælesti quam terrestri, oblationemque fieri pro ipsa et omnibus eius membris vivis atque defunctis, quæ ad participandam redemptionem et salutem per Christi Corpus et Sanguinem acquisitam vocata sunt.

h) Doxologia finalis: qua glorificatio Dei exprimitur, quæque acclamatione populi confirmatur et concluditur.

Prex eucharistica exigit, ut omnes reverentia et silentio eam auscultent, eandem vero participent per acclamationes in ipso ritu prævisas.

[42] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 48; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 12: *A.A.S.* 59 (1967) pp. 548-549.

Ritus Communionis

56. Cum celebratio eucharistica convivium paschale sit, expedit ut, iuxta mandatum Domini, Corpus et Sanguis eius a fidelibus rite dispositis ut cibus spiritalis accipiantur.[43] Ad hoc tendunt fractio aliique ritus præparatorii, quibus fideles ad Communionem immediate adducuntur:

a) Oratio dominica: In ea panis cotidianus petitur, quo christianis etiam Panis eucharisticus innuitur, atque purificatio a peccatis imploratur, ita ut sancta revera sanctis dentur. Sacerdos invitationem ad orationem profert, omnes vero fideles orationem una cum sacerdote dicunt, et sacerdos solus embolismum adiungit, quem populus doxologia concludit. Embolismus, ultimam petitionem ipsius orationis dominicæ evolvens, liberationem a potestate mali pro tota communitate fidelium expetit. Invitatio, oratio ipsa, embolismus et doxologia qua populus hæc concludit, cantu vel clara voce proferuntur.

b) Sequitur deinde ritus pacis, quo fideles pacem et unitatem pro Ecclesia et universa hominum familia implorant et mutuam caritatem sibi exprimunt, priusquam unum panem participent.

Ad ipsum ritum pacis quod attinet, modus a Conferentiis Episcopalibus, secundum ingenium et mores populorum, statuatur.

c) Gestus fractionis a Christo in ultima cena peractus, tempore apostolico toti actioni eucharisticæ nomen dedit. Hic ritus non habet tantum rationem effectivam, sed significat nos multos in Communione ex uno pane vitæ, qui est Christus, unum corpus effici (cf. 1 Cor. 10, 17).

d) Immixtio: Sacerdos partem hostiæ in calicem immittit.

e) Agnus Dei: Dum fractio panis et immixtio peraguntur, invocatio Agnus Dei a schola vel a cantore, populo re-

[43] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, nn. 12, 33 *a*: *A.A.S.* 59 (1967) pp. 549, 559.

spondente, de more cantatur, vel elata voce dicitur. Hæc invocatio repeti potest quoties necesse est ad fractionem panis comitandam. Ultima vice concluditur verbis dona nobis pacem.

f) Præparatio privata sacerdotis: Sacerdos oratione secreta se præparat, ut Corpus et Sanguinem Christi fructuose accipiat. Fideles idem faciunt silentio orantes.

g) Deinde sacerdos panem eucharisticum in Communione suscipiendum fidelibus ostendit eosque ad Christi convivium invitat; simul autem cum fidelibus actum humilitatis, verbis utens evangelicis, elicit.

h) Valde optandum est, ut fideles ex hostiis, in eadem Missa consecratis, Corpus Dominicum sumant et in casibus prævisis calicem participent, quo etiam per signa Communio melius appareat participatio Sacrificii, quod actu celebratur.[44]

i) Dum Sacramentum a sacerdote et fidelibus sumitur, fit cantus ad Communionem, cuius est spiritalem unionem communicantium per unitatem vocum exprimere, gaudium cordis demonstrare et processionem ad Corpus Christi suscipiendum magis fraternam reddere. Cantus inchoatur cum sacerdos se communicat, et protrahitur, dum fideles Corpus Christi sumunt, quousque videtur opportunum. Si tamen hymnus post Communionem habetur, cantus ad Communionem tempestive claudatur.

Adhiberi autem potest aut antiphona ex Graduali romano sive cum psalmo sive sola, aut antiphona cum psalmo e Graduali simplici, aut alius cantus congruus a Conferentia Episcopali approbatus. Cantatur sive a schola sola, sive a schola vel cantore cum populo.

Si autem non habetur cantus, antiphona in Missali proposita recitatur sive a fidelibus, sive ab aliquibus ex ipsis,

[44] Cf. *ibid.*, nn. 31, 32: *A.A.S.* 59 (1967) pp. 558-559; de facultate bis eodem die communicandi: cf. S. Congr. de Disciplina Sacramentorum, Instr. *Immensæ caritatis*, 29 ianuarii 1973, n. 2: *A.A.S.* 65 (1973) pp. 267-268.

sive a lectore, sin aliter ab ipso sacerdote postquam ipse communicavit, antequam Communionem distribuat fidelibus.

j) Distributione Communionis expleta, pro opportunitate sacerdos et fideles per aliquod temporis spatium in corde suo orant. Si placet, etiam hymnus vel psalmus vel alius cantus laudis a tota congregatione persolvi potest.

k) In oratione post Communionem, sacerdos pro fructibus mysterii celebrati deprecatur. Populus acclamatione Amen orationem facit suam.

D) Ritus conclusionis

57. Ritus conclusionis constat:

a) Salutatione et benedictione sacerdotis, quæ quibusdam diebus et occasionibus oratione super populum vel alia sollemniore formula ditatur et exprimitur.

b) Dimissione ipsa, qua cœtus dimittitur, ut unusquisque ad opera sua bona revertatur, collaudans et benedicens Dominum.

Caput III

DE OFFICIIS ET MINISTERIIS IN MISSA

58. In cœtu, qui ad Missam congregatur, unusquisque ius habet et officium participationem suam afferendi diverso modo pro diversitate ordinis et muneris.[45] Omnes itaque sive ministri sive fideles, munere suo fungentes, solum et totum id agant, quod ad ipsos pertinet,[46] ita ut ex ipsa celebrationis ordinatione appareat Ecclesia in suis diversis ordinibus et ministeriis constituta.

I. De officiis et ministeriis Ordinis sacri

59. Omnis legitima Eucharistiæ celebratio dirigitur ab Episcopo, sive per seipsum, sive per presbyteros adiutores ipsius.[47]

Cum Episcopus Missæ interest, ubi populus est congregatus, decet ipsum cœtui præsidere, et presbyteros sibi in celebratione consociare, quantum fieri potest cum ipsis concelebrando.

Quod fit non ad sollemnitatem exteriorem ritus augendam, sed ad significandum vividiore luce mysterium Ecclesiæ, quæ est unitatis sacramentum.[48]

Si vero Episcopus Eucharistiam non celebrat, sed alii hoc faciendum attribuit, tunc convenienter ipse liturgiam verbi moderatur, et in fine Missæ benedictionem impertit.

60. Etiam presbyter, qui in societate fidelium sacra Ordinis potestate pollet sacrificium in persona Christi offe-

[45] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 14, 26.

[46] Cf. *ibid.,* n. 28.

[47] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* nn. 26, 28; Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 42.

[48] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 26.

rendi,[49] exinde cœtui congregato præest, eius orationi præsidet, illi nuntium salutis proclamat, populum sibi sociat in offerendo sacrificio per Christum in Spiritu Sancto Deo Patri, fratribus suis panem vitæ æternæ dat, ipsumque cum illis participat. Cum igitur Eucharistiam celebrat, debet Deo et populo cum dignitate et humilitate servire, et in modo se gerendi et verba divina proferendi præsentiam vivam Christi fidelibus insinuare.

61. Inter ministros primum locum obtinet diaconus, cuius ordo iam ab initio Ecclesiæ in magno honore habitus est. In Missa enim diaconus proprias habet partes in Evangelio nuntiando et quandoque verbo Dei prædicando, in oratione universali fidelibus præeundo, in ministrando sacerdoti, in Eucharistia fidelibus distribuenda, præcipue sub specie vini, et in gestibus et corporis habitibus totius cœtus aliquando innuendis.

II. De officio et munere plebis Dei

62. In celebratione Missæ fideles efficiunt plebem sanctam, populum acquisitionis et sacerdotium regale, ut gratias Deo agant et immaculatam hostiam, non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso offerant et seipsos offerre discant.[50] Curent autem id manifestare per profundum sensum religiosum et per caritatem erga fratres, qui eandem celebrationem participant.

Vitent proinde omnes species vel singulariæ vitæ vel divisionis, præ oculis habentes se unicum Patrem habere in cælis, omnesque propterea esse inter se fratres.

Unum autem corpus efficiant sive verbum Dei audiendo, sive in orationibus et in cantu partem habendo, sive præsertim in communi oblatione sacrificii et in communi par-

[49] Cf. Conc. Vat. II, Decretum de presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 2; Const. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28.

[50] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 48; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 12: *A.A.S.* 59 (1967) pp. 548-549.

ticipatione mensæ Domini. Hæc unitas pulchre apparet ex gestibus et corporis habitibus a fidelibus communiter servatis.

Ne renuant autem fideles populo Dei cum gaudio servire, quoties rogantur, ut aliquod peculiare ministerium in celebratione præstent.

63. Inter fideles suum munus liturgicum exercet schola cantorum vel chorus, cuius est de partibus sibi propriis, iuxta diversa genera cantuum, debite exsequendis, curare, et actuosam fidelium participationem in cantu fovere.[51] Quæ de schola cantorum dicuntur, valent, servatis servandis, pro aliis etiam musicis, præsertim vero pro organario.

64. Decet adesse cantorem vel magistrum chori ad cantum populi dirigendum et sustentandum. Immo, cum deficit schola, cantori competit diversos cantus moderari, populo pro sua parte participante.[52]

III. De ministeriis peculiaribus

65. Acolythus ad servitium altaris et in adiutorium sacerdotis et diaconi instituitur. Ipsius præcipue est altare atque vasa sacra parare et Eucharistiam, cuius est minister extraordinarius, fidelibus distribuere.

66. Lector ad proferendas lectiones sacræ Scripturæ, Evangelio excepto, instituitur. Potest etiam intentiones orationis universalis proponere et, deficiente psalmista, psalmum inter lectiones proferre.

Lector proprium munus in celebratione eucharistica habet, quod ipse per se exercere debet, quamvis adsint ministri gradus superioris.

Ut fideles ex auditione lectionum divinarum suavem ac vivum sacræ Scripturæ affectum [53] in corde concipiant, ne-

[51] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram,* 5 martii 1967, n. 19: *A.A.S.* 59 (1967) p. 306.

[52] Cf. *ibid.,* n. 21: *A.A.S.* 59 (1967) pp. 306-307.

[53] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 24.

cesse est ut lectores tale ministerium exercentes, etsi institutionem non receperunt, revera apti sint et sedulo præparati.

67. Psalmistæ est psalmum vel aliud canticum biblicum, quod inter lectiones invenitur, proferre. Ad suum munus recte implendum necesse est, ut psalmista et arte psallendi et facultate recte pronuntiandi et dicendi polleat.

68. E ceteris ministris, alii diversa munera in presbyterio exercent, alii extra presbyterium.

Primis annumerantur qui ad sacram Communionem ministrandam deputati sunt ut ministri extraordinarii [54] necnon qui missale, crucem, cereos, panem, vinum, aquam, turibulum deferunt.

Aliis autem:

a) Commentator, qui explicationes et admonitiones proponit fidelibus, ut in celebrationem introducantur et ad eius intellegentiam melius disponantur. Oportet monitiones commentatoris sint adamussim præparatæ et sobrietate perspicuæ.

In suo munere adimplendo, commentator stat loco apto coram fidelibus, sed minus congruit eum ascendere ad ambonem.

b) Ii qui, aliquibus in regionibus, fideles ad portas ecclesiæ recipiunt eosque in locis ipsis convenientibus disponunt, et eorum processiones ordinant.

c) Qui collectas in ecclesia faciunt.

69. Expedit ut, præsertim in maioribus ecclesiis et communitatibus, aliquis designetur qui curet de actionibus sacris congrue disponendis et cum decore, ordine et pietate per ministros exercendis.

70. Omnia ministeria infra ea quæ propria sunt diaconi a viris laicis, etsi institutionem non receperunt, exerceri

[54] Cf. S. Congr. de Disciplina Sacramentorum, Instr. *Immensæ caritatis*, 29 ianuarii 1973, n. 1: *A.A.S.* 65 (1973) pp. 265-266.

possunt. Ministeria quæ extra presbyterium peraguntur etiam mulieribus committi possunt, iuxta prudens iudicium rectoris ecclesiæ.

Conferentia tamen Episcopalis permittere potest ut mulier idonea lectiones quæ præcedunt Evangelium et intentiones orationis universalis proferat et pressius determinare locum congruum, e quo verbum Dei in cœtu liturgico annuntiet.[55]

71. Si plures adsunt qui idem ministerium exercere possunt, nihil vetat, quominus diversas partes eiusdem ministerii inter se distribuant et peragant. Ex. gr., alius diaconus adhiberi potest pro partibus in cantu proferendis, et alius pro ministerio altaris; si plures lectiones habentur, inter plures lectores eas distribuere iuvat, et sic de ceteris.

72. Si in Missa cum populo unus tantum minister adest, ipse diversa munera exercere potest.

73. Effectiva cuiusque celebrationis liturgicæ præparatio concordi animo fiat inter omnes quorum interest sive quoad ritus, sive quoad rem pastoralem et musicam, rectore ecclesiæ moderante et auditis quoque fidelibus pro iis quæ ad ipsos directe pertinent.

[55] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Liturgicæ instaurationes*, 5 septembris 1970, n. 7: *A.A.S.* 62 (1970) pp. 700-701.

Caput IV

DE DIVERSIS FORMIS MISSAM CELEBRANDI

74. In Ecclesia locali primus sane locus tribuatur, propter eius significationem, Missæ cui præest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus[56] et in qua plebs sancta Dei plene et actuose participat. Ibi enim habetur præcipua manifestatio Ecclesiæ.

75. Magni etiam habeatur Missa quæ cum aliqua communitate, præsertim vero parœciali, celebratur, utpote quæ Ecclesiam universalem repræsentet tempore et loco statutis, præcipue vero in communi celebratione dominicali.[57]

76. Inter Missas autem ab aliquibus communitatibus celebratas peculiarem locum obtinet Missa conventualis, quæ pars est Officii cotidiani, aut Missa, quæ « Communitatis » dicitur. Et quamvis hæ Missæ nullam specialem formam celebrationis præ se ferant, maxime tamen decet eas cum cantu fieri, præcipue cum plena participatione omnium sodalium communitatis sive religiosorum sive canonicorum. In iis proinde munus suum exerceant singuli iuxta Ordinem vel ministerium receptum. Expedit ideo ut omnes sacerdotes, qui pro utilitate pastorali fidelium singulariter celebrare non tenentur, in iis, quantum fieri potest, concelebrent. Omnes insuper ad eam communitatem pertinentes sacerdotes, qui officio in bonum pastorale fidelium singulariter celebrandi tenentur, Missam quoque conventualem aut « Communitatis » eadem die concelebrare possunt.[58]

[56] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 41.

[57] Cf. *ibid.,* n. 42; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 26: *A.A.S.* 59 (1967) p. 555; Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 28; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis,* n. 5.

[58] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 47: *A.A.S.* 59 (1967) p. 565; S. Congr. pro Cultu Divino, Decl. de concelebratione, 7 augusti 1972: *A.A.S.* 64 (1972) pp. 561-563.

I. DE MISSA CUM POPULO

77. Missa cum populo ea intellegitur quæ cum fidelium participatione celebratur. Convenit autem ut, quantum fieri potest, præsertim vero diebus dominicis et festis de præcepto, cum cantu et congruo numero ministrorum celebratio peragatur; [59] attamen etiam sine cantu et cum uno ministro perfici potest.

78. Expedit autem ut sacerdoti celebranti de more adsint acolithus, lector et cantor: quæ forma in sequentibus « typica » appellabitur. Ritus vero qui infra describitur facultatem prævidet amplioris etiam numeri ministrorum.

In qualibet celebrationis forma adesse potest diaconus suo munere fungens.

Præparanda

79. Altare una saltem tobalea cooperiatur. Super ipsum vero aut circa ipsum duo saltem, vel etiam quattuor, aut sex, vel, si Episcopus diœcesis celebrat, septem candelabra cum cereis accensis ponantur. Item super altare vel prope ipsum habeatur crux. Candelabra autem et crux in processione ad introitum afferri possunt. Super ipsum altare poni potest, nisi in processione ad introitum deferatur, liber Evangeliorum, a libro aliarum lectionum distinctus.

80. Item parentur:

a) Iuxta sedem sacerdotis: missale et, pro opportunitate, libellus cantuum;

b) In ambone: liber lectionum

c) In abaco: calix, corporale, purificatorium et, pro opportunitate, palla; patena et pyxides, si necessariæ sunt, cum pane pro Communione sacerdotis, ministrorum, et populi; urceoli cum vino et aqua, nisi hæc omnia a fidelibus

[59] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 26: *A.A.S.* 59 (1967) p. 555; Instructio *Musicam sacram,* 5 martii 1967, nn. 16, 27: *A.A.S.* 59 (1967) pp. 305, 308.

ad offertorium præsententur, patina pro communione fidelium; et ea quæ necessaria sunt ad manus lavandas. Calix cooperiatur velo, quod potest esse semper coloris albi.

81. In secretario, pro diversis formis celebrationis, parentur sacræ vestes sacerdotis et ministrorum:

a) Pro sacerdote: alba, stola et planeta.

b) Pro diacono: alba, stola et dalmatica, quæ tamen, ob necessitatem vel minorem gradum sollemnitatis, omitti potest.

c) Pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime approbatæ.

Omnes qui albam induunt, cingulum adhibeant et amictu utantur, nisi aliter provideatur.

A) Forma typica

Ritus initiales

82. Populo congregato, sacerdos et ministri, sacris vestibus induti, ad altare procedunt hoc ordine:

a) Minister cum turibulo fumigante, si incensum adhibetur.

b) Ministri qui, pro opportunitate, deferunt cereos, et inter eos, si casus fert, alius minister cum cruce.

c) Acolythi et alii ministri.

d) Lector, qui potest librum Evangeliorum deferre.

e) Sacerdos Missam celebraturus.

Si incensum adhibetur, sacerdos antequam procedatur, incensum in turibulo imponit.

83. Dum fit processio ad altare, cantus ad introitum peragitur (cf. nn. 25-26).

84. Cum ad altare pervenerint, sacerdos et ministri faciunt debitam reverentiam, id est profundam inclinationem, vel, si adest tabernaculum cum Ss.mo Sacramento, genuflexionem.

Crux forte in processione delata iuxta altare, vel alio loco opportuno, ponitur; candelabra vero a ministris portata iuxta

altare, vel super abacum, collocantur; liber Evangeliorum super altare ponitur.

85. Sacerdos ad altare ascendit ipsumque veneratur osculo. Deinde, pro opportunitate, altare incensat, illud circumeundo.

86. His peractis, sacerdos sedem petit. Cantu ad introitum expleto, omnibus stantibus, sacerdos et fideles signant se. Sacerdos dicit: In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Populus respondet: Amen.

Deinde, ad populum conversus, et manus extendens, sacerdos eum salutat, una adhibita e formulis propositis. Potest etiam, ipse vel alius minister idoneus, brevissimis verbis introducere fideles in Missam illius diei.

87. Post actum pænitentialem, dicuntur Kýrie et Glória, iuxta rubricas (nn. 30-31). Glória inchoari potest aut ab ipso sacerdote, aut a cantoribus aut etiam ab omnibus simul.

88. Deinde sacerdos populum ad orandum invitat, manibus iunctis, dicens: Orémus. Et omnes una cum sacerdote ad breve tempus silentes orant. Tunc sacerdos, manibus extensis, dicit collectam, qua expleta, populus acclamat: Amen.

Liturgia verbi

89. Collecta finita, lector ad ambonem pergit, et recitat primam lectionem, quam omnes sedentes auscultant, et in fine acclamationem proferunt.

90. Psalmista vero, seu cantor, vel ipse lector, lectione finita, psalmum dicit, populo responsum proferente (cf. n. 36).

91. Postea, si habenda sit secunda lectio ante Evangelium, lector eam in ambone recitat, ut supra, omnibus sedentibus et auscultantibus, atque in fine acclamantibus.

92. Sequitur Allelúia vel alter cantus, prout tempus liturgicum postulat (cf. nn. 37-39).

93. Dum canitur Allelúia vel alter cantus, sacerdos incensum, si adhibetur, imponit. Deinde, manibus iunctis, et inclinatus ante altare, dicit secreto: Munda cor meum.

94. Tunc librum Evangeliorum, si est in altari, accipit et, præcedentibus ministris, qui incensum et cereos deferre possunt, ad ambonem accedit.

95. In ambone sacerdos aperit librum et dicit: Dóminus vobíscum, et deinde Léctio sancti Evangélii, pollice signans librum et seipsum in fronte, ore et pectore. Deinde librum, si incensum adhibetur, turificat. Post acclamationem populi, proclamat Evangelium, eoque finito, librum osculatur, dicens secreto: Per evangélica dicta deleántur nostra delícta. Post Evangelium fit acclamatio populi, iuxta consuetudinem regionum.

96. Si non adest lector, sacerdos ipse omnes lectiones et, pro necessitate, etiam cantus post ipsas occurrentes profert, stans in ambone. Ibidem, si adhibetur, incensum imponit et, inclinatus, dicit: Munda cor meum.

97. Homilia fit ad sedem vel in ipso ambone.

98. Symbolum dicitur a sacerdote una cum populo (cf. n. 44). Ad verba Et incarnátus est, etc. omnes se inclinant; in sollemnitatibus vero Annuntiationis et Nativitatis Domini genua flectunt.

99. Deinde, populo pro sua parte participante, fit oratio universalis seu oratio fidelium, quam sacerdos moderatur a sede aut ex ambone (cf. nn. 45-47).

Liturgia eucharistica

100. Oratione universali absoluta, incipit cantus ad offertorium (cf. n. 50). Ministri corporale, purificatorium, calicem et missale in altari collocant.

101. Expedit ut participatio fidelium manifestetur per oblationem sive panis et vini ad Eucharistiæ celebrationem, sive aliorum donorum, quibus necessitatibus ecclesiæ et pauperum subveniatur.

Oblationes fidelium a sacerdote opportune accipiuntur, adiuvantibus ministris, et apto loco collocantur; panis autem et vinum pro Eucharistia ad altare deferuntur.

102. Sacerdos, ad altare, accipit a ministro patenam cum pane, eamque ambabus manibus aliquantulum elevatam super altare tenet, dicens formulam appositam. Deinde patenam cum pane super corporale deponit.

103. Postea, stans ad latus altaris, infundit vinum et parum aquæ in calicem, dicens secreto formulam præscriptam, ministro urceolos porrigente. Reversus autem ad medium altaris, acceptum calicem ambabus manibus parum elevatum tenet, dicens formulam statutam; et deinde calicem super corporale deponit, et palla pro opportunitate cooperit.

104. Calice in altari deposito, sacerdos, inclinatus, dicit secreto: In spíritu humilitátis.

105. Pro opportunitate deinde sacerdos incensat oblata et altare; minister vero sacerdotem et populum.

106. Post orationem In spíritu humilitátis vel post incensationem, sacerdos, stans ad latus altaris, manus lavat, formulam statutam secreto dicens, ministro aquam fundente.

107. Ad medium altaris deinde reversus, stans ad populum conversus, extendens et iungens manus, populum ad orandum invitat, dicens: Oráte, fratres, etc. Post responsionem autem populi, manibus extensis, dicit orationem super oblata. In fine populus acclamat: Amen.

108. Tunc sacerdos incipit Precem eucharisticam. Manus extendens dicit: Dóminus vobíscum. Cum prosequitur: Sursum corda, manus elevat; ac, manibus extensis, subdit: Grátias agámus Dómino Deo nostro. Postquam populus re-

spondit: Dignum et iustum est, sacerdos prosequitur præfationem; eaque finita, iunctis manibus, una cum ministris et populo, cantat vel clara voce dicit: Sanctus-Benedíctus (cf. n. 55 b).

109. Sacerdos prosequitur Precem eucharisticam iuxta rubricas, quæ in singulis Precibus indicantur.

Si sacerdos celebrans est Episcopus, post verba una cum fámulo tuo Papa nostro N. subiungit: et me indígno servo tuo.

Ordinarius loci nominari debet hac formula: una cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo (vel: Vicário, Præláto, Præfécto, Abbáte) nostro N. Coadiutores et Auxiliares nominari licet in Prece eucharistica. Quando plures nominandi sunt, dicitur sub formula generali: et Epíscopo nostro N. eiúsque Epíscopis adiutóribus.[60] In unaquaque Prece eucharistica, prædictæ formulæ aptandæ sunt, normis grammaticorum attentis.

Paulo ante consecrationem, minister, pro opportunitate, campanulæ signo fideles monet. Item pulsat campanulam ad unamquamque ostensionem, iuxta cuiusque loci consuetudinem.

110. Expleta doxologia, quæ in fine Precis eucharisticæ habetur, sacerdos, manibus iunctis, dicit monitionem ante orationem dominicam, quam deinde una cum populo profert, manibus extensis.

111. Oratione dominica finita, sacerdos, manibus extensis, solus dicit embolismum Líbera nos, quo completo, populus acclamat: Quia tuum est regnum.

112. Deinde sacerdos, clara voce, dicit orationem Dómine Iesu Christe, qui dixísti; eaque finita, extendens et iungens manus, pacem annuntiat, versus ad populum, dicens: Pax Dómini sit semper vobíscum. Populus respondet:

[60] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Decr. 9 octobris 1972: *A.A.S.* 64 (1972) pp. 692-694.

Et cum spíritu tuo. Postea, pro opportunitate, sacerdos subiungit: Offérte vobis pacem. Et omnes, iuxta locorum consuetudines, pacem et caritatem sibi invicem significant. Sacerdos pacem potest dare ministris.

113. Postea sacerdos accipit hostiam, eamque super patenam frangit, et particulam immittit in calicem, dicens secreto: Hæc commíxtio. Interim a choro et a populo cantatur vel dicitur Agnus Dei (cf. n. 56 e).

114. Tunc sacerdos dicit secreto orationem: Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi vel Percéptio Córporis et Sánguinis.

115. Oratione finita, sacerdos genuflectit, accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, versus ad populum, dicit: Ecce Agnus Dei, et una cum populo semel subdit: Dómine, non sum dignus.

116. Postea, stans ad altare conversus, sacerdos secreto dicit: Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam, et reverenter sumit Corpus Christi. Deinde accipit calicem, dicit: Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam, et reverenter sumit Sanguinem Christi.

117. Accipit deinde patenam vel pyxidem, et accedit ad communicandos. Si Communio sub specie tantum panis fit, hostiam parum elevatam unicuique ostendit dicens: Corpus Christi. Communicandus respondet: Amen, et, tenens patinam sub ore, Sacramentum accipit.

118. Pro Communione sub utraque specie, servetur ritus suo loco descriptus (cf. nn. 240-252).

119. Dum sacerdos sumit Sacramentum, inchoatur cantus ad Communionem (cf. n. 56 i).

120. Distributione Communionis expleta, sacerdos, ad altare reversus, colligit fragmenta, si quæ sint; deinde, stans ad latus altaris, vel ad abacum, purificat patenam vel pyxidem super calicem, postea purificat calicem, dicens

secreto: Quod ore súmpsimus, etc., et calicem purificatorio exterget. Si vasa purificata sunt ad altare, a ministro deferuntur ad abacum. Licet tamen vasa purificanda, præsertim si sint plura, opportune cooperta, in altari vel in abaco super corporale relinquere eaque post Missam, populo dimisso, purificare.

121. Purificationibus peractis, sacerdos ad sedem redire potest. Sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari, vel canticum laudis aut psalmus proferri potest (cf. n. 56 j).

122. Postea, stans ad sedem vel ad altare, sacerdos versus ad populum, dicit: Orémus et, extensis manibus, orationem post Communionem recitat, cui præmitti potest breve spatium silentii, nisi iam præcesserit statim post Communionem. In fine orationis populus acclamat: Amen.

Ritus conclusionis

123. Expleta oratione post Communionem, fiant, si habendæ sunt, breves annuntiationes ad populum.

124. Deinde sacerdos, extendens manus, salutat populum, dicens: Dóminus vobíscum, cui respondetur a populo: Et cum spíritu tuo. Et statim sacerdos subdit: Benedícat vos omnípotens Deus et, benedicens, prosequitur: Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus; omnes respondent: Amen. Quibusdam diebus et occasionibus, huic formulæ benedictionis præmittitur, iuxta rubricas, alia formula sollemnior, vel oratio super populum.

Statim post benedictionem, sacerdos, manibus iunctis, subiungit: Ite, missa est; et omnes respondent: Deo grátias.

125. Tunc sacerdos altare de more osculo veneratur. Facta deinde debita reverentia cum ministris, recedit.

126. Si vero Missam sequitur aliqua actio liturgica, ritus conclusionis, idest salutatio, benedictio et dimissio, omittuntur.

B) De muneribus diaconi

127. Quando adest diaconus, ministerio suo fungens, servantur normæ in superiore capite descriptæ, his exceptis, quæ sequuntur.

In genere diaconus:

a) sacerdoti assistit, et ad eius latus procedit;

b) ad altare, sive ad calicem sive ad librum ministrat;

c) si nullus alius minister adsit, ipse aliorum munera, pro necessitate, adimplet.

Ritus initiales

128. Vestibus sacris indutus, diaconus, librum Evangeliorum deferens, sacerdotem accedentem ad altare præcedit, secus ad eius latus incedit.

129. Facta una cum sacerdote debita reverentia altari, diaconus una cum ipso ad altare ascendit atque, libro Evangeliorum super altare deposito, simul cum sacerdote altare osculo veneratur. Sacerdoti deinde, si adhibetur incensum, assistit ad incensum imponendum et altare turificandum.

130. Altari incensato, sedem una cum sacerdote petit, ibique ad latus sacerdotis consistit eique pro necessitate ministrat.

Liturgia verbi

131. Dum Allelúia vel alter cantus profertur, si adhibetur incensum, ad impositionem turis sacerdoti ministrat, deinde, ante sacerdotem inclinatus, benedictionem petit, submissa voce dicens: Iube, domne, benedícere. Sacerdos eum benedicit, dicens: Dóminus sit in corde tuo, etc. Diaconus respondet: Amen. Deinde librum Evangeliorum, si est in altari, sumit et ad ambonem pergit, ministris, si ad-

sunt, cum candelabris et incenso pro opportunitate eum præcedentibus. Ibi populum salutat, librum incensat et proclamat Evangelium. Quo finito, librum osculo veneratur, secreto dicens: Per evangélica dicta, etc. et ad sacerdotem redit. Si vero homilia non fit neque symbolum dicitur, potest manere in ambone pro oratione universali, recedentibus ministris.

132. Intentiones orationis fidelium, post introductionem sacerdotis, ipse diaconus sive ex ambone sive ex alio loco conveniente profert.

Liturgia eucharistica

133. Ad offertorium, sacerdote ad sedem remanente, diaconus altare præparat, aliis ministris adiuvantibus; ipsius tamen est sacrorum vasorum curam gerere. Assistit etiam sacerdoti ad dona populi recipienda. Tradit deinde sacerdoti patenam cum pane consecrando; infundit vinum et parum aquae in calicem, dicens secreto: Per huius aquæ, et postea calicem sacerdoti præsentat. Præparationem tamen calicis, seu infusionem vini et aquæ, ad abacum peragere potest. Si incensum adhibetur, in turificandis oblatis et altari sacerdoti ministrat, et postea ipse, vel alius minister, sacerdotem et populum incensat.

134. Durante Prece eucharistica, diaconus stat prope sacerdotem, aliquanto tamen post ipsum, ut, quando opus sit, ad calicem vel ad missale ministret.

135. Ad doxologiam finalem Precis eucharisticæ, stans ad latus sacerdotis, calicem elevatum tenet, dum sacerdos patenam cum hostia elevat, usquedum populus Amen acclamaverit.

136. Postquam sacerdos dixit orationem ad pacem et: Pax Dómini sit semper vobíscum, et populus respondet: Et cum spíritu tuo, diaconus, pro opportunitate, invitationem facit ad pacem, dicens: Offérte vobis pacem. Ipse

vero pacem a sacerdote recipit, aliisque ministris sibi propioribus potest offerre.

137. Communione a sacerdote facta, ipse Communionem sub utraque specie accipit, et sacerdotem deinde adiuvat in Communione populo distribuenda. Quod si Communio sub utraque specie fit, ipse calicem sumentibus ministrat, et ultimus de calice sumit.

138. Distributione Communionis expleta, diaconus cum sacerdote ad altare revertitur, colligit fragmenta, si quæ sint, deinde portat calicem et alia vasa sacra ad abacum, ibique ea purificat et de more componit, dum sacerdos ad sedem redit. Licet tamen vasa purificanda, opportune cooperta, in abaco super corporale relinquere, eaque post Missam, populo dimisso, purificare.

Ritus conclusionis

139. Dicta oratione post Communionem, diaconus facit breves annuntiationes populo, quæ forte faciendæ sunt, nisi ipse sacerdos malit eas facere.

140. Data benedictione a sacerdote, diaconus populum dimittit dicens: Ite, missa est.

141. Deinde, una cum sacerdote, altare osculo veneratur, et, facta debita reverentia, simili modo quo processerat, recedit.

C) De muneribus acolythi

142. Munera quæ acolythus exercere potest varii sunt generis; plura autem ex iis simul occurrere possunt. Expedit proinde ut opportune inter plures distribuantur; si vero unus tantum acolythus præsens adest, ea quæ potioris sunt momenti ipse exsequatur, cetera vero inter alios ministros distribuantur.

Ritus initiales

143. In accessu ad altare crucem, medius inter duos ministros cum cereis accensis, deferre potest. Cum autem ad altare pervenerit, cruce prope altare deposita, locum suum in presbyterio occupat.

144. Per totam celebrationem, acolythi est ad sacerdotem vel diaconum, quoties opus sit, accedere, ut ipsis librum præbeat et in aliis quæ necessaria sunt eos adiuvet. Convenit proinde ut, quantum fieri possit, locum occupet e quo ministerium suum commode possit implere, sive ad sedem sive ad altare.

Liturgia eucharistica

145. Absente diacono, expleta oratione universali, dum sacerdos ad sedem manet, acolythus super altare ponit corporale, purificatorium, calicem et missale. Deinde, si opus est, sacerdotem adiuvat in accipiendis donis populi et, pro opportunitate, panem et vinum ad altare defert et sacerdoti tradit. Si incensum adhibetur, ipse sacerdoti turibulum exhibet eique assistit in turificandis oblatis et altari.

146. Sacerdotem adiuvare potest, qua minister extraordinarius, in Communione populo distribuenda.[61] Quod si Communio sub utraque specie fit, ipse calicem sumentibus ministrat, vel calicem sustinet si Communio per intinctionem præbetur.

147. Distributione Communionis expleta, sacerdotem vel diaconum in vasis sacris purificandis et componendis adiuvat. Absente vero diacono, acolythus vasa sacra ad abacum defert ibique purificat et componit.

[61] Cf. Paulus VI, Litt. Apost. *Ministeria quædam,* 15 augusti 1972, n. VI: *A.A.S.* 64 (1972) p. 532.

D) De muneribus lectoris

Ritus initiales

148. In accessu ad altare, absente diacono, lector librum Evangeliorum deferre potest: tunc ante sacerdotem incedit; secus cum aliis ministris.

149. Cum ad altare pervenerit, facta cum sacerdote debita reverentia, ad altare ascendit, librum Evangeliorum supra illud deponit et in presbyterio una cum aliis ministris locum occupat.

Liturgia verbi

150. Lectiones, quæ Evangelium præcedunt, in ambone legit. Deficiente vero psalmista, potest et psalmum responsorium post primam lectionem proferre.

151. Absente diacono, post introductionem a sacerdote dictam, lector intentiones orationis universalis proferre potest.

152. Si ad introitum vel ad Communionem non habetur cantus, et antiphonæ in missali propositæ a fidelibus non recitantur, tempore conveniente eas profert.

II. DE MISSIS CONCELEBRATIS

Prænotanda

153. Concelebratio qua unitas sacerdotii et sacrificii necnon totius populi Dei opportune manifestatur, præterquam in casibus quibus ipso ritu præcipitur, permittitur:

1° a) Feria V Hebdomadæ sanctæ, tum ad Missam chrismatis, tum ad Missam vespertinam;

b) ad Missam in Conciliis, Conventibus Episcoporum et Synodis;

c) ad Missam in Benedictione Abbatis.

2° Præterea, accedente licentia Ordinarii, cuius est de opportunitate concelebrationis iudicare:

a) ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis et oratoriis, cum utilitas christifidelium singularem celebrationem omnium sacerdotum præsentium non postulat;

b) ad Missas in conventibus cuiusvis generis sacerdotum tum sæcularium tum religiosorum.[62]

154. Ubi magnus habetur numerus sacerdotum, superior competens concedere potest ut concelebratio etiam pluries eodem die fiat, sed temporibus subsequentibus, vel in locis sacris diversis.[63]

155. Episcopi est, ad normam iuris, concelebrationis disciplinam in sua diœcesi moderari, etiam in exemptorum ecclesiis et oratoriis semipublicis. De opportunitate vero concelebrationis iudicare atque licentiam in suis ecclesiis et oratoriis dare est cuiusvis Ordinarii et etiam Superioris maioris Religionum clericalium non exemptarum et Societatum clericorum in communi viventium sine votis.[64]

156. Nemo umquam ad concelebrandum admittatur Missa iam incepta.[65]

157. In singulari honore illa concelebratio habenda est, qua sacerdotes alicuius diœceseos cum proprio Episcopo concelebrant, præcipue vero in Missa chrismatis feria V Hebdomadæ sanctæ, et occasione Synodi vel visitationis pastoralis. Eadem ratione concelebratio commendatur quoties sacerdotes cum proprio Episcopo conveniunt, sive occasione exercitiorum spiritualium, sive alicuius conventus.

[62] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 57.

[63] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 47: *A.A.S.* 59 (1967) p. 566.

[64] Cf. *Ritus servandus in concelebratione Missæ,* n. 3.

[65] Cf. *ibid.*, n. 8.

In his casibus illud signum unitatis sacerdotii, necnon Ecclesiæ, omni concelebrationi proprium, magis perspicuo modo manifestatur.[66]

158. Ob peculiarem causam, sive significationis ritus sive festivitatis, facultas fit pluries celebrandi vel concelebrandi eodem die, sequentibus in casibus:

a) Qui, feria V Hebdomadæ sanctæ, Missam chrismatis celebravit aut concelebravit, etiam Missam vespertinam celebrare aut concelebrare potest.

b) Qui Missam primam in nocte Paschatis celebravit aut concelebravit, potest secundam Missam Paschatis celebrare aut concelebrare.

c) In Nativitate Domini omnes sacerdotes tres Missas celebrare vel concelebrare possunt, dummodo hæ suo tempore celebrentur.

d) Qui in Synodo et in visitatione pastorali cum Episcopo vel eius delegato aut occasione cuiusdam conventus sacerdotum concelebrat, Missam ad utilitatem fidelium iterum celebrare potest.[67] Idem valet, servatis servandis, pro cœtibus religiosorum.

159. Missa concelebrata ordinatur, pro qualibet forma, iuxta normas Missæ singulariter celebratæ, iis tamen servatis aut mutatis quæ infra indicabuntur.

160. Si in Missa concelebrata neque diaconus neque alii ministri assistant, munera ipsis propria ab aliquibus concelebrantibus perficiuntur.

[66] Cf. S. Congr. Rituum, Decretum generale *Ecclesiæ semper*, 7 martii 1965: *A.A.S.* 57 (1965) pp. 410-412; Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 47: *A.A.S.* 59 (1967) p. 565.

[67] Cf. *Ritus servandus in concelebratione Missæ*, n. 9; S. Congr. pro Cultu Divino, Decl. de concelebratione, 7 augusti 1972: *A.A.S.* 64 (1972) pp. 561-563.

Ritus initiales

161. Concelebrantes in secretario, vel alio loco apto, sacras vestes induunt, quas sumere solent cum Missam singuli celebrant. Accedente tamen iusta causa, v. gr. frequentiore concelebrantium numero et deficientia paramentorum, concelebrantes, excepto semper celebrante principali, omittere possunt planetam, adhibita stola super albam.

162. Omnibus rite dispositis, fit de more processio per ecclesiam ad altare. Presbyteri concelebrantes incedunt ante celebrantem principalem.

163. Cum ad altare pervenerint, concelebrantes et celebrans principalis, facta debita reverentia, altare osculo venerantur, deinde sedem sibi assignatam petunt. Celebrans vero principalis altare, pro opportunitate, incensat, ac deinde sedem petit.

Liturgia verbi

164. Durante liturgia verbi concelebrantes locum suum occupant et sedent et surgunt eadem ratione ac celebrans principalis.

165. Homiliam habet de more celebrans principalis, vel unus e concelebrantibus.

Liturgia eucharistica

166. Ritus offertorii perficiuntur a celebrante principali, aliis concelebrantibus suis locis manentibus.

167. Ritibus offertorii peractis, concelebrantes ad altare accedunt et circa altare consistunt, ita tamen ut impedimento non sint in ritibus peragendis, et sacer ritus a fidelibus bene conspiciatur, neque impedimento sint diacono quando ad altare, ratione sui ministerii, accedere debet.

De modo proferendi Precem eucharisticam

168. Præfatio dicitur a solo celebrante principali; Sanctus vero ab omnibus una cum populo et schola cantatur vel recitatur.

169. Sanctus expleto, concelebrantes Precem eucharisticam modo infra descripto prosequuntur. Solus celebrans principalis gestus facit, nisi aliter notetur.

170. Partes quæ ab omnibus concelebrantibus simul proferuntur, in recitatione ita dicendæ sunt, ut eas concelebrantes submissa voce proferant et vox celebrantis principalis clare audiatur. Hac ratione textus a populo facilius percipitur.

A) Prex eucharistica I, seu Canon Romanus

171. Te ígitur a solo celebrante principali, extensis manibus, dicitur.

172. Meménto vivorum et Communicántes uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus has preces manibus extensis et elata voce dicit.

173. Hanc ígitur a solo celebrante principali iterum dicitur, manibus extensis.

174. A Quam oblatiónem usque ad Súpplices, omnes concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo:

a) Quam oblatiónem, manibus ad oblata extensis;

b) Qui prídie, Símili modo, manibus iunctis;

c) Verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

d) Unde et mémores et Supra quæ, manibus extensis;

e) Súpplices, inclinati et manibus iunctis usque ad verba ex hac altáris participatióne, ac deinde erecti et se si-

gnantes ad verba omni benedictióne cæléstі et grátia repleámur.

175. Meménto defunctorum et Nobis quoque peccatóribus uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus ea manibus extensis et elata voce dicit.

176. Ad verba Nobis quoque peccatóribus omnes concelebrantes pectus sibi percutiunt.

177. Per quem hæc ómnia a solo celebrante principali dicitur.

178. In hac Prece eucharistica, partes a Quam oblatiónem usque ad Súpplices necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

B) Prex eucharistica II

179. Vere Sanctus a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

180. Ab Hæc ergo dona usque ad Et súpplices omnes concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo:

a) Hæc ergo dona, manibus ad oblata extensis;

b) Qui cum passióni et Símili modo, manibus iunctis;

c) Verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

d) Mémores ígitur atque Et súpplices, manibus extensis.

181. Intercessiones pro vivis: Recordáre, Dómine, et pro defunctis: Meménto étiam fratrum nostrórum, uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus eas manibus extensis profert.

182. Huius Precis eucharisticæ partes quæ sequuntur: Qui cum passióni, Símili modo, Mémores ígitur, necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

C) Prex eucharistica III

183. Vere Sanctus a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

184. A Súpplices ergo te, Dómine, usque ad Réspice, quǽsumus, omnes concelebrantes omnia simul proferunt hoc modo:

a) Súpplices ergo te, Dómine, manibus ad oblata extensis;

b) Ipse enim in qua nocte tradebátur et Símili modo, manibus iunctis;

c) Verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

d) Mémores ígitur et Réspice, quǽsumus, manibus extensis.

185. Intercessiones: Ipse nos et Hæc hóstia nostræ reconciliatiónis uni alterive e concelebrantibus committi possunt, qui solus has preces manibus extensis profert.

186. Huius Precis eucharisticæ partes quæ sequuntur: Ipse enim, Símili modo, Mémores ígitur, necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

D) Prex eucharistica IV

187. Confitémur tibi, Pater sancte, usque ad omnem sanctificatiónem compléret, a solo celebrante principali, extensis manibus, profertur.

188. A Quǽsumus ígitur, Dómine, usque ad Réspice, Dómine, omnes concelebrantes omnia simul proferunt, hoc modo:

a) Quǽsumus ígitur, Dómine, manibus ad oblata extensis;

b) Ipse enim, cum hora venísset et Símili modo, manibus iunctis;

c) Verba Domini, manu dextera, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extensa; ad ostensionem autem hostiam et calicem aspicientes ac postea profunde se inclinantes;

d) Unde et nos, et Réspice, Dómine, manibus extensis.

189. Intercessiones: Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre, uni e concelebrantibus committi possunt, qui solus eas manibus extensis profert.

190. Huius Precis eucharisticæ partes quæ sequuntur: Ipse enim, Símili modo, Unde et nos, necnon doxologia finalis cantu proferri possunt.

191. Doxologia finalis Precis eucharisticæ a solo celebrante principali aut ab omnibus concelebrantibus una cum celebrante principali profertur.

Ritus Communionis

192. Deinde celebrans principalis, iunctis manibus, dicit monitionem ante orationem dominicam ac deinde, manibus extensis, una cum ceteris concelebrantibus et cum populo ipsam orationem dominicam.

193. Líbera nos dicitur a solo celebrante principali, manibus extensis. Omnes concelebrantes, una cum populo, acclamationem finalem proferunt: Quia tuum est regnum.

194. Post monitionem diaconi vel unius e concelebrantibus: Offérte vobis pacem, omnes sibi invicem pacem tradunt. Qui propiores sunt celebranti principali pacem ab ipso recipiunt ante diaconum.

195. Dum Agnus Dei profertur, aliqui e concelebrantibus celebrantem principalem adiuvare possunt ad hostias frangendas, sive pro concelebrantium sive pro populi Communione.

196. Immixtione peracta, solus celebrans principalis dicit secreto orationem Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi vel Percéptio.

197. Oratione ante Communionem expleta, celebrans principalis genuflectit et paulum recedit. Concelebrantes vero unus post alium ad medium altaris accedunt, genuflectunt et Corpus Christi reverenter ex altari accipiunt, atque manu dextera illud tenentes, eique manum sinistram supponentes, ad loca sua recedunt. Possunt tamen concelebrantes suis locis remanere et Corpus Christi e patena sumere, quam celebrans principalis aut unus vel plures e concelebrantibus tenent, ante ipsos transeundo, vel tradendo patenam sequenti et ita usque ad ultimum.

198. Deinde celebrans principalis accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, versus ad populum dicit: Ecce Agnus Dei, et prosequitur cum concelebrantibus et populo, dicens: Dómine, non sum dignus.

199. Deinde celebrans principalis, ad altare conversus, secreto dicit: Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam, et Corpus Christi reverenter sumit. Similiter faciunt concelebrantes. Post eos vero diaconus a celebrante principali Corpus Domini accipit.

200. Sanguis Domini sumi potest vel ex ipso calice directe bibendo, vel cum calamo, vel cum cochleari, vel etiam per intinctionem.

201. Si Communio fit bibendo directe ex calice, unus ex his modis potest adhiberi:

a) Celebrans principalis accipit calicem et secreto dicit: Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam, et paulum Sanguinis sumit et calicem diacono vel concelebranti tradit. Communionem fidelibus deinde distribuit, vel ad sedem recedit. Concelebrantes unus post alium, vel bini et bini si duo calices adhibentur, ad altare accedunt, Sanguinem sumunt et ad suam sedem redeunt. Diaconus vel concelebrans calicem abstergit purificatorio post cuiusque concelebrantis Communionem.

b) Celebrans principalis Sanguinem Domini sumit de more stans in medio altaris.

Concelebrantes vero Sanguinem Domini sumere possunt locis suis manendo et ex calice ipsis a diacono, vel ab uno concelebrante oblato, bibendo; aut etiam tradendo sibi deinceps calicem. Calix semper abstergitur vel ab eo qui bibit vel ab illo qui calicem præsentat. Singuli, cum communicaverint, ad suam sedem redeunt.

202. Si Communio fit cum calamo, proceditur hoc modo: Celebrans principalis calamum accipit et secreto dicit: Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam, paulum Sanguinis haurit et statim calamum purificat paulum aquæ sumens e vase super altare opportune collocato, et eum deponit in apposita patena. Diaconus deinde, vel unus e concelebrantibus, calicem aut in medio altaris aut ad latus ipsius dexterum, super aliud corporale, opportune disponit. Prope ipsum calicem ponitur etiam vas cum aqua ad calamos abluendos, et patena in qua postea calami deponantur.

Concelebrantes unus post alium accedunt, calamum accipiunt et paulum Sanguinis hauriunt, deinde calamum purificant, paulum aquæ sumentes, et ipsum calamum in apposito vase deponunt.

203. Si Communio ad calicem fit cum cochleari, eodem modo ac in Communione cum calamo agitur; caveatur tamen ut, post Communionem, cochlear deponatur in aliquo vase cum aqua, quod, Communione expleta, acolythus ad appositam mensam transfert, ut cochlearia purificet et abstergeat.

204. Ultimus accedit diaconus. Postquam Christi Sanguinem sibi hausit, totum Sanguinem qui remansit sumit, calicem ad abacum transfert, ibique ipse vel acolythus purificat atque absterget et de more componit.

205. Communio concelebrantium ita etiam potest ordinari, ut singuli super altare Corpori et, statim postea, Sanguini Domini communicent.

Hoc in casu, celebrans principalis sub utraque specie Communionem accipit sicut cum solus Missam celebrat,

servato tamen ritu pro Communione calicis singulis in casibus electo, quem ceteri concelebrantes sequantur.

Communione autem celebrantis principalis peracta, calix ad latus dexterum altaris super aliud corporale deponitur. Concelebrantes unus post alium ad medium altaris accedunt, genuflectunt et Corpori Domini communicant; transeunt deinde ad latus dexterum altaris, et Sanguinem Domini sumunt, iuxta ritum pro Communione calicis electum, ut supra dictum est.

Eodem modo ac supra fiunt et Communio diaconi et purificatio calicis.

206. Si Communio concelebrantium fit per intinctionem, celebrans principalis more solito Corpus et Sanguinem Domini sumit, attendens tamen ut in calice satis Sanguinis remaneat ad Communionem concelebrantium. Diaconus deinde, vel unus e concelebrantibus, calicem aut in medio altaris, aut ad latus eius dexterum super aliud corporale, una cum patena continente particulas hostiæ, opportune disponit. Concelebrantes, unus post alium, ad altare accedunt, genuflectunt, particulam accipiunt, eam partim in calicem intingunt et, patenam ori submittentes, intinctam particulam sumunt, ac deinde ad loca sua recedunt ut initio Missæ.

Per intinctionem Communionem accipit etiam diaconus, qui Amen respondet concelebranti sibi dicenti: Corpus et Sanguis Christi. Diaconus autem ad altare totum Sanguinem qui remansit sumit, calicem ad abacum transfert, ibique ipse vel acolythus purificat atque absterget et de more componit.

Ritus conclusionis

207. Cetera usque ad finem Missæ fiunt de more a celebrante principali, concelebrantibus suis sedibus remanentibus.

208. Antequam ab altari discedant, altari debitam reverentiam faciunt. Celebrans vero principalis altare de more osculo veneratur.

III. DE MISSA SINE POPULO

Prænotanda

209. Agitur de Missa celebrata a sacerdote, cui unus tantum minister assistit et respondet.

210. Huiusmodi Missa sequitur generatim ritum Missæ cum populo, ministro, pro opportunitate, partes populi proferente.

211. Celebratio sine ministro non fiat nisi ex gravi necessitate. Hoc in casu salutationes et benedictio in fine Missæ omittuntur.

212. Calix ante Missam paratur sive in abaco iuxta altare, sive super altare; missale vero ad latus sinistrum altaris collòcatur.

Ritus initiales

213. Sacerdos, facta altari reverentia, signat se signo crucis, dicens: In nómine Patris, etc.; conversus ad ministrum, eum salutat, unam e formulis propositis eligendo; et, stans ad pedes altaris, peragit actum pænitentialem.

214. Deinde ascendit altare idque osculo veneratur; accedit deinde ad missale in latere sinistro altaris, ubi remanet usque ad expletam orationem universalem.

215. Tunc legit antiphonam ad introitum; et dicit Kýrie et Glória, iuxta rubricas.

216. Deinde, manibus iunctis, dicit Orémus et, interposita mora convenienti, manibus extensis profert collectam. In fine minister acclamat: Amen.

Liturgia verbi

217. Dicta collecta, minister vel ipse sacerdos legit primam lectionem et psalmum, et, quando dicenda est, secundam lectionem atque versum ad Allelúia vel alterum cantum.

218. Deinde, manens in eodem loco, sacerdos, inclinatus, dicit Munda cor meum, et legit Evangelium. In fine librum osculo veneratur, secreto dicens: Per evangélica dicta, etc. Minister autem acclamationem profert.

219. Sacerdos postea symbolum, iuxta rubricas, una cum ministro recitat.

220. Sequitur oratio universalis, quæ etiam in hac Missa dici potest, sacerdote intentiones proferente, ministro respondente.

Liturgia eucharistica

221. Antiphona ad offertorium omittitur. Minister corporale, purificatorium et calicem super altare deponit, nisi iam initio Missæ ibidem sint posita.

222. Depositio panis ac vini et aquæ infusio fiunt sicut in Missa cum populo, formulis adhibitis in Ordine Missæ assignatis. Post depositionem panis et vini sacerdos lavat manus, stans ad latus altaris, ministro aquam fundente.

223. Orationem super oblata et Precem eucharisticam sacerdos profert, servato ritu pro Missa cum populo descripto.

224. Oratio dominica cum suo embolismo dicitur sicut in Missa cum populo.

225. Expleta acclamatione in fine embolismi, sacerdos dicit orationem Dómine Iesu Christe, qui dixísti; ac deinde

subiungit: Pax Dómini sit semper vobíscum, cui minister respondet: Et cum spíritu tuo. Pro opportunitate autem sacerdos dat pacem ministro.

226. Deinde, dum dicit Agnus Dei cum ministro, sacerdos frangit hostiam super patenam. Expleto Agnus Dei, facit immixtionem, dicens secreto: Hæc commíxtio.

227. Post immixtionem, sacerdos dicit secreto orationem Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi vel Percéptio; deinde genuflectit, hostiam accipit, et, si minister Communionem recipit, versus ad eum et hostiam aliquantulum elevatam super patenam tenens, dicit: Ecce Agnus Dei et cum ipso semel subdit: Dómine, non sum dignus. Deinde, ad altare conversus, Corpus Christi sumit. Si vero minister Corpus Christi non participat, facta genuflexione, sacerdos hostiam accipit et, ad altare conversus, semel dicit secreto: Dómine, non sum dignus, et Corpus Christi sumit. Sumptio Sanguinis Christi fit ut in Ordine Missæ cum populo describitur.

228. Antequam Communionem det ministro, sacerdos dicit antiphonam ad Communionem.

229. Purificatio calicis fit ad latus altaris. Deinde calix potest aut ad abacum a ministro deferri, aut in altari, ut initio, poni.

230. Purificatione calicis expleta, sacerdos aliquam pausam silentii servare potest; postea vero dicit orationem post Communionem.

Ritus conclusionis

231. Ritus conclusionis perficiuntur sicut in Missa cum populo, omisso tamen Ite, missa est.

IV. QUÆDAM NORMÆ GENERALIORES PRO OMNIBUS FORMIS MISSÆ

De veneratione altaris et libri Evangeliorum

232. Iuxta morem in liturgia traditum, veneratio altaris et libri Evangeliorum osculo perficitur. Attamen, ubi huiusmodi signum plene non congruit cum traditionibus aut ingenio alicuius regionis, ibi est Conferentiæ Episcopalis aliud signum statuere in vicem illius adhibendum, hac de re certiore facta Sede Apostolica.

De genuflexione et inclinatione

233. Tres genuflexiones fiunt in Missa, hoc est: post ostensionem hostiæ, post ostensionem calicis et ante Communionem.

Si vero tabernaculum cum sanctissimo Sacramento sit in presbyterio, genuflectitur etiam ante et post Missam, et quoties quis ante Sacramentum transit.

234. Duæ species inclinationum habentur, scilicet capitis et corporis:

a) Inclinatio capitis fit cum tres Divinæ Personæ simul nominantur, et ad nomen Iesu, B. Mariæ Virginis et Sancti in cuius honorem dicitur Missa.

b) Inclinatio corporis, seu inclinatio profunda, fit: ad altare, si tabernaculum cum SS. Sacramento non adsit; ad orationes Munda cor meum et In spíritu humilitátis; in symbolo ad verba Et incarnátus est; in Canone romano ad verba Súpplices te rogámus. Eadem inclinatio fit a diacono, cum petit benedictionem ante proclamationem Evangelii. Sacerdos insuper parum se inclinat cum, in consecratione, verba Domini profert.

De incensatione

235. Incensum ad libitum adhiberi potest in qualibet forma Missæ:

a) durante processione ingressus;

b) initio Missæ, ad altare turificandum;

c) ad processionem et ad proclamationem Evangelii;

d) ad offertorium, ad turificanda oblata, altare, sacerdotem et populum;

e) ad ostensionem hostiæ et calicis post consecrationem.

236. Sacerdos incensum in turibulum imponit, illudque benedicit signo crucis, nihil dicens.

Incensatio altaris fit hoc modo:

a) Si altare est a pariete seiunctum, sacerdos illud circumeundo incensat.

b) Si altare non est a pariete seiunctum, sacerdos transeundo incensat primo partem dexteram, deinde partem sinistram altaris.

Crux si est super altare vel apud ipsum, turificatur ante altare; si vero est post altare, sacerdos eam incensat cum transit ante ipsam.

De purificatione

237. Quoties aliquod fragmentum hostiæ digitis adhæserit, præcipue post fractionem vel fidelium Communionem, sacerdos digitos super patenam abstergeat vel pro necessitate abluat. Similiter fragmenta, si quæ extra patenam sint, colligat.

238. Vasa sacra purificantur a sacerdote vel a diacono vel ab acolytho post Communionem vel post Missam, quantum fieri potest ad abacum. Purificatio calicis fit cum vino

et aqua, vel cum aqua tantum, quæ ab ipso qui purificat, sumitur. Patena de more purificatorio detergeatur.

239. Si hostia vel aliqua particula dilabatur, reverenter accipiatur; si quid vero Sanguinis fundatur, locus ubi ceciderit aqua lavetur, et hæc aqua postea in sacrarium mittatur.

De Communione sub utraque specie

240. Formam ratione signi pleniorem habet sacra Communio cum fit sub utraque specie. In ea enim forma signum eucharistici convivii perfectius elucet, et clarius exprimitur voluntas qua novum et æternum testamentum in Sanguine Domini ratum habetur, necnon ratio inter convivium eucharisticum et convivium eschatologicum in regno Patris.[68]

241. Curent sacri pastores fidelibus, qui ritum participant, vel ei intersunt, aptiore quo fieri potest modo doctrinam catholicam de forma sacræ Communionis in mentem revocare iuxta Concilium Tridentinum. In primis christifideles moneant fidem catholicam docere etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari qui unam speciem solam recipiant.[69]

Doceant insuper, Ecclesiam potestatem habere in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, statuendi vel mutandi quæ ipsorum venerationi vel suscipientium utilitati pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire iudicaverit.[70] Simul tamen fideles moneantur ut sacrum ritum, quo signum eucharistici convivii plenius elucet, impensius participare velint.

[68] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 32: *A.A.S.* 59 (1967) p. 558.
[69] Cf. Conc. Trid., Sess. XXI, Decr. de Communione eucharistica, capp. 1-3: DS 1725-1729.
[70] Cf. *ibid.*, cap. 2: DS 1728.

242. De iudicio Ordinarii, et debita catechesi præmissa, Communio calicis permittitur in sequentibus casibus: [71]

1) neophytis adultis in Missa quæ Baptismum subsequitur; confirmatis adultis in Missa suæ Confirmationis; baptizatis qui in Ecclesiæ communionem recipiuntur;

2) sponsis in Missa sui Matrimonii;

3) diaconis in Missa suæ Ordinationis;

4) abbatissæ, in Missa suæ benedictionis; virginibus, in Missa suæ consecrationis; professis eorumque parentibus, propinquis et confratribus, in Missa primæ, renovatæ aut perpetuæ religiosæ professionis, dummodo vota intra Missam emittant aut renovent;

5) iis qui ministerio quodam instituti sunt, in Missa suæ institutionis; coadiutoribus missionariis laicis, in Missa qua modo publico mittuntur; necnon aliis, in Missa in qua missionem ecclesiasticam accipiunt;

6) in administratione Viatici, infirmo et omnibus astantibus, cum Missa ad normam iuris in domo infirmi celebratur;

7) diacono et ministris, officium suum in Missa implentibus;

8) cum concelebratio fit:

a) omnibus qui in eadem concelebratione ministerio liturgico funguntur, necnon omnibus seminariorum alumnis qui ei intersunt;

b) in suis autem ecclesiis vel oratoriis, etiam omnibus membris Institutorum consilia evangelica profitentium atque aliarum Societatum in quibus per religiosa vota aut oblationem aut promissionem Deo se devovent; præterea omnibus qui in domo sodalium illorum Institutorum et Societatum die noctuque commorantur;

9) sacerdotibus, qui magnis celebrationibus intersunt et celebrare vel concelebrare non possunt;

[71] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Sacramentali Communione*, 29 iunii 1970: *A.A.S.* 62 (1970) pp. 664-667.

10) omnibus qui exercitiis spiritualibus vacant, in Missa quæ, inter hæc exercitia, specialiter pro eiusmodi cœtu actuose participante celebratur; iis omnibus qui participant conventum alicuius cœtus pastoralis, in Missa quam in communi celebrant;

11) iis qui sub numeris 2 et 4 recensentur, in Missa suorum iubilæorum;

12) patrino, matrinæ, parentibus et coniugi necnon catechistis laicis baptizati adulti in Missa initiationis ipsius;

13) parentibus, familiaribus, necnon insignibus benefactoribus qui Missam sacerdotis novensilis participant;

14) sodalibus Communitatum, in Missa conventuali vel « Communitatis », ad normam n. 76 huius Institutionis.

Insuper Conferentiæ Episcopales statuere possunt quatenus quibusque iudiciis et condicionibus Ordinarii Communionem sub utraque specie concedere valeant in aliis casibus, qui magnum momentum habent in vita spiritali alicuius communitatis vel cœtus fidelium.

Intra hos fines, Ordinarii casus particulares indicare possunt, ea tamen lege ne facultas indiscriminatim concedatur, sed ut celebrationes bene definiantur, atque res cavendæ indicentur; vitentur præterea occasiones cum magnus est communicantium numerus. Cœtus quoque, quibus hæc facultas conceditur, sint bene conscripti, ordinati et eiusdem naturæ.

243. Ad Communionem sub utraque specie distribuendam, parentur:

a) Si Communio calicis fit cum calamo, calami argentei pro celebrante et pro singulis communicandis, atque vas cum aqua ad calamos purificandos, et patena in qua calami deponantur.

b) Si cum cochleari Sanguis administratur, unum cochlear.

c) Si Communio sub utraque specie per intinctionem distribuitur, cavendum est ne hostiæ sint nimis tenues neque nimis parvæ, sed paulum spissiores solito, ut, Sanguine partim intinctæ, possint commode distribui.

1. Ritus Communionis sub utraque specie quando Communionem suscipientes directo e calice bibunt.

244. Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens vel acolythus:

a) Sacerdos celebrans sumit de more Corpus et Sanguinem Domini, cavens ut in calice satis Sanguinis remaneat pro Communionem suscepturis; et partem externam calicis purificatorio absterget.

b) Sacerdos ministro calicem cum purificatorio tradit, ipse vero sumit patenam vel pyxidem cum hostiis, deinde sacerdos et minister calicis se sistunt ubi magis commode possint fidelibus Communionem præbere.

c) Singuli communicantes accedunt, debitam reverentiam faciunt, et stant coram sacerdote. Ipse hostiam ostendendo dicit: Corpus Christi, communicandus autem respondet: Amen, et a sacerdote Corpus Christi accipit.

d) Communicandus transit ad ministrum calicis et stat coram eo. Minister dicit: Sanguis Christi, communicandus respondet: Amen, et minister porrigit ei purificatorium et calicem, quem communicandus ipse, pro opportunitate, manibus suis ori admovet. Communicandus, tenens manu sinistra purificatorium sub ore, attendens ne quid Sanguinis defluat, paulum e calice bibit, et postea recedit; minister autem partem externam calicis purificatorio absterget.

e) Si alii adsunt sub una tantum specie Sacramentum suscepturi, minister, postquam omnes qui sub utraque specie communicandi erant e calice biberunt, calicem super altare deponit. Sacerdos vero fideles communicat ac postea redit ad altare. Quod de Sanguine remansit ipse, vel minister, sumit et purificationes de more peragit.

245. Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens neque acolythus:

a) Sacerdos sumit de more Corpus et Sanguinem Domini, cavens ut in calice satis Sanguinis pro Communionem suscepturis remaneat; et partem externam calicis purificatorio absterget.

b) Sacerdos deinde se sistit ubi magis commode possit Communionem præbere et Corpus Domini distribuit, more consueto, singulis sub utraque specie communicandis, qui accedunt, debitam reverentiam faciunt et stant coram sacerdote, atque, Corpore Domini accepto, aliquantulum recedunt.

c) Postquam singuli Corpus Domini sumpserunt, sacerdos pyxidem super altare deponit et calicem cum purificatorio accipit. Singuli calicem participaturi iterum ad sacerdotem accedunt, et stant coram eo. Sacerdos dicit: Sanguis Christi; communicandus respondet: Amen, et sacerdos porrigit ei calicem cum purificatorio. Communicandus purificatorium tenens manu sinistra sub ore, attendens ne quid Sanguinis defluat, paulum e calice bibit et postea recedit. Sacerdos partem externam calicis purificatorio absterget.

d) Communione calicis expleta, sacerdos eum super altare deponit, et, si alii sunt sub una tantum specie communicandi, eos more consueto communicat, ac postea redit ad altare, quod de Sanguine remansit sumit et purificationes de more peragit.

2. Ritus Communionis sub utraque specie per intinctionem

246. Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens vel acolythus:

a) Sacerdos celebrans huic tradit calicem cum purificatorio, ipse vero sumit patenam vel pyxidem cum hostiis; sacerdos cum ministro calicis se sistit ubi magis commode possit Communionem præbere.

b) Singuli communicandi accedunt, debitam reverentiam faciunt et stant coram sacerdote tenentes patinam sub ore. Sacerdos partem hostiæ in calicem intingit et eam ostendendo dicit: Corpus et Sanguis Christi; communicandus autem respondet: Amen, et a sacerdote Sacramentum recipit, ac postea recedit.

c) Communio aliorum qui sub una tantum specie Sacramentum suscipiunt, sumptio Sanguinis qui remansit et purificationes fiunt ut supra dictum est.

247. Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens neque acolythus:

a) Sacerdos, postquam Sanguinem Domini sumpsit, accipit pyxidem vel patenam cum hostiis inter digitos indicem et medium manus sinistræ, et calicem inter pollicem et indicem eiusdem manus, et se sistit ubi magis commode possit Communionem præbere.

b) Singuli communicandi accedunt, debitam reverentiam faciunt et stant coram sacerdote, tenentes patinam sub ore. Sacerdos partem hostiæ in calicem intingit et eam ostendendo dicit: Corpus et Sanguis Christi; communicandus autem respondet: Amen, a sacerdote Sacramentum recipit, et recedit.

c) Licet etiam parvam mensam tobalea et corporali ornatam loco congruo apponere, super qua sacerdos calicem vel pyxidem deponat, ad distributionem Communionis faciliorem reddendam.

d) Communio aliorum qui sub una tantum specie Sacramentum suscipiunt, sumptio Sanguinis qui remansit et purificationes fiunt ut supra dictum est.

3. Ritus Communionis sub utraque specie cum calamo.

248. Etiam sacerdos celebrans utitur calamo ad Sanguinem Domini sumendum.

249. Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens vel acolythus:

a) Ad Communionem Corporis Domini distribuendam, omnia fiunt, ut supra n. 244 b et c dictum est.

b) Communicandus accedit ad ministrum calicis et stat coram eo. Minister dicit: Sanguis Christi; communicandus respondet: Amen, et calamum accipit, in calicem immittit atque paulum Sanguinis sumit. Extrahit postea calamum, attendens ne quid Sanguinis defluat et immittit in vas cum aqua, quod minister quidam in manibus tenet, atque paulum aquæ hauriens calamum purificat, et eum in alio vase ab ipso ministro porrecto deponit.

250. Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens neque acolythus, ipse sacerdos celebrans calicem singulis communicandis offert, ordine supra, pro Communione calicis, descripto (n. 245), et minister apud eum tenet vas cum aqua ad calamum purificandum.

4. Ritus Communionis sub utraque specie cum cochleari.

251. Si adest diaconus vel alius sacerdos assistens vel acolythus, hic calicem manu sinistra sustentat et cochleari singulis communicandis, qui patinam sub ore tenent, Sanguinem Domini distribuit, dicens: Sanguis Christi, et attendens ne eorum labia aut linguam cochleari tangat.

252. Si non adest diaconus neque alius sacerdos assistens neque acolythus, ipse sacerdos celebrans, postquam omnes sub utraque specie communicandi Corpus Domini receperunt, singulis etiam Sanguinem distribuit.

Caput V

DE ECCLESIARUM DISPOSITIONE ET ORNATU AD EUCHARISTIAM CELEBRANDAM

I. Principia generalia

253. Ad Eucharistiam celebrandam, populus Dei plerumque in ecclesiam congregatur vel, ea deficiente, in alium locum honestum qui sit tanto mysterio dignus. Ecclesiæ igitur, aliave loca, ad sacram actionem exsequendam et ad fidelium actuosam participationem obtinendam apta sint. Ædes sacræ insuper et res ad cultum divinum pertinentes vere sint dignæ, pulchræ, atque rerum supernarum signa et symbola.[72]

254. Proinde, Ecclesia nobile ministerium artium continenter quærit, et omnium gentium atque regionum artis significationes admittit.[73] Immo, sicut studet artis opera atque thesauros a sæculis anteactis tradita servare [74] et, quatenus opus est, novis necessitatibus aptare, nova cuiusque ætatis indoli consona promovere contendit.[75]

Quapropter in instituendis artificibus necnon in seligendis operibus in ecclesiam admittendis, vera artis præstantia exquiratur, quæ fidem et pietatem alat et cum veritate significationis et finis cui destinatur congruat.[76]

255. Præstat ecclesias sollemniter consecrari. Fideles autem ecclesiam cathedralem suæ diœceseos et suam eccle-

[72] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 122-124; Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum ordinis*, n. 5; S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Œcumenici*, 26 sept. 1964, n. 90: *A.A.S.* 56 (1964) p. 897; Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 24: *A.A.S.* 59 (1967) p. 554.

[73] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 123.

[74] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 24: *A.A.S.* 59 (1967) p. 554.

[75] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 123, 129; S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Œcumenici*, 26 sept. 1964, n. 13 *c*: *A.A.S.* 56 (1964) p. 880.

[76] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 123.

siam debito honore prosequantur, et eas veluti signum spiritalis illius Ecclesiæ habeant, ad quam ædificandam et dilatandam ex professione sua christiana destinantur.

256. Ad sacras ædes recte exstruendas, reficiendas atque disponendas, omnes quorum interest Commissionem diœcesanam de sacra Liturgia et de Arte sacra consulant. Ordinarius autem loci eiusdem Commissionis consilio et adiutorio utatur, quando agitur de normis in hac re tradendis, aut de novarum ædium adumbrationibus approbandis aut de quibusdam quæstionibus nonnullius momenti diiudicandis.[77]

II. De ecclesiæ ordinatione ad sacram synaxim

257. Populus Dei, qui ad Missam congregatur, cohærentem et hierarchicam habet ordinationem, quæ diversis ministeriis diversaque actione pro singulis celebrationis partibus exprimitur. Generalis itaque dispositio ædis sacræ ea sit oportet quæ cœtus congregati imaginem quodammodo præ se ferat, atque congruam omnium ordinationem permittat necnon rectam muneris exsecutionem uniuscuiusque foveat.

Fideles atque schola cantorum locum obtinebunt, qui ipsorum actuosam participationem faciliorem reddat.[78]

Sacerdos autem eiusque ministri locum capient in presbyterio, seu in ea parte ecclesiæ, quæ ipsorum munus ostendat, in quo quisque respective orationi præsideat, verbum Dei annuntiet et altari ministret.

Hæc omnia, quamvis hierarchicam dispositionem et munerum diversitatem exprimere debeant, intimam tamen et cohærentem unitatem efficiant, qua unitas totius plebis sanctæ clare eluceat. Natura vero et pulchritudo loci universæque supellectilis pietatem foveant et sanctitatem mysteriorum quæ celebrantur ostendant.

[77] Cf. *ibid*, n. 126.

[78] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Œcumenici*, 26 septembris 1964, nn. 97-98: *A.A.S.* 56 (1964) p. 899.

III. De presbyterio

258. Presbyterium ab aula ecclesiæ opportune distinguatur aut per aliquam elevationem, aut per peculiarem structuram et ornatum. Talis autem amplitudinis sit, ut sacri ritus commode peragi possint.[79]

IV. De altari

259. Altare, in quo sacrificium crucis sub signis sacramentalibus præsens efficitur, est etiam mensa Domini, ad quam participandam in Missa populus Dei convocatur; atque centrum gratiarum actionis, quæ per Eucharistiam perficitur.[80]

260. Celebratio Eucharistiæ, in loco sacro, peragenda est super altare sive fixum sive mobile; extra locum sacrum vero, præsertim si ad modum actus fiat, etiam super mensam convenientem, peragi potest, retentis semper tobalea et corporali.

261. Altare fixum dicitur, si ita exstruatur ut cum pavimento cohæreat ideoque amoveri nequeat; mobile vero si transferri possit.

262. Altare maius exstruatur a pariete seiunctum, ut facile circumiri et in eo celebratio versus populum peragi possit. Eum autem occupet locum, ut revera centrum sit ad quod totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur.[81]

Altare maius de more sit fixum et consecratum.

263. Iuxta traditum Ecclesiæ morem et significationem, mensa altaris fixi sit lapidea, et quidem ex lapide naturali. Attamen etiam alia materia digna, solida et affabre effecta, de iudicio Conferentiæ Episcopalis, adhiberi potest.

[79] Cf. *ibid.*, n. 91: *A.A.S* 56 (1964) p. 898.

[80] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 24: *A.A.S.* 59 (1967) p. 554.

[81] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Œcumenici*, 26 septembris 1964, n. 91: *A.A.S.* 56 (1964) p. 898.

Stipites vero aut basis ad mensam sustentandam ex qualibet materia, dummodo sit digna et solida, confici possunt.

264. Altare mobile ex quibuslibet materiis nobilibus et solidis, atque usui liturgico, iuxta diversarum regionum traditiones et mores, convenientibus, exstrui potest.

265. Altaria tum fixa tum mobilia iuxta ritum in libris liturgicis descriptum consecrantur; altaria tamen mobilia benedici tantum possunt. Nulla vero fit obligatio habendi petram consecratam in altari mobili aut in mensa, supra quam extra locum sacrum celebratio peragatur (cf. n. 260).

266. Usus includendi in altari consecrando, vel deponendi sub altari, reliquias Sanctorum, etsi non Martyrum, opportune servetur. Caveatur tamen ut de huiusmodi reliquiarum veritate certo constet.

267. Altaria minora numero sint pauciora et, in novis ecclesiis, in sacellis ab ecclesiæ aula aliquomodo seiunctis collocentur.[82]

V. De ornatu altaris

268. Ob reverentiam erga celebrationem memorialis Domini et erga convivium in quo Corpus et Sanguis Domini præbentur, super altare saltem una tobalea ponatur, quæ ad formam, mensuram et ornatum quod attinet cum ipsius altaris structura conveniat.

269. Candelabra, quæ pro singulis actionibus liturgicis, venerationis et festivæ celebrationis causa, requiruntur, aut super altare, aut circa ipsum, attenta structura tum altaris tum presbyterii, opportune collocentur, ita ut totum concinne componatur, neque fideles impediantur ab iis facile conspiciendis, quæ super altare aguntur vel deponuntur.

270. Item super altare vel prope ipsum crux habeatur, quæ a cœtu congregato bene conspiciatur.

[82] Cf. *ibid.*, n. 93: *A.A.S.* 56 (1964) p. 898.

VI. De sede pro sacerdote celebrante et ministris, seu de loco præsidentiæ

271. Sedes sacerdotis celebrantis debet munus eius præsidendi cœtui atque orationem dirigendi significare. Proinde locus eius magis congruus est versus ad populum in vertice presbyterii, nisi ædis structura vel alia adiuncta id impediant, ex. gr. si propter nimiam distantiam communicatio inter sacerdotem et cœtum fidelium difficilis evadat. Omnis species throni vitetur. Sedes autem pro ministris loco magis apto in presbyterio collocentur, ut ipsi munus sibi concreditum facile implere possint.[83]

VII. De ambone, seu de loco e quo verbum Dei annuntiatur

272. Dignitas verbi Dei requirit ut in ecclesia locus congruus exsistat e quo annuntietur, et ad quem, inter liturgiam verbi, attentio fidelium sponte convertatur.[84]

Convenit ut generatim locus huiusmodi sit ambo stabilis et non simplex pluteus mobilis. Ambo, pro cuiusque ecclesiæ structura, ita dispositus esse debet, ut ministri a fidelibus bene conspici et audiri possint.

Ex ambone proferuntur lectiones, psalmus responsorius atque præconium paschale; item proferri possunt homilia et oratio universalis seu oratio fidelium.

Minus vero congruit ad ambonem ascendere commentatorem, cantorem aut moderatorem chori.

VIII. De locis fidelium

273. Loca fidelium congrua cura disponantur, ut ipsi oculis et animo sacras celebrationes debite participare possint. Expedit ut de more scamna seu sedilia ad eorum usum ponantur. Consuetudo tamen personis quibusdam privatis sedes reservandi reprobanda est.[85] Sedilia autem

[83] Cf. *ibid.*, n. 92: *A.A.S.* 56 (1964) p. 898.
[84] Cf. *ibid.*, n. 96: *A.A.S.* 56 (1964) p. 899.
[85] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Con*

seu scamna ita disponantur, ut fideles corporis habitus a diversis celebrationis partibus requisitos facile sumere possint et expedite ad sacram Communionem recipiendam accedere valeant.

Caveatur ut fideles sive sacerdotem sive alios ministros non tantum videre, sed etiam, hodiernis instrumentis technicis adhibitis, commode audire valeant.

IX. De loco scholæ et organi vel aliorum instrumentorum musicorum

274. Schola cantorum, attenta cuiusque ecclesiæ dispositione, ita collocetur, ut clare appareat eius natura, eam nempe fidelium communitatis congregatæ partem esse, et peculiare munus agere; eius ministerii liturgici exsecutio facilior evadat; singulis eius sodalibus plena in Missa participatio, idest participatio sacramentalis, commode permittatur.[86]

275. Organum autem aliaque instrumenta musica legitime probata apto loco collocentur, ut tum scholæ tum populo cantanti subsidio esse possint, atque, si sola pulsentur, commode ab omnibus audiri queant.

X. De sanctissima Eucharistia asservanda

276. Illud valde commendandum est, locum sanctissimæ Eucharistiæ asservandæ exstare in sacello ad privatam fidelium adorationem et precationem idoneo.[87] Quod si hoc fieri non potest, pro cuiusque ecclesiæ structura et iuxta legitimas locorum consuetudines, Sacramentum ponatur aut in aliquo altari aut extra altare in parte ecclesiæ pernobili et rite ornata.[88]

cilium, n. 32; S. Congr. Rituum, Instructio *Inter Œcumenici*, 26 septembris 1964, n. 98: *A.A.S.* 56 (1964) p. 899.

[86] S. Congr. Rituum, Instructio *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 23: *A.A.S.* 59 (1967) p. 307.

[87] S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 53: *A.A.S.* 59 (1967) p. 568; Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, ed. typ. 1973, n. 9.

[88] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, 25 maii

277. Sanctissima Eucharistia asservetur in unico tabernaculo solido atque inviolabili. Quare, de more, in singulis ecclesiis, unicum tabernaculum habeatur.[89]

XI. De imaginibus fidelium venerationi propositis

278. Domini, beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum imagines, iuxta antiquissimam Ecclesiæ traditionem, in ædibus sacris fidelium venerationi legitime proponuntur. Caveatur tamen, hinc ne eorum numerus nimis augeatur, hinc ut earum dispositio debito ordine fiat, ne fidelium attentionem ab ipsa celebratione avocent.[90] Unius autem eiusdemque Sancti plus quam una imago ne habeatur. Generatim in ornamento et dispositione ecclesiæ, ad imagines quod attinet, pietati communitatis prospiciatur.

XII. De generali loci sacri dispositione

279. Ornatus ecclesiæ ad nobilem ipsius simplicitatem conferat, potius quam ad pompam. In elementis autem seligendis quæ ad ornatum pertinent, rerum veritas curetur, atque eo contendatur, ut ad fidelium institutionem conferat et ad dignitatem totius loci sacri.

280. Apta ecclesiæ eiusque adiunctorum dispositio, quæ necessitatibus nostræ ætatis opportune respondeat, requirit ut non ea solummodo curentur quæ ad sacras actiones celebrandas directius pertineant, sed ut ea quoque prævideantur, quæ ad fidelium convenientem commoditatem tendunt, quæque in locis ubi cœtus congregantur habitualiter prævideri solent.

1967, n. 54: *A.A.S.* 59 (1967) p. 568; Instructio *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 95: *A.A.S.* 56 (1964) p. 898.

[89] Cf. S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium,* 25 maii 1967, n. 52: *A.A.S.* 59 (1967) p. 568; Instructio *Inter Œcumenici,* 26 sept. 1964, n. 95: *A.A.S.* 56 (1964) p. 898; S. Congr. de Sacramentis, Instructio *Nullo umquam tempore,* 28 maii 1938, n. 4: *A.A.S.* 30 (1938) pp. 199-200; Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, ed. typ. 1973, nn. 10-11.

[90] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 125.

Caput VI

DE IIS QUÆ AD MISSÆ CELEBRATIONEM REQUIRUNTUR

I. De pane et vino ad Eucharistiam celebrandam

281. Exemplum Christi secuta, Ecclesia panem et vinum cum aqua ad celebrandum dominicum convivium semper adhibuit.

282. Panis ad Eucharistiam celebrandam debet esse triticeus, iuxta traditionem totius Ecclesiæ, et azymus iuxta traditionem Ecclesiæ latinæ.

283. Ratio signi postulat ut materia celebrationis eucharisticæ revera ut cibus appareat. Expedit ergo ut panis eucharisticus, quamvis azymus et forma tradita confectus, tali modo efficiatur, ut sacerdos in Missa cum populo celebrata revera hostiam frangere possit in diversas partes, easque saltem aliquibus fidelibus distribuere. Parvæ tamen hostiæ minime excluduntur, quando numerus sacram Communionem sumentium aliæque rationes pastorales id exigunt. Gestus autem fractionis panis, quo simpliciter Eucharistia designabatur tempore apostolico, apertius manifestabit vim et momentum signi unitatis omnium in uno pane, et caritatis ex eo quod unus panis inter fratres distribuitur.

284. Vinum pro celebratione eucharistica debet esse ex genimine vitis (cf. Lc 22, 18), naturale et merum, idest extraneis substantiis non admixtum.

285. Sedula cura caveatur ut panis et vinum ad Eucharistiam destinata perfecto statu conserventur; id est, caveatur ne vinum acescat, neve panis corrumpatur vel nimis durus fiat, ita ut difficulter frangi possit.

286. Si post consecrationem aut cum Communionem sumit, sacerdos animadvertat vinum non fuisse infusum, sed aquam, deposita aqua in aliquo vase, vinum cum aqua in-

fundat in calicem, illud consecret, partem narrationis dicens quæ ad consecrationem calicis pertinet, quin tamen teneatur iterum panem consecrare.

II. De sacra suppellectile in genere

287. Sicut pro ecclesiis ædificandis, ita et pro sacra supellectile universa, Ecclesia genus artis cuiusque regionis admittit, et eas aptationes recipit, quæ cum singularum gentium ingenio et traditionibus congruant, dummodo omnia usui ad quem ipsa sacra suppellex destinatur apte respondeant.[91]

Etiam in hac parte sedulo curetur nobilis illa simplicitas, quæ cum arte vera optime copulatur.

288. In seligendis materiis pro sacra supellectile, præter eas quæ usu traditæ sunt, eæ quoque admitti possunt, quæ iuxta mentem nostræ ætatis, nobiles æstimantur, durabiles sunt et usui sacro bene accommodantur. Qua de re iudex erit Conferentia Episcopalis pro singulis regionibus.

III. De vasis sacris

289. Inter ea quæ ad Missam celebrandam requiruntur, speciali honore habentur vasa sacra, et inter hæc calix et patena, quibus vinum et panis offeruntur, consecrantur et sumuntur.

290. Vasa sacra e materiis solidis et, secundum communem æstimationem cuiusque regionis, nobilibus conficiantur. De qua re iudicabit Conferentia Episcopalis. Præferantur tamen materiæ quæ facile non frangantur neque corrumpantur.

291. Calices aliaque vasa, quæ ad recipiendum Sanguinem Domini destinata sunt, cuppam habeant ex tali ma-

[91] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 128; S. Congr. Rituum, Instructio *Eucharisticum mysterium*, 25 maii 1967, n. 24: *A.A.S.* 59 (1967) p. 854.

teria confectam, quæ liquida non absorbeat. Pes vero ex aliis materiis solidis et dignis confici potest.

292. Vasa sacra, ad hostias recipiendas destinata, uti patena, pyxis, theca, ostensorium et alia huiusmodi, etiam ex aliis materiis, in qualibet regione magis æstimatis, ex. gr. ebure aut aliquibus lignis durioribus, confici possunt, dummodo usui sacro aptæ sint.

293. Ad hostias consecrandas unica patena amplior convenienter adhiberi potest, in qua ponatur panis tum pro sacerdote tum pro ministris et fidelibus.

294. Vasa sacra ex metallo confecta interius plerumque inaurentur, si ex metallo conflata sint quod robiginem producat; si vero sint ex metallo robigine immuni et auro nobiliore conflata, inauratura non est necessaria.

295. Ad formam vasorum sacrorum quod attinet, artificis est ea opportuniore modo conficere, qui moribus respondeat singularum regionum, dummodo ad usum liturgicum, ad quem destinantur, singula vasa sint apta.

296. Quoad vasorum sacrorum benedictionem vel consecrationem, serventur ritus in libris liturgicis præscripti.

IV. De sacris vestibus

297. In Ecclesia, quæ est Corpus Christi, non omnia membra eodem munere funguntur. Hæc diversitas ministeriorum in cultu sacro peragendo exterius manifestatur diversitate sacrarum vestium, quæ proinde signum exstare debent muneris cuique ministro proprii. Eædem tamen sacræ vestes ad decorem quoque ipsius actionis sacræ conferant oportet.

298. Vestis sacra omnibus ministris cuiusvis gradus communis est alba, circa lumbos cingulo astringenda, nisi tali modo confecta sit, ut corpori adhæreat etiam sine cingulo. Antequam vero alba assumatur, si hæc habitum communem

circa collum perfecte non cooperit, amictus adhibeatur. Alba cum superpelliceo commutari nequit quando planeta vel dalmatica induenda est, aut quando stola adhibetur loco planetæ vel dalmaticæ.

299. Sacerdotis celebrantis vestis propria, in Missa aliisque sacris actionibus quæ cum Missa directo conectuntur, est planeta seu casula, nisi aliud caveatur, super albam et stolam induenda.

300. Diaconi vestis propria est dalmatica, super albam et stolam induenda.

301. Ministri diacono inferiores albam vel aliam vestem in singulis regionibus legitime probatam induere possunt.

302. Stola defertur a sacerdote circa collum et ante pectus pendens; a diacono vero ab humero sinistro per transversum super pectus ducitur ad partem dexteram corporis, ibique retinetur.

303. Pluviale, seu cappa pluvialis, assumitur a sacerdote in processionibus aliisque actionibus sacris, iuxta rubricas proprias singulorum rituum.

304. Ad formam sacrarum vestium quod attinet, Conferentiæ Episcopales possunt definire et proponere Apostolicæ Sedi aptationes, quæ necessitatibus et moribus singularum regionum respondeant.[92]

305. Ad sacras vestes conficiendas, præter traditas materias, fibræ naturales cuiusque loci propriæ adhiberi possunt, necnon aliquæ fibræ artificiales, quæ respondeant dignitati actionis sacræ et personæ. De qua re iudicabit Conferentia Episcopalis.[93]

306. Decet pulchritudinem et nobilitatem cuiusque vestis non ex abundantia ornamentorum quæ superadduntur exqui-

[92] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 128.
[93] Cf. *ibid.*

ri, sed e materia quæ adhibeatur et a forma. Ornamenta autem figuras seu imagines vel symbola præbeant, quæ usum sacrum indicent, remotis iis quæ usum sacrum dedeceant.

307. Diversitas colorum in sacris vestibus eo contendit, ut hinc proprietas mysteriorum fidei celebrandorum, hinc sensus progredientis vitæ christianæ, decursu anni liturgici, efficacius etiam exterius exprimatur.

308. Ad colorem sacrarum vestium quod attinet, servetur usus traditus, nempe:

a) Color albus adhibetur in Officiis et Missis temporis paschalis et Nativitatis Domini; insuper in festis et memoriis Domini, quæ non sint de eius Passione, in festis et memoriis beatæ Mariæ Virginis, Ss. Angelorum, Sanctorum non Martyrum, in festo Omnium Sanctorum (1 nov.), S. Ioannis Baptistæ (24 iunii), S. Ioannis Evangelistæ (27 dec.), Cathedræ S. Petri (22 febr.) et Conversionis S. Pauli (25 ian.).

b) Color ruber adhibetur in dominica Passionis et feria VI Hebdomadæ sanctæ, in dominica Pentecostes, in celebrationibus Passionis Domini, in festis nataliciis Apostolorum et Evangelistarum et in celebrationibus Sanctorum Martyrum.

c) Color viridis adhibetur in Officiis et Missis temporis « per annum ».

d) Color violaceus adhibetur tempore Adventus et Quadragesimæ. Assumi potest etiam in Officiis et Missis defunctorum.

e) Color niger adhiberi potest in Missis defunctorum.

f) Color rosaceus adhiberi potest in dominicis Gaudéte (III Adventus) et Lætáre (IV in Quadragesima).

Conferentiæ tamen Episcopales possunt definire et proponere Apostolicæ Sedi aptationes, quæ necessitatibus et ingenio populorum respondeant.

309. Diebus sollemnioribus adhiberi possunt sacræ vestes nobiliores, etsi non sint coloris diei.

310. Missæ rituales dicuntur cum colore proprio vel albo vel festivo; Missæ autem pro variis necessitatibus cum colore proprio diei vel temporis aut cum colore violaceo, si indolem pænitentialem manifestant, v. gr. nn. 23, 28, 40; Missæ votivæ cum colore convenienti Missæ quæ celebratur aut etiam cum colore proprio diei vel temporis.

V. De aliis rebus ad usum ecclesiæ destinatis

311. Præter vasa sacra aut vestes sacras, pro quibus aliqua peculiaris materia statuitur, alia supellex, quæ aut ipsi usui liturgico destinatur aut quolibet alio modo in ecclesiam admittitur, digna sit atque respondens fini cui unaquæque res destinatur.

312. Sedulo contendatur ut etiam in rebus minoris momenti artis postulata opportune serventur, et nobilis semper simplicitas cum munditie societur.

Caput VII

DE MISSA EIUSQUE PARTIBUS ELIGENDIS

313. Efficacitas pastoralis celebrationis profecto augebitur, si textus lectionum, orationum et cantuum necessitatibus et præparationi animi et ingenio participantium apte, quantum fieri potest, respondebunt. Quod obtinetur congrue adhibita multiplici facultate electionis, quæ infra describitur.

Sacerdos proinde, in ordinanda Missa, ad commune bonum spiritale cœtus, potius quam ad suum ingenium attendet. Memor sit insuper huiusmodi electionem partium concordi ratione esse faciendam cum ministris aliisque partem aliquam in celebratione exercentibus, fidelibus minime exclusis, in iis quæ ad ipsos magis directo spectant.

Cum vero multiplex afferatur facultas seligendi diversas Missæ partes, necesse est ut ante celebrationem diaconus, lectores, psalmista, cantor, commentator, schola, unusquisque pro sua parte, probe sciant quinam textus ad se spectans adhibeatur, nihilque ex tempore quodammodo eveniat. Harmonica enim ordinatio et exsecutio rituum multum confert ad componendos fidelium animos ad Eucharistiam participandam.

I. De Missa eligenda

314. In sollemnitatibus, sacerdos sequi tenetur calendarium ecclesiæ in qua celebrat.

315. In dominicis, in feriis Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ et Paschæ, in festis et memoriis obligatoriis:

a) si Missa celebratur cum populo, sacerdos sequatur calendarium ecclesiæ in qua celebrat;

b) si Missa celebratur sine populo, sacerdos eligere potest aut calendarium ecclesiæ aut calendarium proprium.

316. In memoriis ad libitum:

a) In feriis Adventus a die 17 ad 24 decembris, diebus infra octavam Nativitatis et in feriis Quadragesimæ, exceptis feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ, sacerdos dicit Missam de die liturgico occurrente; de memoria autem in calendario generali eo die forte inscripta sumere potest collectam, dummodo non occurrat feria IV Cinerum aut feria Hebdomadæ sanctæ.

b) In feriis Adventus ante diem 17 decembris, in feriis temporis Nativitatis a die 2 ianuarii et in feriis temporis paschalis, sacerdos eligere potest aut Missam de feria, aut Missam de Sancto, vel de uno e Sanctis quorum fiat memoria, aut Missam de aliquo Sancto eo die in Martyrologio inscripto.

c) In feriis per annum, sacerdos eligere potest aut Missam de feria, aut Missam de memoria ad libitum forte occurrente, aut Missam de aliquo Sancto eo die in Martyrologio inscripto, aut Missam pro variis necessitatibus vel votivam.

Si celebrat cum populo, sacerdos imprimis bono spiritali fidelium studebit, et cavebit ne iis suam propensionem imponat. Curabit præcipue ne frequentius et sine sufficienti causa lectiones omittat singulis diebus in lectionario feriali assignatas: Ecclesia enim cupit ut ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus.[94]

Ob eandem causam moderate sumet Missas defunctorum: quælibet enim Missa tam pro vivis quam pro defunctis offertur, et in Prece eucharistica memoria defunctorum habetur.

Ubi autem fidelibus cordi sunt memoriæ ad libitum beatæ Mariæ Virginis vel Sanctorum, una saltem Missa de his celebretur, ut satisfiat legitimæ eorum pietati.

Cum vero facultas datur eligendi inter memoriam calendario generali inscriptam et memoriam calendario diœcesano aut religioso insertam, præoptetur, ceteris paribus et iuxta traditionem, memoria particularis.

[94] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 51.

II. De Missæ partibus eligendis

317. In seligendis textibus diversarum partium Missæ tum de Tempore tum de Sanctis, serventur normæ quæ sequuntur.

De lectionibus

318. Diebus dominicis et festivis assignantur tres lectiones, scilicet Prophetæ, Apostoli et Evangelii, quibus populus christianus ad perennitatem operis salutis, secundum mirabilem disciplinam divinam, educatur.

Valde ergo optandum est ut tres lectiones revera fiant; attamen, propter rationes ordinis pastoralis et ex decreto Conferentiæ Episcopalis, alicubi permittitur usus duarum tantum lectionum. Quando tamen electio facienda est inter duas priores lectiones, normæ præ oculis habeantur in Lectionario propositæ, necnon consilium ducendi fideles ad altiorem cognitionem Scripturarum; minime vero attendendum erit tantummodo ad electionem textus brevioris aut facilioris.

319. In Lectionario feriali, lectiones proponuntur pro singulis diebus cuiusque hebdomadæ per universum cursum anni: proinde hæ lectiones plerumque sumentur, diebus quibus sunt assignatæ, nisi occurrat sollemnitas vel festum.

Si tamen aliquando lectio continua in hebdomada intermittitur ob aliquod festum vel aliquam peculiarem celebrationem, sacerdoti licebit, præ oculis habita ordinatione lectionum totius hebdomadæ, aut partes omittendas una cum aliis componere aut statuere quinam textus aliis præferendi sint.

In Missis pro peculiaribus cœtibus, sacerdoti licebit textus peculiari celebrationi aptiores eligere, dummodo ex approbati Lectionarii textibus seligantur.

320. Peculiaris insuper selectio textuum sacræ Scripturæ datur pro Missis, in quas aliqua Sacramenta vel Sacramen-

talia inseruntur, aut quæ pro quibusdam specialibus rerum adiunctis celebrantur.

Huiusmodi Lectionaria ideo statuta sunt, ut per aptiorem verbi Dei auditionem fideles ad mysterium quod participant plenius percipiendum ducantur, et ad incensiorem amorem verbi Dei instituantur.

Textus proinde, qui in cœtu liturgico proferuntur, determinandi sunt præ oculis habitis tum congrua ratione pastorali tum eligendi facultate in hac re facta.

De orationibus

321. Plurimæ præfationes, quibus Missale Romanum ditatur, eo spectant ut argumentum gratiarum actionis in Prece eucharistica variis modis explicetur, et variæ rationes mysterii salutis pleniore luce proponantur.

322. Electio inter Preces eucharisticas his normis opportune regitur:

a) Prex eucharistica prima, seu Canon Romanus, qui semper adhiberi potest, opportunius dicitur diebus quibus assignantur Communicántes propria, aut in Missis quæ Hanc ígitur propriis ditantur, necnon in festis Apostolorum et Sanctorum, quorum mentio fit in ipsa Prece; itemque diebus dominicis, nisi, ob rationes pastorales, præferatur alia Prex eucharistica.

b) Prex eucharistica secunda, ob peculiares ipsius notas, opportunius sumitur diebus infra hebdomadam, vel in peculiaribus rerum adiunctis.

Quamvis præfatione propria instructa sit, adhiberi potest etiam cum aliis præfationibus, cum iis præsertim quæ mysterium salutis compendiose repræsentant, v. gr. cum præfationibus de dominicis per annum aut cum præfationibus communibus.

Quando Missa pro aliquo defuncto celebratur, adhiberi potest peculiaris formula, suo loco, nempe ante Meménto étiam, proposita.

c) Prex eucharistica tertia cum qualibet præfatione dici potest. Eius usus præferatur diebus dominicis et festis.

In hac Prece adhiberi potest peculiaris formula pro defuncto, suo loco inserenda, nempe post verba: Omnes fílios tuos, ubíque dispérsos, tibi, clemens Pater, miserátus coniúnge.

d) Prex eucharistica quarta præfationem immutabilem habet et summarium plenius historiæ salutis præbet. Adhiberi potest quando Missa præfatione propria caret.

In hanc Precem, ratione structuræ, inseri nequit peculiaris formula pro defuncto.

e) Prex eucharistica præfatione propria instructa adhiberi potest, eadem præfatione retenta, etiam quando in Missa sumenda est præfatio de tempore.

323. In qualibet Missa, nisi aliter notetur, dicuntur orationes ipsi Missæ propriæ.

In Missis tamen de memoriis, dicitur collecta vel propria vel de Communi; orationes vero super oblata et post Communionem, nisi sint propriæ, sumi possunt aut e Communi aut e feriis temporis currentis.

In feriis autem per annum, præter orationes dominicæ præcedentis, sumi possunt vel orationes alius dominicæ per annum, vel una ex orationibus pro variis necessitatibus, quæ in missali recensentur. Semper tamen licebit ex iisdem Missis etiam solam collectam adhibere.

Hoc modo amplior copia præbetur textuum, quibus non tantum facultas fit renovandi continue argumenta precationis cœtus liturgici, sed etiam eandem precationem opportune aptandi necessitatibus fidelium, Ecclesiæ et mundi. In potioribus tamen anni temporibus, hæc accommodatio iam fit per orationes iisdem temporibus proprias, in missali, pro singulis feriis, exstantes.

De cantibus

324. In eligendis cantibus inter lectiones occurrentibus, necnon cantibus ad introitum, ad offertorium et ad communionem, normæ serventur, quæ suis locis statuuntur.

De peculiaribus facultatibus

325. Præter facultates eligendi quosdam textus aptiores, de quibus in numeris præcedentibus, facultas fit Conferentiis Episcopalibus, in peculiaribus adiunctis, aliquas aptationes indicandi ad lectiones quod attinet, ea tamen lege, ut textus seligantur e Lectionario rite approbato.

Caput VIII

DE MISSIS ET ORATIONIBUS AD DIVERSA ET DE MISSIS DEFUNCTORUM

I. De Missis et orationibus ad diversa

326. Quoniam liturgia Sacramentorum et Sacramentalium id efficit ut fidelibus bene dispositis omnis fere eventus vitæ sanctificetur gratia divina manante ex mysterio paschali,[95] et quoniam Eucharistia est sacramentum sacramentorum, missale suppeditat exempla Missarum et orationum, quæ in diversis occasionibus vitæ christianæ adhiberi possunt pro necessitatibus totius mundi aut Ecclesiæ universæ vel localis.

327. Perspecta ampliore facultate eligendi lectiones et orationes, expedit ut Missæ ad diversa moderate, idest quando opportunitas id exigit, adhibeantur.

328. In omnibus Missis ad diversa, nisi aliter expresse caveatur, licet adhibere lectiones feriales, necnon cantus inter ipsas occurrentes, si cum celebratione conveniant.

329. Missæ ad diversa triplicis sunt generis:

a) Missæ rituales, quæ cum celebratione quorundam Sacramentorum vel Sacramentalium conectuntur.

b) Missæ pro variis necessitatibus, quæ assumuntur quibusdam in rerum adiunctis, sive interdum sive statis temporibus occurrentibus.

c) Missæ votivæ, pro fidelium pietate eligendæ, de mysteriis Domini aut in honorem beatæ Mariæ Virginis vel cuiusdam Sancti vel omnium Sanctorum.

[95] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 61.

330. Missæ rituales prohibentur in dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, in sollemnitatibus, in diebus infra octavam Paschæ, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum et in feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ, servatis insuper normis quæ in libris ritualibus vel in ipsis Missis exponuntur.

331. E Missis pro variis necessitatibus, ab auctoritate competenti seligi possunt Missæ pro supplicationibus, quæ decursu anni a Conferentia Episcopali statuentur.

332. Occurrente aliqua graviore necessitate vel utilitate pastorali, Missa ipsis conveniens celebrari potest, de mandato vel licentia Ordinarii loci, omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus, dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, diebus infra octavam Paschæ, Commemoratione omnium fidelium defunctorum et feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ.

333. In diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria Adventus usque ad diem 16 decembris, temporis Nativitatis a die 2 ianuarii, et temporis paschalis post octavam Paschatis, Missæ pro variis necessitatibus et votivæ per se prohibentur. Si autem aliqua vera necessitas vel utilitas pastoralis id postulet, in celebratione cum populo adhiberi possunt Missæ huic necessitati vel utilitati respondentes, de iudicio rectoris ecclesiæ vel ipsius sacerdotis celebrantis.

334. In feriis per annum in quibus occurrunt memoriæ ad libitum vel fit Officium de feria, licet celebrare quamlibet Missam vel adhibere quamlibet orationem ad diversa, exceptis tamen Missis ritualibus.

II. De Missis defunctorum

335. Sacrificium eucharisticum Paschatis Christi pro defunctis offert Ecclesia ut, inter se communicantibus omnibus Christi membris, quæ aliis impetrent spiritalem opem, aliis afferant spei solacium.

336. Inter Missas defunctorum primum locum tenet Missa exsequialis, quæ celebrari potest omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus de præcepto, feria V Hebdomadæ sanctæ, Triduo paschali et dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ.

337. Missa defunctorum post acceptum mortis nuntium, vel in ultima sepultura defuncti, vel in primo anniversario die, celebrari potest etiam diebus infra octavam Nativitatis, diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria quæ non sit IV Cinerum aut Hebdomadæ sanctæ.

Aliæ Missæ defunctorum, seu Missæ « cotidianæ » celebrari possunt in feriis per annum, in quibus occurrunt memoriæ ad libitum vel fit officium de feria, dummodo pro defunctis revera applicentur.

338. In Missis exsequialibus habeatur de more brevis homilia, secluso tamen quovis genere laudationis funebris. Homilia etiam in ceteris Missis defunctorum cum populo suadetur.

339. Incitentur fideles, præsertim e familia defuncti, ut per sacram Communionem sacrificium eucharisticum pro defuncto oblatum participent.

340. Si Missa exsequialis directo conectitur cum ritu exsequiarum, dicta oratione post Communionem, et omisso ritu conclusionis, fit ritus ultimæ commendationis seu valedictionis; qui ritus nonnisi præsente cadavere celebratur.

341. In ordinandis ac seligendis iis partibus Missæ pro defunctis, præsertim Missæ exsequialis, quæ variari possunt (e. gr. orationibus, lectionibus, oratione universali), præ oculis habeantur, ut par est, rationes pastorales, quoad defunctum, eius familiam, et astantes.

Specialem insuper rationem habeant pastores de iis qui, per occasionem exsequiarum, liturgicis celebrationibus adsunt vel Evangelium audiunt, sive sunt acatholici sive catholici qui Eucharistiam numquam vel vix umquam participant, vel fidem etiam amisisse videntur: sunt enim sacerdotes ministri Evangelii Christi pro omnibus.

DE ORDINE LECTIONUM MISSÆ

PRÆNOTANDA GENERALIA

I. DE LECTIONARII MISSÆ ORDINATIONE GENERALI

1. Principia generalia

1. Sacræ Scripturæ affectum, quo Ecclesia studet e sacris textibus profundiorem agnitionem veritatis et uberius suæ vitæ nutrimentum haurire, haud semel Sacrosanctum Œcumenicum Concilium Vaticanum II quasi fontem innuit interioris renovationis populi Dei. Quapropter statuit ut in celebrationibus liturgicis recognoscendis « abundantior, varior et aptior lectio Sacræ Scripturæ instauretur ».[1] Et de Missa pressius edixit: « Quo ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus, thesauri biblici largius aperiantur, ita ut, intra præstitutum annorum spatium, præstantior pars Scripturarum Sanctarum populo legatur ».[2]

Nec quidem mirum est Sacrosanctum Concilium huiusmodi principia statuisse. In lectione enim Sacræ Scripturæ, quæ in liturgia verbi recitatur et per homiliam exponitur, « Deus populum suum alloquitur, mysterium redemptionis et salutis patefacit, atque spiritale nutrimentum affert; et ipse Christus per verbum suum in medio fidelium præsens adest ».[3] Unde fit, ut in Missa Ecclesia « non desinat ex mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi panem vitæ sumere atque fidelibus porrigere ».[4]

[1] Conc. Vat. II, Const. de sacra Lit., *Sacrosanctum Concilium,* n. 35.
[2] *Ibidem,* n. 51.
[3] Institutio generalis Missalis Romani, n. 33.
[4] Conc. Vat. II, Const. dogm. de divina Revel., *Dei verbum,* n. 21.

2. Quæ Concilii mandata nunc servanda veniunt per præsentem Ordinem Lectionum, a « Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » apparatum, quibus textus præbentur legendi in dominicis et festis diebus, in feriis per totum anni decursum, necnon in celebrationibus Sanctorum atque in aliis peculiaribus rerum adiunctis.

Mens in hac textuum ordinatione conficienda ea fuit, ut diebus dominicis et festis, quibus nempe populus christianus tenetur eucharisticam celebrationem participare, proponerentur loci maioris momenti, quo adstantes fideles possent partes præstantiores verbi Dei revelati, intra congruum temporis spatium, audire. Altera deinde series textuum Sacræ Scripturæ, quæ præcedentem quodammodo complet, proponitur pro feriis. Neutra tamen pars lectionarii ab altera pendet; unde lectionarium dominicale-festivum independens procedit a lectionario feriali, et vicissim.

Cursus quoque lectionum pro celebrationibus Sanctorum aut pro Missis ritualibus, votivis vel ad diversa propositus propriis legibus regitur.

2. De ordinatione Lectionarii pro dominicis et festis diebus

3. Notæ Ordinis Lectionum pro dominicis et festis diebus sunt hæ:

a) Quælibet Missa tres exhibet lectiones: primam ex Antiquo Testamento, alteram ex Apostolo (idest aut ex Epistolis, aut ex Apocalypsi, iuxta diversa tempora anni), tertiam ex Evangelio. Hac ratione optime illustratur unitas utriusque Testamenti et historiæ salutis, cuius centrum est Christus in suo paschali mysterio recolendus: quod unum ex præcipuis obiectis catecheseos esse debet. Ceterum, hæc distributio respondet antiquæ traditioni, quæ diu etiam in Occidente servata fuit.

b) Varior et abundantior Sacræ Scripturæ lectio in dominicis et festis diebus ex eo etiam provenit quod pro

his diebus cyclus trium annorum proponitur, ita ut iidem textus solummodo quarto quoque anno legantur.

Singuli anni notantur litteris A, B, C. Ad statuendum autem quinam sit annus A, vel B, vel C, hoc modo proceditur. Per litteram C designatur annus cuius numerus in tres partes æquales dividi potest, quasi cyclus ab anno primo computi christiani initium sumpsisset. Sic annus 1 fuisset annus A, annus 2 annus B, annus 3 annus C, et anni 6, 9, 12 ... iterum annus C. Ita v. g. annus 1968 est annus C, annus vero sequens, scilicet annus 1969, est annus A, annus vero 1970 est annus B, et annus 1971 est iterum annus C. Et sic deinceps.

Patet tamen singulos cyclos decurrere iuxta dispositionem anni liturgici, nempe a prima hebdomada Adventus, quæ cadit in anno civili præcedente.

c) Principia quæ regunt ordinem lectionum pro diebus dominicis et festis ea sunt quæ « harmonisationis ex themate » vel « lectionis semi-continuæ » vocantur. Unum vel aliud principium adhibetur, secundum diversa anni tempora et cuiusque temporis liturgici notas peculiares.

Optima compositio harmonica inter lectiones Veteris et Novi Testamenti tunc habetur, quando eadem ab ipsa Scriptura innuitur, quatenus scilicet doctrina et facta quæ exponuntur in textibus Novi Testamenti relationem plus minusve explicitam habent ad doctrinam et facta Veteris Testamenti. In præsenti Ordine Lectionum, textus Veteris Testamenti seliguntur imprimis ob eorum respondentiam ad textus Novi Testamenti, præsertim vero ad Evangelium, qui in eadem Missa leguntur.

Alterius generis compositio inter textus lectionum singularum Missarum, idest « ex themate », invenitur tempore Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, idest iis temporibus, quæ colore vel nota peculiari pollent.

E contra, in dominicis « per annum », quæ notam peculiarem præ se non ferunt, textus tum Epistolarum tum Evangeliorum iuxta ordinem lectionis semi-continuæ disponuntur, dum lectio e Vetere Testamento harmonice componitur cum Evangelio.

3. De ordinatione Lectionarii ferialis

4. Lectionum ordinatio pro feriis hac ratione facta est:

a) Cyclus pro tempore Quadragesimæ principiis peculiaribus ordinatur, quæ rationem habent notarum ipsius temporis, eius nempe indolis baptismalis et pænitentialis.

b) Pro feriis aliorum temporum, lectiones evangelicæ unico disponuntur cyclo, qui singulis annis resumitur. Prima vero lectio, in triginta-quattuor hebdomadis « per annum » duplici cyclo ordinatur, alternis annis legenda. Annus I adhibetur annis imparibus (ex. gr. 1969, 1971, etc.), annus II vero annis paribus (ex. gr. 1970, 1972, etc.).

c) Principia compositionis harmonicæ aut lectionis semi-continuæ eadem ratione ac in lectionario dominicali usurpantur, prout agitur de temporibus notas peculiares præ se ferentibus vel non.

4. De Lectionario pro celebrationibus Sanctorum

5. Pro celebrationibus Sanctorum duplex proponitur series lectionum:

a) Altera in Proprio, pro sollemnitatibus, festis vel memoriis, præsertim si pro unoquoque ex iis textus proprii inveniuntur. Aliquando tamen aliquis textus, qui magis congruit, ex iis qui in Communi ponuntur, indicatur ut aliis præferendus.

b) Altera vero, et quidem amplior, continetur in Communi Sanctorum. In hac parte, prius proponuntur textus magis proprii pro diversis ordinibus Sanctorum (Martyrum, Pastorum, Virginum), deinde vero plurimi textus qui de sanctitate in genere agunt, quique ad libitum valent, quoties remittitur ad Commune pro lectionibus seligendis.

Ad ordinem textuum quod attinet in hac parte, notare iuvabit, eos omnes una simul inveniri, secundum ordinem quo recitandi sunt. Prius igitur inveniuntur textus ex Antiquo Testamento, deinde textus ex Apostolo, postea psalmi et versus inter lectiones occurrentes, denique, textus ex Evan-

gelio. Ea autem ratione ita disponuntur, quod inter eos selectio fit ad libitum celebrantis, præ oculis habitis necessitatibus pastoralibus cœtus qui celebrationem participat, nisi aliter expresse notetur.

Cf. etiam ea quæ infra n. 8 e dicuntur.

5. De Lectionario pro Missis ritualibus, ad diversa et votivis

6. Eadem dispositio textuum lectionum invenitur pro Missis ritualibus, ad diversa et votivis. Plures nempe textus simul proponuntur, sicut in Communi Sanctorum, facta celebranti facultate lectiones inter eos eligendi, ratione habita omnium adiunctorum et præsertim necessitatis pastoralis cœtus qui participat.

Cf. etiam ea quæ infra n. 8 f dicuntur.

6. De potioribus criteriis in seligendis et ordinandis lectionibus adhibitis

7. Præter hæc principia, quæ ordinationem lectionum in singulis partibus Lectionarii regunt, alia ordinis magis generalis habentur, quæ sic possunt enunciari:

a) Ex momento intrinseco ipsius rei et ex traditione liturgica, in præsenti ordine « quidam libri Scripturæ Sacræ reservantur certis temporibus liturgicis ». Servatur, ex. gr., traditio tam occidentalis (ambrosiana et hispanica) quam orientalis legendi Actus Apostolorum tempore paschali. Exinde optime illustratur totam vitam Ecclesiæ a mysterio paschali initium sumere. Servatur pariter traditio sive occidentalis sive orientalis de legendo Evangelio Ioannis ultimis hebdomadis Quadragesimæ et tempore paschali: est Evangelium « spiritale » quo mysterium Christi altius exponitur.

Lectio Isaiæ, præsertim primæ partis, ex traditione assignatur tempori Adventus. Quidam tamen textus eiusdem prophetæ leguntur tempore Nativitatis. Etiam prima Epistola Ioannis eidem tempori assignatur.

b) Circa « longitudinem textuum » via media servatur. Distinctio facta est inter narrationes, quæ aliqua extensione textus indigent et de more a fidelibus attente audiuntur, et textus quos, propter doctrinæ altitudinem, in longum protrahere non licet.

Pro quibusdam vero textibus satis longis, duplex forma prævidetur, longior et brevior, pro opportunitate. In huiusmodi breviationibus faciendis magna cautela adhibita est. In ipso textu impresso versiculi qui omitti possunt opportunis signis typographicis indicari debent.

c) Ex ratione pastorali vitantur in lectionibus diebus dominicis et sollemnitatibus « textus biblici qui revera difficiliores sunt », sive obiective eo quod altiora problemata litteraria, critica aut exegetica movent, sive etiam, quadamtenus saltem, eo quod a fidelibus difficilius intellegi possunt. Attamen divitias spiritales textuum non licuit fidelibus abscondere, ex specie quod ab eis difficilius capiantur, quando hæc difficultas provenit sive ex insufficienti institutione christiana, qua nullus bonus fidelis carere potest, sive ex insufficienti institutione biblica, qua omnis bonus pastor animarum pollere debet. Non raro aliqua lectio difficilior redditur facilior ex harmonia cum alia lectione eiusdem Missæ.

d) Traditio multarum liturgiarum, ipsa liturgia romana minime exclusa, aliquando consuevit in lectionibus Scripturæ « quosdam versiculos omittere ». Ultro fatendum est huiusmodi omissiones non leviter fieri posse, ne sensus textus aut mens et quasi stilus Scripturæ mutilentur. Attamen, cauto quod sensus revera in sua essentia integer maneat, visum est, ex ratione pastorali, etiam in præsenti Ordine prædictam traditionem servare. Secus enim quidam textus plus æquo protraherentur, aut lectiones quæ pro fidelibus non parvæ, immo quandoque magnæ utilitatis spiritalis existunt, integre omitti debuissent, eo quod contineant unum alterumve versiculum qui, sub aspectu pastorali, est minoris utilitatis aut quæstiones revera nimis difficiles implicat.

7. De facultate seligendi quosdam textus

8. In Lectionario facultas quandoque relinquitur celebranti seligendi unum vel alterum textum legendum, vel seligendi unum textum e pluribus qui simul pro eadem lectione proponuntur. Quod raro evenit in dominicis, in sollemnitatibus et festis, ne color proprius alicuius temporis liturgici evanescat, aut lectio semi-continua alicuius libri indebite abrumpatur; e contra, huiusmodi facultas facilius datur in celebrationibus Sanctorum et in Missis ritualibus, ad diversa, vel votivis.

Ut omnia debito ordine procedant, attendatur oportet ad ea quæ sequuntur:

a) In Missis in quibus tres lectiones proponuntur, valde optandum est ut tres lectiones revera fiant. Attamen, si Conferentia Episcopalis, ob rationes pastorales, permiserit ut duæ tantum lectiones habeantur, electio inter duas priores tali ratione fiat, ne consilium plenius docendi fideles mysterium salutis evacuetur. Quapropter, nisi aliter suo loco caveatur, præferenda est e duabus prioribus lectionibus ea quæ magis harmonice componitur cum Evangelio, vel ea quæ, iuxta præfatum consilium, magis adiuvat ad organicam catechesim per aliquod tempus tradendam, vel ea quæ potest lectionem semi-continuam alicuius libri permittere.

Ex. gr., tempore Quadragesimæ, continuitas lectionum Veteris Testamenti proponitur secundum evolutionem historiæ salutis; vel in dominicis « per annum », proponitur lectio semi-continua alicuius Epistolæ. Tunc expedit ut pastor animarum seligat unam vel alteram lectionem modo systematico per plures dominicas subsequentes, ut rationem harmonicam catecheseos statuat; minime vero decet ut sine ordine nunc e Vetere Testamento nunc ex Epistola legat, absque harmonica ordinatione textuum subsequentium.

b) Criterium item pastorale ducere debet ad electionem inter duas formas, quibus idem textus præbetur. Datur enim aliquando forma longior et forma brevior eiusdem

textus. Tunc attendatur oportet ad facultatem audientium auscultandi cum fructu lectionem magis vel minus longam; ad eorum facultatem bene intellegendi aliquos textus difficiliores; ad eorum facultatem audiendi textum magis completum, per homiliam explicandum.

Quando huiusmodi licentia tribuitur, singulis in casibus notatur, per opportunam indicationem ex modo imprimendi textum.

c) Quando autem facultas tribuitur seligendi inter unum vel alium textum iam definitum, attendendum erit ad utilitatem participantium, prout nempe agitur de adhibendo textu, qui facilior est vel magis conveniens cœtui congregato, vel de textu iterando vel reponendo, qui alicui celebrationi tamquam proprius assignatur, alteri vero tamquam ad libitum adhibendus, quoties utilitas pastoralis id suadeat.

Quod evenire potest aut quando timeatur ne aliquis textus quasdam gignat difficultates in aliquo cœtu, aut quando idem textus diebus proximioribus iterum legi debeat die dominica et in feria subsequenti.

d) In Lectionario feriali adhibendo, animadvertere oportet utrum ex aliqua celebratione ea hebdomada occurrente, una alterave lectio eiusdem libri sit omittenda. Tunc prævideat sacerdos, præ oculis habita ordinatione lectionum totius hebdomadæ, aut partes omittendas utpote minoris momenti, aut opportuniorem modum easdem partes cum aliis componendis, quando ipsæ utilitatis sint ad integrum conspectum totius argumenti præbendum.

e) In celebrationibus Sanctorum hæc attendenda sunt:

1) In sollemnitatibus et festis semper adhibendæ sunt lectiones quæ in Proprio vel in Communi ponuntur; celebrationibus calendarii generalis semper lectiones propriæ assignantur.

2) In memoriis vero Lectionarium feriale de more adhibeatur.

Attamen aliquando lectiones « propriæ » assignantur, id est quæ de ipsa persona Sancti agunt vel de mysterio de quo Missa celebratur; hæ lectiones dicendæ sunt loco lec-

tionum in Lectionario feriali occurrentium. Quoties de huiusmodi lectionibus agitur, in Missali expresse suo loco indicatur.

Pro ceteris autem casibus, lectiones de memoria adhibeantur tantum si peculiares rationes, præsertim indolis pastoralis, id suadeant. Nonnumquam ponuntur lectiones « appropriatæ », quæ scilicet peculiarem aspectum vitæ spiritalis vel actuositatis Sancti in lucem produnt. Plerumque vero indicantur lectiones in Communibus exstantes, ut electio facilior evadat. Agitur tantum de suggestionibus: loco enim lectionis appropriatæ vel simpliciter propositæ, quævis alia lectio seligi potest e Communibus indicatis.

3) In sollemnitatibus, quando nempe tres lectiones proponuntur, prima seligi debet e textibus Veteris Testamenti, altera ex Apostolo, tertia ex Evangelio, nisi Conferentia Episcopalis statuerit duas tantum esse habendas lectiones.

4) In festis et in memoriis, quando nempe duæ tantum habentur lectiones, prior lectio eligi potest aut e Vetere Testamento aut ex Apostolo; altera vero ex Evangelio. Attamen tempore paschali, iuxta traditum in Ecclesia morem, prior lectio seligatur ex Apostolo, altera, quantum fieri potest, ex Evangelio Ioannis.

5) In omnibus celebrationibus, præterquam e Communibus ad quæ in singulis casibus remittitur, lectiones semper eligi possunt, quoties peculiaris ratio id suadeat, e Communi Sanctorum vel Sanctarum.

f) In Missis ritualibus, ad diversa et votivis, cum plures proponantur textus pro eadem lectione, electio fit iisdem criteriis supra relatis pro eligendis lectionibus e Communi Sanctorum.

8. De cantibus inter lectiones occurrentibus

9. Post singulas lectiones cantus profertur, iuxta normas in Institutione generali Missalis Romani (nn. 36-40) propositas.

Magni momenti est, inter hos cantus, psalmus, qui primam lectionem sequitur. De more sumatur psalmus qui lectioni assignatur, nisi agatur de lectionibus pro Communi Sanctorum, pro Missis ritualibus, ad diversa et votivis, in quibus electio committitur ipsi sacerdoti celebranti, qui principio utilitatis pastoralis adstantium utetur.

Attamen, ut populus responsum psalmodicum facilius proferre valeat, textus aliqui psalmorum et responsorum pro diversis temporibus anni aut pro diversis Sanctorum ordinibus electi sunt, qui adhiberi valent loco textus lectioni respondentis, quoties psalmus cantu profertur.

Alter cantus, post secundam lectionem ante Evangelium proferendus, aut in unaquaque Missa statuitur et componitur cum Evangelio, aut relinquitur eligendus intra seriem communem alicuius temporis vel Communis.

In Quadragesima, ante et post Versum ante Evangelium, pro opportunitate adhiberi potest una ex his acclamationibus, aut alia his similis: « Laus tibi, Christe, Rex ætérnæ glóriæ; Laus et honor tibi, Dómine Iesu; Glória et laus tibi, Christe; Glória tibi, Christe, Verbo Dei ».

9. In quem finem Ordo lectionum redactus sit

10. Finis in quem redactus est Ordo Lectionum, ex ipsa mente Concilii Vaticani II, est imprimis pastoralis. Ad quem finem attingendum non solum principia quibus novus Ordo innititur, sed ipsi quoque elenchi textuum qui infra ponuntur, iterum iterumque discussa et perpolita sunt cooperantibus ex toto orbe terrarum permagno numero virorum in re exegetica, pastorali, catechetica et liturgica peritorum. Ordo est fructus huius communis laboris.

Spes arridet ut diuturna lectio et explanatio Sacræ Scripturæ populo christiano in celebratione eucharistica ex novo Ordine Lectionum facienda, magna cum efficacia conferat ad finem obtinendum a Concilio Vaticano II iterum atque iterum propositum, et a Summo Pontifice Paulo VI his verbis expressum: « Quæ sane omnia hoc modo ordinata sunt, ut magis ac magis in christifidelibus ea verbi Dei fames

exstimuletur, qua, Spiritu Sancto duce, novi fœderis populus ad perfectam Ecclesiæ unitatem veluti urgeri videatur. Hisce ita compositis, illud etiam vehementer fore confidimus, ut sacerdotes et fideles simul sanctius animum suum ad Cenam Domini præparent, simul, Sacras Scripturas altius meditati, verbis Domini uberius in dies alantur. Exinde denique sequetur, ut, iuxta Concilii Vaticani II monita, divinæ Litteræ quasi quidam spiritalis vitæ fons perennis, sive præcipuum christianæ doctrinæ tradendæ argumentum, sive demum cuiusvis theologicæ institutionis medulla ab omnibus habeantur ».[5]

II. DESCRIPTIO ORDINIS LECTIONUM

Quo autem clarior appareat ordinatio totius lectionarii, eiusque compositio cum anno liturgico, en descriptio ipsius Ordinis lectionum in diversis anni temporibus.

1. Tempus Adventus

11. 1. « In dominicis ». Lectiones Evangelii notam propriam habent: referuntur ad Adventum Domini in fine temporum (dominica prima), ad Ioannem Baptistam (dominicæ secunda et tertia), ad eventus qui Nativitatem Domini proxime præparaverunt (dominica quarta).

Lectiones Veteris Testamenti sunt prophetiæ de Messia et tempore messianico, præsertim ex libro Isaiæ.

Lectiones Apostoli exhortationes et præconia secundum diversas notas huius temporis præbent.

2. « In feriis ». Duplex præbetur series lectionum, altera ab initio usque ad diem 16 decembris adhibenda, altera a die 17 ad diem 24.

In priore parte Adventus habetur lectio libri Isaiæ, secundum ordinem libri distributa, haud exclusis textibus

[5] Paulus VI, Constitutio Apostolica *Missale Romanum*, die 3 aprilis 1969 data: *A.A.S.* 61 (1969) pp. 220-221.

maioris momenti qui etiam in dominicis occurrunt. Evangelia horum dierum respectu habito ad primam lectionem selecta sunt.

A feria quinta hebdomadæ secundæ incipiunt lectiones Evangelii de Ioanne Baptista; prima vero lectio est sive continuatio libri Isaiæ, sive textus selectus respectu habito ad Evangelium.

Hebdomada ultima ante Nativitatem Domini, ex Evangelio Matthæi (cap. 1) et Lucæ (cap. 1) proponuntur eventus qui Nativitatem Domini immediate præparaverunt. In prima lectione, selecti sunt respectu habito ad Evangelium textus ex diversis libris Veteris Testamenti, inter quos habentur aliqua vaticinia messianica magni momenti.

2. Tempus Nativitatis

12. 1. « In sollemnitatibus, festis et dominicis ». Pro vigilia et tribus Missis in Nativitate Domini, lectio prophetica desumpta est ex Isaia propheta: hi textus selecti sunt e traditione romana et usque adhuc in pluribus ritibus particularibus permanent. Aliæ lectiones, duabus exceptis, e Missali Romano derivantur.

Dominica infra octavam Nativitatis, pro festo Sanctæ Familiæ, Evangelium spectat ad infantiam Iesu, aliæ lectiones ad vitam domesticam.

In Octava Nativitatis et Sollemnitate Sanctæ Dei Genetricis Mariæ lectiones agunt et de Virgine Dei Genetrice (Evangelium et secunda lectio) et de impositione Ss.mi Nominis Iesu, quod festum non iam habetur in calendario (Evangelium et prima lectio).

Dominica secunda post Nativitatem, lectiones tractant de mysterio Incarnationis.

In Epiphania Domini, pro lectione apostolica, textus legitur de vocatione gentium ad salutem.

Dominica post Epiphaniam, in festo Baptismatis Domini, textus selecti sunt de hoc mysterio.

2. « In feriis ». A die 29 decembris, fit lectio continua totius Epistolæ I Ioannis, quæ legi iam cœpit die 27 de-

cembris, in festo ipsius S. Ioannis et die sequenti in festo Ss. Innocentium.

Evangelia spectant ad manifestationes Domini. Leguntur enim eventus infantiæ Iesu ex Evangelio Lucæ (diebus 29 et 30 decembris), caput primum Evangelii Ioannis (31 dec.-5 ian.), et præcipuæ manifestationes Domini, e tribus Synopticis (7-12 ian.).

3. Tempus Quadragesimæ

13. 1. « In dominicis ». Lectiones Evangelii sic dispositæ sunt:

In dominicis prima et secunda, servantur narrationes de Tentatione et de Transfiguratione Domini, quæ tamen secundum tres Synopticos leguntur.

In tribus dominicis sequentibus restituta sunt, pro anno A, Evangelia de Samaritana, de cæco nato et de Lazaro; quæ Evangelia, cum sint maioris momenti, respectu ad initiationem christianam, adhiberi possunt etiam anno B et C, præsertim ubi catechumeni habentur.

Attamen, iuxta votum plurimorum pastorum, anno B et C præbentur etiam alii textus, scilicet: anno B, textus Ioannis de futura glorificatione Christi per Crucem et Resurrectionem; anno C, textus Lucæ de conversione.

Lectiones Veteris Testamenti ad historiam salutis referuntur, quæ est unum ex obiectis propriis catecheseos quadragesimalis. Singulis annis habentur series textuum quibus præbentur præcipua elementa illius historiæ ab initio usque ad promissionem novi fœderis; præsertim vero lectiones de Abraham (dominica secunda) et de exitu populi ex Ægypto (dominica tertia).

Lectiones Apostoli ita selectæ sunt, ut lectionibus Evangelii ac Veteris Testamenti respondeant et, quantum fieri potest, inter eas aptior conexus habeatur.

2. « In feriis ». Lectiones ex Evangelio et Vetere Testamento cum mutua relatione ad invicem selectæ sunt, ac diversa « themata » catecheseos quadragesimalis tractant.

Maior pars lectionum Missalis Romani servata est, quoties fieri potuit. Opportunum etiam visum est ordinem magis congruentem restituere inter lectiones Evangelii Ioannis, cuius pars magna, sed sine ordine, hucusque legebatur. Ideo proponitur, inde a feria secunda hebdomadæ quartæ, lectio semi-continua Ioannis, in qua habentur textus huius Evangelii qui notis Quadragesimæ plenius respondent.

Cum lectiones de Samaritana, de cæco nato et de Lazaro nunc in dominicis legantur, sed tantum anno A (et ceteris annis ad libitum tantum), provisum est ut et in feriis resumi possint: ideo, initio hebdomadarum tertiæ, quartæ et quintæ, « Missæ ad libitum » cum illis textibus insertæ sunt; quæ lectiones, loco lectionum diei, quavis feria illius hebdomadæ adhiberi possunt.

4. Tempus paschale

14. 1. « In dominicis ». Usque ad dominicam tertiam Paschæ, lectiones Evangelii apparitiones Christi suscitati referunt. Ne series narrationum de Domini apparitionibus abrumpatur, lectiones de Bono Pastore, quæ hucusque dominicæ secundæ post Pascha occurrebant, nunc dominicæ quartæ Paschæ (idest tertiæ post Pascha) assignantur. In dominicis quinta, sexta et septima Paschæ, excerpta e sermone et oratione Domini post ultimam cenam habentur.

Prima lectio desumitur ex Actibus Apostolorum, in cyclo trium annorum, modo parallelo et progressivo: ita quædam de primævæ Ecclesiæ vita, testimonio et progressu singulis annis præbentur.

Pro lectione apostolica, anno A Epistola I Petri legitur, anno B Epistola I Ioannis, anno C Apocalypsis: hi textus cum lætæ fidei et firmæ spei spiritu, qui huic tempori proprius est, maxime consonare videntur.

2. « In feriis ». Lectio prima ex Actibus Apostolorum desumitur ut in dominicis, modo semi-continuo.

Pro Evangelio, infra octavam Paschæ, narrationes apparitionum Domini leguntur, servatis tamen conclusionibus

Synopticorum in sollemnitate Ascensionis. Deinde lectio semi-continua Evangelii Ioannis, de quo nunc textus indolis potius paschalis sumuntur, ut lectio tempore Quadragesimæ iam habita compleatur. In hac lectione paschali, sermo et oratio Domini post cenam magnam partem habent.

5. Tempus « per annum »

A. De ordinatione et electione textuum

15. Tempus « per annum » complectitur 33 vel 34 hebdomadas, quæ extra tempora iam memorata occurrunt. Incipit feria secunda quæ sequitur dominicam post diem 6 ianuarii occurrentem, et protrahitur usque ad feriam tertiam ante Quadragesimam inclusive; iterum incipit feria secunda post Dominicam Pentecostes et explicit ante I Vesperas dominicæ primæ Adventus.

Lectionarium exhibet lectiones pro 34 dominicis et subsequentibus hebdomadis. Attamen aliquando hebdomadæ « per annum » sunt tantum 33. Præterea aliquæ dominicæ aut ad aliud tempus pertinent (dominica in qua fit festum Baptismatis Domini et Dominica Pentecostes), vel ab occurrente sollemnitate impediuntur (ex. gr. Ss.ma Trinitate, D. N. I. C. universorum Rege).

Ad recte ordinandum usum lectionum, quæ pro tempore « per annum » statuuntur, ea quæ sequuntur serventur:

1. Dominica in qua fit festum Baptismatis Domini locum tenet dominicæ I « per annum »; proinde, lectiones hebdomadæ I inchoantur feria secunda post dominicam quæ post diem 6 ianuarii occurrit.

2. Dominica quæ sequitur festum Baptismatis Domini est secunda « per annum ». Reliquæ ordine progressivo numerantur, usque ad dominicam quæ præcedit initium Quadragesimæ. Lectiones hebdomadæ in qua occurrit feria quarta Cinerum, post diem quæ illam præcedit intermittuntur.

3. Quando lectiones temporis « per annum » post Dominicam Pentecostes resumuntur, ordinantur hoc modo:

a) Si dominicæ « per annum » sunt 34, ea sumitur hebdomada quæ immediate sequitur hebdomadam cuius lectiones ultimo loco adhibitæ sunt ante Quadragesimam. Ita, ex. gr., si hebdomadæ ante Quadragesimam fuerunt sex, feria secunda post Pentecosten incipitur ab hebdomada septima. Sollemnitas Ss.mæ Trinitatis locum tenet dominicæ « per annum ».

b) Si dominicæ « per annum » sunt 33, omittitur prima hebdomada quæ sumenda esset post Pentecosten, ut retineantur in fine anni textus eschatologici qui ultimis duabus hebdomadis assignantur. Ita, ex. gr., si hebdomadæ ante Quadragesimam fuerunt quinque, feria secunda post Pentecosten, omissa hebdomada sexta, incipitur ab hebdomada septima.

B. De lectionibus pro diebus dominicis

16. 1. « Lectiones Evangelii »: Dominica II « per annum » Evangelium adhuc refertur ad manifestationem Domini, quam celebravit sollemnitas Epiphaniæ, per pericopam traditionalem de nuptiis in Cana et duas alias item ex Evangelio Ioannis desumptas.

A dominica III incipit « lectio semi-continua » trium Evangeliorum synopticorum; hæc lectio ita ordinatur ut præbeat doctrinam unicuique Evangelio propriam dum evolvitur vita et prædicatio Domini.

Insuper obtinetur ex hac distributione aliqua harmonia inter sensum cuiusque Evangelii et evolutionem anni liturgici. Nam post Epiphaniam leguntur initia prædicationis Domini, quæ optime cohærent cum Baptismate et primis manifestationibus Christi, uti habebatur in lectionibus Epiphaniæ et dominicarum sequentium. In fine autem anni liturgici sponte devenitur ad thema eschatologicum ultimis dominicis proprium: capitula enim Evangeliorum quæ præcedunt narrationem Passionis de hoc themate modo plus minusve extenso tractant.

In anno B inseruntur, post dominicam XVI, quinque lectiones ex capitulo 6 Ioannis (« sermo de pane vitæ »); hæc insertio fit modo connaturali, quia multiplicatio panum ex Evangelio Ioannis locum sumit eiusdem narrationis in Marco. In lectione semi-continua Lucæ anno C primo textui (i. e., dom. III) præmissus est prologus Evangelii, qui auctoris intentionem pulcherrime manifestat, nec alibi locum invenire videbatur.

2. « Lectiones Veteris Testamenti » in relatione cum singulis pericopis evangelicis selectæ sunt, ad vitandam nimiam diversitatem inter lectiones singularum Missarum ac præsertim ad manifestandam unitatem utriusque Testamenti. Relatio autem inter lectiones eiusdem Missæ ostenditur per accuratam selectionem titulorum qui singulis lectionibus præponuntur.

Selectio, in quantum fieri potuit, ita facta est ut lectiones sint breves et faciles. Sed provisum est etiam ut legantur in dominicis quamplurimi ex textibus Veteris Testamenti qui sunt maximi momenti. Qui quidem secundum opportunitatem lectionis evangelicæ, i. e. sine logico ordine, distribuuntur; attamen thesaurus verbi Dei ita aperietur ut omnibus Missam dominicalem participantibus fere omnes præcipuæ paginæ Veteris Testamenti notæ fiant.

3. « Pro Epistolis » proponitur lectio semi-continua Epistolarum Pauli et Iacobi (Epistolæ Petri et Ioannis leguntur tempore paschali et tempore Nativitatis Domini).

Epistola 1 ad Corinthios, cum sit sat longa, et de quæstionibus diversis tractet, distributa est inter tres annos cycli, initio huius temporis « per annum ». Item opportunum visum est dividere Epistolam ad Hebræos in duas partes, quarum prior anno B, altera anno C legatur.

Notetur selectas esse tantum lectiones sat breves et haud nimis difficiles ut a fidelibus intellegantur.

Tabella infra posita (p. 127) indicat distributionem Epistolarum inter dominicas « per annum » pro tribus annis cycli.

4. Lectiones dominicæ XXXIV et ultimæ celebrant Christum universorum Regem, typo Davidis adumbratum, inter humiliationes Passionis et Crucis proclamatum, in Ecclesia regnantem, et in fine temporum rediturum.

C. De lectionibus pro feriis

17. 1. « Evangelia » sic ordinantur ut legatur primo Marcus (hebd. I-IX), deinde Matthæus (hebd. X-XXI), denique Lucas (hebd. XXII-XXXIV). Capitula autem 1-12 Marci integre leguntur, prætermissis tantum illis duabus pericopis capituli sexti quæ aliis temporibus in feriis leguntur. De Matthæo et Luca leguntur omnia quæ in Marco non habentur. Bis vel ter leguntur ea omnia quæ sive in diversis Evangeliis colorem omnino proprium habent, sive necessaria sunt ad decursum Evangelii bene intellegendum. Sermo eschatologicus habetur totus in Luca, et sic legitur in fine anni liturgici.

2. « Lectio prima » sic fit ut habeatur per aliquot hebdomadas alterum Testamentum, deinde alterum, secundum longitudinem librorum qui leguntur.

a) Ex libris « Novi Testamenti » leguntur partes sat amplæ, ut detur quasi substantia singularum Epistolarum. Attamen omittuntur loci in quibus tractantur quæstiones minus utiles sub aspectu pastorali pro nostra ætate, ex. gr.: de glossolalia vel de antiquiore disciplina Ecclesiæ.

b) De « Vetere Testamento » haberi non possunt nisi loci selecti qui singulorum librorum indolem, quantum fieri potest, manifestent. Textus historici sic selecti sunt ut habeatur conspectus historiæ salutis ante Incarnationem Domini. Narrationes vero nimis longæ vix dari poterant: aliquando selecti sunt versus qui lectionem non nimis longam efficerent. Insuper significatio religiosa eventuum historicorum aliquoties illustratur per quosdam textus ex libris Sapientialibus usurpatos, ad modum procemii vel conclusionis cuidam seriei historicæ insertos.

Pæne omnes libri Veteris Testamenti in Lectionario feriali Proprii de Tempore locum invenerunt. Prætermissi sunt tantum libri prophetici brevissimi (Abdias, Sophonias) et liber poeticus qui lectioni parum aptatur (Canticum). Inter narrationes ad ædificationem scriptas quæ lectionem sat longam exigerent ut intellegantur, leguntur Tobias et Ruth, omissis ceteris (Esther, Iudith). Ex quibus tamen habentur textus in dominicis aut feriis aliorum temporum.

Tabella infra posita (p. 128) indicat distributionem librorum utriusque Testamenti inter ferias per annum pro duobus annis.

c) In fine anni liturgici leguntur libri qui respondent colori eschatologico huius temporis, i. e., Daniel et Apocalypsis.

III. DE SINGULARUM LECTIONUM APPARATU

In hoc volumine dantur pro singulis lectionibus indicatio et inscriptio textus, titulus et « incipit »; de quibus sequentia sunt animadvertenda:

18. A. « Indicatio » textus (i. e., capituli et versuum) datur semper secundum Vulgatam editionem, addita tamen altera indicatione secundum textum originalem (hebraicum vel aramæum vel græcum) quoties adest discrepantia. In versionibus popularibus dari poterit sive prior sive altera numeratio, secundum decreta Auctoritatum pro singulis linguis competentium. Oportet vero ut habeatur semper accurata indicatio capitulorum et versuum, quæ etiam in ipso textu vel ipsius margine opportune referatur.

B. « Inscriptio » textus in celebratione legenda fiet secundum normas sequentes, quæ tamen immutari poterunt ex decreto Auctoritatum competentium iuxta locorum aut linguarum consuetudines et opportunitates:

1. Dicatur semper « Lectio libri », vel Epistolæ, vel Evangelii, non autem « Initium » (nisi forte in casibus peculiaribus opportunum videatur) aut « Sequentia ».

2. « Nomina librorum » serventur quæ hucusque in Missali Romano habebantur, præter sequentia:

a) ubi sunt duo libri eiusdem nominis, dicatur « Liber primus » et « Liber secundus » (v. g. Regum, Macchabæorum), vel « Epistola prima », « Epistola secunda »;

b) nomen hodie magis usuale adhibeatur pro sequentibus libris:

« Libri I et II Samuelis », pro Libris I et II Regum,
« Libri I et II Regum », pro Libris III et IV Regum,
« Libri I et II Chronicorum », pro Libris I et II Paralipomenon,
« Libri Esdræ et Nehemiæ », pro Libris I et II Esdræ;

c) distinguantur libri sapientiales, hucusque sub uno nomine « Libri Sapientiæ » designati, cum sequentibus nominibus: Liber Iob, Proverbiorum, Qohelet (idest Ecclesiastæ), Cantici Canticorum, Sapientiæ, Siracidæ (idest Ecclesiastici);

d) pro omnibus libris qui in Vulgata inter Prophetas numerantur dicatur « Lectio libri Isaiæ, Ieremiæ ... prophetæ », etiam pro illis qui a quibusdam non habentur ut vere prophetici;

e) dicatur « Liber Lamentationum » et « Epistola ad Hebræos », sine mentione Ieremiæ vel Pauli, cum hodie omnes consentiant Ieremiam et Paulum non esse auctores illorum librorum.

19. C. « Titulus » datur pro singulis textibus attente selectus (plerumque ex ipsis verbis textus) ut et præcipuum thema lectionis indicetur et, ubi necessarium est, nexus inter lectiones eiusdem Missæ ex ipsis titulis appareat.

In versionibus popularibus textus ne dentur sine titulis. Auctoritatis competentis erit decernere utrum tituli huius voluminis vertendi sint an alii conficiendi singulorum populorum ingenio aptiores. Titulo addatur etiam, ubi opportunum videbitur, monitio qua sensus generalis pericopæ apertius explicetur.

20. D. « Incipit » habet primum « verba introductoria » consueta: « In illo tempore », « In diebus illis », « Fratres », « Carissimi », « Hæc dicit Dominus », quæ tamen omittuntur ubi in ipso textu adest sufficiens indicatio temporis aut personarum, vel ubi ex natura textus talia verba non sunt opportuna. Pro singulis linguis popularibus, tales formulæ mutari vel omitti possunt ex decreto Auctoritatum competentium.

Post illa verba datur proprium « initium lectionis », demptis vel additis aliquibus verbis prout fert necessitas intellegendi textus a suo contextu separati. Item dantur congruæ indicationes ubi textus ex versibus non continuis constat, si propter hoc mutationes faciendæ sunt.

21. E. In fine lectionum, ad faciliorem reddendam acclamationem populi, ponantur verba, a lectore proferenda: « Verbum Domini », vel alia locutio eiusdem generis, iuxta locorum consuetudines.

IV. DE INTERPRETATIONIBUS POPULARIBUS LECTIONARII CONFICIENDIS

22. Præter ea quæ supra dicta sunt, præsertim nn. 18-20, serventur pro editione interpretationum popularium Lectionarii normæ sequentes:

In omnibus editionibus habeantur textus quibus explicatur « structura et finis » Lectionarii, id est saltem caput I horum « Prænotanda ».

23. Propter molem Lectionarii editiones necessario « pluribus voluminibus » constabunt, pro quibus nulla præscribitur divisio.

Non excluditur antiqua consuetudo edendi librum separatim pro Evangeliis et alterum pro Epistolis, i. e. lectionibus Veteris Testamenti et Apostoli.

Sed melius videtur habere separatim Lectionarium dominicale — in quo includi poterunt opportuna excerpta ex

Sanctorali — et Lectionarium feriale. Dominicale autem congrue dividi poterit secundum cyclum trium annorum ut pro singulis annis omnia modo continuo præbeantur.

At aliæ dispositiones quæ forte invenientur ad libitum adhiberi poterunt.

24. Textus « cantuum » semper adiungantur lectionibus, præsertim pro celebratione Missarum lectarum; fieri tamen poterunt libri separati in quibus cantus tantum habeantur. Commendatur ut textus imprimatur in strophas divisus.

Quoties lectio diversis partibus constat, clare manifestetur hæc « structura textus » in dispositione typographica. Item commendatur ut textus, etiam non poetici, imprimantur in stichos divisi, ut proclamatio lectionum facilior fiat, præsertim pro lectoribus parum peritis.

Ubi « longior et brevior » adsunt formæ, dentur separatim ut facile legi possit utraque; ubi vero talis separatio non videbitur opportuna, inveniatur modus quo uterque textus sine errore proclamari valeat.

In omnibus libris detur « index biblicus » pericoparum ad instar illius qui in volumine « Ordinis Lectionum Missæ » habetur.

25. Principia, quæ regunt opus interpretationis lectionum biblicarum et cantuum inter eas occurrentium, reperiuntur in Instructione die 25 ianuarii 1969, « De popularibus interpretationibus conficiendis », data a « Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » Præsidibus Conferentiarum Episcopalium et Commissionum liturgicarum nationalium, et explicata per Declarationem « circa interpretationes textuum liturgicorum " ad interim " paratas », edita in « Notitiæ » 5 (1969) p. 69, quoad obligationem ad Sacram Congregationem pro Cultu Divino transmittendi pro confirmatione etiam interpretationes populares « ad interim » approbatas pro usu liturgico.

INDEX SIGLORUM

Abd	Liber Abdiæ prophetæ
Act	Actus Apostolorum
Ag	Liber Aggæi prophetæ
Am	Liber Amos prophetæ
Ap	Apocalypsis beati Ioannis apostoli
Bar	Liber Baruch prophetæ
Cant	Canticum canticorum
1 et 2 Chr	Libri I et II Chronicorum (= I et II Paralipomenon)
Col	Epistola beati Pauli apostoli ad Colossenses
1 et 2 Cor	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Corinthios
Dan	Liber Danielis prophetæ
Deut	Liber Deuteronomii
Eph	Epistola beati Pauli apostoli ad Ephesios
Esd	Liber Esdræ (= I Esdræ)
Est	Liber Esther
Ex	Liber Exodus
Ez	Liber Ezechielis prophetæ
Gal	Epistola beati Pauli apostoli ad Galatas
Gen	Liber Genesis.
Hab	Liber Habacuc prophetæ
Hebr	Epistola ad Hebræos
Iac	Epistola beati Iacobi apostoli
Ier	Liber Ieremiæ prophetæ
Io	Evangelium secundum Ioannem
1, 2 et 3 Io	Epistolæ I, II et III beati Ioannis apostoli
Iob	Liber Iob
Ioel	Liber Ioelis prophetæ
Ion	Liber Ionas prophetæ
Ios	Liber Iosue
Is	Liber Isaiæ prophetæ
Iud	Epistola beati Iudæ apostoli

Iudic	Liber Iudicum
Iudt	Liber Iudith
Lam	Lamentationes (= Threni)
Lc	Evangelium secundum Lucam
Lev	Liber Leviticus
1 et 2 Mac	Libri I et II Macchabæorum
Mal	Liber Malachiæ prophetæ
Mc	Evangelium secundum Marcum
Mic	Liber Michææ prophetæ
Mt	Evangelium secundum Matthæum
Nah	Liber Nahum prophetæ
Neh	Liber Nehemiæ (= II Esdræ)
Num	Liber Numeri
Os	Liber Osee prophetæ
1 et 2 Petr	Epistolæ I et II beati Petri apostoli
Phil	Epistola beati Pauli apostoli ad Philippenses
Phm	Epistola beati Pauli apostoli ad Philemon
Prov	Liber Proverbiorum
Ps	Liber Psalmorum
Qoh	Liber Qohelet (= Ecclesiastes)
1 et 2 Reg	Libri I et II Regum (= III et IV Regum)
Rom	Epistola beati Pauli apostoli ad Romanos
Rut	Liber Ruth
1 et 2 Sam	Libri I et II Samuelis (= I et II Regum)
Sap	Liber Sapientiæ
Sir	Liber Siracidæ (Ben Sira = Ecclesiasticus)
Soph	Liber Sophoniæ prophetæ
1 et 2 Th	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Thessalonicenses
1 et 2 Tim	Epistolæ I et II beati Pauli apostoli ad Timotheum
Tit	Epistola beati Pauli apostoli ad Titum
Tob	Liber Tobiæ
Zac	Liber Zachariæ prophetæ

Ordinatio secundæ lectionis in dominicis « per annum »

Dominica	Anno A	Anno B	Anno C
2	1 Ad Corint., 1-4	1 Ad Corint., 6-11	1 Ad Corint., 12-15
3	»	»	»
4	»	»	»
5	»	»	»
6	»	»	»
7	»	2 Ad Corinthios	»
8	»	»	»
9	Ad Romanos	»	Ad Galatas
10	»	»	»
11	»	»	»
12	»	»	»
13	»	»	»
14	»	»	»
15	»	Ad Ephesios	Ad Coloss.
16	»	»	»
17	»	»	»
18	»	»	»
19	»	»	Ad Hebr., 11-12
20	»	»	»
21	»	»	»
22	»	Iacobi	»
23	»	»	Ad Philem.
24	»	»	1 Ad Tim.
25	Ad Philipp.	»	»
26	»	»	»
27	»	Ad Hebræos, 2-10	2 Ad Tim.
28	»	»	»
29	1 Ad Thess.	»	»
30	»	»	»
31	»	»	2 Ad Thess.
32	»	»	»
33	»	»	»

Ordinatio prioris lectionis in feriis « per annum »

Hebdomada	Anno I	Anno II
1	Ad Hebræos	1 Samuelis
2	»	»
3	»	2 Samuelis
4	»	2 Samuelis; 1 Regum, 1-16
5	Genesis, 1-11	1 Regum, 1-16
6	»	Iacobi
7	Siracides (Ecclesiasticus)	»
8	»	1 Petri; Iudas
9	Tobias	2 Petri; 2 Ad Timotheum
10	2 Ad Corinthios	1 Regum, 17-22
11	»	1 Regum, 17-22; 2 Regum
12	Genesis, 12-50	2 Regum; Lamentationes
13	»	Amos
14	»	Osee; Isaias
15	Exodus	Isaias; Michæas
16	»	Michæas; Ieremias
17	Exodus; Leviticus	Ieremias
18	Numeri; Deuteronomium	Ieremias; Nahum; Habacuc
19	Deuteronomium; Iosue	Ezechiel
20	Iudices; Ruth	»
21	1 Ad Thessalonicenses	2 Ad Thessalon.; 1 Ad Corinthios
22	1 Ad Thessalon.; Ad Colossenses	1 Ad Corinthios
23	Ad Colossenses 1 Ad Timotheum	»
24	1 Ad Timotheum	»
25	Esdras; Aggæus; Zacharias	Proverbia; Qohelet (Ecclesiastes)
26	Zacharias; Nehemias; Baruch	Iob
27	Ionas; Malachias; Ioel	Ad Galatas
28	Ad Romanos	Ad Galatas; Ad Ephesios
29	»	Ad Ephesios
30	»	»
31	»	Ad Ephesios; Ad Philippenses
32	Sapientia	Ad Titum; Ad Phil.; 2 et 3 Ioannis
33	1 et 2 Macchabæorum	Apocalypsis
34	Daniel	»



LITTERÆ APOSTOLICÆ
MOTU PROPRIO DATÆ

NORMÆ UNIVERSALES DE ANNO LITURGICO ET NOVUM CALENDARIUM ROMANUM GENERALE APPROBANTUR

PAULUS PP. VI

Mysterii Paschalis celebrationem potissimum habere in religioso christianorum cultu momentum, eandemque per dierum, hebdomadarum totiusque anni explicari cursum, dilucide sacrosancto Concilio Vaticano II docemur. Ex quo sequitur, opus esse, ut idem paschale Christi mysterium in instauratione anni liturgici, cuius normæ ab ipsa Sancta Synodo traditæ sunt,[1] in clariore luce ponatur, sive ad ordinationem Proprii, quod vocant, de Tempore ac de Sanctis, sive ad Calendarii Romani recognitionem quod attinet.

I

Re enim vera, progredientibus sæculis, factum est, ut tum ex auctis pervigiliis, religiosis festis, eorumque per octo dies celebrationibus, tum ex variis anni liturgici sensim intersertis partibus, ita non numquam peculiaribus pietatis

[1] Cf. Conc Vat. II, Constitutio de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 102-111.

exercitationibus christifideles uterentur, ut eorum mentes a præcipuis divinæ Redemptionis mysteriis quadamtenus sevocari viderentur.

Sed neminem latet, a Decessoribus Nostris S. Pio X et ven. rec. Ioanne XXIII nonnulla data esse præcepta eo spectantia, ut pariter dies dominica, in suam pristinam dignitatem restituta, vere proprieque « primordialis dies festus »[2] ab omnibus haberetur, pariter liturgica sacræ Quadragesimæ celebratio instauraretur. Neque minus tenetur, Decessorem Nostrum ven. rec. Pium XII decreto facto[3] mandavisse, ut apud Ecclesiam Occidentalem, inter Noctem Paschalem, sollemnis pervigilia redintegraretur; in qua, dum Sacramenta christianæ initiationis celebrarentur, populus Dei cum Christo Domino resurgente suum renovaret spiritale fœdus.

Hi videlicet Summi Pontifices, Sanctorum Patrum institutionem firmiterque catholicæ Ecclesiæ traditam doctrinam secuti, rectissime sentiebant, annali Liturgiæ cursu non modo facta commemorari, quibus Christus Iesus salutem nobis moriendo attulit, aut præteritarum rerum gestarum memoriam repeti, quam meditantes christifidelium animi, vel simpliciores, erudirentur et nutrirentur, verum etiam iidem edocebant anni liturgici celebrationem « peculiari sacramentali vi et efficacia pollere ad christianam vitam alendam ».[4] Quod quidem Nosmetipsi et sentimus et profitemur.

Recte igitur ac merito cum « sacramentum Nativitatis Christi »[5] eiusque in mundo agimus manifestationem, illud deprecamur, « ut per eum, quem similem nobis foris agnovimus, intus reformari mereamur »;[6] et cum eiusdem Christi

[2] Cf. Conc. Vat. II, Constitutio de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 106.

[3] Cf. S. Congr. Rituum, Decretum *Dominicæ Resurrectionis,* 9 februarii 1951: *A.A.S.* 43 (1951) pp. 128-129.

[4] S. Congr. Rituum, Decretum generale *Maxima Redemptionis nostræ mysteria,* 16 nov. 1955: *A.A.S.* 47 (1955) p. 839.

[5] S. Leo Magnus, *Sermo XXVII in Nativitate Domini* 7, 1: *PL* 54, 216.

[6] Cf. Missale Romanum (ed. typ. 1962), *Oratio de Epiphania* (Collecta 2 in Baptismate Domini).

Pascha renovamus, a summo Deo poscimus, ut, qui cum Christo sint renati, « sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt ».[7] Nam, ut Concilii Œcumenici Vaticani II verbis utamur, Ecclesia « mysteria Redemptionis ita recolens, divitias virtutum atque meritorum Domini sui, adeo ut omni tempore quodammodo præsentia reddantur, fidelibus aperit, qui ea attingant et gratia salutis repleantur ».[8]

Quam ob rem anni liturgici recognitio, normæque eius instaurationem consequentes, ad nihil aliud pertinent, nisi ut fideles per fidem, spem, caritatem ardentius cum « toto ... Christi mysterio per anni circulum explicato » [9] communicent.

II

A quo argumento illud haudquaquam dissidere existimamus, etiam festa beatæ Mariæ Virginis, « quæ indissolubili nexu cum Filii sui opere salutari coniungitur »,[10] et memorias Sanctorum, quibus iure merito « dominorum nostrorum Martyrum et Victorum » [11] natalicia accensentur, nitida luminis claritate fulgere; cum « festa Sanctorum mirabilia ... Christi in servis eius prædicent, et fidelibus opportuna præbeant exempla imitanda ».[12] Etenim hoc firmum certumque semper Ecclesiæ catholicæ fuit, Sanctorum festis paschale Christi mysterium nuntiari ac renovari.[13]

Quapropter, cum infitias ire non liceat, labentibus sæculis, plura quam par esset Sanctorum festa inducta esse, convenienter Sancta Synodus monuit: « Ne festa Sanctorum festis ipsa mysteria salutis recolentibus prævaleant, plura ex his particulari cuique Ecclesiæ vel Nationi vel Religiosæ Familiæ

[7] Cf. Missale Romanum (ed. typ. 1962), *Oratio feriæ III infra octavam Paschæ* (Collecta feriæ II).

[8] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 102.

[9] Cf. *ibid.*

[10] *Ibid.*, n. 103.

[11] Cf. *Breviarium Syriacum* (sæc. v), ed. B. Mariani, Roma 1956, p. 27.

[12] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 111.

[13] Cf. *ibid.*, n. 104.

relinquantur celebranda, iis tantum ad Ecclesiam universam extensis, quæ Sanctos memorant, momentum universale præ se ferentes ».[14]

Iamvero hæc Concilii Œcumenici decreta ad effectum adducendi causa, hinc nonnullorum Sanctorum nomina a Calendario generali sublata sunt, hinc facultas est concessa, ut aliorum Sanctorum memoriæ, cum libet, agantur, eorumque cultus, in suis cuiusque regionibus tributus, congruenter restituatur. Ex quo natum est, ut quorundam Sanctorum non ubicumque terrarum notorum, a Calendario Romano expunctis nominibus, ibidem nomina recepta sint quorundam Martyrum, in iis ortorum regionibus, ad quas Evangelii nuntium serius manavit; ita ut in eodem indice omnium gentium quidam quasi vicarii, vel profuso pro Christo sanguine, vel præstantissimis adhibitis virtutibus insignes, pari dignitate conspiciantur.

Has ob causas putamus, novum generale Calendarium, ad usum Latini ritus digestum, sive magis cum huius temporis pietatis rationibus et sensibus congruere, sive aptius eam Ecclesiæ proprietatem, qua est universalis, referre; utpote quod præclarissimorum Virorum nomina deinceps proponat, qui perspicua sanctitatis specimina, multiplicibus excultæ modis, cuncto populo Dei apponant. Quod quantum ad spiritalem totius christianæ multitudinis utilitatem conducat supervacaneum est dicere.

Huiusmodi ergo causis diligentissime coram Domino perpensis, novum Calendarium Romanum generale a Consilio ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia compositum, itemque normas universales ad ordinationem anni liturgici spectantes, Apostolica Nostra auctoritate approbamus, ut a die I mensis Ianuarii proximi anni MCMLXX vigere incipiant, iuxta decreta, quæ Sacra Rituum Congregatio coniuncte cum Consilio, de quo mox diximus, fecerit, usque ad illud tempus valitura, quo Missale et Breviarium rite instaurata edita erunt.

[14] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 111.

Quæcumque vero Nostris hisce Litteris motu proprio datis statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, non obstantibus, quatenus opus sit, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis a Decessoribus Nostris latis, ceterisque præscriptionibus, etiam mentione et derogatione dignis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, die XIV mensis Februarii anno MCMLXIX, Pontificatus Nostri sexto.

PAULUS PP. VI

NORMÆ UNIVERSALES DE ANNO LITURGICO ET DE CALENDARIO

Caput I

DE ANNO LITURGICO

1. Christi opus salutiferum sancta Ecclesia, statis diebus per anni decursum, sacra recordatione celebrat. In unaquaque hebdomada, die quæ dominica appellatur, memoriam agit Resurrectionis Domini, quam semel etiam in anno, maxima Paschæ sollemnitate, una cum beata eius Passione frequentat. Per anni vero circulum Christi totum mysterium explicat nataliciaque Sanctorum commemorat.

Variis autem anni liturgici temporibus, iuxta traditas disciplinas, Ecclesia fidelium eruditionem perficit, per pias animi et corporis exercitationes, instructionem, precationem, pænitentiæ et misericordiæ opera.[1]

2. Principia quæ sequuntur tum ad ritum romanum tum ad omnes alios ritus applicari possunt ac debent, normae tamen practicæ solum ritum romanum spectare intellegendæ sunt, nisi agatur de iis quæ ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.[2]

Tit. I - De diebus liturgicis

I. De die liturgico in genere

3. Unusquisque dies sanctificatur liturgicis populi Dei celebrationibus, præsertim vero Sacrificio eucharistico et Officio divino.

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* nn. 102-105.
[2] Cf. *ibid.,* n. 3.

Dies liturgicus decurrit a media nocte ad mediam noctem. Celebratio vero dominicæ et sollemnitatum incipit iam vespere diei præcedentis.

II. De dominica

4. Primo uniuscuiusque hebdomadæ die, quæ dies Domini seu dies dominica nuncupatur, Ecclesia, ex traditione apostolica, quæ originem ducit ab ipsa die Resurrectionis Christi, mysterium paschale celebrat. Itaque dominica uti primordialis dies festus haberi debet.[3]

5. Propter suum peculiare momentum, dominica suam cedit celebrationem solummodo sollemnitatibus, necnon festis Domini; dominicæ vero Adventus, Quadragesimæ et Paschæ super omnia festa Domini et super omnes sollemnitates præcedentiam habent. Sollemnitates autem in his dominicis occurrentes, sabbato anticipantur.

6. Dominica excludit per se assignationem perpetuam alius celebrationis. Attamen:

a) Dominica infra octavam Nativitatis Domini, fit festum S. Familiæ;

b) Dominica post diem 6 ianuarii, fit festum Baptismatis Domini;

c) Dominica post Pentecosten, fit sollemnitas Ss.mæ Trinitatis;

d) Dominica ultima « per annum », fit sollemnitas D. N. I. C. universorum Regis.

7. Ubi autem sollemnitates Epiphaniæ, Ascensionis et Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi non sunt de præcepto servandæ, assignentur dominicæ tamquam diei proprio, hac ratione:

a) Epiphania, dominicæ a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrenti;

[3] Cf. *ibid.*, n. 106.

b) Ascensio, dominicæ VII Paschæ;

c) Sollemnitas Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, dominicæ post Ss.mam Trinitatem.

III. De sollemnitatibus, festis et memoriis

8. Anni circulo, Ecclesia, mysterium Christi celebrando, etiam beatam Dei Genetricem Mariam cum peculiari amore veneratur, memoriasque Martyrum aliorumque Sanctorum pietati fidelium proponit.[4]

9. Sancti qui momentum universale præ se ferunt in Ecclesia universa obligatorie celebrantur; ceteri, aut in calendario inscribuntur ad libitum tamen celebrandi, aut particulari cuique Ecclesiæ, vel nationi, vel religiosæ familiæ, relinquuntur colendi.[5]

10. Celebrationes, iuxta momentum quod ipsis tribuitur, ita inter se distinguuntur et nominantur: sollemnitas, festum, memoria.

11. Sollemnitates inter dies præcipuos adnumerantur, quorum celebratio incipit a I Vesperis, die præcedenti. Nonnullæ sollemnitates etiam Missa propria vigiliæ ditantur, vespere diei præcedentis adhibenda, si Missa horis vespertinis celebratur.

12. Summarum sollemnitatum Paschæ et Nativitatis celebratio per octo dies continuos protrahitur. Utraque octava legibus propriis ordinatur.

13. Festa intra fines diei naturalis celebrantur; proinde non habent I Vesperas, nisi de festis Domini agatur quæ in dominicis « per annum » et temporis Nativitatis occurrunt et pro earum Officio substituuntur.

[4] Cf. *ibid.*, nn. 103-104.
[5] Cf. *ibid.*, n. 111.

14. Memoriæ sunt obligatoriæ vel ad libitum; earum autem celebratio cum celebratione feriæ occurrentis componitur secundum normas, quæ in Institutionibus generalibus Missalis Romani et de Liturgia Horarum exponuntur.

Memoriæ vero obligatoriæ, quæ occurrunt in feriis Quadragesimæ, solummodo tamquam memoriæ ad libitum celebrari possunt.

Si eodem die plures inscribuntur in calendario memoriæ ad libitum, una tantum celebrari potest, omissis ceteris.

15. In sabbatis « per annum », in quibus non occurrat memoria obligatoria, fieri potest memoria ad libitum de beata Maria Virgine.

IV. De feriis

16. Hebdomadæ dies, qui post dominicam decurrunt, feriæ nuncupantur; diversa tamen ratione celebrantur, iuxta momentum ipsis proprium:

a) Feria IV Cinerum et feriæ Hebdomadæ sanctæ, a feria II ad feriam V inclusive, omnibus aliis celebrationibus præferuntur.

b) Feriæ Adventus, a die 17 ad diem 24 decembris inclusive, et omnes feriæ Quadragesimæ memoriis obligatoriis præferuntur.

c) Ceteræ feriæ omnibus sollemnitatibus et festis cedunt et cum memoriis componuntur.

Tit. II - De anni circulo

17. Totum Christi mysterium per anni circulum ab Ecclesia recolitur, ab Incarnatione usque ad diem Pentecostes et ad exspectationem adventus Domini.[6]

[6] Cf. *ibid.*, n. 102.

I. De Triduo paschali

18. Cum vero humanæ redemptionis et perfectæ Dei glorificationis opus adimpleverit Christus præcipue per suum paschale mysterium, quo mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit, sacrum paschale Triduum Passionis et Resurrectionis Domini uti totius anni liturgici culmen effulget.[7] Fastigium igitur, quod dies dominica habet in hebdomada, sollemnitas Paschæ habet in anno liturgico.[8]

19. Triduum paschale Passionis et Resurrectionis Domini incipit a Missa vespertina in Cena Domini, habet suum centrum in Vigilia paschali, et clauditur Vesperis dominicæ Resurrectionis.

20. Feria VI in Passione Domini,[9] et, iuxta opportunitatem, etiam Sabbato sancto usque ad Vigiliam paschalem,[10] ubique celebratur sacrum ieiunium paschale.

21. Vigilia paschalis, nocte sancta qua Dominus resurrexit, habetur ut « mater omnium sanctarum Vigiliarum »,[11] in qua Ecclesia Christi resurrectionem vigilando exspectat, eamque in sacramentis celebrat. Ergo tota huius sacræ Vigiliæ celebratio nocte peragi debet, ita ut vel incipiatur post initium noctis vel finiatur ante diei dominicæ diluculum.

II. De tempore paschali

22. Quinquaginta dies a dominica Resurrectionis ad dominicam Pentecostes in lætitia et exsultatione celebrantur sicut unus dies festus, immo « magna dominica ».[12]

Hi sunt dies in quibus præcipue cantatur Allelúia.

[7] Cf. *ibid.*, n. 5.
[8] Cf. *ibid.*, n. 106.
[9] Cf. Paulus VI, Const. Apost. *Pænitemini,* 17 febr. 1966, II § 3: *A.A.S.* 58 (1966) p. 184.
[10] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 110.
[11] S. Augustinus, *Sermo* 219: *PL* 38, 1088.
[12] S. Athanasius, *Epist. fest.* 1: *PG* 26, 1366.

23. Dominicæ huius temporis veluti dominicæ Paschæ habentur et, post dominicam Resurrectionis, dominicæ II, III, IV, V, VI, VII Paschæ nuncupantur; concluditur autem hoc sacrum quinquaginta dierum tempus dominica Pentecostes.

24. Octo primi dies temporis paschalis constituunt octavam Paschæ et uti sollemnitates Domini celebrantur.

25. Quadragesima die post Pascha celebratur Ascensio Domini, nisi, ubi non est de præcepto servanda, VII dominicæ Paschæ fuerit assignata (cf. n. 7).

26. Feriæ post Ascensionem usque ad sabbatum ante Pentecosten inclusive ad adventum præparant Spiritus Sancti Paracliti.

III. De tempore Quadragesimæ

27. Tempus Quadragesimæ ordinatur ad præparationem celebrationis Paschæ: liturgia enim quadragesimalis tam catechumenos, per diversos initiationis christianæ gradus, quam fideles, memoriam Baptismi recolentes et pænitentiam agentes, componit ad celebrandum paschale mysterium.[13]

28. Tempus Quadragesimæ decurrit a feria IV Cinerum ad Missam in Cena Domini exclusive.

Ab initio Quadragesimæ usque ad Vigiliam paschalem non dicitur Allelúia.

29. Feria IV in capite Quadragesimæ, quæ ubique habetur ut dies ieiunii,[14] imponuntur cineres.

30. Dominicæ huius temporis appellantur dominicæ I, II, III, IV, V in Quadragesima. Dominica sexta, in qua initium sumit Hebdomada sancta, dicitur « Dominica in palmis de Passione Domini ».

[13] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 109.
[14] Cf. Paulus VI, Const. Apost. *Pænitemini*, 17 febr. 1966, II § 3: *A.A.S.* 58 (1966) p. 184.

31. Hebdomada sancta ordinatur ad recolendam Passionem Christi ab eius ingressu messianico in Ierusalem.

Feria V Hebdomadæ sanctæ, mane, Episcopus, Missam cum suo presbyterio concelebrans, olea sancta benedicit et chrisma conficit.

IV. De tempore Nativitatis

32. Post annuam mysterii paschalis celebrationem, nihil antiquius habet Ecclesia quam memoriam Nativitatis Domini et primarum eius manifestationum recolere: quod fit tempore Nativitatis.

33. Tempus Nativitatis decurrit a I Vesperis Nativitatis Domini usque ad dominicam post Epiphaniam, seu post diem 6 ianuarii, inclusive.

34. Missa in Vigilia Nativitatis adhibetur vespere diei 24 decembris sive ante sive post I Vesperas.

Die autem Nativitatis Domini, Missa ter celebrari potest, secundum antiquam traditionem romanam, scilicet in nocte, in aurora et in die.

35. Nativitas Domini suam habet octavam sic ordinatam:

a) Dominica infra octavam, vel, ea deficiente, die 30 decembris, fit festum S. Familiæ Iesu, Mariæ et Ioseph.

b) Die 26 decembris, fit festum S. Stephani, Protomartyris.

c) Die 27 decembris fit festum S. Ioannis, Apostoli et Evangelistæ.

d) Die 28 decembris, fit festum Ss. Innocentium.

e) Dies 29, 30, 31 sunt dies infra octavam.

f) Die 1 ianuarii, in octava Nativitatis, fit sollemnitas Sanctæ Dei Genetricis Mariæ, in qua commemoratur etiam impositio Ss.mi Nominis Iesu.

36. Dominica a die 2 ad diem 5 ianuarii occurrens est Dominica II post Nativitatem.

37. Epiphania Domini celebratur die 6 ianuarii, nisi, ubi non est de præcepto servanda, assignata sit dominicæ a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrenti (cf. n. 7).

38. Dominica post diem 6 ianuarii occurrente, fit festum Baptismatis Domini.

V. De tempore Adventus

39. Tempus Adventus duplicem habet indolem: est enim tempus præparationis ad sollemnia Nativitatis, in quibus primus Dei Filii adventus ad homines recolitur, ac simul tempus quo per hanc recordationem mentes diriguntur ad exspectationem secundi Christi adventus in fine temporum. His duabus rationibus tempus Adventus se præbet ut tempus devotæ ac iucundæ exspectationis.

40. Tempus Adventus incipit a I Vesperis dominicæ quæ incidit in diem 30 novembris vel est huic vicinior, et explicit ante I Vesperas Nativitatis Domini.

41. Dominicæ huius temporis nuncupantur dominicæ I, II, III, IV Adventus.

42. Feriæ a die 17 ad diem 24 decembris inclusive modo magis directo ad præparationem Nativitatis Domini ordinantur.

VI. De tempore « per annum »

43. Præter tempora propriam indolem habentia, triginta tres vel triginta quattuor supersunt hebdomadæ per anni circulum, in quibus non celebratur peculiaris mysterii Christi aspectus; sed potius ipsum mysterium Christi in sua plenitudine recolitur, præsertim vero diebus dominicis. Huiusmodi periodus, tempus « per annum » nuncupatur.

44. Tempus « per annum » incipit feria II quæ sequitur dominicam post diem 6 ianuarii occurrentem et protrahi-

tur usque ad feriam III ante Quadragesimam inclusive; iterum incipit feria II post dominicam Pentecostes et explicit ante I Vesperas dominicæ I Adventus.

Eadem ratione adhibetur series formulariorum, quæ pro dominicis et feriis huius temporis invenitur tum in Missali tum in Liturgia Horarum (vol. III-IV).

VII. De Rogationibus et Quattuor anni Temporibus

45. In Rogationibus et Quattuor anni Temporibus, Ecclesia solet pro variis hominum necessitatibus, imprimis vero pro fructibus terræ et hominum laboribus, Dominum exorare, eique publice gratias referre.

46. Ut Rogationes et Quattuor anni Tempora diversis locorum et fidelium necessitatibus aptari possint, quoad tempus et rationem illa celebrandi a Conferentiis Episcopalibus ordinentur oportet.

De eorum proinde amplitudine celebrationis, per unum vel plures dies protrahendæ, de eorum iteratione per anni decursum, normæ statuantur a competenti auctoritate, attentis necessitatibus localibus.

47. Missa pro singulis diebus harum celebrationum, inter Missas pro variis necessitatibus eligatur, quæ sit magis accommodata supplicationum proposito.

Caput II

DE CALENDARIO

Tit. I - De calendario et celebrationibus in eo inscribendis

48. Ordinatio celebrationis anni liturgici calendario regitur, quod est generale vel particulare, prouti statutum est in usum totius ritus romani, vel in usum alicuius Ecclesiæ particularis vel familiæ religiosæ.

49. In calendario generali universus cyclus celebrationum inscribitur, tum mysterii salutis in Proprio de tempore, tum eorum Sanctorum qui momentum universale præ se ferunt, et ideo obligatorie ab omnibus celebrantur, tum aliorum qui universalitatem et continuitatem sanctitatis in populo Dei demonstrant.

Calendaria vero particularia celebrationes magis proprias continent congruenti ratione cum cyclo generali organice compositas.[1] Singulæ enim Ecclesiæ vel familiæ religiosæ Sanctos, qui ipsis sunt peculiari ratione proprii, peculiari honore prosequantur oportet.

Calendaria tamen particularia, a competenti auctoritate componenda, ab Apostolica Sede sunt probanda.

50. In componendis calendariis particularibus, ad hæc attendatur:

a) Proprium de tempore, seu cyclus temporum, sollemnitatum et festorum, quo mysterium Redemptionis in anno liturgico explicatur et colitur, integer semper servetur, et debita præminentia gaudeat super celebrationes particulares.

b) Celebrationes propriæ organice cum celebrationibus universalibus componantur, attentis ordine et præcedentia in tabula dierum liturgicorum pro singulis indicatis. Ne tamen calendaria particularia plus æquo onerentur, singuli

[1] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Calendaria particularia,* 24 iunii 1970: *A.A.S.* 62 (1970) pp. 651-663.

Sancti unica celebratione in anno liturgico gaudeant, servata, ubi rationes pastorales id suadeant, altera celebratione in forma memoriæ ad libitum pro translatione aut inventione sanctorum Patronorum aut Fundatorum Ecclesiarum vel familiarum religiosarum.

c) Celebrationes indultæ ne sint duplicatio aliarum celebrationum in cyclo mysterii salutis iam occurrentium, neque numero plus æquo augeantur.

51. Quamvis conveniat ut quævis diœcesis suum Calendarium et Proprium Officiorum atque Missarum habeat, nihil tamen obstat quominus Calendaria et Propria habeantur universæ provinciæ aut regioni aut nationi, vel etiam latiori dicioni, communia, ab iis quorum interest, mutua cooperatione paranda.

Quod principium, æqua ratione, servari potest etiam in calendariis religiosis pro pluribus provinciis eiusdem dicionis civilis.

52. Calendarium particulare conficitur inserendo calendario generali sollemnitates, festa et memorias quæ sunt propria, idest:

a) In calendario diœcesano, præter celebrationes Patronorum, et Dedicationis ecclesiæ cathedralis, Sancti et Beati, qui cum diœcesi peculiarem habent necessitudinem, ex. gr. originis, commorationis longioris, obitus.

b) In calendario religioso, præter celebrationes Tituli, Fundatoris et Patroni, Sancti et Beati, qui illius familiæ religiosæ sodales fuerunt vel cum ea peculiarem relationem habuerunt.

c) In calendario singularum ecclesiarum, præter celebrationes proprias diœcesis aut familiæ religiosæ, celebrationes ipsius ecclesiæ propriæ, quæ in tabula dierum liturgicorum recensentur, necnon Sancti quorum corpus in eadem ecclesia asservatur. Sodales autem familiarum religiosarum cum communitate Ecclesiæ localis iunguntur in celebrandis anniversario Dedicationis ecclesiæ cathedralis et Patronis principalibus loci et amplioris dicionis ubi degunt.

53. Quando aliqua diœcesis vel aliqua familia religiosa pluribus Sanctis et Beatis decoratur, cavendum est ne calendarium universæ diœcesis vel universi Instituti plus æquo gravetur. Proinde:

a) Haberi potest imprimis celebratio communis omnium Sanctorum et Beatorum diœcesis vel familiæ religiosæ, vel alicuius ordinis eorum.

b) Singulari celebratione inscribantur calendario tantummodo Sancti vel Beati, qui peculiare momentum præ se ferunt pro universa diœcesi vel familia religiosa.

c) Ceteri Sancti et Beati celebrentur tantum iis in locis cum quibus strictiores habent necessitudines, aut ubi eorum corpus asservatur.

54. Celebrationes propriæ, nisi aliter pro aliquibus earum in tabula dierum liturgicorum prævideatur, aut peculiares rationes exstent historicæ aut pastorales, ut memoriæ obligatoriæ vel ad libitum inscribantur. Nihil tamen impedit, quominus aliquæ celebrationes pro certis locis modo sollemniore fiant quam in universa diœcesi vel familia religiosa.

55. Celebrationes calendario proprio inscriptæ ab omnibus qui ad illud calendarium tenentur servari debent; et nonnisi approbante Apostolica Sede e calendario expungi vel gradu mutari possunt.

Tit. II - De celebrationum die proprio

56. Sanctos consuevit Ecclesia celebrare ipsorum die natalicio: quod opportune servetur etiam in propriis celebrationibus calendario particulari inscribendis.

Attamen, etsi celebrationes propriæ peculiare momentum habent pro singulis Ecclesiis particularibus vel familiis religiosis, valde tamen expedit ut, in celebrandis sollemnitatibus, festis et memoriis obligatoriis, quæ in calendario generali recensentur, unitas, quantum fieri potest, habeatur.

Proinde in celebrationibus propriis calendario particulari inscribendis, hæc serventur:

a) Celebrationes quæ etiam in calendario generali recensentur, eodem die quo ibi inscriptæ sunt, calendario proprio inscribantur, mutato, si necesse est, gradu celebrationis.
Idem servetur in inscribendis celebrationibus alicui tantum ecclesiæ propriis, ad calendarium diœcesanum vel religiosum quod attinet.

b) Celebrationes Sanctorum, quæ in calendario generali non inveniuntur, diei natalicio assignentur. Quando vero dies natalicius ignoratur, celebratio assignetur diei alia ratione eidem Sancto proprio, ex. gr. diei ordinationis, inventionis, translationis; secus diei qui in calendario particulari liber sit ab aliis celebrationibus.

c) Si vero dies natalicius vel proprius impeditur alia celebratione obligatoria, etiam inferioris gradus, in calendario generali vel particulari, assignetur proximiori diei similiter non impedito.

d) Attamen si agitur de celebrationibus quæ ob rationes pastorales ad alium diem transferri nequeunt, transferatur celebratio impediens.

e) Aliæ celebrationes, quæ indultæ vocantur, inscribantur die aptiore sub respectu pastorali.

f) Ut autem cyclus anni liturgici plena sua luce fulgeat, neque celebrationes Sanctorum perpetuo impediantur, dies quibus plerumque tempus Quadragesimæ et octava Paschæ occurrunt, necnon dies a 17 ad 31 decembris, a celebrationibus particularibus liberi maneant, nisi agatur de memoriis non obligatoriis vel de festis de quibus in tabula dierum liturgicorum, n. 8 a, b, c, d, aut de sollemnitatibus quæ ad aliud tempus nequeunt transferri.
Sollemnitas S. Ioseph (die 19 martii) ad alium diem extra Quadragesimam a Conferentiis Episcopalibus transferri potest, nisi sit de præcepto servanda.

57. Si qui Sancti vel Beati una simul calendario inscribuntur, simul semper celebrantur, quoties eodem gradu

sunt celebrandi, etsi unus aut aliqui eorum sunt magis proprii. Si vero unus aut aliqui ex his Sanctis vel Beatis gradu superiore sunt celebrandi, fiat Officium de his tantum, omissa celebratione ceterorum, nisi conveniat eos alii diei assignare ad modum memoriæ obligatoriæ.

58. Ad bonum pastorale fidelium procurandum, in dominicis « per annum », licet eas celebrationes agere, quæ infra hebdomadam occurrunt, quæque ipsorum fidelium pietati sunt acceptæ, dummodo hæ in tabula præcedentiæ ipsi dominicæ præponantur. De his celebrationibus dici possunt omnes Missæ, quæ concurrente populo celebrantur.

59. Præcedentia inter dies liturgicos, quoad eorum celebrationem, unice regitur sequenti tabula.

Tabula dierum liturgicorum
secundum ordinem præcedentiæ disposita

I

1. Triduum paschale Passionis et Resurrectionis Domini.

2. Nativitas Domini, Epiphania, Ascensio et Pentecostes.
Dominicæ Adventus, Quadragesimæ et Paschæ.
Feria IV Cinerum.
Feriæ Hebdomadæ sanctæ, a feria II ad feriam V inclusive.
Dies infra octavam Paschæ.

3. Sollemnitates Domini, beatæ Mariæ Virginis, et Sanctorum in calendario generali inscriptæ.
Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

4. Sollemnitates propriæ, nempe:

a) Sollemnitas Patroni principalis loci seu oppidi aut civitatis.

b) Sollemnitas Dedicationis et anniversarii Dedicationis ecclesiæ propriæ.

c) Sollemnitas Tituli ecclesiæ propriæ.

d) Sollemnitas aut Tituli,
aut Fundatoris,
aut Patroni principalis Ordinis seu Congregationis.

II

5. Festa Domini in calendario generali inscripta.

6. Dominicæ temporis Nativitatis et dominicæ « per annum ».

7. Festa beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum calendarii generalis.

8. Festa propria, nempe:

a) Festum Patroni principalis diœcesis.

b) Festum anniversarii Dedicationis ecclesiæ cathedralis.

c) Festum Patroni principalis regionis aut provinciæ, nationis, amplioris territorii.

d) Festum Tituli, Fundatoris, Patroni principalis Ordinis seu Congregationis et provinciæ religiosæ, salvis præscriptis sub n. 4.

e) Alia festa alicui ecclesiæ propria.

f) Alia festa inscripta in Calendario cuiusque diœcesis vel Ordinis seu Congregationis.

9. Feriæ Adventus a die 17 ad 24 decembris inclusive.
Dies infra octavam Nativitatis.
Feriæ Quadragesimæ.

III

10. Memoriæ obligatoriæ calendarii generalis.

11. Memoriæ obligatoriæ propriæ, nempe:

a) Memoriæ Patroni secundarii loci, diœcesis, regionis aut provinciæ religiosæ.

b) Aliæ memoriæ obligatoriæ inscriptæ in calendario cuiusque diœcesis, vel Ordinis seu Congregationis.

12. Memoriæ ad libitum, quæ tamen, modo quidem peculiari in Institutionibus generalibus Missalis Romani et de Liturgia Horarum descripto, fieri possunt etiam diebus de quibus sub n. 9.

Hac eadem ratione, ut memoriæ ad libitum celebrari possunt memoriæ obligatoriæ, quæ accidentaliter occurrunt in feriis Quadragesimæ.

13. Feriæ Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive.

Feriæ temporis Nativitatis a die 2 ianuarii ad sabbatum post Epiphaniam.

Feriæ temporis paschalis a feria II post octavam Paschæ ad sabbatum ante Pentecosten inclusive.

Feriæ « per annum ».

60. Si eodem die plures celebrationes occurrunt, fit de ea quæ in tabula dierum liturgicorum superiorem obtinet locum. Attamen sollemnitas, quæ impeditur a die liturgico, qui præcedentia gaudeat, ad proximiorem diem transferatur qui sit liber a diebus sub nn. 1-8 in tabula præcedentiæ recensitis, servatis iis quæ n. 5 statuuntur. Reliquæ celebrationes eo anno omittuntur.

61. Si vero eodem die celebrandæ sint Vesperæ Officii currentis et I Vesperæ diei sequentis, prævalent Vesperæ celebrationis quæ in tabula dierum liturgicorum superiorem obtinet locum; in casu autem paritatis, Vesperæ diei currentis.

DE TEXTIBUS ADHIBITIS

Psalmi et omnes libri Novi Testamenti hic positi sunt secundum textum « Novæ Vulgatæ » (Typis Polyglottis Vaticanis, 1969-1971).

Item antiphonæ noviter confectæ e « Nova Vulgata » sumptæ sunt. Attamen in quibusdam versibus responsoriis quandoque leves aptationes inductæ sunt, ut versus, ut plurimum in forma invocationis redactus, facilius cani vel dici possit.

Antiphonæ vero in Graduali romano iam exstantes cum suo textu servatæ sunt.

CALENDARIUM ROMANUM GENERALE

IANUARIUS

A	Cal.	1	In octava Nativitatis. SOLLEMNITAS SANCTÆ DEI GENETRICIS MARIÆ	Sollemnitas
b	IV	2	Ss. Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni, episcoporum et Ecclesiæ doctorum	Memoria
c	III	3		
d	Prid.	4		
e	Non.	5		
f	VIII	6	IN EPIPHANIA DOMINI	Sollemnitas
g	VII	7	*S. Raimundi de Penyafort, presbyteri* *	
A	VI	8		
b	V	9		
c	IV	10		
d	III	11		
e	Prid.	12		
f	Idib.	13	*S. Hilarii, episcopi et Ecclesiæ doctoris*	
g	XIX	14		
A	XVIII	15		
b	XVII	16		
c	XVI	17	S. Antonii abbatis	Memoria
d	XV	18		
e	XIV	19		
f	XIII	20	*S. Fabiani, papæ et martyris* *S. Sebastiani, martyris*	
g	XII	21	S. Agnetis, virginis et martyris	Memoria
A	XI	22	*S. Vincentii, diaconi et martyris*	
b	X	23		
c	IX	24	S. Francisci de Sales, episcopi et Ecclesiæ doctoris	Memoria
d	VIII	25	IN CONVERSIONE S. PAULI, APOSTOLI	Festum
e	VII	26	Ss. Timothei et Titi, episcoporum	Memoria
f	VI	27	*S. Angelæ Merici, virginis*	
g	V	28	S. Thomæ de Aquino, presbyteri et Ecclesiæ doctoris	Memoria
A	IV	29		
b	III	30		
c	Prid.	31	S. Ioannis Bosco, presbyteri	Memoria

Dominica post diem 6 ianuarii: IN BAPTISMATE DOMINI — Festum

* Quando non indicatur gradus celebrationis, fit Memoria ad libitum.

FEBRUARIUS

d	Cal.	1		
e	IV	2	IN PRÆSENTATIONE DOMINI	Festum
f	III	3	*S. Blasii, episcopi et martyris* *S. Ansgarii, episcopi*	
g	Prid.	4		
A	Non.	5	S. Agathæ, virginis et martyris	Memoria
b	VIII	6	Ss. Pauli Miki et sociorum, martyrum	Memoria
c	VII	7		
d	VI	8	*S. Hieronymi Emiliani*	
e	V	9		
f	IV	10	S. Scholasticæ, virginis	Memoria
g	III	11	*B. Mariæ Virginis de Lourdes*	
A	Prid.	12		
b	Idib.	13		
c	XVI	14	Ss. Cyrilli, monachi, et Methodii, episcopi	Memoria
d	XV	15		
e	XIV	16		
f	XIII	17	*Ss. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V.*	
g	XII	18		
A	XI	19		
b	X	20		
c	IX	21	*S. Petri Damiani, episcopi et Ecclesiæ doctoris*	
d	VIII	22	CATHEDRÆ S. PETRI, APOSTOLI	Festum
e	VII	23	S. Polycarpi, episcopi et martyris	Memoria
f	VI	24		
g	V	25		
A	IV	26		
b	III	27		
c	Prid.	28		

MARTIUS

d	Cal.	1		
e	VI	2		
f	V	3		
g	IV	4	*S. Casimiri*	
A	III	5		
b	Prid.	6		
c	Non.	7	Ss. Perpetuæ et Felicitatis, martyrum	Memoria
d	VIII	8	*S. Ioannis a Deo, religiosi*	
e	VII	9	*S. Franciscæ Romanæ, religiosæ*	
f	VI	10		
g	V	11		
A	IV	12		
b	III	13		
c	Prid.	14		
d	Idib.	15		
e	XVII	16		
f	XVI	17	*S. Patricii, episcopi*	
g	XV	18	*S. Cyrilli Hierosolymitani, episcopi et Ecclesiæ doctoris*	
A	XIV	19	S. IOSEPH, SPONSI B. M. V.	Sollemnitas
b	XIII	20		
c	XII	21		
d	XI	22		
e	X	23	*S. Turibii de Mogrovejo, episcopi*	
f	IX	24		
g	VIII	25	IN ANNUNTIATIONE DOMINI	Sollemnitas
A	VII	26		
b	VI	27		
c	V	28		
d	IV	29		
e	III	30		
f	Prid.	31		

APRILIS

g	Cal.	1		
A	IV	2	*S. Francisci de Paola, eremitæ*	
b	III	3		
c	Prid.	4	*S. Isidori, episcopi et Ecclesiæ doctoris*	
d	Non.	5	*S. Vincentii Ferrer, presbyteri*	
e	VIII	6		
f	VII	7	S. Ioannis Baptistæ de la Salle, presbyteri	Memoria
g	VI	8		
A	V	9		
b	IV	10		
c	III	11	*S. Stanislai, episcopi et martyris*	
d	Prid.	12		
e	Idib.	13	*S. Martini I, papæ et martyris*	
f	XVIII	14		
g	XVII	15		
A	XVI	16		
b	XV	17		
c	XIV	18		
d	XIII	19		
e	XII	20		
f	XI	21	*S. Anselmi, episcopi et Ecclesiæ doctoris*	
g	X	22		
A	IX	23	*S. Georgii, martyris*	
b	VIII	24	*S. Fidelis de Sigmaringen, presbyteri et martyris*	
c	VII	25	S. MARCI, EVANGELISTÆ	Festum
d	VI	26		
e	V	27		
f	IV	28	*S. Petri Chanel, presbyteri et martyris*	
g	III	29	S. Catharinæ Senensis, virginis et Ecclesiæ doctoris	Memoria
A	Prid.	30	*S. Pii V, papæ*	

MAIUS

b	Cal.	1	*S. Ioseph Opificis*	
c	VI	2	S. Athanasii, episcopi et Ecclesiæ doctoris	Memoria
d	V	3	Ss. PHILIPPI ET IACOBI, APOSTOLORUM	Festum
e	IV	4		
f	III	5		
g	Prid.	6		
A	Non.	7		
b	VIII	8		
c	VII	9		
d	VI	10		
e	V	11		
f	IV	12	*Ss. Nerei et Achillei, martyrum* *S. Pancratii, martyris*	
g	III	13		
A	Prid.	14	S. MATTHIÆ, APOSTOLI	Festum
b	Idib.	15		
c	XVII	16		
d	XVI	17		
e	XV	18	*S. Ioannis I, papæ et martyris*	
f	XIV	19		
g	XIII	20	*S. Bernardini Senensis, presbyteri*	
A	XII	21		
b	XI	22		
c	X	23		
d	IX	24		
e	VIII	25	*S. Bedæ Venerabilis, presbyteri et Ecclesiæ doctoris* *S. Gregorii VII, papæ* *S. Mariæ Magdalenæ de' Pazzi, virginis*	
f	VII	26	S. Philippi Neri, presbyteri	Memoria
g	VI	27	*S. Augustini Cantuariensis, episcopi*	
A	V	28		
b	IV	29		
c	III	30		
d	Prid.	31	IN VISITATIONE B. MARIÆ VIRGINIS	Festum

Dominica prima post Pentecosten:
SS.MÆ TRINITATIS — Sollemnitas

Feria V post Ss.mam Trinitatem:
SS.MI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI — Sollemnitas

IUNIUS

e	Cal.	1	S. Iustini, martyris	Memoria
f	IV	2	*Ss. Marcellini et Petri, martyrum*	
g	III	3	Ss. Caroli Lwanga et sociorum, martyrum	Memoria
A	Prid.	4		
b	Non.	5	S. Bonifatii, episcopi et martyris	Memoria
c	VIII	6	*S. Norberti, episcopi*	
d	VII	7		
e	VI	8		
f	V	9	*S. Ephræm, diaconi et Ecclesiæ doctoris*	
g	IV	10		
A	III	11	S. Barnabæ, apostoli	Memoria
b	Prid.	12		
c	Idib.	13	S. Antonii de Padova, presbyteri et Ecclesiæ doctoris	Memoria
d	XVIII	14		
e	XVII	15		
f	XVI	16		
g	XV	17		
A	XIV	18		
b	XIII	19	*S. Romualdi, abbatis*	
c	XII	20		
d	XI	21	S. Aloisii Gonzaga, religiosi	Memoria
e	X	22	*S. Paulini Nolani, episcopi* *Ss. Ioannis Fisher, episcopi, et Thomæ More, martyrum*	
f	IX	23		
g	VIII	24	IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ	Sollemnitas
A	VII	25		
b	VI	26		
c	V	27	*S. Cyrilli Alexandrini, episcopi et Ecclesiæ doctoris*	
d	IV	28	S. Irenæi, episcopi et martyris	Memoria
e	III	29	SS. PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM	Sollemnitas
f	Prid.	30	*Ss. Protomartyrum S. Romanæ Ecclesiæ*	

Feria VI post dominicam secundam post Pentecosten:
SACRATISSIMI CORDIS IESU — Sollemnitas

Sabbato post dominicam secundam post Pentecosten:
Immaculati Cordis B. Mariæ Virginis

IULIUS

g	Cal.	1		
A	VI	2		
b	V	3	S. THOMÆ, APOSTOLI	Festum
c	IV	4	*S. Elisabeth Lusitaniæ*	
d	III	5	*S. Antonii Mariæ Zaccaria, presbyteri*	
e	Prid.	6	*S. Mariæ Goretti, virginis et martyris*	
f	Non.	7		
g	VIII	8		
A	VII	9		
b	VI	10		
c	V	11	S. Benedicti, abbatis	Memoria
d	IV	12		
e	III	13	*S. Henrici*	
f	Prid.	14	*S. Camilli de Lellis, presbyteri*	
g	Idib.	15	S. Bonaventuræ, episcopi et Ecclesiæ doctoris	Memoria
A	XVII	16	*B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo*	
b	XVI	17		
c	XV	18		
d	XIV	19		
e	XIII	20		
f	XII	21	*S. Laurentii de Brindisi, presbyteri et Ecclesiæ doctoris*	
g	XI	22	S. Mariæ Magdalenæ	Memoria
A	X	23	*S. Birgittæ, religiosæ*	
b	IX	24		
c	VIII	25	S. IACOBI, APOSTOLI	Festum
d	VII	26	Ss. Ioachim et Annæ, parentum B. M. V.	Memoria
e	VI	27		
f	V	28		
g	IV	29	S. Marthæ	Memoria
A	III	30	*S. Petri Chrysologi, episcopi et Ecclesiæ doctoris*	
b	Prid.	31	S. Ignatii de Loyola, presbyteri	Memoria

AUGUSTUS

c	Cal.	1	S. Alfonsi Mariæ de' Liguori, episcopi et Ecclesiæ doctoris	Memoria
d	IV	2	*S. Eusebii Vercellensis, episcopi*	
e	III	3		
f	Prid.	4	S. Ioannis Mariæ Vianney, presbyteri	Memoria
g	Non.	5	*In Dedicatione basilicæ S. Mariæ*	
A	VIII	6	In Transfiguratione Domini	Festum
b	VII	7	*Ss. Xysti II, papæ, et sociorum, martyrum* *S. Caietani, presbyteri*	
c	VI	8	S. Dominici, presbyteri	Memoria
d	V	9		
e	IV	10	S. Laurentii, diaconi et martyris	Festum
f	III	11	S. Claræ, virginis	Memoria
g	Prid.	12		
A	Idib.	13	*Ss. Pontiani, papæ, et Hippolyti, presbyteri, martyrum*	
b	XIX	14		
c	XVIII	15	IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS	Sollemnitas
d	XVII	16	*S. Stephani Hungariæ*	
e	XVI	17		
f	XV	18		
g	XIV	19	*S. Ioannis Eudes, presbyteri*	
A	XIII	20	S. Bernardi, abbatis et Ecclesiæ doctoris	Memoria
b	XII	21	S. Pii X, papæ	Memoria
c	XI	22	B. Mariæ Virginis Reginæ	Memoria
d	X	23	*S. Rosæ de Lima, virginis*	
e	IX	24	S. Bartholomæi, apostoli	Festum
f	VIII	25	*S. Ludovici* *S. Ioseph de Calasanz, presbyteri*	
g	VII	26		
A	VI	27	S. Monicæ	Memoria
b	V	28	S. Augustini, episcopi et Ecclesiæ doctoris	Memoria
c	IV	29	In Passione S. Ioannis Baptistæ, martyris	Memoria
d	III	30		
e	Prid.	31		

SEPTEMBER

f	Cal.	1		
g	IV	2		
A	III	3	S. Gregorii Magni, papæ et Ecclesiæ doctoris	Memoria
b	Prid.	4		
c	Non.	5		
d	VIII	6		
e	VII	7		
f	VI	8	IN NATIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS	Festum
g	V	9		
A	IV	10		
b	III	11		
c	Prid.	12		
d	Idib.	13	S. Ioannis Chrysostomi, episcopi et Ecclesiæ doctoris	Memoria
e	XVIII	14	IN EXALTATIONE SANCTÆ CRUCIS	Festum
f	XVII	15	B. Mariæ Virginis Perdolentis	Memoria
g	XVI	16	Ss. Cornelii, papæ, et Cypriani, episcopi, martyrum	Memoria
A	XV	17	*S. Roberti Bellarmino, episcopi et Ecclesiæ doctoris*	
b	XIV	18		
c	XIII	19	*S. Ianuarii, episcopi et martyris*	
d	XII	20		
e	XI	21	S. MATTHÆI, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ	Festum
f	X	22		
g	IX	23		
A	VIII	24		
b	VII	25		
c	VI	26	*Ss. Cosmæ et Damiani, martyrum*	
d	V	27	S. Vincentii de Paul, presbyteri	Memoria
e	IV	28	*S. Venceslai, martyris*	
f	III	29	SS. MICHAELIS, GABRIELIS ET RAPHAELIS, ARCHANGELORUM	Festum
g	Prid.	30	S. Hieronymi, presbyteri et Ecclesiæ doctoris	Memoria

OCTOBER

A	Cal.	1	S. Teresiæ a Iesu Infante, virginis	Memoria
b	VI	2	Ss. Angelorum Custodum	Memoria
c	V	3		
d	IV	4	S. Francisci Assisiensis	Memoria
e	III	5		
f	Prid.	6	*S. Brunonis, presbyteri*	
g	Non.	7	B. Mariæ Virginis a Rosario	Memoria
A	VIII	8		
b	VII	9	*Ss. Dionysii, episcopi, et sociorum, martyrum* *S. Ioannis Leonardi, presbyteri*	
c	VI	10		
d	V	11		
e	IV	12		
f	III	13		
g	Prid.	14	*S. Callisti I, papæ et martyris*	
A	Idib.	15	S. Teresiæ de Avila, virginis et Ecclesiæ doctoris	Memoria
b	XVII	16	*S. Hedvigis, religiosæ* *S. Margaritæ Mariæ Alacoque, virginis*	
c	XVI	17	S. Ignatii Antiocheni, episcopi et martyris	Memoria
d	XV	18	S. LUCÆ, EVANGELISTÆ	Festum
e	XIV	19	*Ss. Ioannis de Brébeuf et Isaac Jogues, presbyterorum, et sociorum, martyrum* *S. Pauli a Cruce, presbyteri*	
f	XIII	20		
g	XII	21		
A	XI	22		
b	X	23	*S. Ioannis de Capestrano, presbyteri*	
c	IX	24	*S. Antonii Mariæ Claret, episcopi*	
d	VIII	25		
e	VII	26		
f	VI	27		
g	V	28	Ss. SIMONIS ET IUDÆ, APOSTOLORUM	Festum
A	IV	29		
b	III	30		
c	Prid.	31		

NOVEMBER

d	Cal.	1	OMNIUM SANCTORUM	Sollemnitas
e	IV	2	IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM	
f	III	3	*S. Martini de Porres, religiosi*	
g	Prid.	4	S. Caroli Borromeo, episcopi	Memoria
A	Non.	5		
b	VIII	6		
c	VII	7		
d	VI	8		
e	V	9	IN DEDICATIONE BASILICÆ LATERANENSIS	Festum
f	IV	10	S. Leonis Magni, papæ et Ecclesiæ doctoris	Memoria
g	III	11	S. Martini Turonensis, episcopi	Memoria
A	Prid.	12	S. Iosaphat, episcopi et martyris	Memoria
b	Idib.	13		
c	XVIII	14		
d	XVII	15	*S. Alberti Magni, episcopi et Ecclesiæ doctoris*	
e	XVI	16	*S. Margaritæ Scotiæ* *S. Gertrudis, virginis*	
f	XV	17	S. Elisabeth Hungariæ, religiosæ	Memoria
g	XIV	18	*In Dedicatione basilicarum Ss. Petri et Pauli, apostolorum*	
A	XIII	19		
b	XII	20		
c	XI	21	In Præsentatione B. Mariæ Virginis	Memoria
d	X	22	S. Cæciliæ, virginis et martyris	Memoria
e	IX	23	*S. Clementis I, papæ et martyris* *S. Columbani, abbatis*	
f	VIII	24		
g	VII	25		
A	VI	26		
b	V	27		
c	IV	28		
d	III	29		
e	Prid.	30	S. ANDREÆ, APOSTOLI	Festum

Dominica ultima « per annum »:
D. N. I. C. UNIVERSORUM REGIS — Sollemnitas

DECEMBER

f	Cal.	1		
g	IV	2		
A	III	3	S. Francisci Xavier, presbyteri	Memoria
b	Prid.	4	*S. Ioannis Damasceni, presbyteri et Ecclesiæ doctoris*	
c	Non.	5		
d	VIII	6	*S. Nicolai, episcopi*	
e	VII	7	S. Ambrosii, episcopi et Ecclesiæ doctoris	Memoria
f	VI	8	IN CONCEPTIONE IMMACULATA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS	Sollemnitas
g	V	9		
A	IV	10		
b	III	11	*S. Damasi I, papæ*	
c	Prid.	12	*S. Ioannæ Franciscæ de Chantal, religiosæ*	
d	Idib.	13	S. Luciæ, virginis et martyris	Memoria
e	XIX	14	S. Ioannis a Cruce, presbyteri et Ecclesiæ doctoris	Memoria
f	XVIII	15		
g	XVII	16		
A	XVI	17		
b	XV	18		
c	XIV	19		
d	XIII	20		
e	XII	21	*S. Petri Canisii, presbyteri et Ecclesiæ doctoris*	
f	XI	22		
g	X	23	*S. Ioannis de Kety, presbyteri*	
A	IX	24		
b	VIII	25	IN NATIVITATE DOMINI	Sollemnitas
c	VII	26	S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS	Festum
d	VI	27	S. IOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ	Festum
e	V	28	SS. INNOCENTIUM, MARTYRUM	Festum
f	IV	29	*S. Thomæ Becket, episcopi et martyris*	
g	III	30		
A	Prid.	31	*S. Silvestri I, papæ*	

Dominica infra octavam Nativitatis, vel, ea deficiente, die 30 decembris:

SANCTÆ FAMILIÆ IESU, MARIÆ ET IOSEPH — Festum

	1975 1986 1997	1976 (*b*)	1977	1978 1989	1979 1990	1980 (*b*)
Dom. 2ª p. Nat.	5 Ia.	4 Ia.	2 Ia.	—	—	—
Baptisma Dom. (*c*)	12 »	11 »	9 »	8 Ia.	7 Ia.	13 Ia.
Feria 4ª cinerum	12 Fe.	8 Mr.	28 Fe.	8 Fe.	28 Fe.	20 Fe.
Dom. 1ª Quadrag.	16 »	7 »	27 »	12 »	4 Mr.	24 »
» 2ª »	23 »	14 »	6 Mr.	19 »	11 »	2 Mr.
» 3ª »	2 Mr.	21 »	13 »	26 »	18 »	9 »
» 4ª »	9 »	28 »	20 »	5 Mr.	25 »	16 »
» 5ª »	16 »	4 Ap.	27 »	12 »	1 Ap.	23 »
Dom. in palmis	23 »	11 »	3 Ap.	19 »	8 »	30 »
DOM. RESURR.	30 »	18 »	10 »	26 »	15 »	6 Ap.
Dom. 2ª Paschæ	6 Ap.	25 »	17 »	2 Ap.	22 »	13 »
» 3ª »	13 »	2 M.	24 »	9 »	29 »	20 »
» 4ª »	20 »	9 »	1 M.	16 »	6 M.	27 »
» 5ª »	27 »	16 »	8 »	23 »	13 »	4 M.
» 6ª »	4 M.	23 »	15 »	30 »	20 »	11 »
Ascensio Domini	8 »	27 »	19 »	4 M.	24 »	15 »
Dom. 7ª Paschæ	11 »	30 »	22 »	7 »	27 »	18 »
Dom. Pentecostes	18 »	6 I.	29 »	14 »	3 I.	25 »
SS. Trinitatis	25 »	13 »	5 I.	21 »	10 »	1 I.
SS. Corp. et S. Chr.	29 »	17 »	9 »	25 »	14 »	5 »
SS. Cordis Iesu	6 I.	25 »	17 »	2 I.	22 »	13 »
Dom. 2ª per annum	19 Ia.	18 Ia.	16 Ia.	15 Ia.	14 Ia.	20 Ia.
» 3ª »	26 »	25 »	23 »	22 »	21 »	27 »
» 4ª »	*2 Fe.*	1 Fe.	30 »	29 »	28 »	3 Fe.
» 5ª »	9 »	8 »	6 Fe.	5 Fe.	4 Fe.	10 »
» 6ª »	—	15 »	13 »	*14 M.*	11 »	17 »
» 7ª »	*18 M.*	22 »	20 »	*21 »*	18 »	—
» 8ª »	*25 »*	29 »	—	28 »	25 »	*25 M.*
» 9ª »	1 I.	—	*29 M.*	4 I.	*3 I.*	*1 I.*

(*a*) Dominica *litteris italicis* impressa eo anno ab alia celebratione liturgica impeditur.

festorum mobilium ab anno 1975 usque ad annum 1997 (*a*)

1981 1987	1982 1993	1983 1994	1984 (*b*)	1985	1988 (*b*)	1991	1992 (*b*)	1995	1996 (*b*)
4 Ia.	3 Ia.	2 Ia.	—	—	3 Ia.	—	5 Ia.	—	—
11 »	10 »	9 »	8 Ia.	13 Ia.	10 »	13 Ia.	12 »	8 Ia.	7 Ia.
4 Mr.	24 Fe.	16 Fe.	7 Mr.	20 Fe.	17 Fe.	13 Fe.	4 Mr.	1 Mr.	21 Fe.
8 »	28 »	20 Fe.	11 »	24 »	21 »	17 »	8 »	5 »	25 »
15 »	7 Mr.	27 »	18 »	3 Mr.	28 »	24 »	15 »	12 »	3 Mr.
22 »	14 »	6 Mr.	25 »	10 »	6 Mr.	3 Mr.	22 »	19 »	10 »
29 »	21 »	13 »	1 Ap.	17 »	13 »	10 »	29 »	26 »	17 »
5 Ap.	28 »	20 »	8 »	24 »	20 »	17 »	5 Ap.	2 Ap.	24 »
12 »	4 Ap.	27 »	15 »	31 »	27 »	24 »	12 »	9 »	31 »
19 »	11 »	3 Ap.	22 »	7 Ap.	3 Ap.	31 »	19 »	16 »	7 Ap.
26 »	18 »	10 »	29 »	14 »	10 »	7 Ap.	26 »	23 »	14 »
3 M.	25 »	17 »	6 M.	21 »	17 »	14 »	3 M.	30 »	21 »
10 »	2 M.	24 »	13 »	28 »	24 »	21 »	10 »	7 M.	28 »
17 »	9 »	1 M.	20 »	5 M.	1 M.	28 »	17 »	14 »	5 M.
24 »	16 »	8 »	27 »	12 »	8 »	5 M.	24 »	21 »	12 »
28 »	20 »	12 »	31 »	16 »	12 »	9 »	28 »	25 »	16 »
31 »	23 »	15 »	3 I.	19 »	15 »	12 »	31 »	28 »	19 »
7 I.	30 »	22 »	10 »	26 »	22 »	19 »	7 I.	4 I.	26 »
14 »	6 I.	29 »	17 »	2 I.	29 »	26 »	14 »	11 »	2 I.
18 »	10 »	2 I.	21 »	6 »	2 I.	30 »	18 »	15 »	6 »
26 »	18 »	10 »	29 »	14 »	10 »	7 I.	26 »	23 »	14 »
18 Ia.	17 Ia.	16 Ia.	15 Ia.	20 Ia.	17 Ia.	20 Ia.	19 Ia.	15 Ia.	14 Ia.
25 »	24 »	23 »	22 »	27 »	24 »	27 »	26 »	22 »	21 »
1 Fe.	31 »	30 »	29 »	3 Fe.	31 »	3 Fe.	*2 Fe.*	29 »	28 »
8 »	7 Fe.	6 Fe.	5 Fe.	10 »	7 Fe.	10 »	9 »	5 Fe.	4 Fe.
15 »	14 »	13 »	12 »	17 »	14 »	—	16 »	12 »	11 »
22 »	21 »	—	19 »	—	—	*19 M.*	23 »	19 »	18 »
1 Mr.	—	*22 M.*	26 »	*26 M.*	*22 M.*	*26 »*	1 Mr.	26 »	*26 M.*
—	*30 M.*	*29 »*	4 Mr.	*2 I.*	*29 »*	2 I.	—	*4 I.*	*2 I.*

(*b*) Annus bissextilis. (*c*) Hebdomada 1ª per annum.

Tabula omnium dominicarum necnon sollemnitatum et *festor*

	1975 1986 1997	1976 (*b*)	1977	1978 1989	1979 1990	1980 (*b*)	198 198
Dom. 10ª per annum	8 I.	*6 I.*	*5 I.*	11 I.	*10 I.*	8 I.	*7 I.*
» 11ª »	15 »	*13* »	12 »	18 »	17 »	15 »	*14*
» 12ª »	22 »	20 »	19 »	25 »	*24* »	22 »	21
» 13ª »	*29* »	27 »	26 »	2 Iu.	1 Iu.	*29* »	28
» 14ª »	6 Iu.	4 Iu.	3 Iu.	9 »	8 »	6 Iu.	5 I
» 15ª »	13 »	11 »	10 »	16 »	15 »	13 »	12
» 16ª »	20 »	18 »	17 »	23 »	22 »	20 »	19
» 17ª »	27 »	25 »	24 »	30 »	29 »	27 »	26
» 18ª »	3 Ag.	1 Ag.	31 »	*6 Ag.*	5 Ag.	3 Ag.	2 A
» 19ª »	10 »	8 »	7 Ag.	13 »	12 »	10 »	9
» 20ª »	17 »	*15* »	14 »	20 »	19 »	17 »	16
» 21ª »	24 »	22 »	21 »	27 »	26 »	24 »	23
» 22ª »	31 »	29 »	28 »	3 St.	2 St.	31 »	30
» 23ª »	7 St.	5 St.	4 St.	10 »	9 »	7 St.	6 S
» 24ª »	*14* »	12 »	11 »	17 »	16 »	*14* »	13
» 25ª »	21 »	19 »	18 »	24 »	23 »	21 »	20
» 26ª »	28 »	26 »	25 »	1 Ot.	30 »	28 »	27
» 27ª »	5 Ot.	3 Ot.	2 Ot.	8 »	7 Ot.	5 Ot.	4 O
» 28ª »	12 »	10 »	9 »	15 »	14 »	12 »	11
» 29ª »	19 »	17 »	16 »	22 »	21 »	19 »	18
» 30ª »	26 »	24 »	23 »	29 »	28 »	26 »	25
» 31ª »	*2 Nv.*	31 »	30 »	5 Nv.	4 Nv.	*2 Nv.*	*1 N*
» 32ª »	*9* »	7 Nv.	6 Nv.	12 »	11 »	*9* »	8
» 33ª »	16 »	14 »	13 »	19 »	18 »	16 »	15
D.N.I.C. Regis (*c*)	23 »	21 »	20 »	26 »	25 »	23 »	22
Dom. 1ª Adventus	30 »	28 »	27 »	3 Dc.	2 Dc.	30 »	29
» 2ª »	7 Dc.	5 Dc.	4 Dc.	10 »	9 »	7 Dc.	6 D
» 3ª »	14 »	12 »	11 »	17 »	16 »	14 »	13
» 4ª »	21 »	19 »	18 »	24 »	23 »	21 »	20
S. Familiæ I.M.I.	28 »	26 »	30 »	31 »	30 »	28 »	27

(*a*) **Dominica *litteris italicis* impressa eo anno ab alia celebratione liturgica impeditur.** (*b*) **A**

et festorum mobilium ab anno 1975 usque ad annum 1997 (*a*)

1981 1987	1982 1993	1983 1994	1984 (*b*)	1985	1988 (*b*)	1991	1992 (*b*)	1995	1996 (*b*)
7 I.	*6 I.*	5 I.	*10 I.*	9 I.	5 I.	9 I.	*7 I.*	*11 I.*	9 I.
14 »	13 »	12 »	*17* »	16 »	12 »	16 »	*14* »	18 »	16 »
21 »	20 »	19 »	*24* »	23 »	19 »	23 »	21 »	25 »	23 »
28 »	27 »	26 »	1 Iu.	30 »	26 »	30 »	28 »	2 Iu.	30 »
5 Iu.	4 Iu.	3 Iu.	8 »	7 Iu.	3 Iu.	7 Iu.	5 Iu.	9 »	7 Iu.
12 »	11 »	10 »	15 »	14 »	10 »	14 »	12 »	16 »	14 »
19 »	18 »	17 »	22 »	21 »	17 »	21 »	19 »	23 »	21 »
26 »	25 »	24 »	29 »	28 »	24 »	28 »	26 »	30 »	28 »
2 Ag.	1 Ag.	31 »	5 Ag.	4 Ag.	31 »	4 Ag.	2 Ag.	*6 Ag.*	4 Ag.
9 »	8 »	7 Ag.	12 »	11 »	7 Ag.	11 »	9 »	13 »	11 »
16 »	*15* »	14 »	19 »	18 »	14 »	18 »	16 »	20 »	18 »
23 »	22 »	21 »	26 »	25 »	21 »	25 »	23 »	27 »	25 »
30 »	29 »	28 »	2 St.	1 St.	28 »	1 St.	30 »	3 St.	1 St.
6 St.	5 St.	4 St.	9 »	8 »	4 St.	8 »	6 St.	10 »	8 »
13 »	12 »	11 »	16 »	15 »	11 »	15 »	13 »	17 »	15 »
20 »	19 »	18 »	23 »	22 »	18 »	22 »	20 »	24 »	22 »
27 »	26 »	25 »	30 »	29 »	25 »	29 »	27 »	1 Ot.	29 »
4 Ot.	3 Ot.	2 Ot.	7 Ot.	6 Ot.	2 Ot.	6 Ot.	4 Ot.	8 »	6 Ot.
11 »	10 »	9 »	14 »	13 »	9 »	13 »	11 »	15 »	13 »
18 »	17 »	16 »	21 »	20 »	16 »	20 »	18 »	22 »	20 »
25 »	24 »	23 »	28 »	27 »	23 »	27 »	25 »	29 »	27 »
1 Nv.	31 »	30 »	4 Nv.	3 Nv.	30 »	3 Nv.	*1 Nv.*	5 Nv.	3 Nv.
8 »	7 Nv.	6 Nv.	11 »	10 »	6 Nv.	10 »	8 »	12 »	10 »
15 »	14 »	13 »	18 »	17 »	13 »	17 »	15 »	19 »	17 »
22 »	21 »	20 »	25 »	24 »	20 »	24 »	22 »	26 »	24 »
29 »	28 »	27 »	2 Dc.	1 Dc.	27 »	1 Dc.	29 »	3 Dc.	1 Dc.
6 Dc.	5 Dc.	4 Dc.	9 »	8 »	4 Dc.	8 »	6 Dc.	10 »	8 »
13 »	12 »	11 »	16 »	15 »	11 »	15 »	13 »	17 »	15 »
20 »	19 »	18 »	23 »	22 »	18 »	22 »	20 »	24 »	22 »
27 »	26 »	30 »	30 »	29 »	30 »	29 »	27 »	31 »	29 »

r. (*b*) **Annus bissextilis.** (*c*) Hebdomada 34[a] per annum.

PROPRIUM DE TEMPORE

DOMINICA I ADVENTUS

Ant. ad introitum Ps 24, 1-3

Ad te levávi ánimam meam,
Deus meus, in te confído, non erubéscam.
Neque irrídeant me inimíci mei,
étenim univérsi qui te exspéctant non confundéntur.

Collecta

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
hanc tuis fidélibus voluntátem,
ut, Christo tuo veniénti iustis opéribus occurréntes,
eius déxteræ sociáti, regnum mereántur possidére cæléste.
Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

Congregat Dominus omnes nationes
in pacem æternam Regni Dei.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 2, 1-5

Verbum quod vidit Isaías, fílius Amos, super Iuda et Ierúsalem:

Et erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi et dicent:

« Veníte, et ascendámus ad montem Dómini et ad domum Dei Iacob, et docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis eius; quia de Sion exíbit lex et verbum Dómini de Ierúsalem ».

Et iudicábit gentes et árguet pópulos multos; et conflábunt gládios suos in vómeres et lánceas suas in

falces. Non levábit gens contra gentem gládium, nec exercebúntur ultra ad prœlium.

Domus Iacob, veníte, et ambulémus in lúmine Dómini. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 121, 1-2. 3-4 a. (4 b-5. 6-7). 8-9 (℟.: cf. 1)

℟. In domum Dómini lætántes íbimus.

1 Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi:
« In domum Dómini íbimus ».
2 Stantes iam sunt pedes nostri
in portis tuis, Ierúsalem. ℟.

4 Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini,
testimónium Israel, ad confiténdum nómini Dómini.
5 Quia illic sedérunt sedes ad iudícium,
sedes domus David. ℟.

6 Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem,
secúri sint diligéntes te.
7 Fiat pax in muris tuis,
et secúritas in túrribus tuis. ℟.

8 Propter fratres meos et próximos meos
loquar: « Pax in te! »
9 Propter domum Dómini Dei nostri
exquíram bona tibi. ℟.

Lectio secunda

Prope est nostra salus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános

13, 11-14

Fratres:

Sciéntes tempus, quia hora est iam vos de somno súrgere; nunc enim própior est nobis salus quam cum credídimus.

Nox procéssit, dies autem appropiávit. Abiciámus ergo ópera tenebrárum et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus, non in comessatiónibus et ebrietátibus, non in cubílibus et impudicítiis, non in contentióne et æmulatióne; sed indúite Dóminum Iesum Christum, et carnis curam ne fecéritis in concupiscéntiis. — Verbum Dómini.

Alleluia — Ps 84, 8

℟. Allelúia. ℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam,
et salutáre tuum da nobis. ℟ Allelúia.

Evangelium

Vigilate ut sitis parati.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum 24, 37-44

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Sicut enim dies Noe, ita erit advéntus Fílii hóminis. Sicut enim erant in diébus ante dilúvium comedéntes et bibéntes, nubéntes et nuptum tradéntes, usque ad eum diem quo introívit in arcam Noe, et non cognovérunt donec venit dilúvium et tulit omnes, ita erit et advéntus Fílii hóminis. Tunc duo erunt in agro, unus assúmitur et unus relínquitur; duæ moléntes in mola, una assúmitur et una relínquitur.

Vigiláte ergo, quia nescítis qua die Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte quóniam si sciret pater famílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique et non síneret perfodíri domum suam. Ideo et vos estóte paráti, quia, qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est ».

Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Utinam dirumperes cælos et descenderes!

Léctio libri Isaíæ prophétæ

63, 16 b-17; 64, 1. 3 b-8

Tu, Dómine, pater noster, redémptor noster: a sǽculo nomen tuum. Quare erráre nos fecísti, Dómine, de viis tuis, indurásti cor nostrum, ne timerémus te? Convértere propter servos tuos, tribus hereditátis tuæ.

Utinam dirúmperes cælos et descénderes! a fácie tua montes deflúerent!

Descendísti, et a fácie tua montes defluxérunt. A sǽculo non audiérunt neque áuribus percepérunt; óculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparásti exspectántibus te. Occurrísti lætánti et faciénti iustítiam, in viis tuis recordabúntur tui.

Ecce tu irátus es, et peccávimus; in ipsis fúimus semper et salvábimur. Et facti sumus ut immúndus omnes nos, et quasi pannus menstruátæ univérsæ iustítiæ nostræ, et cecídimus quasi fólium univérsi, et iniquitátes nostræ quasi ventus abstulérunt nos.

Non est qui ínvocet nomen tuum, qui consúrgat et téneat te. Abscondísti fáciem tuam a nobis, et allisísti nos in manu iniquitátis nostræ. Et nunc, Dómine, pater noster es tu, nos vero lutum; et fictor noster tu, et ópera mánuum tuárum omnes nos. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 79, 2 ac et 3 b. 15-16. 18-19 (℟.: 4)

℟. Deus, convérte nos,
illústra fáciem tuam, et salvi érimus.

2 Qui pascis Israel, inténde,
qui sedes super Chérubim, effúlge.

3 Excita poténtiam tuam, et veni,
ut salvos fácias nos. ℟.
15 Deus virtútum, convértere;
réspice de cælo et vide, et vísita víneam istam.
16 Et prótege eam quam plantávit déxtera tua,
et super fílium hóminis quem confirmásti tibi. ℟.
18 Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ,
super fílium hóminis quem confirmásti tibi.
19 Et non discedémus a te, vivificábis nos,
et nomen tuum invocábimus. ℟.

Lectio secunda

Revelationem exspectamus
Domini nostri Iesu Christi.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 1, 3-9

Fratres:

Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo.

Grátias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo et in omni sciéntia, sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis, ita ut nihil vobis desit in ulla donatióne, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri Iesu Christi; qui et confirmábit vos usque ad finem sine crímine in die Dómini nostri Iesu Christi. Fidélis Deus, per quem vocáti estis in communiónem Fílii eius Iesu Christi Dómini nostri.

Verbum Dómini.

Alleluia Ps 84, 8

℟. Allelúia. ℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam,
et salutáre tuum da nobis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Vigilate: nescitis quando dominus domus veniat.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum
13, 33-37

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Vidéte, vigiláte; nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo qui péregre proféctus relíquit domum suam et dedit servis suis potestátem, unicuíque opus suum, ianitóri quoque præcépit ut vigiláret.

Vigiláte ergo, nescítis enim quando dóminus domus véniat, sero an média nocte an galli cantu an mane, ne cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes.

Quod autem vobis dico, ómnibus dico: Vigiláte ».

Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Germinare faciam David germen iustitiæ.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 33, 14-16

« Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo verbum bonum, quod locútus sum ad domum Israel et ad domum Iuda.

In diébus illis et in témpore illo germináre fáciam David germen iustítiæ, et fáciet iudícium et iustítiam in terra. In diébus illis salvábitur Iuda, et Ierúsalem habitábit confidénter; et hoc est nomen quod vocábunt eum: Dóminus iustus noster ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 24, 4 bc-5 ab. 8-9. 10 et 14 (℟.: 1 b)

℟. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam.

4 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi,
et sémitas tuas édoce me.

5 Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus salútis meæ. ℟.
6 Dulcis et rectus Dóminus,
propter hoc peccatóres viam docébit;
9 díriget mansuétos in iudício,
docébit mites vias suas. ℟.
10 Univérsæ viæ Dómini misericórdia et véritas
custodiéntibus testaméntum eius et testimónia eius.
14 Familiáriter aget Dóminus cum timéntibus eum,
ut testaméntum suum maniféstet illis. ℟.

Lectio secunda

Confirmet Dominus corda vestra in adventu Christi.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Thessalonicénses 3, 12 — 4, 2

Fratres:

Dóminus vos abundáre et superabundáre fáciat caritáte in ínvicem et in omnes, quemádmodum et nos in vos, ad confirmánda corda vestra sine queréla in sanctitáte ante Deum et Patrem nostrum, in advéntu Dómini nostri Iesu cum ómnibus sanctis eius. Amen.

De cétero ergo, fratres, rogámus vos et obsecrámus in Dómino Iesu, ut — quemádmodum accepístis a nobis quómodo vos opórteat ambuláre et placére Deo, sicut et ambulátis — ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcépta dedérimus vobis per Dóminum Iesum.

Verbum Dómini.

Alleluia Ps 84, 8

℟. Allelúia. ℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam,
et salutáre tuum da nobis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Appropinquat redemptio vestra.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam
21, 25-28. 34-36

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Erunt signa in sole et luna et stellis, et super terram pressúra géntium præ confusióne sónitus maris et flúctuum, arescéntibus homínibus præ timóre et exspectatióne eórum quæ supervénient orbi, nam virtútes cælórum movebúntur. Et tunc vidébunt Fílium hóminis veniéntem in nube cum potestáte et glória magna.

His autem fíeri incipiéntibus, respícite et leváte cápita vestra, quóniam appropínquat redémptio vestra.

Atténdite autem vobis, ne forte gravéntur corda vestra in crápula et ebrietáte et curis huius vitæ, et supervéniat in vos repentína dies illa; tamquam láqueus enim supervéniet in omnes qui sedent super fáciem omnis terræ.

Vigiláte ítaque omni témpore orántes ut possítis fúgere ista ómnia quæ futúra sunt, et stare ante Fílium hóminis ». — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera
quæ de tuis offérimus colláta benefíciis,
et, quod nostræ devotióni concédis éffici temporáli,
tuæ nobis fiat prǽmium redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem Ps 84, 13

Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.

Post communionem

Prosint nobis, quǽsumus, Dómine, frequentáta mystéria,
quibus nos, inter prætereúntia ambulántes,
iam nunc instítuis amáre cæléstia et inhærére mansúris.
Per Christum.

Feria secunda

Ant. ad introitum Cf. Ier 31, 10; Is 35, 4

Audíte verbum Dómini, gentes,
et annuntiáte illud in fínibus terræ:
Ecce Salvátor noster advéniet, et iam nolíte timére.

Collecta

Fac nos, quǽsumus, Dómine Deus noster,
advéntum Christi Fílii tui sollícitos exspectáre,
ut, dum vénerit pulsans, oratiónibus vigilántes,
et in suis invéniat láudibus exsultántes. Per Dóminum.

Lectio prior*

*Congregat Dominus nationes universas
in pacem æternam Regni Dei.*

Léctio libri Isaíæ prophétæ 2, 1-5

Verbum quod vidit Isaías, fílius Amos, super Iuda et Ierúsalem.

Et erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi et dicent:

« Veníte, et ascendámus ad montem Dómini et ad domum Dei Iacob, et docébit nos vias suas, et ambulá-

bimus in sémitis eius; quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Ierúsalem ».

Et iudicábit gentes et árguet pópulos multos; et conflábunt gládios suos in vómeres et lánceas suas in falces. Non levábit gens contra gentem gládium, nec exercebúntur ultra ad prœlium.

Domus Iacob, veníte, et ambulémus in lúmine Dómini. — Verbum Dómini.

Vel, ad libitum, quando anno A hæc lectio in dominica prima Adventus legitur:

Erit exsultatio his qui salvati fuerint.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 4, 2-6

In die illa, erit germen Dómini in magnificéntia et glória, et fructus terræ sublímis, et exsultátio his qui salváti fúerint de Israel. Et erit: omnis qui relíctus fúerit in Sion et resíduus in Ierúsalem sanctus vocábitur, omnis qui scriptus est in vita in Ierúsalem.

Si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion, et sánguinem Ierúsalem láverit de médio eius in spíritu iudícii et spíritu ardóris.

Et creábit Dóminus super omnem locum montis Sion et ubi invocátus est, nubem per diem et fumum et splendórem ignis flammántis in nocte: super omnem enim glóriam protéctio, et tabernáculum erit in umbráculum diéi ab æstu, et in securitátem et absconsiónem a túrbine et a plúvia. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 121, 1-2. 3-4 a. (4 b-5. 6-7). 8-9 (℟.: cf. 1)

℟. In domum Dómini lætántes íbimus.

1 Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi:
« In domum Dómini íbimus ».

2 Stantes iam sunt pedes nostri
in portis tuis, Ierúsalem. ℟.
4 Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini,
testimónium Israel, ad confiténdum nómini Dómini.
5 Quia illic sedérunt sedes ad iudícium,
sedes domus David. ℟.
6 Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem,
secúri sint diligéntes te.
7 Fiat pax in muris tuis,
et secúritas in túrribus tuis. ℟.
8 Propter fratres meos et próximos meos
loquar: « Pax in te! »
9 Propter domum Dómini Dei nostri
exquíram bona tibi. ℟.

Alleluia — Cf. Ps 79, 4

℟. Allelúia. ℣. Veni ad liberándum nos, Dómine Deus noster;
osténde fáciem tuam, et salvi érimus.
℟. Allelúia.

Loco versus ante Evangelium, qui singulis diebus proponitur, alius adhiberi potest ex iis qui infra p. 715 inveniuntur.

Evangelium

Multi ab oriente et occidente venient in regnum cælorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 8, 5-11

In illo témpore:

Cum introísset Iesus Caphárnaum, accéssit ad eum centúrio rogans eum et dicens: « Dómine, puer meus iacet in domo paralýticus et male torquétur ».

Et ait illi: « Ego véniam, et curábo eum ».

Et respóndens centúrio ait: « Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte, habens sub me mílites, et dico huic: " Vade ", et vadit, et álio: " Veni ", et venit, et servo meo: " Fac hoc ", et facit ».

Audiens autem Iesus, mirátus est, et sequéntibus se dixit: « Amen dico vobis: Apud nullum invéni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis quod multi ab oriénte et occidénte vénient et recúmbent cum Abraham et Isaac et Iacob in Regno cælórum ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera
quæ de tuis offérimus colláta benefíciis,
et, quod nostræ devotióni concédis éffici temporáli,
tuæ nobis fiat prǽmium redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem — Cf. Ps 105, 4-5; Is 38, 3

Veni, Dómine, visitáre nos in pace,
ut lætémur coram te corde perfécto.

Post communionem

Prosint nobis, quǽsumus, Dómine, frequentáta mystéria,
quibus nos, inter prætereúntia ambulántes,
iam nunc instítuis amáre cæléstia et inhærére mansúris.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum — Cf. Zac 14, 5. 7

Ecce Dóminus véniet, et omnes sancti eius cum eo;
et erit in die illa lux magna.

Collecta

Propitiáre, Dómine Deus, supplicatiónibus nostris,
et tribulántibus, quǽsumus,
tuæ concéde pietátis auxílium,
ut, de Fílii tui veniéntis præséntia consoláti,
nullis iam polluámur contágiis vetustátis.
Per Dóminum.

Lectio prior

Requiescet super eum Spiritus Domini.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 11, 1-10

In die illa:

Egrediétur virga de radíce Iesse, et flos de radíce eius ascéndet, et requiéscet super eum spíritus Dómini: spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et pietátis, et replébit eum spíritus timóris Dómini.

Non secúndum visiónem oculórum iudicábit neque secúndum audítum áurium árguet; sed iudicábit in iustítia páuperes, et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ, et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit iustítia cíngulum lumbórum eius, et fides cinctórium renum eius.

Habitábit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubábit; vítulus et leo et ovis simul morabúntur, et puer párvulus minábit eos; vítulus et ursus pascéntur, simul requiéscent cátuli eórum, et leo quasi bos cómedet páleas. Et delectábitur infans ab úbere super forámine áspidis, et in cavérna réguli qui ablactátus fúerit manum suam mittet.

Non nocébunt et non occídent in univérso monte sancto meo, quia repléta est terra sciéntia Dómini, sicut aquæ maris operiéntes.

In die illa radix Iesse, qui stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur, et erit sepúlcrum eius gloriósum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 71, 1-2. 7-8. 12-13. 17 (℟.: cf. 7)

℟. Florébit in diébus eius iustítia
et abundántia pacis in ætérnum.

1 Deus, iudícium tuum regi da,
et iustítiam tuam fílio regis,
2 iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare,
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

12 Quia liberábit ínopem clamántem,
et páuperem cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi,
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

17 Sit nomen eius benedíctum in sæcula,
ante solem permanébit nomen eius.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificábunt eum. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum.
℟. Allelúia.

Evangelium

Iesus exsultat Spiritu Sancto.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 21-24

In illo témpore:

Exsultávit Iesus Spíritu Sancto et dixit: « Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quod abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis: etiam, Pater, quia sic plácuit ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo, et nemo scit qui sit Fílius nisi Pater, et qui sit Pater nisi Fílius et cui volúerit Fílius reveláre ».

Et convérsus ad discípulos seórsum dixit: « Beáti óculi qui vident quæ vidétis. Dico enim vobis: Multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis et non vidérunt, et audíre quæ audítis et non audiérunt ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Placáre, Dómine, quǽsumus,
nostræ précibus humilitátis et hóstiis,
et, ubi nulla súppetunt suffrágia meritórum,
tuæ nobis indulgéntiæ succúrre præsídiis.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem 2 Tim 4, 8

Corónam iustítiæ reddet iustus Iudex
iis qui díligunt advéntum eius.

Post communionem

Repléti cibo spiritális alimóniæ,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, huius participatióne mystérii,

dóceas nos terréna sapiénter perpéndere,
et cæléstibus inhærére.
Per Christum.

Feria quarta

Ant. ad introitum Cf. Hab 2, 3; 1 Cor 4, 5

Véniet Dóminus et non tardábit,
et illuminábit abscóndita tenebrárum,
et manifestábit se ad omnes gentes.

Collecta

Præpara, quǽsumus, Dómine Deus noster,
corda nostra divína tua virtúte,
ut, veniénte Christo Fílio tuo,
digni inveniámur ætérnæ vitæ convívio,
et cibum cæléstem, ipso ministránte, percípere mereámur.
Per Dóminum.

Lectio prior

Invitat Dominus convivio suo
et aufert lacrimam ab omni facie.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 25, 6-10 a

In die illa:

Fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc convívium pínguium, convívium vindémiæ, pínguium medullatórum, vindémiæ defæcátæ. Et præcipitábit in monte isto fáciem vínculi colligáti super omnes pópulos et telam quam ordítus est super omnes natiónes.

Præcipitábit mortem in sempitérnum, et áuferet Dóminus Deus lácrimam ab omni fácie, et oppróbrium pópuli sui áuferet de univérsa terra, quia Dóminus locútus est.

Et dicet in die illa: « Ecce Deus noster iste, exspectávimus eum, et salvábit nos; iste Dóminus, sustinúimus eum, exsultábimus et lætábimur in salutári eius. Quia requiéscet manus Dómini in monte isto ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 22, 1-3 a. 3 b-4. 5. 6 (℟.: 6 cd)

℟. Inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit. ℟.

Dedúxit me super sémitas iustítiæ propter nomen suum.
4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Ecce véniet Dóminus, ut salvet pópulum suum;
beáti qui paráti sunt occúrrere illi.
℟. Allelúia.

Evangelium

Iesus plurimos sanat et panes multiplicat.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
15, 29-37

In illo témpore:

Venit Iesus secus mare Galilǽæ, et ascéndens in montem sedébat ibi. Et accessérunt ad eum turbæ multæ habéntes secum claudos, cæcos, débiles, mutos, et álios multos, et proiecérunt eos ad pedes eius, et curávit eos; ita ut turba mirarétur vidéntes mutos loquéntes, débiles sanos, et claudos ambulántes, et cæcos vidéntes; et magnificábant Deum Israel.

Iesus autem convocátis discípulis suis dixit: « Miséreor turbæ, quia tríduo iam persevérant mecum et non habent quod mandúcent; et dimíttere eos ieiúnos nolo, ne forte defíciant in via ».

Et dicunt ei discípuli: « Unde nobis in desérto panes tantos ut saturémus turbam tantam? »

Et ait illis Iesus: « Quot panes habétis? »

At illi dixérunt: « Septem, et paucos piscículos ».

Et præcépit turbæ ut discúmberet super terram, et accípiens septem panes et pisces et grátias agens fregit et dedit discípulis, discípuli autem turbis. Et comedérunt omnes et saturáti sunt, et quod supérfuit de fragméntis tulérunt, septem sportas plenas.

Verbum Dómini.

Super oblata

Devotiónis nostræ tibi, Dómine, quǽsumus,
hóstia iúgiter immolétur,
quæ et sacri péragat institúta mystérii,
et salutáre tuum nobis poténter operétur.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem Is 40, 10; cf. 34, 5

Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum.

Post communionem

Tuam, Dómine, cleméntiam implorámus,
ut hæc divína subsídia, a vítiis expiátos,
ad festa ventúra nos præparent.
Per Christum.

Feria quinta

Ant. ad introitum Cf. Ps 118, 151-152

Prope es tu, Dómine, et omnes viæ tuæ véritas;
inítio cognóvi de testimóniis tuis, quia in ætérnum tu es.

Collecta

Excita, Dómine, poténtiam tuam,
et magna nobis virtúte succúrre,
ut, quod nostra peccáta præpédiunt,
grátia tuæ propitiatiónis accéleret.
Per Dóminum.

Lectio prior

Ingrediatur gens iusta custodiens veritatem.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 26, 1-6

In die illa, cantábitur cánticum istud in terra Iuda:

« Urbs fortitúdinis nostræ Sion; salvátor ponétur in ea murus et antemurále. Aperíte portas, et ingrediátur gens iusta custódiens veritátem. Vetus error ábiit, servábis pacem: pacem, quia in te sperávimus.

Sperástis in Dómino in sæculis ætérnis, in Dómino Deo forti in perpétuum. Quia incurvábit habitántes in

excélso, civitátem sublímem humiliábit; humiliábit eam usque ad terram, détrahet eam usque ad púlverem. Conculcábit eam pes, pedes páuperis, gressus egenórum ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 117, 1 et 8-9. 19-21. 25-27 a (℟.: 26 a)

℟. Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

vel Allelúia.

1 Confitémini Dómino, quóniam bonus,
quóniam in sæculum misericórdia eius.
8 Bonum est confúgere ad Dóminum,
quam confídere in hómine.
9 Bonum est confúgere ad Dóminum,
quam confídere in princípibus. ℟.

19 Aperíte mihi portas iustítiæ,
ingréssus in eas confitébor Dómino;
20 hæc porta Dómini, iusti intrábunt in eam.
21 Confitébor tibi, quóniam exaudísti me,
et factus es mihi in salútem. ℟.

25 O Dómine, salvum me fac;
o Dómine, da prosperitátem.
26 Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Benedícimus vobis de domo Dómini.
27 Deus Dóminus et illúxit nobis. ℟.

Alleluia

Is 55, 6

℟. Allelúia. ℣. Quǽrite Dóminum, dum inveníri potest,
invocáte eum, dum prope est. ℟. Allelúia.

Evangelium

Qui facit voluntatem Patris intrabit in Regnum cælorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
7, 21. 24-27

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Non omnis qui dicit mihi: " Dómine, Dómine ", intrábit in Regnum cælórum, sed qui facit voluntátem Patris mei qui in cælis est.

Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilábitur viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. Et descéndit plúvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et non cécidit; fundáta enim erat supra petram.

Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, símilis erit viro stulto, qui ædificávit domum suam supra arénam. Et descéndit plúvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et cécidit, et fuit ruína eius magna ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera,
quæ de tuis offérimus colláta benefíciis,
et, quod nostræ devotióni concédis éffici temporáli,
tuæ nobis fiat prǽmium redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem Tit 2, 12-13

Iuste et pie vivámus in hoc sǽculo,
exspectántes beátam spem et advéntum glóriæ magni Dei.

Post communionem

Prosint nobis, quǽsumus, Dómine, frequentáta mystéria,
quibus nos, inter prætereúntia ambulántes,
iam nunc instítuis amáre cæléstia et inhærére mansúris.
Per Christum.

Feria sexta

Ant. ad introitum

Ecce Dóminus véniet cum splendóre descéndens
visitáre pópulum suum in pace,
et constitúere super eum vitam sempitérnam.

Collecta

Excita, quǽsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni,
ut, ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis,
te mereámur protegénte éripi,
te liberánte salvári.
Qui vivis et regnas.

Lectio prior

In die illa, oculi cæcorum videbunt.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 29, 17-24

Hæc dicit Dóminus Deus:

« Nonne adhuc in módico et in brevi convertétur Líbanus in carmel, et carmel in saltum reputábitur? Et áudient in die illa surdi verba libri, et de ténebris et calígine óculi cæcórum vidébunt.

Et addent mites in Dómino lætítiam, et páuperes hómines in sancto Israel exsultábunt; quóniam defécit qui prævalébat, consummátus est illúsor, et succísi sunt omnes qui vigilábant super iniquitátem, qui peccáre faciébant hómines in verbo et arguéntem in porta supplantábant, et declinavérunt frustra a iusto ».

Propter hoc, hæc dicit Dóminus ad domum Iacob, qui redémit Abraham: « Non modo confundétur Iacob, nec modo vultus eius erubéscet; sed cum víderit fílios suos, ópera mánuum meárum, in médio sui sanctificántes nomen meum, et sanctificábunt sanctum Iacob, et Deum Israel prædicábunt; et scient errántes spíritu intelléctum, et mussitatóres discent legem ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 26, 1. 4. 13-14 (℟.: 1 a)

℟. Dóminus illuminátio mea et salus mea.

1 Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo? ℟.

4 Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ,
ut vídeam voluptátem Dómini,
et vísitem templum eius. ℟.

13 Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.
14 Exspécta Dóminum, viríliter age,
et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum.
℟. Allelúia.

Evangelium

Credentes in Iesum duo cæci sanantur.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 9, 27-31

In illo témpore:

Transeúnte Iesu, secúti sunt eum duo cæci clamántes et dicéntes: « Miserére nostri, fili David ».

Cum autem venísset domum, accessérunt ad eum cæci, et dicit eis Iesus: « Créditis quia possum hoc fácere? » Dicunt ei: « Utique, Dómine ».

Tunc tétigit óculos eórum dicens: « Secúndum fidem vestram fiat vobis ». Et apérti sunt óculi illórum.

Et comminátus est illis Iesus dicens: « Vidéte ne quis sciat ». Illi autem exeúntes diffamavérunt eum in univérsa terra illa. — Verbum Dómini.

Super oblata

Placáre, Dómine, quǽsumus,
nostræ précibus humilitátis et hóstiis,
et, ubi nulla súppetunt suffrágia meritórum,
tuæ nobis indulgéntiæ succúrre præsídiis.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem — Phil 3, 20-21

Salvatórem exspectámus Dóminum Iesum Christum,
qui reformábit corpus humilitátis nostræ,
configurátum córpori claritátis suæ.

Post communionem

Repléti cibo spiritális alimóniæ,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, huius participatióne mystérii,
dóceas nos terréna sapiénter perpéndere,
et cæléstibus inhærére. Per Christum.

Sabbato

Ant. ad introitum — Ps 79, 4. 2

Veni, et osténde nobis fáciem tuam, Dómine,
qui sedes super Chérubim, et salvi érimus.

Collecta

Deus, qui, ad liberándum humánum genus
a vetustátis condicióne,
Unigénitum tuum in hunc mundum misísti,
largíre devóte exspectántibus
supérnæ tuæ grátiam pietátis,
ut ad veræ perveniámus præmium libertátis.
Per Dóminum.

Lectio prior

Miserans miserebitur tui, ad vocem clamoris tui.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 30, 19-21. 23-26

Hæc dicit Dóminus Deus, Sanctus Israel:

« Pópulus Sion habitábit in Ierúsalem; plorans nequáquam plorábis, míserans miserébitur tui, ad vocem clamóris tui, statim ut audíerit, respondébit tibi.

Et dabit vobis Dóminus panem arctum et aquam brevem, et non fáciet avoláre a te ultra doctórem tuum, et erunt óculi tui vidéntes præceptórem tuum, et aures tuæ áudient verbum post tergum monéntis: « Hæc est via: ambuláte in ea »; et non declinétis neque ad déxteram neque ad sinístram.

Et dábitur plúvia sémini tuo, ubicúmque semináveris in terra; et panis frugum terræ erit ubérrimus et pinguis; pascétur in possessióne tua in die illo agnus spatióse, et tauri tui et pulli asinórum, qui operántur terram, commíxtum migma cómedent sicut in área ventilátum est.

Et erunt super omnem montem excélsum et super omnem collem elevátum rivi curréntium aquárum in die interfectiónis multórum, cum cecíderint turres. Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septemplíciter sicut lux septem diérum, in die qua alligáverit Dóminus vulnus pópuli sui et percussúram plagæ eius sanáverit ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 146, 1-2. 3-4. 5-6 (℟.: Is 30, 18)

℟. Beáti omnes qui exspéctant Dóminum.
vel Allelúia.

1 Laudáte Dóminum,
quóniam bonum est psállere Deo nostro,
quóniam iucúndum est celebráre laudem.
2 Ædíficans Ierúsalem Dóminus,
dispérsos Israélis congregábit. ℟.

3 Qui sanat contrítos corde,
et álligat plagas eórum;
4 qui númerat multitúdinem stellárum,
et ómnibus eis nómina vocat. ℟.

5 Magnus Dóminus noster, et magnus virtúte,
sapiéntiæ eius non est númerus.
6 Susténtat mansuétos Dóminus,
humílians autem peccatóres usque ad terram. ℟.

Alleluia

Is 33, 22

℟. Allelúia. ℣. Dóminus iudex noster, légifer noster, rex noster;
ipse salvábit nos. ℟. Allelúia.

Evangelium

Videns turbas, misertus est eis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
9, 35 — 10, 1. 6-8

In illo témpore:

Circumíbat Iesus civitátes omnes et castélla, docens in synagógis eórum et prædicans Evangélium Regni et curans omnem languórem et omnem infirmitátem.

Videns autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti et iacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dicit discípulis suis: « Messis quidem multa, operárii autem pauci: rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam ».

Et, convocátis duódecim discípulis suis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut eícerent eos et curárent omnem languórem et omnem infirmitátem. Hos Duódecim misit Iesus, præcípiens eis et dicens:

« Ite ad oves quæ periérunt domus Israel. Eúntes autem prædicáte dicéntes: " Appropinquávit Regnum cælórum ". Infírmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dǽmones eícite; gratis accepístis, gratis date ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Devotiónis nostræ tibi, Dómine, quǽsumus,
hóstia iúgiter immolétur,
quæ et sacri péragat institúta mystérii,
et salutáre tuum nobis poténter operétur.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem — Ap 22, 12

Ecce vénio cito et merces mea mecum est, dicit Dóminus, dare unicuíque secúndum ópera sua.

Post communionem

Tuam, Dómine, cleméntiam implorámus,
ut hæc divína subsídia, a vítiis expiátos,
ad festa ventúra nos præparent.
Per Christum.

DOMINICA II ADVENTUS

Ant. ad introitum — Cf. Is 30, 19. 30

Pópulus Sion, ecce Dóminus véniet ad salvándas gentes;
et audítam fáciet Dóminus glóriam vocis suæ
in lætítia cordis vestri.

Collecta

Omnípotens et miséricors Deus,
in tui occúrsum Fílii festinántes
nulla ópera terréni actus impédiant,
sed sapiéntiæ cæléstis erudítio
nos fáciat eius esse consórtes.
Qui tecum vivit.

Anno A

Lectio prima

Iudicabit in iustitia pauperes.

Léctio libri Isaíæ prophétæ — 11, 1-10

In die illa:

Egrediétur virga de radíce Iesse, et flos de radíce eius ascéndet, et requiéscet super eum spíritus Dómini: spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et pietátis, et replébit eum spíritus timóris Dómini.

Non secúndum visiónem oculórum iudicábit, neque secúndum audítum áurium árguet; sed iudicábit in iustítia páuperes, et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ, et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium.

Et erit iustítia cíngulum lumbórum eius, et fides cinctórium renum eius.

Habitábit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubábit; vítulus et leo et ovis simul morabúntur, et puer párvulus minábit eos; vítulus et ursus pascéntur, simul requiéscent cátuli eórum et leo quasi bos cómedet páleas.

Et delectábitur infans ab úbere super forámine áspidis, et in cavérna réguli qui ablactátus fúerit manum suam mittet.

Non nocébunt et non occídent in univérso monte sancto meo, quia repléta est terra sciéntia Dómini, sicut aquæ maris operiéntes.

In die illa radix Iesse, qui stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur, et erit sepúlcrum eius gloriósum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 71, 1-2. 7-8. 12-13. 17 (℟.: 7)

℟. Florébit in diébus eius iustítia
et abundántia pacis in ætérnum.

1 Deus, iudícium tuum regi da,
et iustítiam tuam fílio regis;
2 iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare,
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

12 Quia liberábit ínopem clamántem,
et páuperem cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi,
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

17 Sit nomen eius benedíctum in sǽcula,
ante solem permanébit nomen eius.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificábunt eum. ℟.

Lectio secunda

Christus omnes homines salvos facit.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 15, 4-9

Fratres:

Quæcúmque ántea scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt, ut per patiéntiam et consolatiónem Scripturárum spem habeámus. Deus autem patiéntiæ et solácii det vobis idípsum sápere in altérutrum secúndum Christum Iesum, ut unánimes uno ore glorificétis Deum et Patrem Dómini nostri Iesu Christi.

Propter quod suscípite ínvicem, sicut et Christus suscépit vos, in glóriam Dei. Dico enim Christum minístrum fuísse circumcisiónis propter veritátem Dei, ad confirmándas promissiónes Patrum, gentes autem propter misericórdiam glorificáre Deum, sicut scriptum est: « Propter hoc confitébor tibi in géntibus, et Nómini tuo cantábo ». — Verbum Dómini.

Alleluia Lc 3, 4. 6

℟. Allelúia. ℣. Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas eius;
vidébit omnis caro salutáre Dei. ℟. Allelúia.

Evangelium

Pænitentiam agite: appropinquavit Regnum cælorum.

✠ **Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum** 3, 1-12

In diébus illis venit Ioánnes Baptísta prǽdicans in desérto Iudǽæ et dicens: « Pæniténtiam ágite, appropinquávit enim Regnum cælórum ». Hic est enim qui dictus est per Isaíam prophétam dicéntem: « Vox clamántis in

desérto: " Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas eius "».

Ipse autem Ioánnes habébat vestiméntum de pilis caméli et zonam pellíceam circa lumbos suos, esca autem eius erat locústæ et mel silvéstre.

Tunc exíbat ad eum Hierosólyma et omnis Iudǽa et omnis régio circa Iordánem, et baptizabántur in Iordáne flúmine ab eo confiténtes peccáta sua. Videns autem multos Pharisæórum et Sadducæórum veniéntes ad baptísmum suum, dixit eis:

« Progénies viperárum, quis demonstrávit vobis fúgere a futúra ira? Fácite ergo fructum dignum pæniténtiæ; et ne velítis dícere intra vos: " Patrem habémus Abraham ". Dico enim vobis quóniam potest Deus de lapídibus istis suscitáre Abrahæ fílios. Iam enim secúris ad radícem árborum pósita est: omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excíditur et in ignem míttitur.

Ego quidem vos baptízo in aqua in pæniténtiam; qui autem post me ventúrus est fórtior me est, cuius non sum dignus calceaménta portáre: ipse vos baptizábit in Spíritu Sancto et igni, cuius ventilábrum in manu sua, et permundábit áream suam, et congregábit tríticum suum in hórreum, páleas autem combúret igni inexstinguíbili ». — Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Parate viam Domini.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 40, 1-5. 9-11

« Consolámini, consolámini, pópule meus, dicit Deus vester. Loquímini ad cor Ierúsalem et advocáte eam, quóniam compléta est malítia eius, dimíssa est iníquitas illíus, suscépit de manu Dómini duplícia pro ómnibus peccátis suis ».

Vox clamántis in desérto: « Paráte viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. Omnis vallis exaltábitur, et omnis mons et collis humiliábitur, et erunt prava in dirécta, et áspera in vias planas, et revelábitur glória Dómini, et vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est ».

Super montem excélsum ascénde, tu qui evangelízas Sion; exálta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Ierúsalem; exálta, noli timére, dic civitátibus Iuda:

« Ecce Deus vester, ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, et brácchium eius dominábitur: ecce merces eius cum eo, et opus illíus coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brácchio suo congregábit agnos et in sinu suo levábit, fetas ipse portábit ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 84, 9 ab-10. 11-12. 13-14 (℟.: 8)

℟. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam,
et salutáre tuum da nobis.

9 Audiam quid loquátur Dóminus Deus,
quóniam loquétur pacem ad plebem suam et sanctos suos.
10 Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus,
ut inhábitet glória in terra nostra. ℟.

11 Misericórdia et véritas obviavérunt sibi,
iustítia et pax osculátæ sunt.
12 Véritas de terra orta est,
et iustítia de cælo prospéxit. ℟.

13 Etenim Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.
14 Iustítia ante eum ambulábit,
et ponet in via gressus suos. ℟.

Lectio secunda

Novos cælos et novam terram exspectamus.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Petri apóstoli 3, 8-14

Unum hoc non láteat vos, caríssimi, quia unus dies apud Dóminum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dóminus promissiónem, sicut quidam tarditátem exístimant, sed patiénter agit in vos, nolens áliquos períre, sed omnes ad pæniténtiam revérti.

Advéniet autem dies Dómini ut fur, in qua cæli magno ímpetu tránsient, eleménta vero calóre solvéntur, et terra et ópera quæ in ea inveniéntur.

Cum hæc ómnia ita dissolvénda sint, quales opórtet esse vos in sanctis conversatiónibus et pietátibus, exspectántes et properántes advéntum diéi Dei, propter quam cæli ardéntes solvéntur et eleménta ignis ardóre tabéscent. Novos vero cælos et terram novam secúndum promíssum ipsíus exspectámus, in quibus iustítia hábitat.

Propter quod, caríssimi, hæc exspectántes satágite immaculáti et invioláti ei inveníri in pace.

Verbum Dómini.

Alleluia Lc 3, 4. 6

℟. Allelúia. ℣. Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas eius;
vidébit omnis caro salutáre Dei. ℟. Allelúia.

Evangelium

Rectas facite semitas Domini.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 1-8

Inítium Evangélii Iesu Christi Fílii Dei.

Sicut scriptum est in Isaía prophéta: « Ecce mitto ángelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam

tuam: Vox clamántis in desérto: "Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas eius" ».

Fuit Ioánnes in desérto baptízans et prædicans baptísmum pæniténtiæ in remissiónem peccatórum. Et egrediebátur ad illum omnis Iudǽæ régio et Hierosolymítæ univérsi et baptizabántur ab illo in Iordáne flúmine confiténtes peccáta sua.

Et erat Ioánnes vestítus pilis caméli et zona pellícea circa lumbos eius, et locústas et mel silvéstre edébat. Et prædicábat dicens: « Venit fórtior me post me, cuius non sum dignus procúmbens sólvere corrígiam calceamentórum eius; ego baptizávi vos aqua, ille vero baptizábit vos in Spíritu Sancto ».

Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Deus ostendet splendorem suum in te.

Léctio libri Baruch prophétæ 5, 1-9

Exue te, Ierúsalem, stola luctus et vexatiónis tuæ, et índue te decóre et honóre eius, quæ a Deo tibi est, sempitérnæ glóriæ.

Circúmdabit te Deus diplóide iustítiæ, et impónet mitram cápiti honóris ætérni; Deus enim osténdet splendórem suum in te, omni qui sub cælo est.

Nominábitur enim tibi nomen tuum a Deo in sempitérnum: « Pax iustítiæ et honor pietátis ».

Exsúrge, Ierúsalem, et sta in excélso, et circúmspice ad oriéntem, et vide colléctos fílios tuos ab oriénte sole usque ad occidéntem in verbo Sancti, gaudéntes Dei memória.

Exiérunt enim abs te pédibus ducti ab inimícis, addúcet autem illos Dóminus ad te portátos in honóre sicut fílios regni; constítuit enim Deus humiliáre omnem montem excélsum et rupes perénnes et conválles replére in æqualitátem terræ, ut ámbulet Israel diligénter in honórem Dei.

Obumbravérunt autem et silvæ et omne lignum suavitátis Israel ex mandáto Dei; addúcet enim Deus Israel cum iucunditáte in lúmine maiestátis suæ cum misericórdia et iustítia, quæ est ex ipso. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 125, 1-2 ab. 2 cd-3. 4-5. 6 (℟.: 3)

℟. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum;
facti sumus lætántes.

1 In converténdo Dóminus captivitátem Sion,
facti sumus quasi somniántes.
2 Tunc replétum est gáudio os nostrum,
et lingua nostra exsultatióne. ℟.

Tunc dicébant inter gentes:
« Magnificávit Dóminus fácere cum eis ».
3 Magnificávit Dóminus fácere nobíscum;
facti sumus lætántes. ℟.

4 Convérte, Dómine, captivitátem nostram,
sicut torréntes in Austro.
5 Qui séminant in lácrimis,
in exsultatióne metent. ℟.

6 Eúntes ibant et flebant,
semen spargéndum portántes;
veniéntes autem vénient in exsultatióne
portántes manípulos suos. ℟.

Lectio secunda

Estote sinceri et sine offensa in diem Christi.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Philippénses 1, 4-6. 8-11

Fratres:

Semper in omni oratióne mea pro ómnibus vobis cum gáudio deprecatiónem fáciens, super communióne vestra in Evangélio a prima die usque nunc, confídens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum perfíciet usque in diem Christi Iesu.

Testis enim mihi Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Christi Iesu. Et hoc oro, ut cáritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia et omni sensu, ut probétis potióra, ut sitis sincéri et sine offénsa in diem Christi, repléti fructu iustítiæ, qui est per Iesum Christum, in glóriam et laudem Dei. — Verbum Dómini.

Alleluia Lc 3, 4. 6

℟. Allelúia. ℣. Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas eius;
vidébit omnis caro salutáre Dei. ℟. Allelúia.

Evangelium

Videbit omnis caro salutare Dei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 3, 1-6

Anno quintodécimo impérii Tibérii Cǽsaris, procuránte Póntio Piláto Iudǽam, tetrárcha autem Galilǽæ Heróde, Philíppo autem fratre eius tetrárcha Iturǽæ et Trachonítidis regiónis, et Lysánia Abilínæ tetrárcha, sub príncipe sacerdótum Anna et Cáiapha, factum est verbum Dei super Ioánnem Zacharíæ fílium in desérto.

Et venit in omnem regiónem circa Iordánem prædicans baptísmum pæniténtiæ in remissiónem peccatórum, sicut scriptum est in libro sermónum Isaíæ prophétæ:

« Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas eius. Omnis vallis implébitur, et omnis mons et collis humiliábitur, et erunt prava in diarécta et áspera in vias planas: et vidébit omnis caro salutáre Dei ». — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Placáre, Dómine, quǽsumus,
nostræ précibus humilitátis et hóstiis,
et, ubi nulla súppetunt suffrágia meritórum,
tuæ nobis indulgéntiæ succúrre præsídiis. Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem — Bar 5, 5; 4, 36

Ierúsalem, surge et sta in excélso,
et vide iucunditátem, quæ véniet tibi a Deo tuo.

Post communionem

Repléti cibo spiritális alimóniæ,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, huius participatióne mystérii,
dóceas nos terréna sapiénter perpéndere,
et cæléstibus inhærére. Per Christum.

Feria secunda

Ant. ad introitum — Cf. Ier 31, 10; Is 35, 4

Audíte verbum Dómini, gentes,
et annuntiáte illud in fínibus terræ:
Ecce Salvátor noster advéniet, et iam nolíte timére.

Collecta

Dirigátur, quǽsumus, Dómine,
in conspéctu tuo nostræ petitiónis orátio,
ut ad magnum incarnatiónis Unigéniti tui mystérium
nostræ vota servitútis illibáta puritáte pervéniant.
Per Dóminum.

Lectio prior

Deus ipse veniet et salvabit vos

Léctio libri Isaíæ prophétæ 35, 1-10

Lætábitur desérta et ínvia, et exsultábit solitúdo et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exsultábit lætabúnda et laudans. Glória Líbani data est ei, decor Carméli et Saron; ipsi vidébunt glóriam Dómini et decórem Dei nostri.

Confortáte manus dissolútas, et génua debília roboráte; dícite pusillánimis: « Confortámini et nolíte timére: Ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis: Deus ipse véniet et salvábit vos ».

Tunc aperiéntur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt; tunc sáliet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórum; quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdine.

Et quæ erat árida erit in stagnum, et sítiens in fontes aquárum. In cubílibus, in quibus prius dracónes habitábant, oriétur viror cálami et iunci.

Et erit ibi sémita et via, et via sancta vocábitur; non transíbit per eam pollútus; et hæc erit vobis dirécta via, ita ut stulti non errent per eam.

Non erit ibi leo, et mala béstia non ascéndet per eam nec inveniétur ibi; et ambulábunt qui liberáti fúerint, et redémpti a Dómino converténtur, et vénient in Sion

cum laude et lætítia sempitérna super caput eórum; gáudium et lætítiam obtinébunt, et fúgiet dolor et gémitus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 84, 9 ab-10. 11-12. 13-14 (℟.: Is 35, 4 d)

℟. Ecce Deus noster véniet et salvábit nos.

9 Audiam quid loquátur Dóminus Deus,
quóniam loquétur pacem ad plebem suam et sanctos suos.
10 Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus,
ut inhábitet glória in terra nostra. ℟.

11 Misericórdia et véritas obviavérunt sibi,
iustítia et pax osculátæ sunt.
12 Véritas de terra orta est,
et iustítia de cælo prospéxit. ℟.

13 Etenim Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.
14 Iustítia ante eum ambulábit,
et ponet in via gressus suos. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Ecce véniet Rex, Dóminus terræ,
et ipse áuferet iugum captivitátis nostræ.
℟. Allelúia.

Evangelium

Vidimus mirabilia hodie.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 5, 17-26

In una diérum Iesus erat docens, et erant Pharisǽi sedéntes et Legis doctóres qui vénerant ex omni castéllo Galilǽæ et Iudǽæ et Ierúsalem; et virtus Dómini erat ei ad sanándum.

Et ecce viri portántes in lecto hóminem qui erat paralýticus, et quærébant eum inférre et pónere ante eum. Et non inveniéntes qua parte illum inférrent præ turba, ascendérunt supra tectum et per tégulas summisérunt illum cum léctulo in médium ante Iesum. Quorum fidem ut vidit, dixit: « Homo, remittúntur tibi peccáta tua ».

Et cœpérunt cogitáre scribæ et Pharisǽi dicéntes: « Quis est hic qui lóquitur blasphémias? Quis potest dimíttere peccáta, nisi solus Deus? »

Ut cognóvit autem Iesus cogitatiónes eórum, respóndens dixit ad illos: « Quid cogitátis in córdibus vestris? Quid est facílius, dícere: " Dimittúntur tibi peccáta tua ", an dícere: " Surge et ámbula "? Ut autem sciátis quia Fílius hóminis potestátem habet in terra dimíttere peccáta », ait paralýtico: « Tibi dico, surge, tolle léctulum tuum et vade in domum tuam ».

Et conféstim surgens coram illis, tulit in quo iacébat, et ábiit in domum suam magníficans Deum.

Et stupor apprehéndit omnes, et magnificábant Deum, et repléti sunt timóre dicéntes: « Vídimus mirabília hódie ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera,
quæ de tuis offérimus colláta benefíciis,
et, quod nostræ devotióni concédis éffici temporáli,
tuæ nobis fiat prǽmium redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem — Cf. Ps 105, 4-5; Is 38, 3

Veni, Dómine, visitáre nos in pace,
ut lætémur coram te corde perfécto.

Post communionem

Prosint nobis, quǽsumus, Dómine, frequentáta mystéria,
quibus nos, inter prætereúntia ambulántes,
iam nunc instítuis amáre cæléstia et inhærére mansúris.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum Cf. Zac 14, 5. 7

Ecce Dóminus véniet, et omnes sancti eius cum eo;
et erit in die illa lux magna.

Collecta

Deus, qui salutáre tuum cunctis terræ fínibus declarásti,
tríbue, quǽsumus,
ut nativitátis eius glóriam lætánter præstolémur.
Per Dóminum.

Lectio prior

Populum suum Deus consolatur.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 40, 1-11

« Consolámini, consolámini, pópule meus, dicit Deus vester. Loquímini ad cor Ierúsalem et advocáte eam, quóniam compléta est malítia eius, dimíssa est iníquitas illíus, suscépit de manu Dómini duplícia pro ómnibus peccátis suis ».

Vox clamántis in desérto: « Paráte viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. Omnis vallis exaltábitur, et omnis mons et collis humiliábitur, et erunt prava in dirécta et áspera in vias planas, et revelábitur glória Dómini, et vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est ».

Vox dicéntis: « Clama ». Et dixi: « Quid clamábo? » « Omnis caro fenum, et omnis glória eius quasi flos agri.

Exsiccátum est fenum et cécidit flos, quia spíritus Dómini sufflávit in eo. (Vere fenum est pópulus). Exsiccátum est fenum et cécidit flos; verbum autem Dómini nostri manet in ætérnum ».

Super montem excélsum ascénde, tu qui evangelízas Sion; exálta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Ierúsalem; exálta, noli timére, dic civitátibus Iuda:

« Ecce Deus vester, ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, et brácchium eius dominábitur: ecce merces eius cum eo, et opus illíus coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brácchio suo congregábit agnos et in sinu suo levábit, fetas ipse portábit ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 95, 1-2. 3 et 10 ac. 11-12. 13 (℟.: Is 40, 9-10)

℟. Ecce Deus noster in fortitúdine véniet.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
2 Cantáte Dómino, benedícite nómini eius,
annuntiáte de die in diem salutáre eius. ℟.

3 Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius.
10 Dícite in géntibus: « Dóminus regnávit »,
iudicábit pópulos in æquitáte. ℟.

11 Læténtur cæli et exsúltet terra,
sonet mare et plenitúdo eius;
12 gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.
Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum, ℟.

13 a fácie Dómini quia venit,
quóniam venit iudicáre terram.
Iudicábit orbem terræ in iustítia
et pópulos in veritáte sua. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Prope est dies Dómini;
ecce véniet ad salvándum nos. ℟. Allelúia.

Evangelium

Deus non vult pusillos perire.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
18, 12-14

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Quid vobis vidétur? Si fúerint alícui centum oves, et eráverit una ex eis, nonne relínquet nonagínta novem in móntibus, et vadit quǽrere eam quæ errávit? Et si contígerit ut invéniat eam, amen dico vobis quia gaudébit super eam magis quam super nonagínta novem quæ non erravérunt.

Sic non est volúntas ante Patrem vestrum qui in cælis est, ut péreat unus de pusíllis istis ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Placáre, Dómine, quǽsumus,
nostræ précibus humilitátis et hóstiis,
et, ubi nulla súppetunt suffrágia meritórum,
tuæ nobis indulgéntiæ succúrre præsídiis.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem 2 Tim 4, 8

Corónam iustítiæ reddet iustus Iudex
iis qui díligunt advéntum eius.

Post communionem

Repléti cibo spiritális alimóniæ,
súpplices te, Dómine, deprecámur,

ut, huius participatióne mystérii,
dóceas nos terréna sapiénter perpéndere,
et cæléstibus inhærére.
Per Christum.

Feria quarta

Ant. ad introitum Cf. Hab 2, 3; 1 Cor 4, 5

Véniet Dóminus et non tardábit,
et illuminábit abscóndita tenebrárum,
et manifestábit se ad omnes gentes.

Collecta

Omnípotens Deus, qui nos prǽcipis
iter Christo Dómino præparáre,
concéde propítius,
ut nullis infirmitátibus fatigémur,
qui cæléstis médici
consolántem præséntiam sustinémus.
Per Dóminum.

Lectio prior

Dominus omnipotens « dat lasso virtutem ».

Léctio libri Isaíæ prophétæ 40, 25-31

« Cui assimilástis me et adæquástis? », dicit Sanctus. Leváte in excélsum óculos vestros, et vidéte: quis creávit hæc, qui edúcit in número milítiam eórum, et omnes ex nómine vocat? Præ multitúdine fortitúdinis et róboris virtutísque eius, neque unum réliquum fuit.

Quare dicis, Iacob, et lóqueris, Israel: « Abscóndita est via mea a Dómino, et a Deo meo iudícium meum transívit? » Numquid nescis, aut non audísti? Deus sempitérnus Dóminus, qui creávit términos terræ, non defíciet, neque laborábit, nec est investigátio sapiéntæ eius.

Qui dat lasso virtútem, et his qui non sunt fortitúdinem et robur multíplicat.

Defícient púeri et laborábunt, et iúvenes in infirmitáte cadent; qui autem sperant in Dómino mutábunt fortitúdinem, assúment pennas sicut áquilæ, current et non laborábunt, ambulábunt et non defícient.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 1-2. 3-4. 8 et 10 (℟.: 1 a)

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt,
nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
10 Non secúndum peccáta nostra fecit nobis,
neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Ecce véniet Dóminus, ut salvet pópulum suum;
beáti qui paráti sunt occúrrere illi.
℟. Allelúia.

Evangelium

Venite ad me, omnes qui laboratis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
11, 28-30

In illo témpore: Respóndens Iesus dixit:

« Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite iugum meum super vos et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris; iugum enim meum suáve et onus meum leve est ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Devotiónis nostræ tibi, Dómine, quǽsumus,
hóstia iúgiter immolétur,
quæ et sacri péragat institúta mystérii,
et salutáre tuum nobis poténter operétur.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem Is 40, 10; cf. 34, 5

Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum.

Post communionem

Tuam, Dómine, cleméntiam implorámus,
ut hæc divína subsídia, a vítiis expiátos,
ad festa ventúra nos præparent.
Per Christum.

Feria quinta

Ant. ad introitum Cf. Ps 118, 151-152

Prope es tu, Dómine, et omnes viæ tuæ véritas;
inítio cognóvi de testimóniis tuis, quia in ætérnum tu es.

Collecta

Excita, Dómine, corda nostra
ad præparándas Unigéniti tui vias,
ut, per eius advéntum,
purificátis tibi méntibus servíre mereámur.
Per Dóminum.

Lectio prior

Ego sum redemptor tuus, Sanctus Israel.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 41, 13-20

Ego Dóminus Deus tuus apprehéndens manum tuam, dicénsque tibi: « Ne tímeas, ego adiúvi te ».

Noli timére, vermis Iacob, qui mórtui estis ex Israel; ego auxiliátus sum tibi, dicit Dóminus, et redémptor tuus, Sanctus Israel.

Ego pósui te quasi plaustrum tritúrans novum, habens rostra serrántia; triturábis montes et commínues, et colles quasi púlverem pones, ventilábis eos, et ventus tollet, et turbo dispérget eos; et tu exsultábis in Dómino, in Sancto Israel lætáberis.

Egéni et páuperes quærunt aquas, et non sunt; lingua eórum siti áruit. Ego Dóminus exáudiam eos; Deus Israel non derelínquam eos.

Apériam in supínis cóllibus flúmina, et in médio campórum fontes; ponam desértum in stagna aquárum, et terram ínviam in rivos aquárum.

Dabo in solitúdinem cedrum et spinam et myrtum et lignum olívæ; ponam in desérto abíetem, ulmum et buxum simul, ut vídeant, et sciant, et recógitent, et intéllegant páriter, quia manus Dómini fecit hoc, et Sanctus Israel creávit illud.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 144, 1 et 9. 10-11. 12-13 ab (℟.: 8)

℟. Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.

1 Exaltábo te, Deus meus rex,
et benedícam nómini tuo
in sǽculum et in sǽculum sǽculi.
9 Suávis Dóminus univérsis,
et miseratiónes eius super ómnia ópera eius. ℟.
10 Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;
et sancti tui benedícant tibi.
11 Glóriam regni tui dicant,
et poténtiam tuam loquántur, ℟.
12 ut notas fáciant fíliis hóminum poténtias tuas,
et glóriam magnificéntiæ regni tui.
13 Regnum tuum regnum ómnium sæculórum,
et dominátio tua in omnem generatiónem
et generatiónem. ℟.

Alleluia

Is 45, 8

℟. Allelúia. ℣. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum;
aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.
℟. Allelúia.

Evangelium

Non surrexit maior Ioanne Baptista.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
11, 11-15

In illo témpore: Dixit Iesus ad turbas:

« Amen dico vobis: Non surréxit inter natos mulíerum maior Ioánne Baptísta; qui autem minor est in

Regno cælórum, maior est illo. A diébus autem Ioánnis Baptístæ usque nunc Regnum cælórum vim pátitur et violénti rápiunt illud. Omnes enim Prophétæ et Lex usque ad Ioánnem prophetavérunt; et si vultis recípere, ipse est Elías qui ventúrus est.

Qui habet aures áudiat ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera,
quæ de tuis offérimus colláta benefíciis,
et, quod nostræ devotióni concédis éffici temporáli,
tuæ nobis fiat prǽmium redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem — Tit 2, 12-13

Iuste et pie vivámus in hoc sǽculo,
exspectántes beátam spem
et advéntum glóriæ magni Dei.

Post communionem

Prosint nobis, quǽsumus, Dómine, frequentáta mystéria,
quibus nos, inter prætereúntia ambulántes,
iam nunc instítuis amáre cæléstia
et inhærére mansúris.
Per Christum.

Feria sexta

Ant. ad introitum

Ecce Dóminus véniet cum splendóre descéndens
visitáre pópulum suum in pace,
et constitúere super eum vitam sempitérnam.

Collecta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus, plebi tuæ advéntum Unigéniti tui cum summa vigilántia exspectáre,
ut, sicut ipse dócuit auctor nostræ salútis,
accénsis lampádibus in eius occúrsum
vigilántes properémus.
Per Dóminum.

Lectio prior

Utinam attendisses mandata mea!

Léctio libri Isaíæ prophétæ 48, 17-19

Hæc dicit Dóminus, redémptor tuus, Sanctus Israel:

« Ego Dóminus Deus tuus docens te utília, gubérnans te in via, qua ámbulas.

Utinam attendísses mandáta mea! Facta fuísset sicut flumen pax tua, et iustítia tua sicut gúrgites maris! Et fuísset quasi aréna semen tuum, et stirps úteri tui ut lapílli eius; non interísset et non fuísset attrítum nomen eius a fácie mea! » — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 1, 1-2. 3. 4 et 6 (℟.: cf. Io 8, 12)

℟. Qui séquitur te, Dómine, habébit lumen vitæ.

1 Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum,
et in via peccatórum non stetit,
et in convéntu derisórum non sedit;
2 sed in lege Dómini volúntas eius,
et in lege eius meditátur die ac nocte. ℟.

3 Et erit tamquam lignum
plantátum secus decúrsus aquárum,
quod fructum suum dabit in témpore suo;
et fólium eius non défluet,
et ómnia quæcúmque fáciet prosperabúntur. ℟.

Non sic ímpii, non sic,
sed tamquam pulvis quem próicit ventus.
Quóniam novit Dóminus viam iustórum,
et iter impiórum períbit. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Dóminus véniet, occúrrite illi;
ipse est princeps pacis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Neque Ioannem neque Filium hominis audiunt.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
11, 16-19

In illo témpore: Dixit Iesus ad turbas:

« Cui símilem æstimábo generatiónem istam? Símilis est púeris sedéntibus in foro, qui clamántes coæquálibus dicunt: " Cecínimus vobis, et non saltástis; lamentávimus, et non planxístis ".

Venit enim Ioánnes neque mandúcans neque bibens, et dicunt: " Dæmónium habet ". Venit Fílius hóminis mandúcans et bibens, et dicunt: " Ecce homo vorax et potátor vini, publicanórum amícus et peccatórum ". Et iustificáta est sapiéntia ab opéribus suis ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Placáre, Dómine, quǽsumus,
nostræ précibus humilitátis et hóstiis,
et, ubi nulla súppetunt suffrágia meritórum,
tuæ nobis indulgéntiæ succúrre præsídiis.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem Phil 3, 20-21

Salvatórem exspectámus Dóminum Iesum Christum,
qui reformábit corpus humilitátis nostræ,
configurátum córpori claritátis suæ.

Post communionem

Repléti cibo spiritális alimóniæ,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, huius participatióne mystérii,
dóceas nos terréna sapiénter perpéndere,
et cæléstibus inhærére.
Per Christum.

Sabbato

Ant. ad introitum Ps 79, 4. 2

Veni, et osténde nobis fáciem tuam, Dómine,
qui sedes super Chérubim, et salvi érimus.

Collecta

Oriátur, quǽsumus, omnípotens Deus, in córdibus nostris
splendor glóriæ tuæ,
ut, omni noctis obscuritáte subláta,
fílios nos esse lucis Unigéniti tui maniféstet advéntus.
Per Dóminum.

Lectio prior

Iterum veniet Elias.

Léctio libri Sirácidæ 48, 1-4. 9-11

Et surréxit Elías prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in illos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt; non enim póterant sustinére præcépta Dómini.

Verbo Dómini contínuit cælum, et deiécit de cælo ignem ter. Sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis. Et quis potest simíliter sic gloriári tibi?

Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum; qui scriptus es in iudíciis témporum, leníre iracúndiam Dómini, conciliáre cor patris ad fílium, et restitúere tribus Iacob.

Beáti sunt qui te vidérunt, et in amicítia tua decoráti sunt! — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 79, 2 ac et 3 b. 15-16. 18-19 (℟.: 4)

℟. Deus, convérte nos,
illústra fáciem tuam, et salvi érimus.

2 Qui pascis Israel, inténde.
Qui sedes super Chérubim, effúlge.
3 Excita poténtiam tuam, et veni. ℟.

15 Deus virtútum, convértere;
réspice de cælo et vide, et vísita víneam istam.
16 Et prótege eam quam plantávit déxtera tua,
et super fílium hóminis quem confirmásti tibi. ℟.

18 Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ,
super fílium hóminis quem confirmásti tibi.
19 Et non discedémus a te, vivificábis nos,
et nomen tuum invocábimus. ℟.

Alleluia

Lc 3, 4. 6

℟. Allelúia. ℣. Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas eius;
vidébit omnis caro salutáre Dei. ℟. Allelúia.

Evangelium

Elias iam venit, et non cognoverunt eum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
17, 10-13

Descendéntibus illis de monte, interrogavérunt Iesum discípuli dicéntes: « Quid ergo scribæ dicunt quod Elíam opórteat primum veníre? »

At ille respóndens ait: « Elías quidem ventúrus est et restítuet ómnia. Dico autem vobis quia Elías iam venit, et non cognovérunt eum, sed fecérunt in eo quæcúmque voluérunt; sic et Fílius hóminis passúrus est ab eis ».

Tunc intellexérunt discípuli quia de Ioánne Baptísta dixísset eis. — Verbum Dómini.

Super oblata

Devotiónis nostræ tibi, Dómine, quǽsumus,
hóstia iúgiter immolétur,
quæ et sacri péragat institúta mystérii,
et salutáre tuum nobis poténter operétur.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem — Ap. 22, 12

Ecce vénio cito, et merces mea mecum est, dicit Dóminus, dare unicuíque secúndum ópera sua.

Post communionem

Tuam, Dómine, cleméntiam implorámus,
ut hæc divína subsídia, a vítiis expiátos,
ad festa ventúra nos præparent.
Per Christum.

DOMINICA III ADVENTUS

Ant. ad introitum Phil 4, 4. 5

Gaudéte in Dómino semper: íterum dico, gaudéte. Dóminus enim prope est.

Collecta

Deus, qui cónspicis pópulum tuum
nativitátis domínicæ festivitátem fidéliter exspectáre,
præsta, quǽsumus,
ut valeámus ad tantæ salútis gáudia perveníre,
et ea votis sollémnibus álacri semper lætítia celebráre.
Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

Deus ipse veniet et salvabit nos.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 35, 1-6 a. 10

Lætábitur desérta et ínvia, et exsultábit solitúdo et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit et exsultábit lætabúnda et laudans. Glória Líbani data est ei, decor Carméli et Saron; ipsi vidébunt glóriam Dómini et decórem Dei nostri.

Confortáte manus dissolútas, et génua debília roboráte; dícite pusillánimis: « Confortámini et nolíte timére: Ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis: Deus ipse véniet et salvábit vos ».

Tunc aperiéntur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt; tunc sáliet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórum.

Redémpti a Dómino converténtur, et vénient in Sion cum laude, et lætítia sempitérna super caput eórum;

gáudium et lætítiam obtinébunt, et fúgiet dolor et gémitus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 145, 7. 8-9 a. 9 bc-10 (℟.: cf. Is 35, 4)

℟. Veni, Dómine, ad salvándum nos.

vel Allelúia.

7 Qui custódit veritátem in sǽculum,
facit iudícium oppréssis,
dat escam esuriéntibus.
Dóminus solvit compedítos, ℟.

8 Dóminus illúminat cæcos,
Dóminus érigit depréssos,
Dóminus díligit iustos,
9 Dóminus custódit ádvenas, ℟.

pupíllum et víduam susténtat,
et viam peccatórum dispérdit.
10 Regnábit Dóminus in sǽcula,
Deus tuus, Sion,
in generatiónem et generatiónem. ℟.

Lectio secunda

Confirmate corda vestra,
quia adventus Domini appropinquavit.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 5, 7-10

Patiéntes estóte, fratres, usque ad advéntum Dómini. Ecce agrícola exspéctat pretiósum fructum terræ, patiénter ferens donec accípiat imbrem temporáneum et serótinum. Patiéntes estóte et vos, confirmáte corda vestra, quóniam advéntus Dómini appropinquávit.

Nolíte ingemíscere, fratres, in altérutrum, ut non iudicémini; ecce Iudex ante iánuam assístit. Exémplum

accípite, fratres, labóris et patiéntiæ Prophétas, qui locúti sunt in Nómine Dómini. — Verbum Dómini.

Alleluia Is 61, 1

℟. Allelúia. ℣. Spíritus Dómini super me:
evangelizáre paupéribus misit me.
℟. Allelúia.

Evangelium

Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
11, 2-11

In illo témpore:

Ioánnes, cum audísset in vínculis ópera Christi, mittens per discípulos suos ait illi: « Tu es qui ventúrus es an álium exspectámus? »

Et respóndens Iesus ait illis: « Eúntes renuntiáte Ioánni quæ audítis et vidétis: cæci vident et claudi ámbulant, leprósi mundántur et surdi áudiunt, et mórtui resúrgunt et páuperes evangelizántur; et beátus est, qui non fúerit scandalizátus in me ».

Illis autem abeúntibus, cœpit Iesus dícere ad turbas de Ioánne: « Quid exístis in desértum vidére? Harúndinem vento agitátam? Sed quid exístis vidére? Hóminem móllibus vestítum? Ecce qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sunt. Sed quid exístis vidére? Prophétam? Etiam, dico vobis, et plus quam prophétam.

Hic est de quo scriptum est: " Ecce ego mitto ángelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te ". Amen dico vobis: Non surréxit inter natos mulíerum maior Ioánne Baptísta; qui autem minor est in Regno cælórum, maior est illo ».

Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Gaudens gaudebo in Domino.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 61, 1-2 a. 10-11

Spíritus Dómini super me, eo quod únxerit Dóminus me, ad annuntiándum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde, et prædicárem captívis indulgéntiam et clausis apertiónem, ut prædicárem annum placábilem Dómino.

Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis, et induménto iustítiæ circúmdedit me quasi sponsum decorátum coróna et quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum et sicut hortus semen suum gérminat, sic Dóminus Deus germinábit iustítiam et laudem coram univérsis géntibus.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Lc 1, 46-48. 49-50. 53-54 (℟.: Is 61, 10 b)

℟. Exsúltat ánima mea in Deo meo.

46 Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo Salvatóri meo,
48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.
Ecce enim ex hoc beátam me dicent
omnes generatiónes: ℟.

49 quia fecit mihi magna qui potens est,
et sanctum Nomen eius,
50 et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum. ℟.

53 Esuriéntes implévit bonis
et dívites dimísit inánes.

54 Suscépit Israel púerum suum,
memorári misericórdiæ. ℟.

Lectio secunda

Spiritus vester et anima
et corpus in adventu Domini servetur.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Thessalonicénses 5, 16-24

Fratres:

Semper gaudéte, sine intermissióne oráte, in ómnibus grátias ágite; hæc enim volúntas Dei est in Christo Iesu erga vos. Spíritum nolíte exstínguere, prophetías nolíte spérnere; ómnia autem probáte, quod bonum est tenéte, ab omni spécie mala abstinéte vos.

Ipse autem Deus pacis sanctíficet vos per ómnia, ut íntegrer spíritus vester et ánima et corpus sine queréla in advéntu Dómini nostri Iesu Christi servétur. Fidélis est qui vocat vos, qui étiam fáciet.

Verbum Dómini.

Alleluia Is 61, 1

℟. Allelúia. ℣. Spíritus Dómini super me:
evangelizáre paupéribus misit me.
℟. Allelúia.

Evangelium

Medius vestrum stat, quem vos non scitis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
1, 6-8. 19-28

Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioánnes: hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine.

Et hoc est testimónium Ioánnis, quando misérunt ad eum Iudǽi ab Hierosólymis sacerdótes et Levítas ut interrogárent eum: « Tu quis es? » Et conféssus est, et non negávit; et conféssus est: « Non sum ego Christus ».

Et interrogavérunt eum: « Quid ergo? Elías es tu? »

Et dicit: « Non sum ».

« Prophéta es tu? »

Et respóndit: « Non ».

Dixérunt ergo ei: « Quis es? Ut respónsum demus his, qui misérunt nos; quid dicis de te ipso? »

Ait: « Ego vox clamántis in desérto: Dirígite viam Dómini, sicut dixit Isaías prophéta ».

Et qui missi fúerant, erant ex Pharisǽis. Et interrogavérunt eum, et dixérunt ei: « Quid ergo baptízas, si tu non es Christus, neque Elías, neque prophéta? »

Respóndit eis Ioánnes dicens: « Ego baptízo in aqua; médius vestrum stat, quem vos non scitis, qui post me ventúrus est, cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrígiam calceaménti ».

Hæc in Bethánia facta sunt trans Iordánem, ubi erat Ioánnes baptízans. — Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Dominus exsultabit super te in laude.

Léctio libri Sophoníæ prophétæ 3, 14-18 a

Lauda, fília Sion! iúbila, Israel! lætáre et exsúlta in omni corde, fília Ierúsalem! Abstulit Dóminus iudícium tuum, avértit inimícos tuos; rex Israel Dóminus in médio tui, non timébis malum ultra.

In die illa, dicétur Ierúsalem: « Noli timére, Sion; non dissolvántur manus tuæ. Dóminus Deus tuus in mé-

dio tui fortis, ipse salvábit; gaudébit super te in lætítia, silébit in dilectióne sua, exsultábit super te in laude ».
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Is 12, 2-3. 4 bcd. 5-6 (℟.: 6)

℟. Exsúlta et lauda,
quia magnus in médio tui Sanctus Israel.

2 Ecce Deus salvátor meus, fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.
3 Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. ℟.
4 Confitémini Dómino et invocáte nomen eius,
notas fácite in pópulis adinventiónes eius,
mementóte quóniam excélsum est nomen eius. ℟.
5 Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit,
annuntiáte hoc in univérsa terra.
6 Exsúlta et lauda, habitátio Sion,
quia magnus in médio tui Sanctus Israel. ℟.

Lectio secunda

Dominus prope.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses
4, 4-7

Fratres:

Gaudéte in Dómino semper; íterum dico: gaudéte! Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus. Dóminus prope. Nihil sollíciti sitis, sed in ómnibus oratióne et obsecratióne cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum.

Et pax Dei quæ exsúperat omnem sensum, custódiet corda vestra et intellegéntias vestras in Christo Iesu.
Verbum Dómini.

Alleluia

Is 61, 1

℟. Alleluia. ℣. Spíritus Dómini super me:
evangelizáre paupéribus misit me.
℟. Alleluia.

Evangelium

Quid faciemus et nos?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 3, 10-18

In illo témpore:

Interrogábant turbæ Ioánnem, dicéntes: « Quid ergo faciémus? »

Respóndens autem dicébat illis: « Qui habet duas túnicas det non habénti; et qui habet escas simíliter fáciat ».

Venérunt autem et publicáni ut baptizaréntur, et dixérunt ad illum: « Magíster, quid faciémus? »

At ille dixit ad eos: « Nihil ámplius quam constitútum est vobis faciátis ».

Interrogábant autem eum et mílites dicéntes: « Quid faciémus et nos? »

Et ait illis: « Néminem concutiátis, neque calúmniam faciátis, et conténti estóte stipéndiis vestris ».

Existimánte autem pópulo et cogitántibus ómnibus in córdibus suis de Ioánne, ne forte ipse esset Christus, respóndit Ioánnes dicens ómnibus:

« Ego quidem aqua baptízo vos: venit autem fórtior me, cuius non sum dignus sólvere corrígiam calceamentórum eius: ipse vos baptizábit in Spíritu Sancto et igni: cuius ventilábrum in manu eius, ad purgándam áream suam et ad congregándum tríticum in hórreum suum, páleas autem combúret igni inexstinguíbili ».

Multa quidem et ália exhórtans evangelizábat pópulum. — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Devotiónis nostræ tibi, Dómine, quǽsumus,
hóstia iúgiter immolétur,
quæ et sacri péragat institúta mystérii,
et salutáre tuum nobis poténter operétur.
Per Christum.

Præfatio I vel II de Adventu, pp. 745-746.

Ant. ad communionem Cf. Is 35, 4

Dícite: Pusillánimes, confortámini et nolíte timére:
ecce Deus noster véniet et salvábit nos.

Post communionem

Tuam, Dómine, cleméntiam implorámus,
ut hæc divína subsídia, a vítiis expiátos,
ad festa ventúra nos præparent.
Per Christum.

Feria secunda

Nisi hæc dies a 17 ad 24 decembris occurrat, quia tunc sumuntur textus his diebus assignati, p. 258, omissis iis quæ sequuntur.

Ant. ad introitum Cf. Ier 31, 10; Is 35, 4

Audíte verbum Dómini, gentes,
et annuntiáte illud in fínibus terræ:
Ecce Salvátor noster advéniet, et iam nolíte timére.

Collecta

Voci nostræ, quǽsumus, Dómine,
aures tuæ pietátis accómmoda,
et cordis nostri ténebras
grátia Fílii tui nos visitántis illústra.
Per Dóminum.

Lectio prior

Orietur stella ex Iacob.

Léctio libri Númeri 24, 2-7. 15-17 a

In diébus illis:

Bálaam élevans óculos vidit Israel in tentóriis commorántem per tribus suas; et irruénte in se spíritu Dei, assúmpta parábola, ait:

« Dixit Bálaam, fílius Beor, dixit homo, cuius obturátus est óculus; dixit audítor sermónum Dei, qui visiónem Omnipoténtis intúitus est, qui cadit, et sic aperiúntur óculi eius.

Quam pulchra tabernácula tua, Iacob! et tentória tua, Israel! Ut valles nemorósæ, ut horti iuxta flúvios irrígui, ut tabernácula, quæ fixit Dóminus, quasi cedri prope aquas. Fluet aqua de sítula eius, et semen illíus erit in aquas multas. Tollétur propter Agag rex eius, et auferétur regnum illíus ».

Sumpta ígitur parábola, rursum ait:

« Dixit Bálaam, fílius Beor, dixit homo, cuius obturátus est óculus; dixit audítor sermónum Dei, qui novit doctrínam Altíssimi et visiónes Omnipoténtis videt, qui cadens apértos habet óculos.

Vidébo eum, sed non modo; intuébor illum, sed non prope. Oriétur stella ex Iacob, et consúrget virga de Israel; et percútiet duces Moab, vastabítque omnes fílios Seth ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 24, 4 bc-5 ab. 6-7 bc. 8-9 (℟.: 4 b)

℟. Sémitas tuas, Dómine, édoce me.

4 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi,
et sémitas tuas édoce me.

5 Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus salútis meæ. ℟.
6 Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,
et misericordiárum tuárum, quóniam a sǽculo sunt.
7 Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu,
propter bonitátem tuam, Dómine. ℟.
8 Dulcis et rectus Dóminus,
propter hoc peccatóres viam docébit;
9 díriget mansuétos in iudício,
docébit mites vias suas. ℟.

Alleluia — Ps 84, 8

℟. Allelúia. ℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam,
et salutáre tuum da nobis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Baptismum Ioannis unde erat?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 21, 23-27

In illo témpore:

Cum venísset Iesus in templum, accessérunt ad eum docéntem príncipes sacerdótum et senióres pópuli dicéntes: « In qua potestáte hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestátem? »

Respóndens autem Iesus dixit illis: « Interrogábo vos et ego unum sermónem, quem si dixéritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestáte hæc fácio: baptísmum Ioánnis unde erat? A cælo an ex homínibus? »

At illi cogitábant inter se dicéntes: « Si dixérimus: " E cælo ", dicet nobis: " Quare ergo non credidístis illi? "; si autem dixérimus: " Ex homínibus ", timémus turbam; omnes enim habent Ioánnem sicut prophétam ».

Et respondéntes Iesu dixérunt: « Nescímus ».

Ait illis et ipse: « Nec ego dico vobis in qua potestáte hæc fácio ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera,
quæ de tuis offérimus colláta benefíciis,
et, quod nostræ devotióni concédis éffici temporáli,
tuæ nobis fiat prǽmium redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem — Cf. Ps 105, 4-5; Is 38, 3

Veni, Dómine, visitáre nos in pace,
ut lætémur coram te corde perfécto.

Post communionem

Prosint nobis, quǽsumus, Dómine, frequentáta mystéria,
quibus nos, inter prætereúntia ambulántes,
iam nunc instítuis amáre cæléstia et inhærére mansúris.
Per Christum.

Feria tertia

Nisi hæc dies a 17 ad 24 decembris occurrat, quia tunc sumuntur textus his diebus assignati, p. 258, omissis iis quæ sequuntur.

Ant. ad introitum — Cf. Zac 14, 5. 7

Ecce Dóminus véniet, et omnes sancti eius cum eo;
et erit in die illa lux magna.

Collecta

Deus, qui novam creatúram
per Unigénitum tuum nos esse fecísti,
in ópera misericórdiæ tuæ propítius intuére,
et in advéntu Fílii tui
ab ómnibus nos máculis vetustátis emúnda.
Per Dóminum.

Lectio prior

Salus messianica omnibus pauperibus promittitur.

Léctio libri Sophoníæ prophétæ 3, 1-2. 9-13

Hæc dicit Dóminus:

« Væ provocátrix et redémpta cívitas, colúmba! Non audívit vocem et non suscépit disciplínam, in Dómino non est confísa, ad Deum suum non appropinquávit.

Tunc reddam pópulis lábium eléctum, ut ínvocent omnes in nómine Dómini et sérviant ei húmero uno. Ultra flúmina Æthiópiæ inde súpplices mei; fílii dispersórum meórum déferent munus mihi.

In die illa, non confundéris super cunctis adinventiónibus tuis, quibus prævaricáta es in me; quia tunc áuferam de médio tui magníloquos supérbiæ tuæ, et non adícies exaltári ámplius in monte sancto meo. Et derelínquam in médio tui pópulum páuperem et egénum, et sperábunt in nómine Dómini.

Relíquiæ Israel non fácient iniquitátem nec loquéntur mendácium, et non inveniétur in ore eórum lingua dolósa, quóniam ipsi pascéntur et accubábunt, et non erit qui extérreat ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 33, 2-3. 6-7. 17-18. 19 et 23 (℟.: 7 a)

℟. Pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum.

2 Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.
3 In Dómino gloriábitur ánima mea,
áudiant mansuéti et læténtur. ℟.

6 Respícite ad eum, et illuminámini,
et fácies vestræ non confundéntur.
7 Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum,
et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum. ℟.

17 Vultus autem Dómini super faciéntes mala,
ut perdat de terra memóriam eórum.
18 Clamavérunt, et Dóminus exaudívit,
et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℟.
19 Iuxta est Dóminus iis qui contríto sunt corde,
et confráctos spíritu salvábit.
23 Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum,
et non puniéntur omnes qui sperant in eo. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Veni, Dómine, et noli tardáre;
reláxa facínora plebis tuæ. ℟. Allelúia.

Evangelium

Venit Ioannes, et peccatores crediderunt ei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
21, 28-32

In illo témpore: Dixit Iesus princípibus sacerdótum et senióribus pópuli:

« Quid vobis vidétur? Homo quidam habébat duos fílios. Et accédens ad primum dixit: “ Fili, vade hódie operáre in vínea ”. Ille autem respóndens ait: “ Nolo ”, póstea autem pæniténtia motus ábiit. Accédens autem ad álterum, dixit simíliter. At ille respóndens ait: “ Eo, dómine ”, et non ivit. Quis ex duóbus fecit voluntátem patris? » Dicunt: « Primus ».

Dicit illis Iesus: « Amen dico vobis: Publicáni et meretríces præcédunt vos in Regnum Dei. Venit enim ad vos Ioánnes in via iustítiæ, et non credidístis ei; publicáni autem et meretríces credidérunt ei; vos autem vidéntes nec pæniténtiam habuístis póstea ut crederétis ei ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Placáre, Dómine, quǽsumus,
nostræ précibus humilitátis et hóstiis,
et, ubi nulla súppetunt suffrágia meritórum,
tuæ nobis indulgéntiæ succúrre præsídiis.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem 2 Tim 4, 8

Corónam iustítiæ reddet iustus Iudex
iis qui díligunt advéntum eius.

Post communionem

Repléti cibo spiritális alimóniæ,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, huius participatióne mystérii,
dóceas nos terréna sapiénter perpéndere,
et cæléstibus inhærére.
Per Christum.

Feria quarta

Nisi hæc dies a 17 ad 24 decembris occurrat, quia tunc sumuntur textus his diebus assignati, p. 258, omissis iis quæ sequuntur.

Ant. ad introitum Cf. Hab 2, 3; 1 Cor 4, 5

Véniet Dóminus et non tardábit,
et illuminábit abscóndita tenebrárum,
et manifestábit se ad omnes gentes.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut Fílii tui ventúra sollémnitas
et præséntis nobis vitæ remédia largiátur,
et prǽmia ætérna concédat.
Per Dóminum.

Lectio prior

Rorate, cæli, desuper!

Léctio libri Isaíæ prophétæ 45, 6 b-8. 18. 21 b-26

« Ego Dóminus, et non est alter; formans lucem et creans ténebras, fáciens pacem et creans malum: ego Dóminus fáciens ómnia hæc.

Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum! Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem, et iustítia oriátur simul! Ego Dóminus creávi eum ».

Quia hæc dicit Dóminus creans cælos, ipse Deus formans terram et fáciens eam, ipse plastes eius; non in vanum creávit eam, ut habitarétur formávit eam: « Ego Dóminus, et non est álius.

Numquid non ego Dóminus, et non est ultra Deus absque me? Deus iustus et salvans non est præter me. Convertímini ad me, et salvi éritis, omnes fines terræ, quia ego Deus, et non est álius.

In memetípso iurávi; egrediétur de ore meo iustítiæ verbum et non revertétur; quia mihi curvábitur omne genu, et iurábit omnis lingua. Ergo in Dómino, dicet, meæ sunt iustítiæ et impérium; ad eum vénient et confundéntur omnes qui repúgnant ei. In Dómino iustificábitur et laudábitur omne semen Israel ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 84, 9 ab-10. 11-12. 13-14 (℟.: Is 45, 8)

℟. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum.

9 Audiam quid loquátur Dóminus Deus,
quóniam loquétur pacem ad plebem suam et sanctos suos.
10 Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus,
ut inhábitet glória in terra nostra. ℟.

11 Misericórdia et véritas obviavérunt sibi,
iustítia et pax osculátæ sunt.
12 Véritas de terra orta est,
et iustítia de cælo prospéxit. ℟.

13 Etenim Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.
14 Iustítia ante eum ambulábit,
et ponet in via gressus suos. ℟.

Alleluia Is 40, 9-10

℟. Allelúia. ℣. Exálta in fortitúdine vocem tuam,
tu qui evangelízas;
ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet.
℟. Allelúia.

Evangelium

Nuntiate Ioanni quæ vidistis et audistis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 7, 19-23

In illo témpore:

Convocávit duos de discípulis suis Ioánnes et misit ad Dóminum dicens: « Tu es qui ventúrus es an álium exspectámus? » Cum autem venîssent ad eum viri, dixérunt: « Ioánnes Baptísta misit nos ad te dicens: " Tu es qui ventúrus es an álium exspectámus? " »

In ipsa hora curávit multos a languóribus et plagis et spirítibus malis, et cæcis multis donávit visum. Et respóndens dixit illis:

« Eúntes nuntiáte Ioánni quæ vidístis et audístis: cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundántur et surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur: et beátus est quicúmque non fúerit scandalizátus in me ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Devotiónis nostræ tibi, Dómine, quǽsumus,
hóstia iúgiter immolétur,
quæ et sacri péragat institúta mystérii,
et salutáre tuum nobis poténter operétur.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem Is 40, 10; cf. 34, 5

Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum.

Post communionem

Tuam, Dómine, cleméntiam implorámus,
ut hæc divína subsídia, a vítiis expiátos,
ad festa ventúra nos præparent.
Per Christum.

Feria quinta

Nisi hæc dies a 17 ad 24 decembris occurrat, quia tunc sumuntur textus his diebus assignati, p. 258, omissis iis quæ sequuntur.

Ant. ad introitum Cf. Ps 118, 151-152

Prope es tu, Dómine, et omnes viæ tuæ véritas;
inítio cognóvi de testimóniis tuis,
quia in ætérnum tu es.

Collecta

Indígnos, quǽsumus, Dómine, nos fámulos tuos,
quos actiónis própriæ culpa contrístat,
Unigéniti tui advéntu salutári lætífica.
Per Dóminum.

Lectio prior

Ut mulierem derelictam vocavit te Dominus.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 54, 1-10

Lauda, stérilis, quæ non paris, decánta laudem, et hinni quæ non pariébas; quóniam multi fílii desértæ magis quam eius quæ habet virum, dicit Dóminus. Diláta locum tentórii tui, et pelles tabernaculórum tuórum exténde, ne parcas, longos fac funículos tuos et clavos tuos consólida. Ad déxteram enim et ad lævam penetrábis, et semen tuum gentes hereditábit, et civitátes desértas inhabitábit.

Noli timére quia non confundéris, neque erubésces; non enim te pudébit, quia confusiónis adolescéntiæ tuæ obliviscéris, et oppróbrii viduitátis tuæ non recordáberis ámplius. Quia dominábitur tui qui fecit te, Dóminus exercítuum nomen eius, et redémptor tuus, Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocábitur.

Quia ut mulíerem derelíctam et mæréntem spíritu vocávit te Dóminus, et uxórem ab adolescéntia abiéctam, dixit Deus tuus. Ad punctum in módico derelíqui te, et in miseratiónibus magnis congregábo te. In moménto indignatiónis abscóndi fáciem meam parúmper a te, et in misericórdia sempitérna misértus sum tui, dixit redémptor tuus Dóminus.

Sicut in diébus Noe istud mihi est, cui iurávi ne indúcerem aquas Noe ultra supra terram; sic iurávi ut non iráscar tibi, et non íncrepem te. Montes enim commovebúntur, et colles contremíscent; misericórdia autem mea non recédet a te, et fœdus pacis meæ non movébitur, dixit miserátor tuus Dóminus.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 29, 2 et 4. 5-6. 11-12 a et 13 b (℟.: 2 a)

℟. Exaltábo te, Dómine, quóniam extraxísti me.

2 Exaltábo te, Dómine, quóniam extraxísti me,
nec delectásti inimícos meos super me.
4 Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam,
vivificásti me, ut non descénderem in lacum. ℟.

5 Psállite Dómino, sancti eius,
et confitémini memóriæ sanctitátis eius.
6 Quóniam ad moméntum indignátio eius,
et per vitam volúntas eius.
Ad vésperum demorátur fletus,
ad matutínum lætítia. ℟.

11 Audi, Dómine, et miserére mei,
Dómine, esto mihi adiútor.
12 Convertísti planctum meum in choros mihi,
13 Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi. ℟.

Alleluia

Lc 3, 4. 6

℟. Allelúia. ℣. Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas eius;
vidébit omnis caro salutáre Dei.
℟. Allelúia.

Evangelium

Ioannes est angelus qui præparat viam Domini.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 7, 24-30

Cum discessíssent núntii Ioánnis, cœpit Iesus dícere de Ioánne ad turbas:

« Quid exístis in desértum vidére? Harúndinem vento movéri? Sed quid exístis vidére? Hóminem móllibus

vestiméntis indútum? Ecce qui in veste pretiósa sunt et delíciis, in dómibus regum sunt. Sed quid exístis vidére? Prophétam? Utique dico vobis, et plus quam prophétam.

Hic est de quo scriptum est: « Ecce mitto ángelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te ».

Dico vobis: Maior inter natos mulíerum Ioánne nemo est; qui autem minor est in Regno Dei maior est illo ».

Et omnis pópulus áudiens et publicáni iustificavérunt Deum, baptizáti baptísmo Ioánnis; Pharisǽi autem et Legis períti consílium Dei sprevérunt in semetípsos, non baptizáti ab eo. — Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera,
quæ de tuis offérimus colláta benefíciis,
et, quod nostræ devotióni concédis éffici temporáli,
tuæ nobis fiat prǽmium redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem — Tit 2, 12-13

Iuste et pie vivámus in hoc sǽculo,
exspectántes beátam spem
et advéntum glóriæ magni Dei.

Post communionem

Prosint nobis, quǽsumus, Dómine, frequentáta mystéria,
quibus nos, inter prætereúntia ambulántes,
iam nunc instítuis amáre cæléstia et inhærére mansúris.
Per Christum.

Feria sexta

Nisi hæc dies a 17 ad 24 decembris occurrat, quia tunc sumuntur textus his diebus assignati, p. 258, omissis iis quæ sequuntur.

Ant. ad introitum

Ecce Dóminus véniet cum splendóre descéndens
visitáre pópulum suum in pace,
et constitúere super eum vitam sempitérnam.

Collecta

Prævéniat nos, omnípotens Deus,
tua grátia semper atque subsequátur,
ut, qui advéntum Unigéniti tui
summo cordis desidério sustinémus,
et præséntis vitæ subsídia et futúræ páriter consequámur.
Per Dóminum.

Lectio prior

Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 56, 1-3 a. 6-8

Hæc dicit Dóminus:

« Custodíte iudícium, et fácite iustítiam, quia iuxta est salus mea ut véniat, et iustítia mea ut revelétur. Beátus vir qui facit hoc, et fílius hóminis qui apprehéndit istud, custódiens sábbatum ne pólluat illud, custódiens manus suas ne fáciat omne malum. Et non dicat fílius ádvenæ, qui adhǽret Dómino dicens: " Separatióne dívidet me Dóminus a pópulo suo "; et non dicat eunúchus: " Ecce ego lignum áridum ".

Et fílios ádvenæ, qui adhǽrent Dómino, ut colant eum et díligant nomen eius, ut sint ei in servos, omnem custodiéntem sábbatum ne pólluat illud, et tenéntem fœdus meum, addúcam eos in montem sanctum meum, et

lætificábo eos in domo oratiónis meæ; holocáusta eórum et víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo, quia domus mea domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis ».

Ait Dóminus Deus, qui cóngregat dispérsos Israel: « Adhuc congregábo ad eum congregátos eius ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 66, 2-3. 5. 7-8 (℟.: 4)

℟. Confiteántur tibi pópuli, Deus,
confiteántur tibi pópuli omnes.

2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis;
illúminet vultum suum super nos.
3 Ut cognoscátur in terra via tua,
in ómnibus géntibus salutáre tuum. ℟.

5 Læténtur et exsúltent gentes,
quóniam iúdicas pópulos in æquitáte,
et gentes in terra dírigis. ℟.

7 Terra dedit fructum suum;
benedícat nos Deus, Deus noster;
8 benedícat nos Deus,
et métuant eum omnes fines terræ. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Veni, Dómine, visitáre nos in pace,
ut lætémur coram te corde perfécto.
℟. Allelúia.

Evangelium

Ioannes est lucerna ardens et lucens.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 5, 33-36

In illo témpore: Dixit Iesus Iudæis:

« Vos misístis ad Ioánnem et testimónium perhíbuit veritáti; ego autem non ab hómine testimónium accípio,

sed hæc dico ut vos salvi sitis. Ille erat lucérna ardens et lucens, vos autem voluístis exsultáre ad horam in luce eius.

Ego autem hábeo testimónium maius Ioánne; ópera enim, quæ dedit mihi Pater ut perfíciam ea, ipsa ópera, quæ ego fácio, testimónium pérhibent de me quia Pater me misit ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Placáre, Dómine, quǽsumus,
nostræ précibus humilitátis et hóstiis,
et, ubi nulla súppetunt suffrágia meritórum,
tuæ nobis indulgéntiæ succúrre præsídiis.
Per Christum.

Præfatio I de Adventu, p. 745.

Ant. ad communionem Phil 3, 20-21

Salvatórem exspectámus Dóminum Iesum Christum,
qui reformábit corpus humilitátis nostræ,
configurátum córpori claritátis suæ.

Post communionem

Replére cibo spiritális alimóniæ,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, huius participatióne mystérii,
dóceas nos terréna sapiénter perpéndere,
et cæléstibus inhærére.
Per Christum.

DOMINICA IV ADVENTUS

Ant. ad introitum — Is 45, 8

Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum;
aperiátur terra et gérminet Salvatórem.

Collecta

Grátiam tuam, quǽsumus, Dómine,
méntibus nostris infúnde,
ut qui, Angelo nuntiánte,
Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus,
per passiónem eius et crucem
ad resurrectiónis glóriam perducámur.
Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

Ecce virgo concipiet.

Léctio libri Isaíæ prophétæ — 7, 10-14

In diébus illis:

Locútus est Dóminus ad Achaz dicens: « Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni sive in excélsum supra ».

Et dixit Achaz: « Non petam et non tentábo Dóminum ».

Et dixit Isaías: « Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel, quia Nobíscum-Deus ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 23, 1-2. 3-4 ab. 5-6 (℟.: cf. 7 c et 10 b)

℟. Introíbit Dóminus: ipse est rex glóriæ.

1 Dómini est terra et plenitúdo eius,
orbis terrárum et qui hábitant in eo.
2 Quia ipse super mária fundávit eum,
et super flúmina firmávit eum. ℟.

3 Quis ascéndet in montem Dómini,
aut quis stabit in loco sancto eius?
4 Innocens mánibus et mundo corde,
qui non accépit in vanum nomen eius. ℟.

5 Hic accípiet benedictiónem a Dómino,
et iustificatiónem a Deo salutári suo.
6 Hæc est generátio quæréntium eum,
quæréntium fáciem Dei Iacob. ℟.

Lectio secunda

Iesus Christus, ex semine David, Filius Dei.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 1, 1-7

Paulus, servus Christi Iesu, vocátus apóstolus, segregátus in Evangélium Dei, quod ante promíserat per Prophétas suos in Scriptúris sanctis de Fílio suo, qui factus est ex sémine David secúndum carnem.

Qui constitútus est Fílius Dei in virtúte secúndum Spíritum sanctificatiónis ex resurrectióne mortuórum, Iesu Christo Dómino nostro, per quem accépimus grátiam et apostolátum ad obœditiónem fídei in ómnibus géntibus pro Nómine eius, in quibus estis et vos vocáti Iesu Christi.

Omnibus qui sunt Romæ diléctis Dei, vocátis sanctis, grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo. — Verbum Dómini.

Alleluia Mt 1, 23

℟. Allelúia. ℣. Ecce virgo in útero habébit et páriet fílium;
et vocábunt nomen eius Emmánuel,
Nobíscum-Deus. ℟. Allelúia.

Evangelium

Iesus nascetur de Maria, desponsata Ioseph, filio David.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
1, 18-24

Iesu Christi generátio sic erat.

Cum esset desponsáta mater eius María Ioseph, ántequam convenírent invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

Hæc autem eo cogitánte, ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens: « Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium, et vocábis nomen eius Iesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum ».

Hoc autem totum factum est ut adimplerétur id quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: « Ecce virgo in útero habébit et páriet fílium, et vocábunt nomen eius Emmánuel, quod est interpretátum Nobíscum-Deus ».

Exsúrgens autem Ioseph a somno, fecit sicut præcépit ei ángelus Dómini, et accépit cóniugem suam.

Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Regnum David erit usque in æternum ante faciem Domini.

Léctio libri secúndi Samuélis 7, 1-5. 8 b-12. 14 a. 16

Factum est cum sedísset David rex in domo sua, et Dóminus dedísset ei réquiem úndique ab univérsis inimícis suis, dixit ad Nathan prophétam: « Vidésne quod ego hábitem in domo cédrina, et arca Dei pósita sit in médio péllium ».

Dixítque Nathan ad regem: « Omne quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dóminus tecum est ».

Factum est autem in illa nocte, et ecce sermo Dómini ad Nathan dicens: « Vade et lóquere ad servum meum David: " Hæc dicit Dóminus: Numquid tu ædificábis mihi domum ad habitándum?

Ego tuli te de páscuis sequéntem greges, ut esses dux super pópulum meum Israel, et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti, et interféci univérsos inimícos tuos a fácie tua; fecíque tibi nomen grande iuxta nomen magnórum qui sunt in terra.

Et ponam locum pópulo meo Israel, et plantábo eum, et habitábit sub eo, et non turbábitur ámplius; nec addent fílii iniquitátis ut afflígant eum sicut prius, ex die qua constítui iúdices super pópulum meum Israel.

Et réquiem dabo tibi ab ómnibus inimícis tuis, prædicítque tibi Dóminus quod domum fáciat tibi Dóminus.

Cumque compléti fúerint dies tui et dormíeris cum pátribus tuis, suscitábo semen tuum post te quod egrediétur de útero tuo; et firmábo regnum eius. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in fílium.

Et fidélis erit domus tua et regnum tuum usque in ætérnum ante fáciem tuam, et thronus tuus erit firmus iúgiter " ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 88, 2-3. 4-5. 27 et 29 (℟.: cf. 2 a)

℟. Misericórdias tuas, Dómine, in ætérnum cantábo.

2 Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo,
in generatiónem et generatiónem
annuntiábo veritátem tuam in ore meo.
3 Quóniam dixísti:
« In ætérnum misericórdia ædificábitur »,
in cælis firmábitur véritas tua. ℟.

4 « Dispósui testaméntum elécto meo,
iurávi David servo meo:
5 Usque in ætérnum confirmábo semen tuum,
et ædificábo in generatiónem et generatiónem
sedem tuam ». ℟.

27 Ipse invocábit me: Pater meus es tu,
Deus meus et refúgium salútis meæ.
29 In ætérnum servábo illi misericórdiam meam,
et testaméntum meum fidéle ipsi. ℟.

Lectio secunda

Mysterium temporibus æternis tacitum nunc patefactum est.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
16, 25-27

Fratres:

Ei qui potens est vos confirmáre iuxta Evangélium meum et prædicatiónem Iesu Christi secúndum revelatiónem mystérii tempóribus ætérnis táciti, manifestáti autem nunc, et per Scriptúras Prophetárum secúndum præcéptum ætérni Dei ad obœditiónem fídei in cunctis géntibus patefácti, soli sapiénti Deo per Iesum Christum, cui glória in sæcula. Amen. — Verbum Dómini.

Alleluia — Lc 1, 38

℟. Allelúia. ℣. Ecce ancílla Dómini:
fiat mihi secúndum verbum tuum.
℟. Allelúia.

Evangelium

Ecce concipies in utero et paries filium.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In illo témpore:

Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro cui nomen erat Ioseph de domo David, et nomen vírginis María.

Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus tecum ». Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et cogitábat qualis esset ista salutátio.

Et ait Angelus ei: « Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: et ecce concípies in útero et páries fílium, et vocábis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris eius, et regnábit super domum Iacob in ætérnum, et Regni eius non erit finis ».

Dixit autem María ad Angelum: « Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? »

Et respóndens Angelus dixit ei: « Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque et quod nascétur Sanctum vocábitur, Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua et ipsa concépit fílium in senécta sua, et hic mensis est sextus illi quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini: fiat mihi secúndum verbum tuum ». Et discéssit ab illa Angelus.
Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Ex te egredietur dominator in Israel.

Léctio libri Michǽæ prophétæ 5, 2-5 a

Hæc dicit Dóminus:

« Et tu, Béthlehem Ephrata, párvulus es in mílibus Iuda: ex te mihi egrediétur qui sit dominátor in Israel, et egréssus eius ab inítio, a diébus æternitátis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo partúriens páriet; et relíquiæ fratrum eius converténtur ad fílios Israel. Et stabit, et pascet in fortitúdine Dómini, in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui.

Et converténtur, quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ. Et erit iste pax ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 79, 2 ac et 3 b. 15-16. 18-19 (℟.: 4)

℟. Deus, convérte nos,
illústra fáciem tuam, et salvi érimus.

2 Qui pascis Israel, inténde,
qui sedes super Chérubim, effúlge.
3 Excita poténtiam tuam, et veni,
ut salvos fácias nos. ℟.

15 Deus virtútum, convértere;
réspice de cælo et vide, et vísita víneam istam.
16 Et prótege eam quam plantávit déxtera tua,
et super fílium hóminis quem confirmásti tibi. ℟.

18 Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ,
super fílium hóminis quem confirmásti tibi.
19 Et non discedémus a te, vivificábis nos,
et nomen tuum invocábimus. ℟.

Lectio secunda

Ecce venio ut faciam voluntatem tuam.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 10, 5-10

Fratres:

Ingrédiens mundum Christus dicit: « Hóstiam et oblatiónem noluísti, corpus autem aptásti mihi: holocaustómata et sacrifícia pro peccáto non tibi placuérunt. Tunc dixi: Ecce vénio, in capítulo libri scriptum est de me, ut fáciam, Deus, voluntátem tuam ».

Supérius dicens: « Hóstias et oblatiónes et holocaustómata et sacrifícia pro peccáto noluísti, nec placuérunt tibi » quæ secúndum Legem offerúntur, tunc dixit: « Ecce vénio ut fáciam voluntátem tuam ». Aufert primum ut secúndum státuat; in qua voluntáte sanctificáti sumus per oblatiónem córporis Christi Iesu semel.

Verbum Dómini.

Alleluia

Lc 1, 38

℟ Allelúia. ℣. Ecce ancílla Dómini:
fiat mihi secúndum verbum tuum.
℟. Allelúia.

Evangelium

Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 39-45

Exsúrgens María in diébus illis ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Iudæ, et intrávit in domum Zacharíæ et salutávit Elísabeth.

Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius, et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, et exclamávit voce magna et dixit:

« Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta quæ crédidit, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt ei a Dómino ». — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Altári tuo, Dómine, superpósita múnera
Spíritus ille sanctíficet,
qui beátæ Maríæ víscera sua virtúte replévit.
Per Christum.

Præfatio II de Adventu, p. 746.

Ant. ad communionem — Is 7, 14

Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium;
et vocábitur nomen eius Emmánuel.

Post communionem

Sumpto pígnore redemptiónis ætérnæ,
quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, quanto magis dies salutíferæ festivitátis accédit,
tanto devótius proficiámus
ad Fílii tui digne nativitátis mystérium celebrándum.
Per Christum.

IN FERIIS ADVENTUS

a die 17 ad diem 24 decembris

Missæ quæ sequuntur diebus quibus sunt assignatæ adhibentur, excepta dominica, quæ suam Missam retinet.

Die 17 decembris

Ant. ad introitum Cf. Is 49, 13

Læténtur cæli et exsúltet terra,
quia Dóminus noster véniet,
et páuperum suórum miserébitur.

Collecta

Deus, humánæ cónditor et redémptor natúræ,
qui Verbum tuum in útero perpétuæ virginitátis
carnem assúmere voluísti,
réspice propítius ad preces nostras,
ut Unigénitus tuus, nostra humanitáte suscépta,
nos divíno suo consórtio sociáre dignétur. Per Dóminum.

Lectio prior

Non auferetur sceptrum de Iuda.

Léctio libri Génesis 49, 2. 8-12

In diébus illis: Vocávit Iacob fílios suos et ait eis:

« Congregámini, ut annúntiem quæ ventúra sunt vobis in diébus novíssimis. Congregámini et audíte, fílii Iacob, audíte Israel patrem vestrum.

Iuda, te laudábunt fratres tui; manus tua in cervícibus inimicórum tuórum, adorábunt te fílii patris tui. Cátulus leónis Iuda. Ad prædam, fili mi, ascendísti. Requiéscens accubuísti ut leo et quasi leǽna: quis suscitábit eum?

Non auferétur sceptrum de Iuda et dux de fémore eius, donec véniat qui mitténdus est; et ipse erit exspectátio géntium ».
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 71, 1-2. 3-4 ab. 7-8. 17 (℟.: cf. 7)

℟. Florébit in diébus eius iustítia
et abundántia pacis in ætérnum.

1 Deus, iudícium tuum regi da,
et iustítiam tuam fílio regis;
2 iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

3 Afferant montes pacem pópulo,
et colles iustítiam.
4 Iudicábit páuperes pópuli,
et salvos fáciet fílios ínopis. ℟.

7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare,
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

17 Sit nomen eius benedíctum in sæcula,
ante solem permanébit nomen eius.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificábunt eum. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Sapiéntia Altíssimi,
fórtiter suavitérque dispónens ómnia:
veni ad docéndum nos viam prudéntiæ.
℟. Allelúia.

Loco versus ante Evangelium, qui singulis diebus proponitur, alius adhiberi potest ex iis qui infra, p. 717, inveniuntur.

Evangelium

Genealogia Iesu Christi, filii David.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 1, 1-17

Liber generatiónis Iesu Christi, fílii David, fílii Abraham.

Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Iacob, Iacob autem génuit Iudam et fratres eius, Iudas autem génuit Phares et Zara de Thamar, Phares autem génuit Esrom, Esrom autem génuit Aram, Aram autem génuit Amínadab, Amínadab autem génuit Naásson, Naásson autem génuit Salmon, Salmon autem génuit Booz de Rahab, Booz autem génuit Iobed ex Ruth, Iobed autem génuit Iesse, Iesse autem génuit David regem.

David autem rex génuit Salomónem ex ea quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam, Róboam autem génuit Abíam, Abía autem génuit Asa, Asa autem génuit Iósaphat, Iósaphat autem génuit Ioram, Ioram autem génuit Ozíam, Ozías autem génuit Ióatham, Ióatham autem génuit Achaz, Achaz autem génuit Ezechíam, Ezechías autem génuit Manássen, Manásses autem génuit Amon, Amon autem génuit Iosíam, Iosías autem génuit Iechoníam et fratres eius in transmigratióne Babylónis.

Et post transmigratiónem Babylónis Iechonías génuit Saláthiel, Saláthiel autem génuit Zoróbabel, Zoróbabel autem génuit Abiud, Abiud autem génuit Elíachim, Elíachim autem génuit Azor, Azor autem génuit Sadoc, Sadoc autem génuit Achim, Achim autem génuit Eliud, Eliud autem génuit Eleázar, Eleázar autem génuit Matthan, Matthan autem génuit Iacob, Iacob autem génuit **Ioseph virum Maríæ, de qua natus est Iesus qui vocátur Christus.**

Omnes ergo generatiónes ab Abraham usque ad David generatiónes quattuórdecim; et a David usque ad

transmigratiónem Babylónis generatiónes quattuórdecim; et a transmigratióne Babylónis usque ad Christum generatiónes quattuórdecim. — Verbum Dómini.

Super oblata

Ecclésiæ tuæ, Dómine, dona sanctífica,
et concéde, ut, per hæc veneránda mystéria,
pane cælésti réfici mereámur. Per Christum.

Præfatio II de Adventu, p. 746.

Ant. ad communionem Cf. Agg 2, 8

Ecce véniet desiderátus cunctis géntibus,
et replébitur glória domus Dómini.

Post communionem

Divíno múnere satiáti, quǽsumus, omnípotens Deus,
hoc desidério potiámur,
ut, a tuo accénsi Spíritu,
ante conspéctum veniéntis Christi tui,
velut clara luminária fulgeámus. Per Christum.

Die 18 decembris

Ant. ad introitum

Rex noster advéniet Christus,
quem Ioánnes prædicávit Agnum esse ventúrum.

Collecta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui sub peccáti iugo ex vetústa servitúte deprímimur,
exspectáta Unigéniti tui nova nativitáte liberémur.
Per Dóminum.

Lectio prior

Suscitabo David germen iustum.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 23, 5-8

« Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum; et regnábit rex, et sápiens erit, et fáciet iudícium et iustítiam in terra. In diébus illis salvábitur Iuda, et Israel habitábit confidénter, et hoc est nomen quod vocábunt eum: " Dóminus iustus noster ".

Propter hoc ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et non dicent ultra: " Vivit Dóminus, qui edúxit fílios Israel de terra Ægýpti ", sed: " Vivit Dóminus, qui edúxit et addúxit semen domus Israel de terra aquilónis et de cunctis terris, ad quas eiéceram eos illuc, et habitábunt in terra sua " ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 71, 1-2. 12-13. 18-19 (℟.: cf. 7)

℟. Florébit in diébus eius iustítia
et abundántia pacis in ætérnum.

1 Deus, iudícium tuum regi da,
et iustítiam tuam fílio regis;
2 iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

12 Quia liberábit ínopem clamántem,
et páuperem cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi,
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

18 Benedíctus Dóminus Deus, Deus Israel,
qui facit mirabília solus;
19 et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum,
et replébitur maiestáte eius omnis terra. Fiat, fiat. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Dux domus Israel,
qui Móysi in Sina legem dedísti:
veni ad rediméndum nos in brácchio exténto.
℟. Allelúia.

Evangelium

Iesus nascetur de Maria,
desponsata Ioseph, filio David.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
1, 18-24

Iesu Christi generátio sic erat:

Cum esset desponsáta mater eius María Ioseph, ántequam convenírent invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

Hæc autem eo cogitánte, ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens: « Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium, et vocábis nomen eius Iesum; ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum ».

Hoc autem totum factum est ut adimplerétur id quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: « Ecce virgo in útero habébit et páriet fílium, et vocábunt nomen eius Emmánuel », quod est interpretátum Nobíscum-Deus.

Exsúrgens autem Ioseph a somno, fecit sicut præcépit ei ángelus Dómini, et accépit cóniugem suam.

Verbum Dómini.

Super oblata

Sacrifícium tibi, Dómine, celebrándum
tuo nómini nos reddat accéptos,
ut ipsíus æternitátis mereámur esse consórtes,
qui mortalitátem nostram sua mortalitáte curávit.
Per Christum.

Præfatio II de Adventu, p. 746.

Ant. ad communionem — Mt 1, 23

Vocábunt nomen eius Emmánuel,
quod est interpretátum Nobíscum-Deus.

Post communionem

Suscipiámus, Dómine, misericórdiam tuam
in médio templi tui,
et redemptiónis nostræ ventúra sollémnia
cóngruis honóribus præcedámus.
Per Christum.

Die 19 decembris

Ant. ad introitum — Cf. Hebr 10, 37

Qui ventúrus est véniet et non tardábit,
et iam non erit timor in fínibus nostris,
quóniam ipse est Salvátor noster.

Collecta

Deus, qui splendórem glóriæ tuæ
per sacræ Vírginis partum mundo dignátus es reveláre,
tríbue, quæsumus, ut tantæ incarnatiónis mystérium
et fídei integritáte colámus,
et devóto semper obséquio frequentémus.
Per Dóminum.

Lectio prior

Nativitas Samson ab Angelo annuntiatur.

Léctio libri Iúdicum 13, 2-7. 24-25 a

In diébus illis:

Erat quidam vir de Sáraa et de stirpe Dan, nómine Mánue, habens uxórem stérilem; cui appáruit ángelus Dómini, et dixit ad eam: « Stérilis es et absque líberis, sed concípies et páries fílium. Cave ergo ne bibas vinum ac síceram, nec immúndum quidquam cómedas; quia concípies et páries fílium, cuius non tanget caput novácula: erit enim nazaræus Dei ab infántia sua et ex matris útero, et ipse incípiet liberáre Israel de manu Philisthinórum ».

Quæ, cum venísset ad marítum suum, dixit ei: « Vir Dei venit ad me habens vultum angélicum, terríbilis nimis. Quem cum interrogássem, quis esset et unde venísset et quo nómine vocarétur, nóluit mihi dícere; sed hoc respóndit: " Ecce concípies et páries fílium. Cave ne vinum bibas nec síceram, et ne áliquo vescáris immúndo; erit enim puer nazaræus Dei ab infántia sua, ex útero matris suæ usque ad diem mortis suæ " ».

Péperit ítaque fílium et vocávit nomen eius Samson. Crevítque puer, et benedíxit ei Dóminus. Cœpítque spíritus Dómini esse cum eo in Castris Dan inter Sáraa et Esthaol. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 70, 3-4 a. 5-6 ab. 16-17 (℟.: cf. 8 ab)

℟. Repleátur os meum laude, et cantem glóriam tuam.

3 Esto mihi in rupem præsídii
et in domum munítam, ut salvum me fácias,
quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu.
4 Deus meus, éripe me de manu peccatóris. ℟.

5 Quóniam tu es exspectátio mea, Dómine;
Dómine, spes mea a iuventúte mea.
6 Super te innixus sum ex útero,
de ventre matris meæ tu es suscéptor meus. ℟.

16 Véniam ad poténtias Dómini:
Dómine, memorábor iustítiæ tuæ solíus.
17 Deus, docuísti me a iuventúte mea;
et usque nunc annuntiábo mirabília tua. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Radix Iesse, stans in signum populórum:
veni ad liberándum nos, iam noli tardáre.
℟. Allelúia.

Evangelium

Nativitas Ioannis Baptistæ
a Gabriele annuntiatur.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 5-25

Fuit in diébus Heródis regis Iudǽæ sacérdos quidam nómine Zacharías, de vice Abíæ et uxor illi de filiábus Aaron, et nomen eius Elísabeth.

Erant autem iusti ambo ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis et iustificatiónibus Dómini, irreprehensíbiles. Et non erat illis fílius eo quod esset Elísabeth stérilis, et ambo processíssent in diébus suis.

Factum est autem, cum sacerdótio ipse fungerétur in órdine vicis suæ ante Deum, secúndum consuetúdinem sacerdótii sorte éxiit ut incénsum póneret ingréssus in templum Dómini, et omnis multitúdo erat pópuli orans foris hora incénsi: appáruit autem illi ángelus Dómini stans a dextris altáris incénsi.

Et Zacharías turbátus est videns, et timor írruit super eum. Ait autem ad illum ángelus: « Ne tímeas, Zacharía, quóniam exaudíta est deprecátio tua, et uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen eius Ioánnem.

Et erit gáudium tibi et exsultátio, et multi in nativitáte eius gaudébunt: erit enim magnus coram Dómino, et vinum et síceram non bibet, et Spíritu Sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ, et multos filiórum Israel convértet ad Dóminum Deum ipsórum.

Et ipse præcédet ante illum in spíritu et virtúte Elíæ, ut convértat corda patrum in fílios et incredíbiles ad prudéntiam iustórum, paráre Dómino plebem perféctam ».

Et dixit Zacharías ad ángelum: « Unde hoc sciam? Ego enim sum senex et uxor mea procéssit in diébus suis ».

Et respóndens ángelus dixit ei: « Ego sum Gábriel qui adsto ante Deum, et missus sum loqui ad te et hæc tibi evangelizáre: et ecce eris tacens et non póteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidísti verbis meis, quæ implebúntur in témpore suo ».

Et erat plebs exspéctans Zacharíam, et mirabántur quod tardáret ipse in templo. Egréssus autem non póterat loqui ad illos, et cognovérunt quod visiónem vidísset in templo; et ipse erat ínnuens illis, et permánsit mutus.

Et factum est, ut impléti sunt dies offícii eius, ábiit in domum suam. Post hos autem dies concépit Elísabeth uxor eius, et occultábat se ménsibus quinque, dicens: « Sic mihi fecit Dóminus in diébus quibus respéxit auférre oppróbrium meum inter hómines ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Propítius intuére múnera, Dómine, quæsumus,
quæ tuis altáribus exhibémus,

ut, quod nostra fragilitáte defértur,
tua virtúte sacrétur.
Per Christum.

Præfatio II de Adventu, p. 746.

Ant. ad communionem Lc 1, 78-79

Visitábit nos Oriens ex alto,
ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Post communionem

Grátias de collátis munéribus referéntes,
fac nos propítius, omnípotens Deus,
quæ ventúra sunt desideráre præstánda,
ut nativitátem Salvatóris nostri
purificátis suscipiámus méntibus honorándam.
Per Christum.

Die 20 decembris

Ant. ad introitum Cf Is 11, 1; 40, 5; Lc 3, 6

Egrediétur virga de radíce Iesse,
et replébitur omnis terra glória Dómini,
et vidébit omnis caro salutáre Dei.

Collecta

Deus, cuius ineffábile Verbum,
Angelo nuntiánte, Virgo immaculáta suscépit,
et, domus divinitátis effécta,
Sancti Spíritus luce replétur,
quǽsumus, ut nos, eius exémplo,
voluntáti tuæ humíliter adhærére valeámus.
Per Dóminum.

Lectio prior

Ecce virgo concipiet.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 7, 10-14

In diébus illis:

Locútus est Dóminus ad Achaz dicens: « Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni sive in excélsum supra ».

Et dixit Achaz: « Non petam et non tentábo Dóminum ».

Et dixit Isaías: « Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est moléstos esse homínibus, quia moléstí estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel, quia Nobíscum-Deus ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 23, 1-2. 3-4 ab. 5-6 (℟.: cf. 7 c et 10 b)

℟. Introíbit Dóminus: ipse est rex glóriæ.

1 Dómini est terra et plenitúdo eius,
orbis terrárum et qui hábitant in eo.
2 Quia ipse super mária fundávit eum,
et super flúmina firmávit eum. ℟.

3 Quis ascéndet in montem Dómini,
aut quis stabit in loco sancto eius?
4 Innocens mánibus et mundo corde,
qui non accépit in vanum nomen eius. ℟.

5 Hic accípiet benedictiónem a Dómino,
et iustificatiónem a Deo salutári suo.
6 Hæc est generátio quæréntium eum,
quæréntium fáciem Dei Iacob. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Clavis David, qui áperis portas ætérni regni:
veni, et educ vinctum de domo cárceris sedéntem in ténebris. ℟. Allelúia.

Evangelium

Ecce concipies in utero, et paries filium.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In mense sexto missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro cui nomen erat Ioseph de domo David, et nomen vírginis María.

Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus tecum ». Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et cogitábat qualis esset ista salutátio.

Et ait ángelus ei: « Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero et páries fílium, et vocábis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris eius, et regnábit super domum Iacob in ætérnum, et Regni eius non erit finis ».

Dixit autem María ad Angelum: « Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? »

Et respóndens Angelus dixit ei: « Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque et quod nascétur Sanctum vocábitur, Fílius Dei. Et ecce Elísabeth, cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senécta sua, et hic mensis est sextus illi quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini: fiat mihi secúndum verbum tuum ». Et discéssit ab illa Angelus. — Verbum Dómini.

Super oblata

Inténde, quǽsumus, Dómine, sacrifícium singuláre,
ut, huius participatióne mystérii,
quæ speránda crédimus, exspectáta sumámus.
Per Christum.

Præfatio II de Adventu, p. 746.

Ant. ad communionem Lc 1, 31

Dixit ángelus ad Maríam: Ecce concípies et páries fílium,
et vocábis nomen eius Iesum.

Post communionem

Quos múnere cælésti réficis, Dómine,
divíno tuére præsídio,
ut, tuis mystériis perfruéntes,
in vera fácias pace gaudére.
Per Christum.

Die 21 decembris

Ant. ad introitum Cf. Is 7, 14; 8, 10

Modo véniet Dominátor Dóminus,
et vocábitur nomen eius Emmánuel, quia Nobíscum-Deus.

Collecta

Preces pópuli tui, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi,
ut, qui de Unigéniti tui in nostra carne advéntu lætántur,
cum vénerit in sua maiestáte,
ætérnæ vitæ prǽmium consequántur.
Per Dóminum.

Lectio prior*

Ecce dilectus meus venit saliens in montibus.

Léctio Cántici Canticórum 2, 8-14

Vox diléctí mei: ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles. Símilis est diléctus meus cápreæ hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos.

En diléctus meus lóquitur mihi: « Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea. Iam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit; vox túrturis audíta est in terra nostra; ficus prótulit grossos suos, víneæ floréntes dedérunt odórem suum.

Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni, colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ. Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis; vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra ».

Verbum Dómini.

---

vel ad libitum

Rex Israel Dominus in medio tui.

Léctio libri Sophoníæ prophétæ 3, 14-18 a

Lauda, fília Sion! iúbila, Israel! lætáre et exsúlta in omni corde, fília Ierúsalem! Abstulit Dóminus iudícium tuum, avértit inimícos tuos; rex Israel Dóminus in médio tui, non timébis malum ultra.

In die illa, dicétur Ierúsalem: « Noli timére, Sion; non dissolvántur manus tuæ. Dóminus Deus tuus in médio tui fortis, ipse salvábit; gaudébit super te in lætítia, silébit in dilectióne sua, exsultábit super te in laude ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 32, 2-3. 11-12. 20-21 (℟.: 1 a et 3 a)

℟. Exsultáte, iusti, in Dómino;
cantáte ei cánticum novum.

2 Confitémini Dómino in cíthara,
in psaltério decem chordárum psállite illi.
3 Cantáte ei cánticum novum,
bene psállite ei in vociferatióne. ℟.

11 Consílium autem Dómini in ætérnum manet,
cogitatiónes cordis eius in generatióne et generatiónem.
12 Beáta gens, cui Dóminus est Deus,
pópulus, quem elégit in hereditátem sibi. ℟.

20 Anima nostra sústinet Dóminum,
quóniam adiútor et protéctor noster est;
21 quia in eo lætábitur cor nostrum,
et in nómine sancto eius sperávimus. ℟.

Alleluia
℟. Allelúia. ℣. Emmánuel, rex et légifer noster:
veni ad salvándum nos, Dómine Deus noster.
℟. Allelúia.

Evangelium

Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 39-45

Exsúrgens María in diébus illis ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Iudæ, et intrávit in domum Zacharíæ et salutávit Elísabeth.

Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius, et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, et exclamávit voce magna, et dixit:

« Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta quæ crédidit, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt ei a Dómino ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Ecclésiæ tuæ, Dómine, múnera placátus assúme,
quæ et miséricors offerénda tribuísti,
et in nostræ salútis poténter éfficis transíre mystérium.
Per Christum.

Præfatio II de Adventu, p. 746.

Ant. ad communionem — Cf. Lc 1, 45

Beáta quæ credidísti,
quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Post communionem

Sit plebi tuæ, Dómine, continuáta defénsio
divíni participátio mystérii,
ut, maiestáti tuæ plena devotióne subiécta,
salvatiónem mentis et córporis affluénter accípiat.
Per Christum.

Die 22 decembris

Ant. ad introitum — Ps 23, 7

Attóllite, portæ, cápita vestra,
et elevámini, portæ æternáles,
et introíbit rex glóriæ.

Collecta

Deus, qui, hóminem delápsum in mortem conspíciens,
Unigéniti tui advéntu redímere voluísti,
præsta, quǽsumus,
ut, qui húmili eius incarnatiónem devotióne faténtur,
ipsíus étiam Redemptóris consórtia mereántur.
Per Dóminum.

Lectio prior

Anna pro nativitate Samuelis gratias agit.

Léctio libri primi Samuélis 1, 24-28

In diébus illis:

Addúxit Anna Samuélem secum, postquam ablactáverat, in vítulis tribus et tribus módiis farínæ et ámphora vini; et addúxit eum ad domum Dómini in Silo. Puer autem erat adhuc infántulus. Et immolavérunt vítulum, et obtulérunt púerum Heli.

Et ait Anna: « Obsecro, mi dómine, vivit ánima tua, dómine; ego sum illa múlier, quæ steti coram te, hic orans Dóminum. Pro púero isto orávi, et dedit mihi Dóminus petitiónem meam quam postulávi eum. Idcírco et ego commodávi eum Dómino cunctis diébus, quibus fúerit commodátus Dómino ».

Et adoravérunt ibi Dóminum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

1 Sam 2, 1. 4-5. 6-7. 8 abcd (℟.: 1 a)

℟. Exsultávit cor meum in Dómino salvatóre meo.

Exsultávit cor meum in Dómino:
et exaltátum est cornu meum in Deo meo:
dilatátum est os meum super inimícos meos,
quia lætáta sum in salutári tuo. ℟.

4 Arcus fórtium superátus est,
et infírmi accíncti sunt róbore.
5 Repléti prius pro pánibus se locavérunt,
et famélici saturáti sunt;
donec stérilis péperit plúrimos,
et quæ multos habébat fílios infirmáta est. ℟.
6 Dóminus mortíficat et vivíficat,
dedúcit ad ínferos et redúcit;
7 Dóminus páuperem facit et ditat,
humíliat et súblevat. ℟.
8 Súscitat de púlvere egénum
et de stércore élevat páuperem,
ut sédeat cum princípibus
et sólium glóriæ téneat. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Rex géntium et lapis anguláris Ecclésiæ: veni, et salva hóminem quem de limo formásti. ℟. Allelúia.

Evangelium

Fecit mihi magna qui potens est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 46-56

In illo témpore: Ait María:

« Magníficat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo Salvatóri meo, quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.

Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes: quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum Nomen eius, et misericórdia eius in progénies et progénies timéntibus eum.

Fecit poténtiam in brácchio suo, dispérsit supérbos mente cordis sui; depósuit poténtes de sede et exaltávit

húmiles, esuriéntes implévit bonis et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, memorári misericórdiæ, sicut locútus est ad patres nostros, Abraham et sémini eius in sæcula ».

Mansit autem María cum Elísabeth quasi ménsibus tribus, et revérsa est in domum suam.

Verbum Dómini.

Super oblata

In tua pietáte confidéntes, Dómine,
cum munéribus ad altária veneránda concúrrimus,
ut, tua purificánte nos grátia,
iísdem quibus famulámur mystériis emundémur.
Per Christum.

Præfatio II de Adventu, p. 746.

Ant. ad communionem Lc 1, 46. 49

Magníficat ánima mea Dóminum,
quia fecit mihi magna qui potens est.

Post communionem

Róboret nos, Dómine, tui sacraménti percéptio,
ut veniénti Salvatóri mereámur
cum dignis opéribus obviáre,
et beatitúdinis præmia promeréri.
Per Christum.

Die 23 decembris

Ant. ad introitum Cf. Is 9, 6; Ps 71, 17

Nascétur nobis párvulus, et vocábitur Deus, Fortis;
in ipso benedicéntur omnes tribus terræ.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
nativitátem Fílii tui secúndum carnem
propinquáre cernéntes,
quǽsumus, ut nobis indígnis fámulis tuis
misericórdiam præstet Verbum,
quod ex Vírgine María dignátum est caro fíeri,
et habitáre in nobis.
Qui tecum.

Lectio prior

Mittam vobis Eliam prophetam,
antequam veniat dies Domini.

Léctio libri Malachíæ prophétæ 3, 1-4; 4, 5-6

Hæc dicit Dóminus Deus:

« Ecce ego mitto ángelum meum, et præparábit viam ante fáciem meam. Et statim véniet ad templum suum Dominátor, quem vos quǽritis, et Angelus testaménti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dóminus exercítuum. Et quis póterit cogitáre diem advéntus eius? et quis stabit ad vidéndum eum?

Ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullónum; et sedébit conflans et emúndans argéntum, et purgábit fílios Levi, et colábit eos quasi aurum et quasi argéntum, et erunt Dómino offeréntes sacrifícia in iustítia.

Et placébit Dómino sacrifícium Iuda et Ierúsalem sicut dies sǽculi et sicut anni antíqui ».

« Ecce ego mittam vobis Elíam prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus et horríbilis. Et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum, ne forte véniam et percútiam terram anathémate ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 24, 4 bc-5 ab. 8-9. 10 et 14 (℟.: Lc 21, 28)

℟. Respícite et leváte cápita vestra,
quóniam appropínquat redémptio vestra.

4 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi,
et sémitas tuas édoce me.
5 Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus salútis meæ. ℟.

8 Dulcis et rectus Dóminus,
propter hoc peccatóres viam docébit;
9 díriget mansuétos in iudício,
docébit mites vias suas. ℟.

10 Univérsæ viæ Dómini misericórdia et véritas
custodiéntibus testaméntum eius et testimónia eius.
14 Familiáriter aget Dóminus cum timéntibus eum,
ut testaméntum suum maniféstet illis. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Rex géntium et lapis anguláris Ecclésiæ: veni, et salva hóminem quem de limo formásti. ℟. Allelúia.

Evangelium

Nativitas Ioannis Baptistæ.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 57-66

Elísabeth implétum est tempus pariéndi, et péperit fílium. Et audiérunt vicíni et cognáti eius quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa, et congratulabántur ei.

Et factum est in die octávo venérunt circumcídere púerum, et vocábant eum nómine patris eius Zacharíam.

Et respóndens mater eius dixit: « Nequáquam, sed vocábitur Ioánnes ».

Et dixérunt ad illam: « Nemo est in cognatióne tua qui vocétur hoc nómine ».

Innuébant autem patri eius quem vellet vocári eum. Et póstulans pugillárem scripsit dicens: « Ioánnes est nomen eius ». Et miráti sunt univérsi. Apértum est autem íllico os eius et lingua eius, et loquebátur benedícens Deum.

Et factus est timor super omnes vicínos eórum, et super ómnia montána Iudǽæ divulgabántur ómnia verba hæc. Et posuérunt omnes qui audíerant in corde suo dicéntes: « Quid, putas, puer iste erit? » Etenim manus Dómini erat cum illo. — Verbum Dómini.

Super oblata

Hæc oblátio, qua divíni cultus nobis est índita plenitúdo,
sit tibi, Dómine, perfécta placátio,
ut nostri Redemptóris exórdia
purificátis méntibus celebrémus.
Per Christum.

Præfatio II de Adventu, p. 746.

Ant. ad communionem — Ap 3, 20

Ecce sto ad óstium et pulso:
si quis audíerit vocem meam, et aperúerit mihi iánuam,
intrábo ad illum, et cenábo cum illo, et ipse mecum.

Post communionem

Cæléstí múnere satiátis, Dómine,
pacem tuam propitiátus indúlge,
ut Fílio tuo dilectíssimo veniénti
accénsis lampádibus digni præstolémur occúrsum.
Per Christum.

Die 24 decembris

Ad Missam matutinam

Ant. ad introitum Cf. Gal 4, 4

Ecce iam venit plenitúdo témporis,
in quo misit Deus Fílium suum in terram.

Collecta

Festína, quǽsumus, ne tardáveris, Dómine Iesu,
ut advéntus tui consolatiónibus sublevéntur,
qui in tua pietáte confídunt.
Qui vivis.

Lectio prior

Regnum David erit usque in æternum
ante faciem Domini.

Léctio libri secúndi Samuélis 7, 1-5. 8 b-12. 16

Factum est cum sedísset David rex in domo sua, et Dóminus dedísset ei réquiem úndique ab univérsis inimícis suis, dixit ad Nathan prophétam: « Vidésne quod ego hábitem in domo cédrina, et arca Dei pósita sit in médio péllium? »

Dixítque Nathan ad regem: « Omne, quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dóminus tecum est ».

Factum est autem in illa nocte, et ecce sermo Dómini ad Nathan dicens: « Vade et lóquere ad servum meum David: " Hæc dicit Dóminus: Numquid tu ædificábis mihi domum ad habitándum?

Ego tuli te de páscuis sequéntem greges, ut esses dux super pópulum meum Israel, et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti, et interféci univérsos inimícos tuos a fácie tua; fecíque tibi nomen grande iuxta nomen magnórum qui sunt in terra.

Et ponam locum pópulo meo Israel, et plantábo eum, et habitábit sub eo, et non turbábitur ámplius; nec addent fílii iniquitátis ut afflígant eum sicut prius, ex die qua constítui iúdices super pópulum meum Israel.

Et réquiem dabo tibi ab ómnibus inimícis tuis, prædicítque tibi Dóminus quod domum fáciat tibi Dóminus.

Cumque compléti fúerint dies tui et dormíeris cum pátribus tuis, suscitábo semen tuum post te quod egrediétur de útero tuo; et firmábo regnum eius. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in fílium.

Et fidélis erit domus tua et regnum tuum usque in ætérnum ante fáciem tuam, et thronus tuus erit firmus iúgiter " ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 88, 2-3. 4-5. 27 et 29 (℟.: cf. 2 a)

℟. Misericórdias tuas, Dómine, in ætérnum cantábo.

2 Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo,
in generatiónem et generatiónem
annuntiábo veritátem tuam in ore meo.
3 Quóniam dixísti:
« In ætérnum misericórdia ædificábitur »,
in cælis firmábitur véritas tua. ℟

4 « Dispósui testaméntum elécto meo,
iurávi David servo meo:
5 Usque in ætérnum confirmábo semen tuum,
et ædificábo in generatiónem et generatiónem
sedem tuam ». ℟.

27 Ipse invocábit me: Pater meus es tu,
Deus meus et refúgium salútis meæ.
29 In ætérnum servábo illi misericórdiam meam,
et testaméntum meum fidéle ipsi. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Oriens, splendor lucis ætérnæ
et sol iustítiæ:
veni, et illúmina sedéntes in ténebris et umbra mortis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Visitabit nos oriens ex alto.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 67-79

In illo témpore:

Zacharías pater Ioánnis implétus est Spíritu Sancto et prophetávit dicens:

« Benedíctus Dóminus Deus Israel, quia visitávit et fecit redemptiónem plebi suæ, et eréxit cornu salútis nobis in domo David púeri sui, sicut locútus est per os sanctórum qui a sæculo sunt Prophetárum eius, salútem ex inimícis nostris et de manu ómnium qui odérunt nos: ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris et memorári testaménti sui sancti, iusiurándum, quod iurávit ad Abraham patrem nostrum, datúrum se nobis, ut sine timóre, de manu inimicórum liberáti, serviámus illi in sanctitáte et iustítia coram ipso ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis, præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias eius, ad dandam sciéntiam salútis plebi eius in remissiónem peccatórum eórum, per víscera misericórdiæ Dei nostri, in quibus visitábit nos óriens ex alto, illumináre his qui in ténebris et in umbra mortis sedent, ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Obláta tibi, Dómine, múnera benígnus assúme,
ut eórum perceptióne expiémur a peccátis,

et advéntus Fílii tui glóriam
puris mereámur méntibus præstolári.
Per Christum.

Præfatio II de Adventu, p. 746.

Ant. ad communionem Lc 1, 68

Benedíctus Dóminus Deus Israel,
quia visitávit et fecit redemptiónem plebis suæ.

Post communionem

Da nobis, Dómine, hoc dono tuo mirábili recreátis,
ut, sicut adoránda Fílii tui natalícia prævenímus,
sic eius múnera capiámus sempitérna gaudéntes.
Per Christum.

Die 25 decembris

IN NATIVITATE DOMINI

Sollemnitas

Ad Missam in Vigilia

Hæc Missa adhibetur vespere diei 24 decembris sive ante sive post I Vesperas Nativitatis.

Ant. ad introitum Cf. Ex 16, 6-7

Hódie sciétis, quia véniet Dóminus, et salvábit nos, et mane vidébitis glóriam eius.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, qui nos redemptiónis nostræ
ánnua exspectatióne lætíficas,
præsta, ut Unigénitum tuum,
quem læti suscípimus Redemptórem,
veniéntem quoque Iúdicem secúri vidére mereámur.
Per Dóminum.

Lectio prima

Complacuit Domino in te.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 62, 1-5

Propter Sion non tacébo et propter Ierúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor iustus eius, et salvátor eius ut lampas accendátur.

Et vidébunt gentes iustum tuum et cuncti reges ínclitum tuum, et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui.

Non vocáberis ultra « Derelícta », et terra tua non vocábitur ámplius « Desoláta »; sed vocáberis « Volúntas mea in ea », et terra tua « Inhabitáta », quia complácuit Dómino in te, et terra tua inhabitábitur.

Habitábit enim iúvenis cum vírgine, et habitábunt in te fílii tui, et gaudébit sponsus super sponsam, et gaudébit super te Deus tuus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 88, 4-5. 16-17. 27 et 29 (℟.: cf. 2 a)

℟. Misericórdias tuas, Dómine, in ætérnum cantábo.

4 « Dispósui testaméntum elécto meo,
iurávi David servo meo:
5 Usque in ætérnum confirmábo semen tuum,
et ædificábo in generatiónem et generatiónem
sedem tuam ». ℟.

16 Beátus pópulus qui scit iubilatiónem;
Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt,
17 et in nómine tuo exsultábunt tota die,
et in iustítia tua exaltabúntur. ℟.

27 Ipse invocábit me: Pater meus es tu,
Deus meus et refúgium salútis meæ.
29 In ætérnum servábo illi misericórdiam meam,
et testaméntum meum fidéle ipsi. ℟.

Lectio secunda

Testimonium Pauli de Christo, Filio David.

Léctio Actuum Apostolórum 13, 16-17. 22-25

Cum venísset Paulus Antiochíam Pisídiæ, surgens in synagóga et manu siléntium indícens ait:

« Viri Israelítæ et qui timétis Deum, audíte. Deus plebis huius Israel elégit patres nostros, et plebem exal-

távit cum essent íncolæ in terra Ægýpti, et in brácchio excélso edúxit eos ex ea.

Et exínde suscitávit illis David in regem, cui et testimónium pérhibens dixit: " Invéni David fílium Iesse, virum secúndum cor meum, qui fáciet omnes voluntátes meas ".

Huius Deus ex sémine secúndum promissiónem edúxit Israel Salvatórem Iesum, prædicánte Ioánne ante advéntum eius baptísmum pæniténtiæ omni pópulo Israel.

Cum impléret autem Ioánnes cursum suum, dicébat: " Quem me arbitrámini esse? Non sum ego; sed ecce venit post me cuius non sum dignus calceaménta pedum sólvere " ». — Verbum Dómini.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Crástina die delébitur iníquitas terræ:
et regnábit super nos Salvátor mundi.
℟. Allelúia.

Evangelium*

Generatio Iesu Christi, filii David.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
1, 1-25

Liber generatiónis Iesu Christi, fílii David, fílii Abraham.

Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Iacob, Iacob autem génuit Iudam et fratres eius, Iudas autem génuit Phares et Zara de Thamar, Phares autem génuit Esrom, Esrom autem génuit Aram, Aram autem génuit Amínadab, Amínadab autem génuit Naásson, Naásson autem génuit Salmon, Salmon autem génuit Booz de Rahab, Booz autem génuit Iobed ex Ruth, Iobed autem génuit Iesse, Iesse autem génuit David regem.

David autem rex génuit Salomónem ex ea quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam, Róboam autem génuit Abíam, Abía autem génuit Asa, Asa autem génuit Iósaphat, Iósaphat autem génuit Ioram, Ioram autem génuit Ozíam, Ozías autem génuit Ióatham, Ióatham autem génuit Achaz, Achaz autem génuit Ezechíam, Ezechías autem génuit Manássen, Manásses autem génuit Amon, Amon autem génuit Iosíam, Iosías autem génuit Iechoníam et fratres eius in transmigratióne Babylónis.

Et post transmigratiónem Babylónis Iechonías génuit Saláthiel, Saláthiel autem génuit Zoróbabel, Zoróbabel autem génuit Abiud, Abiud autem génuit Elíachim, Elíachim autem génuit Azor, Azor autem génuit Sadoc, Sadoc autem génuit Achim, Achim autem génuit Eliud, Eliud autem génuit Eleázar, Eleázar autem génuit Matthan, Matthan autem génuit Iacob, Iacob autem génuit Ioseph virum Maríæ, de qua natus est Iesus qui vocátur Christus.

Omnes ergo generatiónes ab Abraham usque ad David generatiónes quattuórdecim; et a David usque ad transmigratiónem Babylónis generatiónes quattuórdecim; et a transmigratióne Babylónis usque ad Christum generatiónes quattuórdecim.

Iesu Christi autem generátio sic erat.

Cum esset desponsáta mater eius María Ioseph, ántequam convenírent invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

Hæc autem eo cogitánte, ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens: « Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium, et vocábis nomen eius Iesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum ».

Hoc autem totum factum est ut adimplerétur id quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: « Ecce virgo in útero habébit et páriet fílium, et vocábunt nomen eius Emmánuel », quod est interpretátum Nobíscum-Deus.

Exsúrgens autem Ioseph a somno, fecit sicut præcépit ei ángelus Dómini, et accépit cóniugem suam. Et non cognoscébat eam donec péperit fílium: et vocávit nomen eius Iesum. — Verbum Dómini.

---

vel brevior

Pariet Maria filium, et vocabis nomen eius Iesum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 1, 18-25

Iesu Christi generátio sic erat.

Cum esset desponsáta mater eius María Ioseph, ántequam convenírent invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

Hæc autem eo cogitánte, ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens: « Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium, et vocábis nomen eius Iesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum ».

Hoc autem totum factum est ut adimplerétur id quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: « Ecce virgo in útero habébit et páriet fílium, et vocábunt nomen eius Emmánuel », quod est interpretátum Nobíscum-Deus.

Exsúrgens autem Ioseph a somno, fecit sicut præcépit ei ángelus Dómini, et accépit cóniugem suam. Et non cognoscébat eam donec péperit fílium: et vocávit nomen eius Iesum. — Verbum Dómini.

Dicitur Credo. Ad verba Et incarnátus est genuflectitur.

Super oblata

Tanto nos, Dómine, quǽsumus,
promptióre servítio hæc præcúrrere concéde sollémnia,
quanto in his constáre princípium
nostræ redemptiónis osténdis.
Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium.

Ant. ad communionem Cf. Is 40, 5

Revelábitur glória Dómini,
et vidébit omnis caro salutáre Dei nostri.

Post communionem

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
unigéniti Fílii tui recensíta nativitáte vegetári,
cuius cæléstì mystério páscimur et potámur.
Per Christum.

In Nativitate Domini omnes sacerdotes tres Missas celebrare vel concelebrare possunt, dummodo hæ suo tempore celebrentur.

Ad Missam in nocte

Ant. ad introitum Ps 2, 7

Dóminus dixit ad me:
Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Vel:

Gaudeámus omnes in Dómino,
quia Salvátor noster natus est in mundo.
Hódie nobis de cælo pax vera descéndit.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, qui hanc sacratíssimam noctem
veri lúminis fecísti illustratióne claréscere,
da, quǽsumus,
ut, cuius in terra mystéria lucis agnóvimus,
eius quoque gáudiis perfruámur in cælo. Per Dóminum.

Lectio prima

Filius datus est nobis.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 9, 2-4. 6-7

Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam, habitántibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. Multiplicásti gentem et non magnificásti lætítiam.

Lætabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe, sicut exsúltant victóres, capta præda, quando dívidunt spólia. Iugum enim óneris eius et virgam húmeri eius et sceptrum exactóris eius superásti, sicut in die Mádian.

Párvulus enim natus est nobis, et fílius datus est nobis, et factus est principátus super húmerum eius, et vocábitur nomen eius « Admirábilis, Consiliárius, Deus fortis, Pater futúri sǽculi, Princeps pacis ».

Multiplicábitur eius impérium, et pacis non erit finis; super sólium David et super regnum eius sedébit, ut confírmet illud et corróboret in iudício et iustítia ámodo et usque in sempitérnum. Zelus Dómini exercítuum fáciet hoc. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 95, 1-2 a. 2 b-3. 11-12. 13 (℟.: Lc 2, 11)

℟. Hódie natus est nobis Salvátor,
qui est Christus Dóminus.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
2 Cantáte Dómino, benedícite nómini eius, ℟.

annuntiáte de die in diem salutáre eius.
3 Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius. ℟.

11 Læténtur cæli et exsúltet terra,
sonet mare et plenitúdo eius;
12 gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.
Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum, ℟.

13 a fácie Dómini, quia venit,
quóniam venit iudicáre terram.
Iudicábit orbem terræ in iustítia
et pópulos in veritáte sua. ℟.

Lectio secunda

Apparuit gratia Dei omnibus hominibus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Titum
2, 11-14

Appáruit grátia Dei salutáris ómnibus homínibus, erúdiens nos ut, abnegántes impietátem et sæculária desidéria, sóbrie et iuste et pie vivámus in hoc sæculo, exspectántes beátam spem et advéntum glóriæ magni Dei et Salvatóris nostri Iesu Christi, qui dedit semetípsum pro nobis ut nos redímeret ab omni iniquitáte et mundáret sibi Pópulum peculiárem sectatórem bonórum óperum.

Verbum Dómini.

Alleluia
Cf. Lc 2, 10-11

℟. Allelúia. ℣. Evangelízo vobis gáudium magnum:
natus est nobis hódie Salvátor,
Christus Dóminus.
℟. Allelúia.

Evangelium

Natus est vobis hodie Salvator

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam
2, 1-14

Factum est in diébus illis, éxiit edíctum a Cǽsare Augústo ut describerétur univérsus orbis. Hæc descríptio prima facta est prǽside Sýriæ Quiríno. Et ibant omnes ut profiteréntur, sínguli in suam civitátem.

Ascéndit autem et Ioseph a Galilǽa de civitáte Názareth in Iudǽam in civitátem David quæ vocátur Béthleem, eo quod esset de domo et família David, ut profiterétur cum María desponsáta sibi, uxóre prægnánte.

Factum est autem, cum essent ibi, impléti sunt dies ut páreret, et péperit fílium suum primogénitum: et pannis eum invólvit et reclinávit eum in præsépio, quia non erat eis locus in diversório.

Et pastóres erant in regióne eádem vigilántes et custodiéntes vigílias noctis supra gregem suum. Et ángelus Dómini stetit iuxta illos, et glória Dómini circumfúlsit illos, et timuérunt timóre magno. Et dixit illis ángelus: « Nolíte timére; ecce enim evangelízo vobis gáudium magnum quod erit omni pópulo, quia natus est vobis hódie Salvátor qui est Christus Dóminus in civitáte David. Et hoc vobis signum: inveniétis infántem pannis involútum et pósitum in præsépio ». Et súbito facta est cum ángelo multitúdo milítiæ cæléstis laudántium Deum et dicéntium:

« Glória in altíssimis Deo, et super terram pax in homínibus bonæ voluntátis ». — Verbum Dómini.

In Missis quæ celebrantur in die Nativitatis adhibentur formularia hic notata, cum facultate eligendi textus aptiores lectionum ex una e tribus Missis, attenta opportunitate pastorali uniuscuiusque cœtus.

Dicitur **Credo**. Ad verba **Et incarnátus est** genuflectitur.

Super oblata

Grata tibi sit, Dómine, quǽsumus,
hodiérnæ festivitátis oblátio,
ut, per hæc sacrosáncta commércia,
in illíus inveniámur forma,
in quo tecum est nostra substántia. Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium.

Ant. ad communionem — Io 1, 14

Verbum caro factum est, et vídimus glóriam eius.

Post communionem

Da nobis, quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut, qui nativitátem Redemptóris nostri
frequentáre gaudémus,
dignis conversatiónibus
ad eius mereámur perveníre consórtium. Per Christum.

Ad Missam in aurora

Ant. ad introitum — Cf. Is 9, 2. 6; Lc 1, 33

Lux fulgébit hódie super nos,
quia natus est nobis Dóminus;
et vocábitur Admirábilis, Deus, Princeps pacis,
Pater futúri sǽculi: cuius regni non erit finis.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, dum nova incarnáti Verbi tui luce perfúndimur,
hoc in nostro respléndeat ópere,
quod per fidem fulget in mente.
Per Dóminum.

Lectio prima

Ecce Salvator tuus venit.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 62, 11-12

Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ:

« Dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit, ecce merces eius cum eo, et opus eius coram illo. Et vocábunt eos: " Pópulus sanctus ", " Redémpti a Dómino "; tu autem vocáberis " Quæsíta cívitas et non derelícta " ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 96, 1 et 6. 11-12

℟. Lux fulgébit hódie super nos:
quia natus est nobis Dóminus.

1 Dóminus regnávit, exsúltet terra,
lætántur ínsulæ multæ.
6 Annuntiavérunt cæli iustítiam eius,
et vidérunt omnes pópuli glóriam eius. ℟.

11 Lux orta est iusto,
et rectis corde lætítia.
12 Lætámini, iusti, in Dómino,
et confitémini memóriæ sanctitátis eius. ℟.

Lectio secunda

Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Titum 3, 4-7

Cum benígnitas et humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei, non ex opéribus iustítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritus Sancti, quem effúdit super nos abúnde per Iesum Christum Salvatórem nostrum, ut iustificáti grátia ipsíus herédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ. — Verbum Dómini.

Alleluia

Lc 2, 14

℟. Allelúia. ℣. Glória in altíssimis Deo,
et in terra pax homínibus bonæ voluntátis.
℟. Allelúia.

Evangelium

Invenerunt pastores
Mariam et Ioseph et infantem.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 15-20

Factum est ut discessérunt ab eis ángeli in cælum, pastóres loquebántur ad ínvicem: « Transeámus usque Béthleem, et videámus hoc verbum quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis ». Et venérunt festinántes et invenérunt Maríam et Ioseph et infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem notum fecérunt verbum quod dictum erat illis de púero hoc.

Et omnes qui audiérunt miráti sunt de his quæ dicta erant a pastóribus ad ipsos: María autem conservábat ómnia verba hæc cónferens in corde suo.

Et revérsi sunt pastóres glorificántes et laudántes Deum in ómnibus quæ audíerant et víderant sicut dictum est ad illos. — Verbum Dómini.

Dicitur Credo. Ad verba Et incarnátus est genuflectitur.

Super oblata

Múnera nostra, quǽsumus, Dómine,
nativitátis hodiérnæ mystériis apta provéniant,
ut, sicut homo génitus idem præfúlsit et Deus,
sic nobis hæc terréna substántia cónferat
quod divínum est.
Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium.

Ant. ad communionem Cf. Zac 9, 9

Exsúlta, fília Sion, lauda, fília Ierúsalem:
ecce Rex tuus véniet sanctus et salvátor mundi.

Post communionem

Da nobis, Dómine, Fílii tui nativitátem
læta devotióne coléntibus,
huius arcána mystérii et plena fide cognóscere,
et plenióre caritátis ardóre dilígere. Per Christum.

Ad Missam in die

Ant. ad introitum Is 9, 6

Puer natus est nobis, et fílius datus est nobis,
cuius impérium super húmerum eius,
et vocábitur nomen eius magni consílii Angelus.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, qui humánæ substántiæ dignitátem
et mirabíliter condidísti, et mirabílius reformásti,
da, quǽsumus, nobis eius divinitátis esse consórtes,
qui humanitátis nostræ fíeri dignátus est párticeps.
Qui tecum vivit.

Lectio prima

Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 52, 7-10

Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem, annuntiántis bonum, prædicántis salútem, dicéntis Sion: « Regnábit Deus tuus »! Vox speculatórum tuórum: levavérunt vocem, simul laudábunt, quia óculo ad óculum vidébunt cum convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte et laudáte simul, desérta Ierúsalem, quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Ierúsalem. Parávit Dóminus brácchium sanctum suum in óculis ómnium géntium, et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 97, 1. 2-3 ab. 3 cd-4. 5-6 (℟.: 3 c)

℟. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
Salvávit sibi déxtera eius,
et brácchium sanctum eius. ℟.

2 Notum fecit Dóminus salutáre suum,
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
3 Recordátus est misericórdiæ suæ
et veritátis suæ dómui Israel. ℟.

Vidérunt omnes términi terræ
salutáre Dei nostri.
4 Iubiláte Deo, omnis terra,
erúmpite, exsultáte et psállite. ℟.

5 Psállite Dómino in cíthara,
in cíthara et voce psalmi;
6 in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ,
iubiláte in conspéctu regis Dómini. ℟.

Lectio secunda

Locutus est nobis Deus in Filio.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 1, 1-6

Multifáriam et multis modis olim Deus locútus Pátribus in Prophétis, in novíssimis his diébus locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum,

per quem fecit et sǽcula; qui, cum sit splendor glóriæ et figúra substántiæ eius, et portet ómnia verbo virtútis suæ, purgatióne peccatórum facta, consédit ad déxteram Maiestátis in excélsis, tanto mélior ángelis efféctus quanto differéntius præ illis Nomen hereditávit.

Cui enim dixit aliquándo angelórum: « Fílius meus es tu, ego hódie génui te », et rursum: « Ego ero illi in Patrem et ipse erit mihi in Fílium »? Cum autem íterum introdúcit primogénitum in orbem terræ, dicit: « Et adórent eum omnes ángeli Dei ». — Verbum Dómini.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Dies sanctificátus illúxit nobis:
venite, gentes, et adoráte Dóminum:
quia hódie descéndit lux magna super terram.
℟. Allelúia.

Evangelium*

Verbum caro factum est,
et habitavit in nobis.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 1-18

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

Hoc erat in princípio apud Deum.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat et vita erat lux hóminum, et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt.

Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioánnes: hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine.

Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem, véniens in mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt.

Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine eius, qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt.

Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, et vídimus glóriam eius, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

Ioánnes testimónium pérhibet de ipso, et clamat dicens: « Hic erat, quem dixi: " Qui post me ventúrus est, ante me factus est, quia prior me erat " ».

Et de plenitúdine eius nos omnes accépimus, et grátiam pro grátia; quia Lex per Móysem data est, grátia et véritas per Iesum Christum facta est.

Deum nemo vidit umquam; Unigénitus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarrávit. — Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Ioánnem

1, 1-5. 9-14

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

Hoc erat in princípio apud Deum.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat et vita erat lux hóminum, et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt.

Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem, véniens in mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt.

Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine eius, qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt.

Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, et vídimus glóriam eius, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis. — Verbum Dómini.

Dicitur Credo. Ad verba Et incarnátus est genuflectitur.

Super oblata

Oblátio tibi sit, Dómine, hodiérnæ sollemnitátis accépta, qua et nostræ reconciliatiónis procéssit perfécta placátio, et divíni cultus nobis est índita plenitúdo.
Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium.

Ant. ad communionem — Ps 97, 3

Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

Post communionem

Præsta, miséricors Deus, ut natus hódie Salvátor mundi,
sicut divínæ nobis generatiónis est auctor,
ita et immortalitátis sit ipse largítor.
Qui vivit.

Dominica infra octavam Nativitatis Domini,
vel, ea deficiente, die 30 decembris

S. FAMILIÆ IESU, MARIÆ ET IOSEPH

Festum

Ant. ad introitum — Lc 2, 16

Venérunt pastóres festinántes,
et invenérunt Maríam et Ioseph
et Infántem pósitum in præsépio.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, qui præclára nobis sanctæ Famíliæ
dignátus es exémpla præbére,
concéde propítius,
ut, doméstícis virtútibus
caritatísque vínculis illam sectántes,
in lætítia domus tuæ prǽmiis fruámur ætérnis.
Per Dóminum.

Lectio prima

Qui timet Dominum honorat parentes.

Léctio libri Sirácidæ — 3, 3-7. 14-17 a

Deus honorávit patrem in fíliis, et iudícium matris exquírens firmávit in fílios. Qui díligit Deum exorábit pro peccátis et continébit se ab illis et in oratióne diérum exaudiétur.

Et, sicut qui thesaurízat, ita et qui honoríficat matrem suam, qui honórat patrem suum iucundábitur in fíliis et in die oratiónis suæ exaudiétur. Qui honórat patrem suum vita vivet longióre, et qui obǿdit patri refrigerábit matrem.

Fili, súscipe senéctam patris tui et non contrístes eum in vita illíus et, si defécerit sensu, véniam da et ne spernas eum in virtúte tua; eleemósyna enim patris non erit in oblivióne; nam pro peccáto matris restituétur tibi bonum, et in iustítia ædificábitur tibi.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 127, 1-2. 3. 4-5 (℟.: cf. 1)

℟. Beáti omnes qui timent Dóminum,
qui ámbulant in viis eius.

1 Beátus omnis qui timet Dóminum,
qui ámbulat in viis eius.
2 Labóres mánuum tuárum manducábis,
beátus es, et bene tibi erit. ℟.

3 Uxor tua sicut vitis fructífera
in latéribus domus tuæ;
fílii tui sicut novéllæ olivárum
in circúitu mensæ tuæ. ℟.

4 Ecce sic benedicétur homo,
qui timet Dóminum.
5 Benedícat tibi Dóminus ex Sion,
et vídeas bona Ierúsalem
ómnibus diébus vitæ tuæ. ℟.

Lectio secunda

De vita domestica in Domino.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Colossénses 3, 12-21

Fratres:

Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem,

patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis si quis advérsus áliquem habet querélam; sicut et Dóminus donávit vobis ita et vos; super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis.

Et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore; et grati estóte.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo; et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Iesu, grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

Mulíeres, súbditæ estóte viris, sicut óportet in Dómino. Viri, dilígite uxóres et nolíte amári esse ad illas. Fílii, obœdíte paréntibus per ómnia, hoc enim plácitum est in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocáre fílios vestros, ut non pusíllo ánimo fiant.

Verbum Dómini.

Alleluia — Col 3, 15 a. 16 a

℟. Allelúia. ℣. Pax Christi exsúltet in córdibus vestris; verbum Christi hábitet in vobis abundánter.
℟. Allelúia.

Evangelium

Anno A

Accipe puerum et matrem eius, et fuge in Ægyptum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
2, 13-15. 19-23

Cum recessíssent Magi, ecce ángelus Dómini appáret in somnis Ioseph, dicens: « Surge et áccipe púerum et matrem eius, et fuge in Ægýptum; et esto ibi usque dum

dicam tibi; futúrum est enim ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum ».

Qui consúrgens accépit púerum et matrem eius nocte et recéssit in Ægýptum, et erat ibi usque ad óbitum Heródis; ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: « Ex Ægýpto vocávi Fílium meum ».

Defúncto autem Heróde, ecce appáret ángelus Dómini in somnis Ioseph in Ægýpto, dicens: « Surge et áccipe púerum et matrem eius et vade in terram Israel; defúncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri ». Qui surgens accépit púerum et matrem eius et venit in terram Israel.

Audiens autem quia Archeláus regnáret in Iudǽa pro Heróde patre suo, tímuit illuc ire; et admónitus in somnis, secéssit in partes Galilǽæ et véniens habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth, ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas: « Nazarǽus vocábitur ».

Verbum Dómini.

Anno B*

Puer crescebat plenus sapientia.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 22-40

Postquam impléti sunt dies purgatiónis eórum secúndum legem Móysis, tulérunt Iesum paréntes eius in Hierosólymam, ut sísterent Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini: « Omne masculínum adapériens vulvam sanctum Dómino vocábitur », et ut darent hóstiam secúndum quod dictum est in lege Dómini: « par túrturum aut duos pullos columbárum ».

Et ecce homo erat in Ierúsalem, cui nomen Sýmeon, et homo iste iustus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israel, et Spíritus Sanctus erat super eum, et respón-

sum accéperat a Spíritu Sancto non visúrum se mortem nisi prius vidéret Christum Dómini.

Et venit in Spíritu in templum. Et cum indúcerent púerum Iesum paréntes eius, ut fácerent secúndum consuetúdinem Legis pro eo, et ipse accépit eum in ulnas suas et benedíxit Deum et dixit:

« Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace: quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, quod parásti ante fáciem ómnium populórum, lumen ad revelatiónem géntium et glóriam plebis tuæ Israel ».

Et erat pater eius et mater mirántes super his quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Sýmeon, et dixit ad Maríam matrem eius: « Ecce pósitus est hic in ruínam et resurrectiónem multórum in Israel et in signum cui contradicétur — et tuam ipsíus ánimam pertránsiet gládius — ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes ».

Et erat Anna prophetíssa, fília Phánuel, de tribu Aser; hæc procésserat in diébus multis, et víxerat cum viro suo annis septem a virginitáte sua. Et hæc vídua usque ad annos octogínta quáttuor, quæ non discedébat de templo, ieiúniis et obsecratiónibus sérviens nocte ac die. Et hæc ipsa hora supervéniens confitebátur Deo et loquebátur de illo ómnibus qui exspectábant redemptiónem Ierúsalem.

Et ut perfecérunt ómnia secúndum legem Dómini, revérsi sunt in Galilǽam in civitátem suam Názareth.

Puer autem crescébat et confortabátur plenus sapiéntia, et grátia Dei erat super illum.

Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam
2, 22. 39-40

Postquam impléti sunt dies purgatiónis eórum secúndum legem Móysis, tulérunt Iesum paréntes eius in Hierosólymam, ut sísterent Dómino.

Et ut perfecérunt ómnia secúndum legem Dómini, revérsi sunt in Galilǽam in civitátem suam Názareth.

Puer autem crescébat et confortabátur plenus sapiéntia, et grátia Dei erat super illum. — Verbum Dómini.

Anno C

Iesus in medio doctorum a parentibus invenitur.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 41-52

Ibant paréntes Iesu per omnes annos in Ierúsalem in die festo Paschæ. Et cum factus esset annórum duódecim, ascendéntibus illis secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Iesus in Ierúsalem, et non cognovérunt paréntes eius. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi et requirébant eum inter cognátos et notos, et non inveniéntes, regréssi sunt in Ierúsalem requiréntes eum.

Et factum est post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum audiéntem illos et interrogántem eos: stupébant autem omnes qui eum audiébant super prudéntia et respónsis eius.

Et vidéntes eum admiráti sunt, et dixit Mater eius ad illum: « Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te ».

Et ait ad illos: « Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his quæ Patris mei sunt opórtet me esse? »

Et ipsi non intellexérunt verbum quod locútus est ad illos.

Et descéndit cum eis et venit Názareth, et erat súbditus illis. Et Mater eius conservábat ómnia verba in corde suo.

Et Iesus proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia apud Deum et hómines. — Verbum Dómini.

Quando hoc festum celebratur die dominica, dicitur Credo.

Super oblata

Hóstiam tibi placatiónis offérimus, Dómine,
supplíciter deprecántes,
ut, Deíparæ Vírginis beatíque Ioseph
interveniénte suffrágio,
famílias nostras
in tua grátia fírmiter et pace constítuas.
Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.
Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium.

Ant. ad communionem — Bar 3, 38

Deus noster in terris visus est,
et cum homínibus conversátus est.

Post communionem

Quos cæléstibus réficis sacraméntis,
fac, clementíssime Pater,
sanctæ Famíliæ exémpla iúgiter imitári,
ut, post ærúmnas sǽculi,
eius consórtium consequámur ætérnum.
Per Christum.

Die 29 decembris

De V die infra octavam Nativitatis Domini

Ant. ad introitum Io 3, 16

Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret,
ut omnis qui credit in eum non péreat,
sed hábeat vitam ætérnam.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Omnípotens et invisíbilis Deus,
qui tuæ lucis advéntu mundi ténebras effugásti,
seréno vultu nos, quǽsumus, intuére,
ut magnificéntiam nativitátis Unigéniti tui
dignis præcóniis collaudémus.
Qui tecum vivit.

Lectio prior

Qui diligit fratrem suum in lumine manet.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 2, 3-11

Caríssimi:

In hoc cognóscimus quóniam nóvimus Iesum, si mandáta eius servémus. Qui dicit: « Novi eum », et mandáta eius non servat, mendax est, et in hoc véritas non est; qui autem servat verbum eius, vere in hoc cáritas Dei consummáta est; in hoc cognóscimus quóniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manére, debet, sicut ille ambulávit, et ipse ambuláre.

Caríssimi, non mandátum novum scribo vobis, sed mandátum vetus, quod habuístis ab inítio: mandátum vetus est verbum quod audístis. Verúmtamen mandátum

novum scribo vobis, quod est verum in ipso et in vobis, quóniam ténebræ tránseunt et lumen verum iam lucet.

Qui dicit se in luce esse et fratrem suum odit, in ténebris est usque adhuc. Qui díligit fratrem suum, in lúmine manet et scándalum ei non est; qui autem odit fratrem suum, in ténebris est et in ténebris ámbulat, et nescit quo vadat, quóniam ténebræ obcæcavérunt óculos eius. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 95, 1-2 a. 2 b-3. 5 b-6 (℟.: 11 a)

℟. Læténtur cæli et exsúltet terra.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
2 Cantáte Dómino, benedícite nómini eius. ℟.

Annuntiáte de die in diem salutáre eius.
3 Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius. ℟.

5 Dóminus autem cælos fecit.
6 Magnificéntia et pulchritúdo in conspéctu eius,
poténtia et decor in sanctuário eius. ℟.

Allelúia

Lc 2, 32

℟. Allelúia. ℣. Lumen ad revelatiónem géntium,
et glóriam plebis tuæ Israel. ℟. Allelúia.

Loco versus ante Evangelium, qui singulis diebus proponitur, alius adhiberi potest ex iis qui infra, p. 718, inveniuntur.

Evangelium

Lumen ad revelationem gentium.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 22-35

Postquam impléti sunt dies purgatiónis eórum secúndum legem Móysis, tulérunt Iesum paréntes eius in

Hierosólymam ut sísterent Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini: « Omne masculínum adapériens vulvam sanctum Dómino vocábitur », et ut darent hóstiam secúndum quod dictum est in lege Dómini: « par túrturum aut duos pullos columbárum ».

Et ecce homo erat in Ierúsalem, cui nomen Sýmeon, et homo iste iustus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israel, et Spíritus Sanctus erat super eum, et respónsum accéperat a Spíritu Sancto non visúrum se mortem nisi prius vidéret Christum Dómini.

Et venit in Spíritu in templum. Et cum indúcerent púerum Iesum paréntes eius ut fácerent secúndum consuetúdinem Legis pro eo, et ipse accépit eum in ulnas suas et benedíxit Deum et dixit:

« Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace: quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, quod parásti ante fáciem ómnium populórum, lumen ad revelatiónem géntium et glóriam plebis tuæ Israel ».

Et erat pater eius et mater mirántes super his quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Sýmeon, et dixit ad Maríam matrem eius: « Ecce pósitus est hic in ruínam et resurrectiónem multórum in Israel et in signum cui contradicétur — et tuam ipsíus ánimam pertránsiet gládius — ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera nostra,
quibus exercéntur commércia gloriósa,
ut, offeréntes quæ dedísti,
teípsum mereámur accípere. Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium.

Ant. ad communionem Lc 1, 78

Per víscera misericórdiæ Dei nostri,
visitávit nos Oriens ex alto.

Post communionem

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut mysteriórum virtúte sanctórum
iúgiter vita nostra firmétur. Per Christum.

Die 30 decembris

De VI die infra octavam Nativitatis Domini

Deficiente dominica infra octavam Nativitatis, hac die celebratur festum S. Familiæ Iesu, Mariæ et Ioseph (cf. p. 302).

Ant. ad introitum Sap. 18, 14-15

Dum médium siléntium tenérent ómnia,
et nox in suo cursu médium iter habéret,
omnípotens sermo tuus, Dómine,
de cælis a regálibus sédibus venit.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut nos Unigéniti tui nova per carnem natívitas líberet,
quos sub peccáti iugo vetústa sérvitus tenet.
Per Dóminum.

Lectio prior

Qui facit voluntatem Dei manet in æternum

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 2, 12-17

Scribo vobis, filíoli: Remíssa sunt vobis peccáta propter Nomen eius. Scribo vobis, patres: Novístis Eum qui

ab inítio est. Scribo vobis, adulescéntes: Vicístis Malígnum. Scripsi vobis, párvuli: Nostis Patrem. Scripsi vobis, patres: Nostis Eum qui ab inítio est. Scripsi vobis, adulescéntes: Fortes estis et verbum Dei in vobis manet et vicístis Malígnum.

Nolíte dilígere mundum neque ea quæ in mundo sunt. Si quis díligit mundum, non est cáritas Patris in eo; quóniam omne quod est in mundo, concupiscéntia carnis et concupiscéntia oculórum et supérbia vitæ, non est ex Patre sed ex mundo est. Et mundus transit et concupiscéntia eius; qui autem facit voluntátem Dei manet in ætérnum.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 95, 7-8 a. 8 b-9. 10 (℟.: 11 a)

℟. Lætétur cæli et exsúltet terra.

7 Afférte Dómino, famíliæ populórum,
afférte Dómino glóriam et poténtiam,
8 afférte Dómino glóriam nóminis eius. ℟.

Tóllite hóstias et introíte in átria eius,
9 adoráte Dóminum in splendóre sancto.
Contremíscite a fácie eius, univérsa terra. ℟.

10 Dícite in géntibus: « Dóminus regnávit ».
Etenim corréxit orbem terræ
qui non commovébitur;
iudicábit pópulos in æquitáte. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Dies sanctificátus illúxit nobis:
venite, gentes, et adoráte Dóminum:
quia hódie descéndit lux magna super terram.
℟. Allelúia.

Evangelium

Loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Ierusalem.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 36-40

In illo témpore:

Erat Anna prophetíssa, fília Phánuel, de tribu Aser; hæc procésserat in diébus multis, et víxerat cum viro suo annis septem a virginitáte sua. Et hæc vídua usque ad annos octogínta quáttuor, quæ non discedébat de templo, ieiúniis et obsecratiónibus sérviens nocte ac die. Et hæc ipsa hora supervéniens confitebátur Deo et loquebátur de illo ómnibus qui exspectábant redemptiónem Ierúsalem.

Et ut perfecérunt ómnia secúndum legem Dómini, revérsi sunt in Galilǽam in civitátem suam Názareth.

Puer autem crescébat et confortabátur plenus sapiéntia, et grátia Dei erat super illum.

Verbum Dómini.

Super oblata

Múnera, quǽsumus, Dómine,
tuæ plebis propitiátus assúme,
ut, quæ fídei pietáte profiténtur,
sacraméntis cæléstibus apprehéndant.
Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium.

Ant. ad communionem Io 1, 16

De plenitúdine eius nos omnes accépimus,
et grátiam pro grátia.

Post communionem

Deus, qui nos sacraménti tui participatióne contíngis,
virtútis eius efféctus in nostris córdibus operáre,
ut suscipiéndo múneri tuo per ipsum munus aptémur.
Per Christum.

Die 31 decembris

De VII die infra octavam Nativitatis Domini

Ant. ad introitum Is 9, 6

Puer natus est nobis, et fílius datus est nobis,
cuius impérium super húmerum eius,
et vocábitur nomen eius magni consílii Angelus.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus, qui in Fílii tui nativitáte
tribuísti totíus religiónis
inítium perfectionémque constáre,
da nobis, quǽsumus, in eius portióne censéri,
in quo totíus salútis humánæ summa consístit.
Per Dóminum.

Lectio prior

Unctionem habetis a Sancto et scitis omnes.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 2, 18-21

Filíoli, novíssima hora est, et sicut audístis quia Antichrístus venit, ita nunc Antichrísti multi adsunt; unde cognóscimus quóniam novíssima hora est. Ex nobis prodiérunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuíssent ex nobis, permansíssent nobíscum; sed ut manifestarétur quóniam illi omnes non sunt ex nobis.

Sed vos unctiónem habétis a Sancto et scitis omnes. Non scripsi vobis quasi nesciéntibus veritatém, sed quasi sciéntibus eam, et quóniam omne mendácium ex veritáte non est.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 95, 1-2. 11-12. 13 (℟.: 11 a)

℟. Lætentur cæli et exsúltet terra.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
2 Cantáte Dómino, benedícite nómini eius,
annuntiáte de die in diem salutáre eius. ℟.

11 Lætentur cæli et exsúltet terra,
sonet mare et plenitúdo eius;
12 gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.
Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum. ℟.

13 A fácie Dómini, quia venit,
quóniam venit iudicáre terram.
Iudicábit orbem terræ in iustítia
et pópulos in veritáte sua. ℟.

Alleluia Io 1, 14. 12 b

℟. Allelúia. ℣. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis.
Quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri.
℟. Allelúia.

Evangelium

Verbum caro factum est.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 1-18

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

Hoc erat in princípio apud Deum.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat et vita erat lux hóminum; et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt.

Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioánnes: hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine.

Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem, véniens in mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt.

Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine eius, qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt.

Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, et vídimus glóriam eius, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

Ioánnes testimónium pérhibet de ipso, et clamat dicens: « Hic erat, quem dixi: “ Qui post me ventúrus est, ante me factus est, quia prior me erat ” ».

Et de plenitúdine eius nos omnes accépimus, et grátiam pro grátia; quia Lex per Móysem data est, grátia et véritas per Iesum Christum facta est.

Deum nemo vidit umquam; Unigénitus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarrávit. — Verbum Dómini.

Super oblata

Deus, auctor sincéræ devotiónis et pacis,
da, quǽsumus, ut et maiestátem tuam
conveniénter hoc múnere venerémur,
et sacri participatióne mystérii fidéliter sénsibus uniámur.
Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.
Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium.

Ant. ad communionem 1 Io 4, 9

Misit Deus Fílium suum unigénitum in mundum,
ut vivámus per eum.

Post communionem

Divérsis plebs tua, Dómine, gubernáta subsídiis,
et præséntia pietátis tuæ remédia cápiat et futúra,
ut, transeúntium rerum necessária consolatióne fovénte,
fiduciálius ad ætérna conténdat.
Per Christum.

Die 1 ianuarii

In octava Nativitatis Domini

SOLLEMNITAS SANCTÆ DEI GENETRICIS MARIÆ

Ant. ad introitum — Sedulius

Salve, sancta Parens, eníxa puérpera Regem,
qui cælum terrámque regit in sǽcula sæculórum.

Vel: — Cf. Is 9, 2. 6; Lc 1, 33

Lux fulgébit hódie super nos,
quia natus est nobis Dóminus;
et vocábitur Admirábilis, Deus, Princeps pacis,
Pater futúri sǽculi: cuius regni non erit finis.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, qui salútis ætérnæ,
beátæ Maríæ virginitáte fecúnda,
humáno géneri prǽmia præstitísti,
tríbue, quǽsumus,
ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus,
per quam merúimus Fílium tuum
auctórem vitæ suscípere. Qui tecum vivit.

Lectio prima

Invocabunt nomen meum super filios Israel,
et ego benedicam eis.

Léctio libri Númeri — 6, 22-27

Locútus est Dóminus ad Móysen dicens: « Lóquere Aaron et fíliis eius: Sic benedicétis fíliis Israel et dicétis eis:

“ Benedícat tibi Dóminus et custódiat te: osténdat Dóminus fáciem suam tibi et misereátur tui. Convértat Dóminus vultum suum ad te et det tibi pacem ”.

Invocabúntque nomen meum super fílios Israel, et ego benedícam eis ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 66, 2-3. 5. 6 et 8 (℟.: 2 a)

℟. Deus misereátur nostri, et benedícat nobis.

2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis;
illúminet vultum suum super nos.
3 Ut cognoscátur in terra via tua,
in ómnibus géntibus salutáre tuum. ℟.
5 Læténtur et exsúltent gentes,
quóniam iúdicas pópulos in æquitáte,
et gentes in terra dírigis. ℟.
6 Confiteántur tibi pópuli, Deus,
confiteántur tibi pópuli omnes.
8 Benedícat nos Deus,
et métuant eum omnes fines terræ. ℟.

Lectio secunda

Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas 4, 4-7

Fratres:

Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Quóniam autem estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda nostra, clamántem: « Abba, Pater! » Itaque iam non es servus, sed fílius; quod si fílius, et heres per Deum. — Verbum Dómini.

Alleluia Hebr 1, 1-2

℟. Allelúia. ℣. Multifárie olim Deus loquens pátribus in prophétis,
novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio. ℟. Allelúia.

Evangelium

Invenerunt Mariam et Ioseph et infantem ...
Et post dies octo, vocatum est nomen eius Iesus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 16-21

In illo témpore:

Venérunt pastóres festinántes usque Béthleem et invenérunt Maríam et Ioseph et infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem notum fecérunt verbum quod dictum erat illis de púero hoc.

Et omnes qui audiérunt miráti sunt de his quæ dicta erant a pastóribus ad ipsos: María autem conservábat ómnia verba hæc cónferens in corde suo. Et revérsi sunt pastóres glorificántes et laudántes Deum in ómnibus quæ audíerant et víderant sicut dictum est ad illos.

Et postquam consummáti sunt dies octo ut circumciderétur, vocátum est nomen eius Iesus, quod vocátum est ab Angelo prius quam in útero conciperétur.

Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Deus, qui bona cuncta ínchoas benígnus et pérficis, da nobis,
de sollemnitáte sanctæ Dei Genetrícis lætántibus,
sicut de inítiis tuæ grátiæ gloriámur,
ita de perfectióne gaudére. Per Christum.

Præfatio de beata Maria Virgine I (Et te in sollemnitáte), p. 762.
Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium.

Ant. ad communionem Hebr 13, 8

Iesus Christus heri et hódie, ipse et in sǽcula.

Post communionem

Súmpsimus, Dómine, læti sacraménta cæléstia:
præsta, quǽsumus,
ut ad vitam nobis profíciant sempitérnam,
qui beátam semper Vírginem Maríam
Fílii tui Genetrícem et Ecclésiæ Matrem
profitéri gloriámur.
Per Christum.

Diebus sequentibus, quando dicenda est Missa de feria, adhibentur textus infra propositi, p. 332.

DOMINICA II POST NATIVITATEM

Ant. ad introitum — Sap 18, 14-15

Dum médium siléntium tenérent ómnia,
et nox in suo cursu médium iter habéret,
omnípotens sermo tuus, Dómine,
de cælis a regálibus sédibus venit.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
fidélium splendor animárum,
dignáre mundum glória tua implére benígnus,
et cunctis pópulis appáre per tui lúminis claritátem.
Per Dóminum.

Lectio prima

Sapientia Dei in populo electo inhabitavit.

Léctio libri Sirácidæ — 24, 1-4. 12-16

Sapiéntia laudábit ánimam suam et in Deo honorábitur, et in médio pópuli sui gloriábitur; et in ecclésiis Altíssimi apériet os suum, et in conspéctu virtútis illíus gloriábitur, et in médio pópuli sui exaltábitur, et in plenitúdine sancta admirábitur; et in multitúdine electórum habébit laudem, et inter benedíctos benedicétur.

Præcépit et dixit mihi creátor ómnium, et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: « In Iacob inhábita et in Israel hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces ».

Ab inítio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Ierúsalem potéstas mea.

Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 147, 12-13. 14-15. 19-20 (℟.: Io 1, 14)

℟. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis.

vel Allelúia.

12 Lauda, Ierúsalem, Dóminum;
colláuda Deum tuum, Sion.
13 Quóniam confortávit seras portárum tuárum,
benedíxit fíliis tuis in te. ℟.

14 Qui ponit fines tuos pacem,
et ádipe fruménti sátiat te.
15 Qui emíttit elóquium suum terræ,
velóciter currit verbum eius. ℟.

19 Qui annúntiat verbum suum Iacob,
iustítias et iudícia sua Israel.
20 Non fecit táliter omni natióni,
et iudícia sua non manifestávit eis. ℟.

Lectio secunda

*Prædestinavit nos
in adoptionem filiorum per Iesum.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
1, 3-6. 15-18

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spiritáli in cæléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in con-

spéctu eius in caritáte, qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Iesum Christum in ipsum, secúndum beneplácitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in Dilécto.

Proptérea et ego áudiens fidem vestram quæ est in Dómino Iesu et dilectiónem in omnes sanctos, non cesso grátias agens pro vobis memóriam fáciens in oratiónibus meis, ut Deus Dómini nostri Iesu Christi, Pater glóriæ, det vobis Spíritum sapiéntiæ et revelatiónis in agnitióne eius, illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis eius, quæ divítiæ glóriæ hereditátis eius in sanctis. — Verbum Dómini.

Alleluia Cf. 1 Tim 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Glória tibi, Christe, prædicáto géntibus; glória tibi, Christe, crédito in mundo.
℟. Allelúia.

Evangelium*

Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 1-18

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

Hoc erat in princípio apud Deum.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat et vita erat lux hóminum, et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt.

Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioánnes: hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine.

Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem, véniens in mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum

factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt.

Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine eius, qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt.

Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, et vídimus glóriam eius, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

Ioánnes testimónium pérhibet de ipso, et clamat dicens: « Hic erat, quem dixi: " Qui post me ventúrus est, ante me factus est, quia prior me erat " ».

Et de plenitúdine eius nos omnes accépimus, et grátiam pro grátia; quia Lex per Móysem data est, grátia et véritas per Iesum Christum facta est.

Deum nemo vidit umquam; Unigénitus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarrávit. — Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

1, 1-5. 9-14

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

Hoc erat in princípio apud Deum.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat et vita erat lux hóminum, et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt.

Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem, véniens in mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt.

Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine eius, qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt.

Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, et vídimus glóriam eius, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis. — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Obláta, Dómine, múnera
Unigéniti tui nativitáte sanctífica,
qua nobis et via osténditur veritátis,
et regni cæléstis vita promíttitur.
Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.

Ant. ad communionem — Io 1, 12

Omnibus qui recepérunt eum,
dedit eis potestátem fílios Dei fíeri.

Post communionem

Dómine Deus noster, supplíciter te rogámus,
ut, huius operatióne mystérii,
vítia nostra purgéntur, et iusta desidéria compleántur.
Per Christum.

Die 6 ianuarii

IN EPIPHANIA DOMINI

Sollemnitas

Ant. ad introitum Cf. Mal 3, 1; 1 Chr 19, 12

Ecce advénit Dominátor Dóminus;
et regnum in manu eius et potéstas et impérium.

Dicitur **Glória in excélsis.**

Collecta

Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum
géntibus stella duce revelásti,
concéde propítius, ut, qui iam te ex fide cognóvimus,
usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis
perducámur. Per Dóminum.

Lectio prima

Gloria Domini super te orta est.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 60, 1-6

Surge, illumináre, Ierúsalem, quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est. Quia ecce ténebræ opérient terram, et calígo pópulos; super te autem oriétur Dóminus, et glória eius in te vidébitur.

Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. Leva in circúitu óculos tuos, et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi; fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent.

Tunc vidébis et áfflues, mirábitur et dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo géntium vénerit tibi, inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian et Epha; omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 71, 1-2. 7-8. 10-11. 12-13 (℟.: cf. 11)

℟. Adorábunt te, Dómine, omnes gentes terræ.

1 Deus, iudícium tuum regi da,
et iustítiam tuam fílio regis;
2 iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare,
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

10 Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent,
reges Arabum et Saba dona addúcent.
11 Et adorábunt eum omnes reges,
omnes gentes sérvient ei. ℟.

12 Quia liberábit ínopem clamántem,
et páuperem cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi,
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

Lectio secunda

Nunc revelatum est gentes
esse coheredes promissionis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios

3, 2-3 a. 5-6

Fratres:

Audístis dispensatiónem grátiæ Dei quæ data est mihi pro vobis, quóniam secúndum revelatiónem notum mihi factum est mystérium, quod áliis generatiónibus non innótuit fíliis hóminum, sícuti nunc revelátum est sanctis Apóstolis eius et Prophétis in Spíritu: esse gentes co-

herédes et concorporáles et compartícipes promissiónis in Christo Iesu per Evangélium. — Verbum Dómini.

Alleluia Mt 2, 2

℟. Allelúia. ℣. Vídimus stellam eius in oriénte,
et vénimus adoráre Dóminum. ℟. Allelúia.

Evangelium

Venimus ab oriente adorare regem.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 2, 1-12

Cum natus esset Iesus in Béthleem Iudǽæ in diébus Heródis regis, ecce Magi ab oriénte venérunt Hierosólymam, dicéntes: « Ubi est qui natus est Rex Iudæórum? Vídimus enim stellam eius in oriénte et vénimus adoráre eum ».

Audiens autem Heródes rex turbátus est et omnis Hierosólyma cum illo; et cóngregans omnes príncipes sacerdótum et scribas pópuli sciscitabátur ab eis ubi Christus nascerétur.

At illi dixérunt ei: « In Béthleem Iudǽæ: sic enim scriptum est per Prophétam: " Et tu, Béthleem terra Iuda, nequáquam mínima es in princípibus Iuda; ex te enim éxiet dux, qui reget pópulum meum Israel " ».

Tunc Heródes, clam vocátis Magis, diligénter dídicit ab eis tempus stellæ quæ appáruit eis, et mittens illos in Béthleem, dixit: « Ite, et interrogáte diligénter de púero; et cum invenéritis renuntiáte mihi, ut et ego véniens adórem eum ».

Qui, cum audíssent regem, abiérunt, et ecce stella quam víderant in oriénte antecedébat eos, usque dum véniens staret supra ubi erat puer. Vidéntes autem stellam gavísi sunt gáudio magno valde. Et intrántes domum vidérunt púerum cum María matre eius, et proci-

déntes adoravérunt eum; et apértis thesáuris suis, obtulérunt ei múnera, aurum et thus et myrrham.

Et respónso accépto in somnis ne redírent ad Heródem, per áliam viam revérsi sunt in regiónem suam.

Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, dona propítius intuére,
quibus non iam aurum, thus et myrrha profértur,
sed quod eísdem munéribus declarátur,
immolátur et súmitur,
Iesus Christus. Qui vivit.

Præfatio de Epiphania, p. 750.
Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium.

Ant. ad communionem — Cf. Mt 2, 2

Vídimus stellam eius in oriénte,
et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum.

Post communionem

Cælésti lúmine, quǽsumus, Dómine,
semper et ubíque nos præveni,
ut mystérium, cuius nos partícipes esse voluísti,
et puro cernámus intúitu, et digno percipiámus afféctu.
Per Christum.

Ubi sollemnitas Epiphaniæ non est de præcepto servanda, assignatur, tamquam diei proprio, dominicæ a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrenti.

IN FERIIS TEMPORIS NATIVITATIS

a die 2 ianuarii
usque ad sabbatum ante festum Baptismatis Domini

Hæ Missæ adhibentur in feriis quibus sunt assignatæ, mutando collectam, prouti indicatur.

Feria secunda

Ant. ad introitum

Dies sanctificátus illúxit nobis:
veníte, gentes, et adoráte Dóminum,
quia descéndit lux magna super terram.

Collecta

Ante sollemnitatem Epiphaniæ

Da, quǽsumus, Dómine,
pópulo tuo inviolábilem fídei firmitátem,
ut, qui Unigénitum tuum in tua tecum glória sempitérnum
in veritáte nostri córporis
natum de Matre Vírgine confiténtur,
et a præséntibus liberéntur advérsis,
et mansúris gáudiis inseréntur.
Per Dóminum.

Post sollemnitatem Epiphaniæ

Corda nostra, quǽsumus, Dómine,
tuæ maiestátis splendor illústret,
quo per mundi huius ténebras transíre valeámus,
et perveniámus ad pátriam claritátis ætérnæ.
Per Dóminum.

Ante Epiphaniam dicuntur lectiones quæ pp. 340-352 exstant, post vero Epiphaniam lectiones pp. 353-365 positæ.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera nostra,
quibus exercéntur commércia gloriósa,
ut, offeréntes quæ dedísti,
teípsum mereámur accípere.
Per Christum.

Ante sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.
Post sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Epiphania, p. 750,
vel de Nativitate, pp. 747-749.

Ant. ad communionem — Io 1, 14

Vídimus glóriam eius,
glóriam quasi Unigéniti a Patre,
plenum grátiæ et veritátis.

Post communionem

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, mysteriórum virtúte sanctórum,
iúgiter vita nostra firmétur.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum — Ps 117, 26-27

Benedíctus qui venit in nómine Dómini:
Deus Dóminus et illúxit nobis.

Collecta

Ante sollemnitatem Epiphaniæ

Deus, qui, per beátum sacræ Vírginis partum,
Fílii tui carnem humánis fecísti præiudíciis non tenéri,
præsta, quǽsumus, ut, huius creatúræ novitáte suscépti,
vetustátis antíquæ contágiis exuámur.
Per Dóminum.

Post sollemnitatem Epiphaniæ

Deus, cuius Unigénitus
in substántia nostræ carnis appáruit,
præsta, quǽsumus, ut per eum,
quem símilem nobis foris agnóvimus,
intus reformári mereámur.
Qui tecum vivit.

Ante Epiphaniam dicuntur lectiones quæ pp. 340-352 exstant, post vero Epiphaniam lectiones pp. 353-365 positæ.

Super oblata

Múnera, quǽsumus, Dómine,
tuæ plebis propitiátus assúme,
ut, quæ fídei pietáte profiténtur,
sacraméntis cæléstibus apprehéndant.
Per Christum.

Ante sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.
Post sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Epiphania, p. 750, vel de Nativitate, pp. 747-749.

Ant. ad communionem — Eph 2, 4; Rom 8, 3

Propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos Deus,
Fílium suum misit in similitúdinem carnis peccáti.

Post communionem

Deus, qui nos sacraménti tui participatióne contíngis,
virtútis eius efféctus in nostris córdibus operáre,
ut suscipiéndo múneri tuo per ipsum munus aptémur.
Per Christum.

Feria quarta

Ant. ad introitum — Is 9, 2

Pópulus, qui ambulábat in ténebris,
vidit lucem magnam;
habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis.

Collecta

Ante sollemnitatem Epiphaniæ

Concéde nobis, omnípotens Deus,
ut salutáre tuum, quod ad redemptiónem mundi
luce nova cælórum procéssit,
nostris semper innovándis córdibus oriátur.
Per Dóminum.

Post sollemnitatem Epiphaniæ

Deus, illuminátor ómnium géntium,
da pópulis tuis perpétua pace gaudére,
et illud córdibus nostris spléndidum lumen infúnde,
quod patrum nostrórum méntibus aspersísti.
Per Dóminum.

Ante Epiphaniam dicuntur lectiones quæ pp. 340-352 exstant, post vero Epiphaniam lectiones pp. 353-365 positæ.

Super oblata

Deus, auctor sincéræ devotiónis et pacis,
da, quǽsumus, ut et maiestátem tuam
conveniénter hoc múnere venerémur,
et sacri participatióne mystérii fidéliter sénsibus uniámur.
Per Christum.

Ante sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.
Post sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Epiphania, p. 750, vel de Nativitate, pp. 747-749.

Ant. ad communionem — 1 Io 1, 2

Vita manifestáta est, quæ erat apud Patrem,
et appáruit nobis.

Post communionem

Divérsis plebs tua, Dómine, gubernáta subsídiis,
et præséntia pietátis tuæ remédia cápiat et futúra,

ut, transeúntium rerum necessária consolatióne fovénte, fiduciálius ad ætérna conténdat. Per Christum.

Feria quinta

Ant. ad introitum Cf. Io 1, 1

In princípio et ante sǽcula Deus erat Verbum,
et ipse nasci dignátus est Salvátor mundi.

Collecta

Ante sollemnitatem Epiphaniæ

Deus, qui pópulo tuo, Unigéniti tui nativitáte,
redemptiónis efféctum mirabíliter inchoásti,
ita, quǽsumus, fídei fámulis tuis tríbue firmitátem,
ut usque ad promíssum glóriæ prǽmium,
ipso gubernánte, pervéniant. Per Dóminum.

Post sollemnitatem Epiphaniæ

Deus, qui per Fílium tuum
æternitátis tuæ lumen cunctis géntibus suscitásti,
da plebi tuæ fulgórem plenum
sui Redemptóris agnóscere,
ut ad perpétuam claritátem
per eius increménta pervéniat.
Per Dóminum.

Ante Epiphaniam dicuntur lectiones quæ pp. 340-352 exstant, post vero Epiphaniam lectiones pp. 353-365 positæ.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera nostra,
quibus exercéntur commércia glorióısa,
ut, offeréntes quæ dedísti,
teípsum mereámur accípere. Per Christum.

Ante sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.
Post sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Epiphania, p. 750, vel de Nativitate, pp. 747-749.

Ant. ad communionem Io 3, 16

Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret,
ut omnis, qui credit in eum, non péreat,
sed hábeat vitam ætérnam.

Post communionem

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, mysteriórum virtúte sanctórum,
iúgiter vita nostra firmétur.
Per Christum.

Feria sexta

Ant. ad introitum Ps 111, 4

Exórtum est in ténebris lumen rectis corde,
misericors, et miserátor, et iustus Dóminus.

Collecta

Ante sollemnitatem Epiphaniæ

Fidéles tuos, quǽsumus, Dómine, benígnus illúmina,
et splendóre glóriæ tuæ corda eórum semper accénde,
ut Salvatórem suum et incessánter agnóscant,
et veráciter apprehéndant.
Per Dóminum.

Post sollemnitatem Epiphaniæ

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut Salvatóris mundi, stella duce, manifestáta natívitas,
méntibus nostris revelétur semper et crescat.
Per Dóminum.

Ante Epiphaniam dicuntur lectiones quæ pp. 340-352 exstant, post vero Epiphaniam lectiones pp. 353-365 positæ.

Super oblata

Múnera, quǽsumus, Dómine,
tuæ plebis propitiátus assúme,
ut, quæ fídei pietáte profiténtur,
sacraméntis cæléstibus apprehéndant.
Per Christum.

Ante sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.
Post sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Epiphania, p. 750, vel de Nativitate, pp. 747-749.

Ant. ad communionem 1 Io 4, 9

In hoc appáruit cáritas Dei in nobis,
quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum,
ut vivámus per eum.

Post communionem

Deus, qui nos sacraménti tui participatióne contíngis,
virtútis eius efféctus in nostris córdibus operáre,
ut suscipiéndo múneri tuo per ipsum munus aptémur.
Per Christum.

Sabbato

Ant. ad introitum Gal 4, 4-5

Misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere,
ut adoptiónem filiórum reciperémus.

Collecta

Ante sollemnitatem Epiphaniæ

Omnípotens sempitérne Deus,
qui per advéntum unigéniti Fílii tui
nova luce radiáre dignátus es,
concéde nobis, ut, sicut eum per Vírginis partum
in forma nostri córporis meruímus habére partícipem,
ita et in eius regno grátiæ mereámur esse consórtes.
Per Dóminum.

Post sollemnitatem Epiphaniæ

Omnípotens sempitérne Deus,
qui per Unigénitum tuum
novam creatúram nos tibi esse fecísti,
præsta, quǽsumus, ut per grátiam tuam
in illíus inveniámur forma,
in quo tecum est nostra substántia.
Per Dóminum.

Ante Epiphaniam dicuntur lectiones quæ pp. 340-352 exstant, post vero Epiphaniam lectiones pp. 353-365 positæ.

Super oblata

Deus, auctor sincéræ devotiónis et pacis,
da, quǽsumus, ut maiestátem tuam
conveniénter hoc múnere venerémur,
et sacri participatióne mystérii fidéliter sénsibus uniámur.
Per Christum.

Ante sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.
Post sollemnitatem Epiphaniæ: Præfatio de Epiphania, p. 750, vel de Nativitate, pp. 747-749.

Ant. ad communionem Io 1, 16

De plenitúdine eius nos omnes accépimus,
et grátiam pro grátia.

Post communionem

Divérsis plebs tua, Dómine, gubernáta subsídiis,
et præséntia pietátis tuæ remédia cápiat et futúra,
ut, transeúntium rerum necessária consolatióne fovénte,
fiduciálius ad ætérna conténdat.
Per Christum.

LECTIONES ANTE EPIPHANIAM DICENDÆ

Die 2 ianuarii

Lectio prior

Quod audistis ab initio in vobis permaneat.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 2, 22-28

Caríssimi:

Quis est mendax nisi is qui negat quóniam Iesus est Christus? Hic est Antichrístus, qui negat Patrem et Fílium. Omnis qui negat Fílium, nec Patrem habet; qui confitétur Fílium, et Patrem habet.

Vos quod audístis ab inítio in vobis permáneat; si in vobis permánserit quod ab inítio audístis, et vos in Fílio et in Patre manébitis. Et hæc est repromíssio quam ipse pollícitus est nobis, vitam ætérnam. Hæc scripsi vobis de eis qui sedúcunt vos.

Et vos unctiónem quam accepístis ab eo manet in vobis, et non necésse habétis ut áliquis dóceat vos; sed sicut únctio ipsíus docet vos de ómnibus, et verum est et non est mendácium, et, sicut dócuit vos, manétis in eo.

Et nunc, filíoli, manéte in eo, ut cum apparúerit habeámus fidúciam et non confundámur ab eo in advéntu eius. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 97, 1. 2-3 ab. 3 cd-4 (℟.: 3 a)

℟. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
Salvávit sibi déxtera eius,
et brácchium sanctum eius. ℟.

Notum fecit Dóminus salutáre suum,
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
Recordátus est misericórdiæ suæ
et veritátis suæ dómui Israel. ℟.

Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.
Iubiláte Deo, omnis terra,
erúmpite, exsultáte et psállite. ℟.

Alleluia Hebr 1, 1-2

℟. Allelúia. ℣. Multifárie olim Deus loquens pátribus in prophétis,
novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio. ℟. Allelúia.

Loco versus ante Evangelium, qui singulis diebus proponitur, alius adhiberi potest ex iis qui infra, p. 718, exstant.

Evangelium

Medius vestrum stat, quem vos non scitis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 19-28

Hoc est testimónium Ioánnis, quando misérunt ad eum Iudǽi ab Hierosólymis sacerdótes et Levítas ut interrogárent eum: « Tu quis es? »

Et conféssus est, et non negávit; et conféssus est: « Non sum ego Christus ».

Et interrogavérunt eum: « Quid ergo? Elías es tu? »

Et dicit: « Non sum ».

« Prophéta es tu? » Et respóndit: « Non ».

Dixérunt ergo ei: « Quis es? Ut respónsum demus his, qui misérunt nos; quid dicis de te ipso? »

Ait: « Ego vox clamántis in desérto: " Dirígite viam Dómini ", sicut dixit Isaías prophéta ».

Et qui missi fúerant erant ex Pharisǽis. Et interrogavérunt eum, et dixérunt ei: « Quid ergo baptízas, si tu non es Christus, neque Elías, neque Prophéta? »

Respóndit eis Ioánnes dicens: « Ego baptízo in aqua; médius vestrum stat, quem vos non scitis, qui post me ventúrus est, cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrígiam calceaménti ».

Hæc in Bethánia facta sunt trans Iordánem, ubi erat Ioánnes baptízans. — Verbum Dómini.

Die 3 ianuarii

In regionibus ubi Epiphania celebratur dominica diebus a 2 ad 8 ianuarii occurrente, sumuntur post Epiphaniam lectiones pp. 353 ss. positæ. Alibi:

Lectio prior

Omnis qui in eo manet non peccat.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli
2, 29 — 3, 6

Caríssimi:

Si scitis quóniam iustus est, scitóte quóniam et omnis qui facit iustítiam ex ipso natus est.

Vidéte qualem caritátem dedit nobis Pater, ut fílii Dei nominémur: et sumus! Propter hoc mundus non cognóscit nos, quia non cognóvit eum. Caríssimi, nunc fílii Dei sumus, et nondum manifestátum est quid érimus; scimus quóniam cum ipse apparúerit, símiles ei érimus; quóniam vidébimus eum sícuti est.

Et omnis qui habet spem hanc in eo, castíficat se sicut ille castus est. Omnis qui facit peccátum, et iniquitátem facit, quia peccátum est iníquitas. Et scitis quóniam ille appáruit ut peccáta tólleret, et peccátum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat; omnis qui peccat, non vidit eum, nec novit eum.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 97, 1. 3 cd-4. 5-6 (℟.: 3 a)

℟. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

1 Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit.
Salvávit sibi déxtera eius,
et bracchium sanctum eius. ℟.

3 Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.
4 Iubiláte Deo, omnis terra,
erúmpite, exsultáte et psállite. ℟.

5 Psállite Dómino in cíthara,
in cíthara et voce psalmi;
6 in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ,
iubiláte in conspéctu regis Dómini. ℟.

Alleluia Io 1, 14. 12 b

℟. Allelúia. ℣. Verbum caro factum est et habitávit in nobis.
Quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri. ℟. Allelúia.

Evangelium

Ecce Agnus Dei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 29-34

Altera die videt Ioánnes Iesum veniéntem ad se, et ait: « Ecce Agnus Dei qui tollit peccátum mundi. Hic est de quo dixi: " Post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat ". Et ego nesciébam eum, sed, ut manifestétur Israel, proptérea veni ego in aqua baptízans ».

Et testimónium perhíbuit Ioánnes, dicens: « Vidi Spíritum descendéntem quasi colúmbam de cælo, et mansit super eum, et ego nesciébam eum, sed qui misit me baptizáre in aqua, Ille mihi dixit: " Super quem víderis

Spíritum descendéntem et manéntem super eum, hic est qui baptízat in Spíritu Sancto ". Et ego vidi, et testimónium perhíbui quia hic est Fílius Dei ».

Verbum Dómini.

Die 4 ianuarii

In regionibus ubi Epiphania celebratur dominica diebus a 2 ad 8 ianuarii occurrente, sumuntur post Epiphaniam lectiones pp. 353 ss. positæ. Alibi:

Lectio prior

Non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 3, 7-10

Filíoli, nemo vos sedúcat; qui facit iustítiam iustus est, sicut ille iustus est; qui facit peccátum ex diábolo est, quóniam a princípio diábolus peccat. Propter hoc appáruit Fílius Dei, ut dissólvat ópera diáboli.

Omnis qui natus est ex Deo, peccátum non facit, quóniam semen ipsíus in eo manet; et non potest peccáre, quóniam ex Deo natus est. In hoc manifésti sunt fílii Dei et fílii diáboli: omnis qui non facit iustítiam non est ex Deo, et qui non díligit fratrem suum.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 97, 1. 7-8. 9 (℟.: 3 a)

℟. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
Salvávit sibi déxtera eius,
et brácchium sanctum eius. ℟.

7 Sonet mare et plenitúdo eius,
orbis terrárum, et qui hábitant in eo.
8 Flúmina plaudent manu,
simul montes exsultábunt. ℟.

A conspéctu Dómini, quóniam venit iudicáre terram.
Iudicábit orbem terrárum in iustítia
et pópulos in æquitáte. ℟.

Alleluia Hebr 1, 1-2

℟. Allelúia. ℣. Multifárie olim Deus loquens pátribus in prophétis,
novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio. ℟. Allelúia.

Evangelium

Invenimus Messiam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 35-42

In illo témpore:

Stabat Ioánnes et ex discípulis eius duo, et respíciens Iesum ambulántem dicit: « Ecce Agnus Dei ». Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem et secúti sunt Iesum.

Convérsus autem Iesus et videns eos sequéntes se, dicit eis: « Quid quǽritis? »

Qui dixérunt ei: « Rabbi (quod dícitur interpretátum: Magíster), ubi hábitas? »

Dicit eis: « Veníte et vidébitis ». Venérunt ergo et vidérunt ubi manéret, et apud eum mansérunt die illo: hora erat quasi décima.

Erat Andréas, frater Simónis Petri, unus ex duóbus, qui audíerant ab Ioánne et secúti fúerant eum: invénit hic primum fratrem suum Simónem et dicit ei: « Invénimus Messíam (quod est interpretátum Christus) ».

Addúxit eum ad Iesum. Intúitus eum Iesus dixit: « Tu es Simon fílius Ioánnis, tu vocáberis Cephas (quod interpretátur Petrus) ».

Verbum Dómini.

Die 5 ianuarii

In regionibus ubi Epiphania celebratur dominica diebus a 2 ad 8 ianuarii occurrente, sumuntur post Epiphaniam lectiones pp. 353 ss. positæ. Alibi:

Lectio prior

Transivimus de morte in vitam,
quoniam diligimus fratres.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 3, 11-21

Caríssimi:

Hæc est annuntiátio quam audístis ab inítio, ut diligámus altérutrum; non sicut Cain: ex Malígno erat et occídit fratrem suum; et propter quid occídit eum? Quóniam ópera eius malígna erant, fratris autem eius iusta.

Nolíte mirári, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quóniam transívimus de morte in vitam, quóniam dilígimus fratres; qui non díligit manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum homicída est, et scitis quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in se manéntem.

In hoc nóvimus caritátem, quóniam ille pro nobis ánimam suam pósuit; et nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

Qui habúerit substántiam mundi et víderit fratrem suum necésse habére et cláuserit víscera sua ab eo, quómodo cáritas Dei manet in eo?

Filíoli, non diligámus verbo nec lingua, sed in ópere et veritáte. In hoc cognoscémus quóniam ex veritáte sumus, et in conspéctu eius placábimus corda nostra, quóniam si reprehénderit nos cor, maior est Deus corde nostro et cognóscit ómnia.

Caríssimi, si cor nostrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 99, 2. 3. 4. 5 (℟.: 2 a)

℟. Iubiláte Dómino, omnis terra.

2 Iubiláte Dómino, omnis terra,
servíte Dómino in lætítia;
introíte in conspéctu eius in exsultatióne. ℟.

3 Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus;
ipse fecit nos, et ipsíus sumus,
pópulus eius et oves páscuæ eius. ℟.

4 Introíte portas eius in confessióne,
átria eius in hymnis,
confitémini illi, benedícite nómini eius. ℟.

5 Quóniam suávis est Dóminus;
in ætérnum misericórdia eius,
et usque in generatiónem et generatiónem
véritas eius. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Dies sanctificátus illúxit nobis:
venite, gentes, et adoráte Dóminum;
quia hódie descéndit lux magna super terram. ℟. Allelúia.

Evangelium

Tu es Filius Dei, rex Israel.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 43-51

In illo témpore:

Vóluit Iesus exíre in Galilǽam, et invénit Philíppum. Et dicit ei Iesus: « Séquere me ». Erat autem Philíppus a Bethsáida, civitáte Andréæ et Petri.

Invénit Philíppus Nathánael et dicit ei: « Quem scripsit Móyses in Lege et Prophétæ, invénimus, Iesum fílium Ioseph a Názareth ».

Et dixit ei Nathánael: « A Názareth potest áliquid boni esse? »

Dicit ei Philíppus: « Veni et vide ».

Vidit Iesus Nathánael veniéntem ad se et dicit de eo: « Ecce vere Israelíta in quo dolus non est ».

Dicit ei Nathánael: « Unde me nosti? »

Respóndit Iesus et dixit ei: « Priúsquam te Philíppus vocáret, cum esses sub ficu, vidi te ».

Respóndit ei Nathánael: « Rabbi, tu es Fílius Dei, tu rex es Israel ».

Respóndit Iesus et dixit ei: « Quia dixi tibi: " Vidi te sub ficu ", credis? Maióra his vidébis ».

Et dicit ei: « Amen amen dico vobis: Vidébitis cælum apértum et ángelos Dei ascendéntes et descendéntes supra Fílium hóminis ». — Verbum Dómini.

Die 6 ianuarii

In regionibus ubi Epiphania celebratur dominica diebus 7 vel 8 ianuarii occurrente.

Lectio prior

Spiritus et aqua et sanguis.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 5, 5-13

Caríssimi:

Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Iesus est Fílius Dei?

Hic est qui venit per aquam et sánguinem, Iesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et in sánguine; et Spíritus est qui testificátur, quóniam Spíritus est véritas. Quia tres sunt qui testificántur, Spíritus et aqua et sanguis, et hi tres in unum sunt.

Si testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei maius est, quóniam hoc est testimónium Dei, quia

testificátus est de Fílio suo. Qui credit in Fílium Dei, habet testimónium in se. Qui non credit Deo, mendácem facit eum, quóniam non crédidit in testimónium quod testificátus est Deus de Fílio suo.

Et hoc est testimónium, quóniam vitam ætérnam dedit nobis Deus, et hæc vita in Fílio eius est. Qui habet Fílium habet vitam; qui non habet Fílium Dei vitam non habet.

Hæc scripsi vobis ut sciátis quóniam vitam habétis ætérnam, qui créditis in Nómine Fílii Dei.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 147, 12-13. 14-15. 19-20 (℟.: 12 a)

℟. Lauda, Ierúsalem, Dóminum.

vel Allelúia.

12 Lauda, Ierúsalem, Dóminum;
colláuda Deum tuum, Sion,
13 Quóniam confortávit seras portárum tuárum,
benedíxit políis tuis in te. ℟.
14 Qui ponit fines tuos pacem,
et ádipe fruménti sátiat te.
15 Qui emíttit elóquium suum terræ,
velóciter currit verbum eius. ℟.
19 Qui annúntiat verbum suum Iacob,
iustítias et iudícia sua Israel.
20 Non fecit táliter omni natióni,
et iudícia sua non manifestávit eis. ℟.

Alleluia

Cf. Mc 9, 6

℟. Allelúia. ℣. Cæli apérti sunt et vox Patris intónuit:
Hic est Fílius meus caríssimus: audíte illum.
℟. Allelúia.

Evangelium

Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 7-11

In illo témpore:

Prædicábat Ioánnes dicens: « Venit fórtior me post me, cuius non sum dignus procúmbens sólvere corrígiam calceamentórum eius; ego baptizávi vos aqua, ille vero baptizábit vos in Spíritu Sancto ».

Et factum est in diébus illis, venit Iesus a Názareth Galilǽæ et baptizátus est in Iordáne ab Ioánne. Et statim ascéndens de aqua vidit apértos cælos et Spíritum tamquam colúmbam descendéntem in ipsum; et vox facta est de cælis: « Tu es Fílius meus diléctus, in te complácui ». — Verbum Dómini.

Die 7 ianuarii

In regionibus ubi Epiphania celebratur dominica die 8 ianuarii occurrente.

Lectio prior

Audit nos quidquid petierimus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 5, 14-21

Caríssimi:

Hæc est fidúcia quam habémus ad eum, quia si quid petiérimus secúndum voluntátem eius audit nos. Et si scimus quóniam audit nos quicquid petiérimus, scimus quóniam habémus petitiónes quas postulávimus ab eo.

Si quis videt fratrem suum peccáre peccátum non ad mortem, petet, et dabit ei Deus vitam, peccántibus non ad mortem. Est peccátum ad mortem; non pro illo dico

ut roget. Omnis iniustítia peccátum est, et est peccátum non ad mortem.

Scimus quóniam omnis qui natus est ex Deo non peccat, sed Ille qui génitus est ex Deo consérvat eum, et Malígnus non tangit eum. Scimus quóniam ex Deo sumus, et mundus totus in Malígno pósitus est. Et scimus quóniam Fílius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscámus eum qui verus est; et sumus in eo qui verus est, in Fílio eius Iesu Christo. Hic est qui verus est Deus et Vita ætérna.

Filíoli, custodíte vos a simulácris.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 149, 1-2. 3-4. 5 et 6 a et 9 b (℟.: 4 a)

℟. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo.

vel Allelúia.

1 Cantáte Dómino cánticum novum;
laus eius in ecclésia sanctórum.
2 Lætétur Israel in eo qui fecit eum,
et fílii Sion exsúltent in rege suo. ℟.

3 Laudent nomen eius in choro,
in týmpano et cíthara psallant ei.
4 Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo,
et honorábit mansuétos in salútem. ℟.

5 Iúbilent sancti in glória,
læténtur in cubílibus suis.
6 Exaltatiónes Dei in gútture eórum;
9 glória hæc est ómnibus sanctis eius. ℟.

Alleluia

Lc 7, 16

℟. Allelúia. ℣. Prophéta magnus surréxit in nobis
et Deus visitávit plebem suam. ℟. Allelúia.

Evangelium

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-12

In illo témpore:

Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat Mater Iesu ibi: vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias. Et deficiénte vino, dicit Mater Iesu ad eum: « Vinum non habent ».

Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier? Nondum venit hora mea ».

Dicit Mater eius minístris: « Quodcúmque díxerit vobis fácite ».

Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex, pósitæ secúndum purificatiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel ternas.

Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et implevérunt eas usque ad summum. Et dicit eis: « Hauríte nunc et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt.

Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant, qui hauríerant aquam, vocat sponsum architriclínus, et dicit ei: « Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriáti fúerint, id quod detérius est: tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ, et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Post hoc descéndit Caphárnaum ipse et Mater eius et fratres eius et discípuli eius; et ibi mansérunt non multis diébus. — Verbum Dómini.

LECTIONES POST EPIPHANIAM DICENDÆ

Ubi Epiphania die 6 ianuarii celebratur, dicuntur lectiones diei mensis respondentes; ubi vero Epiphania dominica a 2 ad 8 ianuarii celebratur, dicuntur lectiones feriæ hebdomadæ res ondentes.

Die 7 ianuarii
vel feria secunda post Epiphaniam

Lectio prior

Probate spiritus si ex Deo sint.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli

3, 22 — 4, 6

Caríssimi:

Quodcúmque petiérimus accípimus ab eo, quóniam mandáta eius custodímus et ea quæ sunt plácita coram eo fácimus.

Et hoc est mandátum eius, ut credámus Nómini Fílii eius Iesu Christi et diligámus altérutrum, sicut dedit mandátum nobis. Et qui servat mandáta eius, in ipso manet et ipse in eo; et in hoc cognóscimus quóniam manet in nobis, ex Spíritu quem nobis dedit.

Caríssimi, nolíte omni spirítui crédere, sed probáte spíritus si ex Deo sint; quóniam multi pseudoprophétæ prodiérunt in mundum. In hoc cognóscitis Spíritum Dei: omnis spíritus qui confitétur Iesum Christum in carne venísse, ex Deo est, et omnis spíritus qui non confitétur Iesum, ex Deo non est; et hoc est Antichrísti, quod audístis quóniam venit, et nunc iam in mundo est.

Vos ex Deo estis, filíoli, et vicístis eos, quóniam maior est qui in vobis est quam qui in mundo. Ipsi ex mundo sunt; ídeo ex mundo loquúntur et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus; qui cognóscit Deum, audit nos, qui non est ex Deo non audit nos. Ex hoc cognóscimus Spíritum veritátis et spíritum erróris. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 2, 7-8. 10-11 (℟.: 8 a)

℟. Dabo tibi gentes hereditátem tuam.

7 Prædicábo decrétum eius:
Dóminus dixit ad me: « Fílius meus es tu,
ego hódie génui te.
8 Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam,
et possessiónem tuam términos terræ ». ℟.
10 Et nunc, reges, intellégite,
erudímini qui iudicátis terram.
11 Servíte Dómino in timóre,
et exsultáte ei cum tremóre. ℟.

Alleluia Mt 4, 23

℟. Allelúia. ℣. Prædicábat Iesus Evangélium Regni,
et sanábat omnem infirmitátem in pópulo.
℟. Allelúia.

Loco versus ante Evangelium, qui singulis diebus proponitur, alius adhiberi potest ex iis qui infra p. 718 exstant.

Evangelium

Appropinquavit Regnum cælorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 4, 12-17. 23-25

In illo témpore:

Cum audísset Iesus quod Ioánnes tráditus esset, secéssit in Galilǽam. Et relícta Názareth venit et habitávit in Caphárnaum marítimam in fínibus Zábulon et Népthalim: ut implerétur quod dictum est per Isaíam prophétam:

« Terra Zábulon et terra Népthalim, ad viam maris, trans Iordánem, Galilǽa géntium, pópulus qui sedébat in ténebris lucem vidit magnam, et sedéntibus in regióne et umbra mortis lux orta est eis ».

Exínde cœpit Iesus prædicáre et dícere: « Pæniténtiam ágite: appropinquávit enim Regnum cælórum ».

Et circumíbat Iesus totam Galilǽam, docens in synagógis eórum et prǽdicans Evangélium Regni et sanans omnem languórem et omnem infirmitátem in pópulo. Et ábiit opínio eius in totam Sýriam; et obtulérunt ei omnes male habéntes, váriis languóribus et torméntis comprehénsos et qui dæmónia habébant et lunáticos et paralýticos, et curávit eos. Et secútæ sunt eum turbæ multæ de Galilǽa et Decápoli et Hierosólymis et Iudǽa et de trans Iordánem. — Verbum Dómini.

Die 8 ianuarii vel feria tertia post Epiphaniam

Lectio prior

Deus caritas est.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 4, 7-10

Caríssimi, diligámus ínvicem, quóniam cáritas ex Deo est, et omnis qui díligit ex Deo natus est et cognóscit Deum. Qui non díligit non cognóvit Deum, quóniam Deus cáritas est.

In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum ut vivámus per eum. In hoc est cáritas, non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse diléxit nos et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 71, 1-2. 3-4 ab. 7-8 (℟.: cf. 11)

℟. Adorábunt te, Dómine, omnes gentes terræ.

1 Deus, iudícium tuum regi da,
et iustítiam tuam fílio regis;

2 iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.
3 Afferant montes pacem pópulo,
et colles iustítiam.
4 Iudicábit páuperes pópuli,
et salvos fáciet fílios ínopis. ℟.
7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare,
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

Alleluia — Lc 4, 18-19

℟. Allelúia. ℣. Evangelizáre paupéribus misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem. ℟. Allelúia.

Evangelium

Multiplicans panes,
Iesus sese ut prophetam manifestat.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum — 6, 34-44

In illo témpore:

Vidit multam turbam Iesus, et misértus est super eos quia erant sicut oves non habéntes pastórem, et cœpit docére illos multa.

Et cum iam hora multa facta esset, accessérunt discípuli eius dicéntes: « Desértus est locus hic, et hora iam est multa; dimítte illos, ut eúntes in villas et vicos in circúitu emant sibi quod mandúcent ».

Respóndens autem ait illis: « Date illis vos manducáre ».

Et dicunt ei: « Eúntes emámus denáriis ducéntis panes, et dábimus eis manducáre ».

Et dicit eis: « Quot panes habétis? Ite, vidéte ».

Et cum cognovíssent, dicunt: « Quinque et duos pisces ».

Et præcépit illis ut accúmbere fácerent omnes secúndum contubérnia super víride fænum. Et discubuérunt secúndum áreas per centénos et per quinquagénos.

Et accéptis quinque pánibus et duóbus píscibus, íntuens in cælum benedíxit et fregit panes et dabat discípulis suis ut pónerent ante eos, et duos pisces divísit ómnibus. Et manducavérunt omnes et saturáti sunt; et sustulérunt fragménta duódecim cóphinos plenos, et de píscibus. Et erant qui manducavérunt panes quinque mília virórum. — Verbum Dómini.

Die 9 ianuarii
vel feria quarta post Epiphaniam

Lectio prior

Si diligamus invicem, Deus in nobis manet

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 4, 11-18

Caríssimi, si sic Deus diléxit nos, et nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit umquam; si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet et cáritas eius in nobis consummáta est.

In hoc cognóscimus quóniam in ipso manémus et ipse in nobis, quóniam de Spíritu suo dedit nobis. Et nos vídimus et testificámur quóniam Pater misit Fílium Salvatórem mundi.

Quisque conféssus fúerit: « Iesus est Fílius Dei », Deus in ipso manet et ipse in Deo. Et nos cognóvimus et credídimus caritáti quam habet Deus in nobis. Deus cáritas est, et qui manet in caritáte in Deo manet et Deus in eo manet.

In hoc consummáta est cáritas nobíscum, ut fidúciam habeámus in die iudícii, quia sicut ille est, et nos sumus

in hoc mundo. Timor non est in caritáte, sed perfécta cáritas foras mittit timórem, quóniam timor pœnam habet, qui autem timet non est consummátus in caritáte.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 71, 1-2. 10-11. 12-13 (℟.: cf. 11)

℟. Adorábunt te, Dómine, omnes gentes terræ.

1 Deus, iudícium tuum regi da,
et iustítiam tuam fílio regis;
2 iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

10 Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent,
reges Arabum et Saba dona addúcent.
11 Et adorábunt eum omnes reges,
omnes gentes sérvient ei. ℟.

12 Quia liberábit ínopem clamántem,
et páuperem cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi,
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

Alleluia

Cf. 1 Tim 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Glória tibi, Christe, prædicáto géntibus;
glória tibi, Christe, crédito in mundo.
℟. Allelúia.

Evangelium

Viderunt eum ambulantem super mare.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 6, 45-52

Postquam saturáti sunt quinque mília virórum, statim coégit Iesus discípulos suos ascéndere navem ut præcéderent trans fretum ad Bethsáidam, dum ipse dimítteret pópulum. Et cum dimisísset eos, ábiit in montem oráre.

Et cum sero factum esset, erat navis in médio mari, et ipse solus in terra. Et videns eos laborántes in remigándo, erat enim ventus contrárius eis, circa quartam vigíliam noctis venit ad eos ámbulans super mare, et volébat præteríre eos.

At illi, ut vidérunt eum ambulántem super mare, putavérunt phantásma esse, et exclamavérunt; omnes enim eum vidérunt et conturbáti sunt. Statim autem locútus est cum eis et dicit illis: « Confídite, ego sum: nolíte timére ». Et ascéndit ad illos in navem, et cessávit ventus.

Et valde nimis intra se stupébant, non enim intelléxerant de pánibus, sed erat cor illórum obcæcátum.

Verbum Dómini.

Die 10 ianuarii vel feria quinta post Epiphaniam

Lectio prior

Qui diligit Deum diligat et fratrem suum.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli

4, 19 — 5, 4

Caríssimi:

Nos dilígimus Deum, quóniam ipse prior diléxit nos. Si quis díxerit: « Díligo Deum », et fratrem suum óderit, mendax est; qui enim non díligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt non potest dilígere. Et hoc mandátum habémus ab eo, ut qui díligit Deum díligat et fratrem suum.

Omnis qui credit quóniam Iesus est Christus, ex Deo natus est, et omnis qui díligit Deum qui génuit, díligit et eum qui natus est ex eo. In hoc cognóscimus quóniam dilígimus natos Dei, cum Deum diligámus et mandáta eius faciámus.

Hæc est enim cáritas Dei, ut mandáta eius servémus; et mandáta eius grávia non sunt, quóniam omne quod natum est ex Deo vincit mundum; et hæc est victória quæ vicit mundum: fides nostra. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 71, 1-2. 14 et 15 bc. 17 (℟.: cf. 11)

℟. Adorábunt te, Dómine, omnes gentes terræ.

1 Deus, iudícium tuum regi da,
et iustítiam tuam fílio regis.
2 Iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

14 Ex oppressióne et violéntia rédimet ánimas eórum,
et pretiósus erit sanguis eórum coram illo.
15 Et orábunt pro ipso semper;
tota die benedícent ei. ℟.

17 Sit nomen eius benedíctum in sæcula,
ante solem permanébit nomen eius.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificábunt eum. ℟.

Alleluia

Lc 4, 18-19

℟. Allelúia. ℣. Evangelizáre paupéribus misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem. ℟. Allelúia.

Evangelium

Hodie impleta est hæc Scriptura.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 4, 14-22 a

In illo témpore:

Regréssus est Iesus in virtúte Spíritus in Galilǽam. Et fama éxiit per univérsam regiónem de illo. Et ipse

docébat in synagógis eórum, et magnificabátur ab ómnibus.

Et venit Názareth, ubi erat nutrítus, et intrávit secúndum consuetúdinem suam die sábbati in synagógam, et surréxit légere. Et tráditus est illi liber prophétæ Isaíæ, et ut revólvit librum invénit locum ubi scriptum erat:

« Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me evangelizáre paupéribus, misit me prædicáre captívis remissiónem et cæcis visum, dimíttere confráctos in remissióne, prædicáre annum Dómini accéptum ».

Et cum plicuísset librum, réddidit minístro et sedit; et ómnium in synagóga óculi erant intendéntes in eum.

Cœpit autem dícere ad illos: « Hódie impléta est hæc Scriptúra in áuribus vestris ». Et omnes testimónium illi dabant et mirabántur in verbis grátiæ quæ procedébant de ore ipsíus. — Verbum Dómini.

Die 11 ianuarii vel feria sexta post Epiphaniam

Lectio prior

Spiritus et aqua et sanguis.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli

5, 5-6. 8-13

Caríssimi:

Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Iesus est Fílius Dei?

Hic est qui venit per aquam et sánguinem, Iesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et in sánguine; et Spíritus est qui testificátur, quóniam Spíritus est véritas. Quia tres sunt qui testificántur, Spíritus et aqua et sanguis, et hi tres in unum sunt.

Si testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei maius est, quóniam hoc est testimónium Dei, quia testi-

ficátus est de Fílio suo. Qui credit in Fílium Dei, habet testimónium in se. Qui non credit Deo, mendácem facit eum, quóniam non crédidit in testimónium quod testificátus est Deus de Fílio suo.

Et hoc est testimónium, quóniam vitam ætérnam dedit nobis Deus, et hæc vita in Fílio eius est. Qui habet Fílium habet vitam; qui non habet Fílium Dei vitam non habet.

Hæc scripsi vobis ut sciátis quóniam vitam habétis ætérnam, qui créditis in Nómine Fílii Dei.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 147, 12-13. 14-15. 19-20 (℟.: 12 a)

℟. Lauda, Ierúsalem, Dóminum.

vel Allelúia.

12 Lauda, Ierúsalem, Dóminum;
colláuda Deum tuum, Sion.
13 Quóniam confortávit seras portárum tuárum,
benedíxit fíliis tuis in te. ℟.

14 Qui ponit fines tuos pacem,
et ádipe fruménti sátiat te.
15 Qui emíttit elóquium suum terræ,
velóciter currit verbum eius. ℟.

19 Qui annúntiat verbum suum Iacob,
iustítias et iudícia sua Israel.
20 Non fecit táliter omni natióni,
et iudícia sua non manifestávit eis. ℟.

Alleluia

Mt 4, 23

℟. Allelúia. ℣. Prædicábat Iesus Evangélium Regni,
et sanábat omnem infirmitátem in pópulo.
℟. Allelúia.

Evangelium

Et confestim lepra discessit ab illo.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 5, 12-16

Factum est cum esset Iesus in una civitátum, et ecce vir plenus lepra; et videns Iesum et prócidens in fáciem, rogávit eum dicens: « Dómine, si vis, potes me mundáre ». Et exténdens manum tétigit illum dicens: « Volo, mundáre », et conféstim lepra discéssit ab illo.

Et ipse præcépit illi ut némini díceret, « Sed vade, osténde te sacerdóti, et offer pro emundatióne tua sicut præcépit Móyses, in testimónium illis ».

Perambulábat autem magis sermo de illo, et conveniébant turbæ multæ ut audírent et curaréntur ab infirmitátibus suis; ipse autem secedébat in desértis et orábat. — Verbum Dómini.

Die 12 ianuarii vel sabbato post Epiphaniam

Lectio prior

Audit nos quidquid petierimus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 5, 14-21

Caríssimi:

Hæc est fidúcia quam habémus ad eum, quia si quid petiérimus secúndum voluntátem eius audit nos. Et si scimus quóniam audit nos quidquid petiérimus, scimus quóniam habémus petitiónes quas postulávimus ab eo.

Si quis videt fratrem suum peccáre peccátum non ad mortem, petet, et dabit ei Deus vitam, peccántibus non ad mortem. Est peccátum ad mortem; non pro illo dico ut roget. Omnis iniustítia peccátum est, et est peccátum non ad mortem.

Scimus quóniam omnis qui natus est ex Deo non peccat, sed Ille qui génitus est ex Deo consérvat eum, et Malígnus non tangit eum. Scimus quóniam ex Deo sumus, et mundus totus in Malígno pósitus est. Et scimus quóniam Fílius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscámus eum qui verus est; et sumus in eo qui verus est, in Fílio eius Iesu Christo. Hic est qui verus est Deus et Vita ætérna.

Filíoli, custodíte vos a simulácris. Amen.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 149, 1-2. 3-4. 5 et 6 a et 9 b (℟.: 4 a)

℟. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo.

vel Allelúia.

1 Cantáte Dómino cánticum novum;
laus eius in ecclésia sanctórum.
2 Lætétur Israel in eo qui fecit eum,
et fílii Sion exsúltent in rege suo. ℟.

3 Laudent nomen eius in choro,
in týmpano et cíthara psallant ei.
4 Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo,
et honorábit mansuétos in salútem. ℟.

5 Iúbilent sancti in glória,
lætántur in cubílibus suis.
6 Exaltatiónes Dei in gútture eórum;
9 glória hæc est ómnibus sanctis eius. ℟.

Alleluia

Mt 4, 16

℟. Allelúia. ℣. Pópulus, qui sedébat in ténebris, vidit lucem magnam,
et sedéntibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Amicus sponsi gaudet propter vocem sponsi.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 3, 22-30

In illo témpore:

Venit Iesus et discípuli eius in Iudǽam terram, et illic demorabátur cum eis et baptizábat. Erat autem et Ioánnes baptízans in Aenon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, et adveniébant et baptizabántur; nondum enim missus fúerat in cárcerem Ioánnes.

Facta est ergo quǽstio ex discípulis Ioánnis cum Iudǽo de purificatióne. Et venérunt ad Ioánnem, et dixérunt ei: « Rabbi, qui erat tecum trans Iordánem, cui tu testimónium perhibuísti, ecce hic baptízat et omnes véniunt ad eum ».

Respóndit Ioánnes et dixit: « Non potest homo accípere quidquam nisi fúerit ei datum de cælo. Ipsi vos mihi testimónium perhibétis quod díxerim: " Non sum ego Christus ", sed: " Missus sum ante illum ".

Qui habet sponsam sponsus est: amícus autem sponsi, qui stat et audit eum, gáudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gáudium meum implétum est. Illum opórtet créscere, me autem mínui ». — Verbum Dómini.

Dominica post diem 6 ianuarii occurrente

IN BAPTISMATE DOMINI

Festum

Ant. ad introitum Cf. Mt. 3, 16-17

Baptizáto Dómino, apérti sunt cæli,
et sicut colúmba super eum Spíritus mansit,
et vox Patris intónuit:
Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui Christum, in Iordáne flúmine baptizátum,
Spíritu Sancto super eum descendénte,
diléctum Fílium tuum sollémniter declarásti,
concéde fíliis adoptiónis tuæ,
ex aqua et Spíritu Sancto renátis,
ut in beneplácito tuo iúgiter persevérent. Per Dóminum.

Vel:

Deus, cuius Unigénitus
in substántia nostræ carnis appáruit,
præsta, quǽsumus,
ut, per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus,
intus reformári mereámur. Qui tecum vivit.

Lectio prima

Ecce servus meus,
in quo complacuit sibi anima mea.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 42, 1-4. 6-7

Hæc dicit Dóminus:

« Ecce servus meus, suscípiam eum, eléctus meus, complácuit sibi in illo ánima mea: dedi spíritum meum

super eum, iudícium géntibus próferet. Non clamábit neque accípiet persónam, nec audiétur vox eius foris. Cálamum quassátum non cónteret et linum fúmigans non exstínguet, in veritáte edúcet iudícium. Non erit tristis neque turbuléntus, donec ponat in terra iudícium; et legem eius ínsulæ exspectábunt.

Ego Dóminus vocávi te in iustítia, et apprehéndi manum tuam, et servávi te, et dedi te in fœdus pópuli in lucem géntium, ut aperíres óculos cæcórum et edúceres de conclusióne vinctum, de domo cárceris sedéntes in ténebris ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 28, 1 a et 2. 3 ac-4. 3 b et 9 b-10 (℟.: 11 b)

℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

1 Afférte Dómino, fílii Dei,
2 afférte Dómino glóriam nóminis eius,
adoráte Dóminum in splendóre sancto. ℟.

3 Vox Dómini super aquas,
Dóminus super aquas multas.
4 Vox Dómini in virtúte,
vox Dómini in magnificéntia. ℟.

3 Deus maiestátis intónuit:
9 et in templo eius omnes dicent glóriam.
10 Dóminus super dilúvium hábitat,
et sedébit Dóminus rex in ætérnum. ℟.

Lectio secunda

Unxit eum Deus Spiritu Sancto.

Léctio Actuum Apostolórum 10, 34-38

In diébus illis:

Apériens Petrus os dixit: « In veritáte compério quóniam non est personárum accéptor Deus, sed in

omni gente qui timet eum et operátur iustítiam accéptus est illi.

Verbum misit fíliis Israel, evangelízans pacem per Iesum Christum — hic est ómnium Dóminus —: vos scitis, quod factum est verbum per univérsam Iudǽam, incípiens a Galilǽa post baptísmum quod prædicávit Ioánnes, Iesum a Názareth, quómodo unxit eum Deus Spíritu Sancto et virtúte, qui pertransívit benefaciéndo et sanándo omnes oppréssos a diábolo, quóniam « Deus erat cum illo ». — Verbum Dómini.

Alleluia

Cf. Mc 9, 6

℟. Allelúia. ℣. Cæli apérti sunt et vox Patris intónuit: « Hic est Fílius meus caríssimus; audíte illum ». ℟. Allelúia.

Evangelium

Anno A

Baptizatus Iesus vidit Spiritum Dei venientem super se.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 3, 13-17

In illo témpore:

Venit Iesus a Galilǽa in Iordánem ad Ioánnem ut baptizarétur ab eo. Ioánnes autem prohibébat eum dicens: « Ego a te débeo baptizári, et tu venis ad me? »

Respóndens autem Iesus dixit ei: « Sine modo, sic enim decet nos implére omnem iustítiam ». Tunc dimíttit eum.

Baptizátus autem Iesus, conféstim ascéndit de aqua: et ecce apérti sunt ei cæli, et vidit Spíritum Dei descendéntem sicut colúmbam et veniéntem super se. Et ecce vox de cælis dicens: « Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui ». — Verbum Dómini.

Anno B

Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 7-11

In illo témpore:

Prædicábat Ioánnes dicens: « Venit fórtior me post me, cuius non sum dignus procúmbens sólvere corrígiam calceamentórum eius; ego baptizávi vos aqua, ille vero baptizábit vos in Spíritu Sancto ».

Et factum est in diébus illis, venit Iesus a Názareth Galilǽæ et baptizátus est in Iordáne ab Ioánne. Et statim ascéndens de aqua vidit apértos cælos et Spíritum tamquam colúmbam descendéntem in ipsum; et vox facta est de cælis: « Tu es Fílius meus diléctus, in te complácui ». — Verbum Dómini.

Anno C

Iesu baptizato et orante, apertum est cælum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 3, 15-16. 21-22

In illo témpore:

Existimánte pópulo et cogitántibus ómnibus in córdibus suis de Ioánne, ne forte ipse esset Christus, respóndit Ioánnes dicens ómnibus: « Ego quidem aqua baptízo vos: venit autem fórtior me, cuius non sum dignus sólvere corrígiam calceamentórum eius; ipse vos baptizábit in Spíritu Sancto et igni ».

Factum est autem cum baptizarétur omnis pópulus et Iesu baptizáto et oránte, apértum est cælum et descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba super ipsum, et vox de cælo facta est: « Tu es Fílius meus diléctus, in te complácui mihi ». — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Súscipe múnera, Dómine,
in dilécti Fílii tui revelatióne deláta,
ut fidélium tuórum oblátio in eius sacrifícium tránseat,
qui mundi vóluit peccáta miserátus ablúere.
Qui vivit.

Præfatio: De mysterio Baptismatis Domini.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Qui miris signásti mystériis novum in Iordáne lavácrum,
ut, per vocem de cælo delápsam,
habitáre Verbum tuum inter hómines crederétur;
et, per Spíritum in colúmbæ spécie descendéntem,
Christus Servus tuus óleo perúngi lætítiæ
ac mitti ad evangelizándum paupéribus noscerétur.
Et ídeo cum cælórum virtútibus
in terris te iúgiter celebrámus,
maiestáti tuæ sine fine clamántes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Ant. ad communionem Io 1, 32. 34

Ecce de quo dicébat Ioánnes:
Ego vidi et testimónium perhíbui
quia hic est Fílius Dei.

Post communionem

Sacro múnere satiáti,
cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut, Unigénitum tuum fidéliter audiéntes,
fílii tui vere nominémur et simus.
Per Christum.

A feria II post hanc dominicam usque ad feriam III ante Quadragesimam decurrit tempus « per annum ». In Missis tum de dominica tum de feria adhibentur textus infra propositi, pp. 373 ss.

TEMPUS « PER ANNUM »

Tempus « per annum » complectitur 34 vel 33 hebdomadas. Initium sumit feria II, quæ sequitur dominicam post diem 6 ianuarii occurrentem, et pergit usque ad initium Quadragesimæ; iterum incipit feria II post dominicam Pentecostes, et explicit sabbato ante dominicam I Adventus.

In Missali proinde exhibentur 34 Missæ pro dominicis et feriis huius temporis, quæ adhibentur hac ratione:

a) In dominicis sumitur de more Missa, quæ respondet numero dominicæ « per annum », nisi occurrat sollemnitas vel festum, quæ locum teneant dominicæ.

b) In feriis vero quælibet e 34 Missis dici potest, attenta utilitate pastorali fidelium.

Ratio autem computandi dominicas et hebdomadas « per annum » est sequens:

a) Dominica in qua fit festum Baptismatis Domini locum tenet primæ dominicæ « per annum »; hebdomada tamen quæ sequitur computatur prima « per annum ». Reliquæ dominicæ et hebdomadæ ordine progressivo numerantur usque ad initium Quadragesimæ.

b) Post Pentecosten, si hebdomadæ « per annum » sunt 34, resumitur series ab ea hebdomada, quæ immediate sequitur ultimam ante Quadragesimam celebratam, attendendo tamen quod Missæ dominicæ Pentecostes et sollemnitatis Ss.mæ Trinitatis locum tenent Missarum dominicalium. Si vero hebdomadæ « per annum » sunt 33, omittitur prima hebdomada, quæ sumenda esset post Pentecosten.

In dominicis dicitur **Glória in excélsis** et **Credo**; in feriis vero omittitur et hymnus angelicus et symbolum.

Præfatio, in dominicis, dicitur de dominicis per annum, pp. **752-759**; in feriis autem dicitur præfatio communis, pp. **773-778**.

Ad communionem duplex ponitur antiphona, prior e psalmis, altera plerumque ex Evangelio. Una vel altera seligi potest, iuxta opportunitatem, illam tamen præferendo, quæ cum Evangelio Missæ forte concordet.

Missæ dominicales et cotidianæ

HEBDOMADA I « PER ANNUM »

Locum dominicæ primæ « per annum » tenet festum Baptismatis Domini, p. 366.

Feria secunda

Ant. ad introitum

In excélso throno vidi sedére virum,
quem adórat multitúdo Angelórum,
psalléntes in unum:
Ecce cuius impérii nomen est in ætérnum.

Collecta

Vota, quǽsumus, Dómine,
supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere,
ut et quæ agénda sunt vídeant,
et ad impléndа quæ víderint convaléscant.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Locutus est nobis Deus in Filio.

Inítium Epístolæ ad Hebrǽos 1, 1-6

Multifáriam et multis modis olim Deus locútus Pátribus in Prophétis, in novíssimis his diébus locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sǽcula; qui, cum sit splendor glóriæ et figúra substántiæ eius, et portet ómnia verbo virtútis suæ, purgatióne peccatórum facta, consédit ad déxteram Maiestátis in excélsis, tanto mélior ángelis effĕctus quanto differéntius præ illis Nomen hereditávit.

Cui enim dixit aliquándo angelórum: « Fílius meus es tu, ego hódie génui te », et rursum: « Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Fílium »? Cum autem íterum introdúcit primogénitum in orbem terræ, dicit: « Et adórent eum omnes ángeli Dei ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 96, 1 et 2 b. 6 et 7 c. 9 (℟.: cf. 7 c)

℟. Adoráte Deum, omnes ángeli eius.

1 Dóminus regnávit, exsúltet terra,
læténtur ínsulæ multæ.
2 Iustítia et iudícium firmaméntum sedis eius. ℟.

6 Annuntiavérunt cæli iustítiam eius,
et vidérunt omnes pópuli glóriam eius.
7 Adoráte eum, omnes dii. ℟.

9 Quóniam tu Dóminus,
Altíssimus super omnem terram,
nimis exaltátus es super omnes deos. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Affligebat Annam æmula eius quod Dominus conclusisset vulvam eius.

Inítium libri primi Samuélis 1, 1-8

Fuit vir unus de Ramáthaim Sophim de monte Ephraim, et nomen eius Elcana, fílius Iéroham, fílii Eliu, fílii Thohu, fílii Suph, Ephrathǽus. Et hábuit duas uxóres: nomen uni Anna et nomen secúndæ Phenénna. Fuerúntque Phenénnæ fílii, Annæ autem non erant líberi.

Et ascendébat vir ille de civitáte sua, statútis diébus, ut adoráret et sacrificáret Dómino exercítuum in Silo.

Erant autem ibi duo fílii Heli, Ophni et Phínees, sacerdótes Dómini.

Venit ergo dies, et immolávit Elcana, dedítque Phenénnæ uxóri suæ et cunctis fíliis eius et filiábus partes; Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligébat; Dóminus autem conclúserat vulvam eius. Affligébat quoque eam ǽmula eius et veheménter angébat, in tantum ut exprobráret quod Dóminus conclusísset vulvam eius.

Sicque faciébat per síngulos annos, cum, redeúnte témpore, ascénderent ad templum Dómini; et sic provocábat eam. Porro illa flebat et non capiébat cibum. Dixit ergo ei Elcana vir suus: « Anna, cur fles? et quare non cómedis? et quamóbrem afflígitur cor tuum? Numquid non ego mélior tibi sum quam decem fílii? »

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 115, 12-13. 14 et 17. 18-19 (℟.: 17 a)

℟. Tibi, Dómine, sacrificábo hóstiam laudis.

vel Allelúia.

12 Quid retríbuam Dómino
pro ómnibus quæ retríbuit mihi?
13 Cálicem salutáris accípiam,
et nomen Dómini invocábo. ℟.

14 Vota mea Dómino reddam
coram omni pópulo eius.
17 Tibi sacrificábo hóstiam laudis,
et nomen Dómini invocábo. ℟.

18 Vota mea Dómino reddam
coram omni pópulo eius,
19 in átriis domus Dómini,
in médio tui, Ierúsalem. ℟.

Alleluia

Mc 1, 15

℟. Allelúia. ℣. Appropinquávit Regnum Dei,
dicit Dóminus:
pænitémini et crédite Evangélio. ℟. Allelúia.

Loco versus ante Evangelium, qui singulis diebus proponitur, alius adhiberi potest ex iis qui infra, p. 719 inveniuntur.

Evangelium

Pænitemini et credite Evangelio.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 14-20

Postquam tráditus est Ioánnes, venit Iesus in Galilǽam prǽdicans Evangélium Dei et dicens: « Implétum est tempus et appropinquávit Regnum Dei: pænitémini et crédite Evangélio ».

Et prætériens secus mare Galilǽæ vidit Simónem et Andréam fratrem Simónis mitténtes in mare; erant enim piscatóres. Et dixit eis Iesus: « Veníte post me, et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum ». Et prótinus relíctis rétibus secúti sunt eum.

Et progréssus pusíllum vidit Iacóbum Zebedǽi et Ioánnem fratrem eius, et ipsos in navi componéntes rétia; et statim vocávit illos. Et relícto patre suo Zebedǽo in navi cum mercenáriis, abiérunt post eum.

Verbum Dómini.

Super oblata

Grata tibi sit, quǽsumus, Dómine, tuæ plebis oblátio,
per quam et sanctificatiónem réferat,
et quæ pie precátur obtíneat.
Per Christum.

Ant. ad communionem

Ps 35, 10

Dómine, apud te est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Vel: Io 10, 10

Ego veni ut vitam hábeant,
et abundántius hábeant, dicit Dóminus.

Post communionem

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus,
ut, quos tuis réficis sacraméntis,
tibi étiam plácitis móribus
dignánter deservíre concédas.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum

In excélso throno vidi sedére virum,
quem adórat multitúdo Angelórum,
psalléntes in unum:
Ecce cuius impérii nomen est in ætérnum.

Collecta

Vota, quǽsumus, Dómine,
supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere,
ut et quæ agénda sunt vídeant,
et ad impléndа quæ víderint convaléscant.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Decebat auctorem salutis
per passiones consummare.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 2, 5-12

Non ángelis subiécit Deus orbem terræ futúrum, de quo lóquimur. Testátus est autem in quodam loco quis dicens:

« Quid est homo, quod memor es eius, aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? Minuísti eum paulo minus ab ángelis, glória et honóre coronásti eum, ómnia subiecísti sub pédibus eius ».

In eo enim quod ei ómnia subiécit, nihil dimísit non subiectíbile ei. Nunc autem necdum vidémus ómnia subiécta ei; eum autem, quo paulo minus ab ángelis minorátus est, vidémus Iesum propter passiónem mortis glória et honóre coronátum, ut grátia Dei pro ómnibus gustáverit mortem.

Decébat enim eum, propter quem ómnia et per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxit, auctórem salútis eórum per passiónes consummáre. Qui enim sanctíficat et qui sanctificántur ex uno omnes: propter quam causam non erubéscit fratres eos vocáre, dicens: « Nuntiábo nomen tuum frátribus meis, in médio ecclésiæ laudábo te ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 8, 2 ab et 5. 6-7. 8-9 (℟.: cf. 7)

℟. Constituísti Fílium tuum super ópera mánuum tuárum.

2 Dómine, Dóminus noster,
quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!
5 Quid est homo, quod memor es eius?
Aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? ℟.

6 Minuísti eum paulo minus ab ángelis,
glória et honóre coronásti eum;
7 et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. ℟.

Omnia subiecísti sub pédibus eius,
8 oves et boves univérsas,
ínsuper et pécora campi,
9 vólucres cæli et pisces maris,
quæcumque perámbulant sémitas maris. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Recordatus est Annæ Dominus, et peperit Samuelem

Léctio libri primi Samuélis 1, 9-20

In diébus illis:

Surréxit Anna, postquam coméderat et bíberat in Silo, et Heli sacerdóte sedénte super sellam ante postes templi Dómini. Cum esset Anna amáro ánimo, orávit ad Dóminum flens lárgiter, et votum vovit dicens: « Dómine exercítuum, si respíciens víderis afflictiónem fámulæ tuæ, et recordátus mei fúeris nec oblítus ancíllæ tuæ, dederísque servæ tuæ sexum virílem, dabo eum Dómino ómnibus diébus vitæ eius, et novácula non ascéndet super caput eius ».

Factum est autem, cum illa multiplicáret preces coram Dómino, ut Heli observáret os eius. Porro Anna loquebátur in corde suo, tantúmque lábia illíus movebántur, et vox pénitus non audiebátur. Æstimávit ergo eam Heli temuléntam, dixítque ei: « Usquequo ébria eris? Dígere paulísper vinum quo mades ».

Respóndens Anna: « Nequáquam », inquit, « dómine mi; nam múlier infélix nimis ego sum: vinúmque et omne quod inebriáre potest non bibi, sed effúdi ánimam meam in conspéctu Dómini. Ne réputes ancíllam tuam quasi unam de filiábus Bélial, quia ex multitúdine dolóris et mæróris mei locúta sum usque in præsens ».

Tunc Heli ait ei: « Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitiónem tuam quam rogásti eum ».

Et illa dixit: « Utinam invéniat ancílla tua grátiam in óculis tuis ». Et ábiit múlier in viam suam, et comédit, vultúsque illíus non sunt ámplius in divérsa mutáti.

Et surrexérunt mane, et adoravérunt coram Dómino,

reversíque sunt et venérunt in domum suam Rámatha. Cognóvit autem Elcana Annam uxórem suam, et recordátus est eius Dóminus. Et factum est post círculum diérum concépit Anna et péperit fílium, vocavítque nomen eius Sámuel, eo quod a Dómino postulásset eum.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

1 Sam 2, 1. 4-5. 6-7. 8 abcd (℟.: 1 a)

℟. Exsultávit cor meum in Dómino, salvatóre meo.

1 Exsultávit cor meum in Dómino:
et exaltátum est cornu meum in Deo meo:
dilatátum est os meum super inimícos meos,
quia lætáta sum in salutári tuo. ℟.

4 Arcus fórtium superátus est,
et infírmi accíncti sunt róbore.
5 Repléti prius pro pánibus se locavérunt,
et famélici saturáti sunt;
donec stérilis péperit plúrimos,
et quæ multos habébat fílios infirmáta est. ℟.

6 Dóminus mortíficat et vivíficat,
dedúcit ad ínferos et redúcit;
7 Dóminus páuperem facit et ditat,
humíliat et súblevat. ℟.

8 Súscitat de púlvere egénum
et de stércore élevat páuperem,
ut sédeat cum princípibus
et sólium glóriæ téneat. ℟.

Alleluia

1 Th 2, 13

℟. Allelúia. ℣. Accípite verbum Dei, non ut verbum hóminum,
sed sicut est vere verbum Dei. ℟. Allelúia.

Evangelium

Erat docens eos quasi potestatem habens.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 21-28

In illo témpore: Iesus et discípuli eius ingrediúntur Caphárnaum. Et statim sábbatis ingréssus synagógam docébat. Et stupébant super doctrína eius, erat enim docens eos quasi potestátem habens et non sicut scribæ.

Et statim erat in synagóga eórum homo in spíritu immúndo, et exclamávit dicens: « Quid nobis et tibi, Iesu Nazaréne? Venísti pérdere nos? Scio qui sis, Sanctus Dei ».

Et comminátus est ei Iesus dicens: « Obmutésce, et exi de hómine ». Et discérpens eum spíritus immúndus et exclámans voce magna exívit ab eo.

Et miráti sunt omnes, ita ut conquírerent inter se dicéntes: « Quidnam est hoc? Doctrína nova cum potestáte: et spirítibus immúndis ímperat, et obœdiunt ei ». Et procéssit rumor eius statim ubíque in omnem regiónem Galilǽæ.

Verbum Dómini.

Super oblata

Grata tibi sit, quǽsumus, Dómine,
tuæ plebis oblátio,
per quam et sanctificatiónem réferat,
et quæ pie precátur obtíneat.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 35, 10

Dómine, apud te est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Vel: Io 10, 10

Ego veni ut vitam hábeant,
et abundántius hábeant, dicit Dóminus.

Post communionem

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus,
ut, quos tuis réficis sacraméntis,
tibi étiam plácitis móribus
dignánter deservíre concédas.
Per Christum.

Feria quarta

Ant. ad introitum

In excélso throno vidi sedére virum,
quem adórat multitúdo Angelórum,
psalléntes in unum:
Ecce cuius impérii nomen est in ætérnum.

Collecta

Vota, quǽsumus, Dómine,
supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere,
ut et quæ agénda sunt vídeant,
et ad impléndа quæ víderint convaléscant.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 2, 14-18

Quia púeri communicavérunt sánguini et carni, et ipse Iesus simíliter participávit iísdem, ut per mortem

destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est diábolum, et liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti.

Nusquam enim ángelos apprehéndit, sed semen Abrahæ apprehéndit. Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fíeret et fidélis Póntifex in iis quæ sunt ad Deum, et repropitiáret delícta pópuli; in quo enim passus est ipse tentátus, potens est eis qui tentántur auxiliári.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 104, 1-2. 3-4. 6-7. 8-9 (℟.: 8 a)

℟. Memor fuit Dóminus in sǽculum testaménti sui.

vel Allelúia.

1 Confitémini Dómino et invocáte nomen eius,
annuntiáte inter gentes ópera eius.
2 Cantáte ei et psállite ei,
meditámini in ómnibus mirabílibus eius. ℟.

3 Laudámini in nómine sancto eius,
lætétur cor quæréntium Dóminum.
4 Quǽrite Dóminum et poténtiam eius,
quǽrite fáciem eius semper. ℟.

6 Semen Abraham, servi eius,
fílii Iacob, elécti eius.
7 Ipse Dóminus Deus noster;
in univérsa terra iudícia eius. ℟.

8 Memor fuit in sǽculum testaménti sui,
verbi quod mandávit in mille generatiónes,
9 quod dispósuit cum Abraham,
et iuraménti sui ad Isaac. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Loquere, Domine, quia audit servus tuus.

Léctio libri primi Samuélis 3, 1-10. 19-20

In diébus illis:

Puer Sámuel ministrábat Dómino coram Heli; et sermo Dómini erat pretiósus in diébus illis; non erat vísio manifésta. Factum est ergo in die quadam Heli iacébat in loco suo, et óculi eius caligáverant, nec póterat vidére. Lucérna Dei ántequam exstingueretúr, Sámuel dormiébat in templo Dómini, ubi erat arca Dei.

Et vocávit Dóminus: « Sámuel »; qui respóndens ait: « Ecce ego ». Et cucúrrit ad Heli et dixit: « Ecce ego, vocásti enim me ». Qui dixit: « Non vocávi; revértere et dormi ». Et ábiit et dormívit.

Et adiécit Dóminus rursum vocáre Samuélem. Consurgénsque Sámuel ábiit ad Heli et dixit: « Ecce ego, quia vocásti me ». Qui respóndit: « Non vocávi te, fili mi; revértere et dormi ». Porro Sámuel necdum sciébat Dóminum, neque revelátus fúerat ei sermo Dómini.

Et adiécit Dóminus et vocávit adhuc Samuélem tértio; qui consúrgens ábiit ad Heli, et ait: « Ecce ego, quia vocásti me ». Intelléxit ergo Heli quia Dóminus vocáret púerum, et ait ad Samuélem: « Vade et dormi; et si deínceps vocáverit te, dices: " Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus " ». Abiit ergo Sámuel et dormívit in loco suo.

Et venit Dóminus, et stetit, et vocávit sicut vocáverat secúndo: « Sámuel, Sámuel ». Et ait Sámuel: « Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus ».

Crevit autem Sámuel, et Dóminus erat cum eo; et non cécidit ex ómnibus verbis eius in terram. Et cognóvit univérsus Israel a Dan usque Bersabée quod fidélis Sámuel prophéta esset Dómini.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 39, 2 et 5. 7-8 a. 8 b-9. 10 (℟.: 8 a et 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

2 Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi.
5 Beátus vir qui pósuit Dóminum spem suam,
et non respéxit supérbos
et declinántes in mendácium. ℟.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me
9 fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui,
et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo,
Dómine, tu scisti. ℟.

Alleluia

Io 10, 27

℟. Allelúia. ℣. Oves meæ vocem meam áudiunt, dicit Dóminus;
et ego cognósco eas, et sequúntur me.
℟. Allelúia.

Evangelium

Curavit multos
qui vexabantur variis languoribus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 29-39

In illo témpore:

Egrediéntes Iesus et discípuli eius de synagóga venérunt in domum Simónis et Andréæ cum Iacóbo et Ioánne. Socrus autem Simónis decumbébat febrícitans, et statim dicunt ei de illa. Et accédens elevávit eam apprehénsa manu: et dimísit eam febris, et ministrábat eis.

Véspere autem facto, cum occidísset sol, afferébant ad eum omnes male habéntes et dæmónia habéntes; et erat omnis cívitas congregáta ad iánuam. Et curávit multos qui vexabántur váriis languóribus, et dæmónia multa eiécit, et non sinébat loqui dæmónia, quóniam sciébant eum.

Et dilúculo valde mane surgens egréssus est et ábiit in desértum locum ibíque orábat. Et persecútus est eum Simon et qui cum illo erant; et cum invenílssent eum, dixérunt ei: « Omnes quærunt te ».

Et ait illis: « Eámus álibi in próximos vicos, ut et ibi prædicem: ad hoc enim veni ». Et venit prædicans in synagógis eórum per omnem Galilǽam et dæmónia eíciens. — Verbum Dómini.

Super oblata

Grata tibi sit, quǽsumus, Dómine, tuæ plebis oblátio,
per quam et sanctificatiónem réferat,
et quæ pie precátur obtíneat.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 35, 10

Dómine, apud te est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Vel: Io 10, 10

Ego veni ut vitam hábeant,
et abundántius hábeant, dicit Dóminus.

Post communionem

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus,
ut, quos tuis réficis sacraméntis,
tibi étiam plácitis móribus
dignánter deservíre concédas.
Per Christum.

Feria quinta

Ant. ad introitum

In excélso throno vidi sedére virum,
quem adórat multitúdo Angelórum,
psalléntes in unum:
Ecce cuius impérii nomen est in ætérnum.

Collecta

Vota, quæsumus, Dómine,
supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere,
ut et quæ agénda sunt vídeant,
et ad impléndа quæ víderint convaléscant.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Adhortamini vosmetipsos,
donec illud « Hodie » vocatur.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 3, 7-14

Fratres:

Sicut dicit Spíritus Sanctus: « Hódie si vocem eius audiéritis, nolíte obduráre corda vestra sicut in exacer-

batióne, secúndum diem tentatiónis in desérto, ubi tentavérunt me patres vestri in probatióne et vidérunt ópera mea quadragínta annos; propter quod inféneus fui generatióni huic et dixi: " Semper errant corde; ipsi autem non cognovérunt vias meas "; sicut iurávi in ira mea: " Non introíbunt in réquiem meam " ».

Vidéte, fratres, ne forte sit in áliquo vestrum cor malum incredulitátis discedéndi a Deo vivo, sed adhortámini vosmetípsos per síngulos dies, donec illud « Hódie » vocátur, ut non obdurétur quis ex vobis fallácia peccáti; partícipes enim Christi effécti sumus, si tamen inítium substántiæ usque ad finem firmum retineámus.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 94, 6-7. 8-9. 10-11 (℟.: 8)

℟. Utinam hódie vocem Dómini audiátis:
« Nolíte obduráre corda vestra ».

6 Veníte, adorémus et procidámus,
et génua flectámus ante Dóminum qui fecit nos,
7 quia ipse est Deus noster,
et nos pópulus páscuæ eius
et oves manus eius. ℟.

8 Utinam hódie vocem eius audiátis:
« Nolíte obduráre corda vestra,
9 sicut in Meríba secúndum diem Massa in desérto,
ubi tentavérunt me patres vestri:
probavérunt me, etsi vidérunt ópera mea. ℟.

10 Quadragínta annis tæduit me generatiónis illíus,
et dixi: " Pópulus erràntium corde sunt isti ".
11 Et ipsi non cognovérunt vias meas;
ídeo iurávi in ira mea:
" Non introíbunt in réquiem meam " ». ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Cæsus est Israel, et arca Dei capta est.

Léctio libri primi Samuélis 4, 1-11

Factum est in diébus illis, convenérunt Philísthiim in pugnam; et egréssus est Israel óbviam Philísthiim in prœlium, et castrametátus est iuxta Lápidem adiutórii. Porro Philísthiim venérunt in Aphec, et instruxérunt áciem contra Israel. Inito autem certámine, terga vertit Israel Philisthǽis; et cæsa sunt in illo certámine passim per agros quasi quáttuor mília virórum.

Et revérsus est pópulus ad castra, dixerúntque maióres natu de Israel: « Quare percússit nos Dóminus hódie coram Philísthiim? Afferámus ad nos de Silo arcam fœ́deris Dómini, et véniat in médium nostri, ut salvet nos de manu inimicórum nostrórum ».

Misit ergo pópulus in Silo, et tulérunt inde arcam fœ́deris Dómini exercítuum sedéntis super Chérubim; erántque duo fílii Heli cum arca fœ́deris Dei, Ophni et Phínees. Cumque venísset arca fœ́deris Dómini in castra, vociferátus est omnis Israel clamóre grandi, et persónuit terra.

Et audiérunt Philísthiim vocem clamóris, dixerúntque: « Quænam est hæc vox clamóris magni in castris Hebræórum? » Et cognovérunt quod arca Dómini venísset in castra. Timuerúntque Philísthiim dicéntes: « Venit Deus in castra »; et ingemuérunt dicéntes: « Væ nobis! Non enim fuit tanta exsultátio heri et nudiustértius. Væ nobis! Quis nos salvábit de manu deórum sublímium istórum? Hi sunt dii, qui percussérunt Ægýptum omni plaga in desérto. Confortámini et estóte viri, Philísthiim: ne serviátis Hebrǽis, sicut et illi serviérunt nobis: confortámini et belláte ».

Pugnavérunt ergo Philísthiim, et cæsus est Israel, et fugit unusquísque in tabernáculum suum, et facta est plaga magna nimis, et cecidérunt de Israel trigínta mília péditum. Et arca Dei capta est, duo quoque fílii Heli mórtui sunt, Ophni et Phínees. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 43, 10-11. 14-15. 24-25 (℟.: 27 b)

℟. Rédime nos, Dómine, propter misericórdiam tuam.

10 Nunc autem reppulísti et confudísti nos,
et non egrediéris, Deus, cum virtútibus nostris.
11 Convertísti nos retrórsum coram inimícis nostris,
et qui odérunt nos diripuérunt sibi. ℟.

14 Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris,
subsannatiónem et derísum his qui sunt in circúitu nostro.
15 Posuísti nos similitúdinem in géntibus,
commotiónem cápitis in pópulis. ℟.

24 Evígila, quare obdórmis, Dómine?
Exsúrge, et ne repéllas in finem.
25 Quare fáciem tuam avértis,
oblivísceris inópiæ nostræ et tribulatiónis nostræ? ℟.

Alleluia

Mt 4, 23

℟. Allelúia. ℣. Prædicábat Iesus Evangélium Regni,
et sanábat omnem infirmitátem in pópulo.
℟. Allelúia.

Evangelium

Discessit ab eo lepra, et mundatus est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 40-45

In illo témpore:

Venit ad Iesum leprósus déprecans eum et genu flectens et dicens ei: « Si vis, potes me mundáre ». Et misér-

tus exténdens manum suam tétigit eum, et ait illi: « Volo, mundáre », et statim discéssit ab eo lepra, et mundátus est.

Et infrémuit in eum statímque eiécit illum, et dicit ei: « Vide, némini quidquam díxeris, sed vade, osténde te sacerdóti et offer pro emundatióne tua quæ præcépit Móyses, in testimónium illis ».

At ille egréssus cœpit prædicáre multum et diffamáre sermónem, ita ut iam non posset manifésto in civitátem introíre, sed foris in desértis locis erat; et conveniébant ad eum úndique. — Verbum Dómini.

Super oblata

Grata tibi sit, quǽsumus, Dómine,
tuæ plebis oblátio,
per quam et sanctificatiónem réferat,
et quæ pie precátur obtíneat.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 35, 10

Dómine, apud te est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Vel: — Io 10, 10

Ego veni ut vitam hábeant,
et abundántius hábeant, dicit Dóminus.

Post communionem

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus,
ut, quos tuis réficis sacraméntis,
tibi étiam plácitis móribus
dignánter deservíre concédas.
Per Christum.

Feria sexta

Ant. ad introitum

In excélso throno vidi sedére virum,
quem adórat multitúdo Angelórum,
psalléntes in unum:
Ecce cuius impérii nomen est in ætérnum.

Collecta

Vota, quǽsumus, Dómine,
supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere,
ut et quæ agénda sunt vídeant,
et ad impléndа quæ víderint convaléscant.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Festinemus ingredi in illam requiem.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 4, 1-5. 11

Fratres:

Timeámus ne forte, relícta pollicitatióne introeúndi in réquiem eius, existimétur áliquis ex vobis deésse; étenim et nobis evangelizátum est quemádmodum et illis, sed non prófuit illis sermo audítus, non commíxtis fíde cum iis qui audíerant.

Ingrédimur enim in réquiem, qui credídimus, quemádmodum dixit: « Sicut iurávi in ira mea: Non introíbunt in réquiem meam! », et quidem opéribus ab institutióne mundi factis. Dixit enim quodam loco de die séptima sic: « Et requiévit Deus die séptima ab ómnibus opéribus suis »; et in isto rursum: « Non introíbunt in réquiem meam! »

Festinémus ergo íngredi in illam réquiem, ut ne in idípsum quis íncidat inobœdiéntiæ exémplum.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 77, 3 et 4 bc. 6 c-7. 8 (℟.: 7 c)

℟. Ne obliviscámini óperum Dei.

3 Quanta audívimus et cognóvimus ea,
et patres nostri narravérunt nobis,
4 generatióni álteri narrántes
laudes Dómini et virtútes eius. ℟.

6 Exsúrgent et narrábunt fíliis suis,
7 ut ponant in Deo spem suam,
et non obliviscántur óperum Dei,
et mandáta eius custódiant. ℟.

8 Ne fiant sicut patres eórum,
generátio rebéllis et exásperans;
generátio quæ non firmávit cor suum,
et non fuit fidélis Deo spíritus eius. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Clamabitis a facie regis vestri,
et non exaudiet vos Dominus, quia petistis vobis regem.

Léctio libri primi Samuélis 8, 4-7. 10-22 a

In diébus illis:

Congregáti univérsi maióres natu Israel venérunt ad Samuélem in Rámatha, dixerúntque ei: « Ecce tu senuísti, et fílii tui non ámbulant in viis tuis: constítue nobis regem, ut iúdicet nos, sicut et univérsæ habent natiónes ». Displícuit sermo in óculis Samuélis, eo quod dixíssent: « Da nobis regem, ut iúdicet nos ». Et orávit

Sámuel ad Dóminum. Dixit autem Dóminus ad Samué- 17
lem: « Audi vocem pópuli in ómnibus quæ loquúntur
tibi; non enim te abiecérunt, sed me, ne regnem super 18
eos ».
Dixit ítaque Sámuel ómnia verba Dómini ad pópu- 19
lum, qui petíerat a se regem, et ait: « Hoc erit ius regis,
qui imperatúrus est vobis. Fílios vestros tollet et ponet in
cúrribus suis, faciétque sibi équites et præcursóres qua-
drigárum suárum; et constítuet sibi tribúnos et centurió-
nes, et aratóres agrórum suórum et messóres ségetum, et
fabros armórum et cúrruum suórum. Fílias quoque ve-
stras fáciet sibi unguentárias et focárias et paníficas. Agros
quoque vestros et víneas et olivéta óptima tollet, et da-
bit servis suis. Sed et ségetes vestras et vineárum rédi-
tus addecimábit, ut det eunúchis et fámulis suis. Servos
étiam vestros et ancíllas et iúvenes óptimos et ásinos
áuferet, et ponet in ópere suo. Greges quoque vestros
addecimábit, vosque éritis ei servi. Et clamábitis in
die illa a fácie regis vestri, quem elegístis vobis; et non
exáudiet vos Dóminus in die illa, quia petístis vobis re-
gem ».
Nóluit autem pópulus audíre vocem Samuélis, sed
dixérunt: « Nequáquam: rex enim erit super nos, et
érimus nos quoque sicut omnes gentes; et iudicábit nos
rex noster, et egrediétur ante nos, et pugnábit bella no-
stra pro nobis ». Et audívit Sámuel ómnia verba pópuli,
et locútus est ea in áuribus Dómini. Dixit autem Dómi-
nus ad Samuélem: « Audi vocem eórum, et constítue
super eos regem ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 88, 16-17. 18-19 (℟.: cf. 2 a)

℟. Misericórdias tuas, Dómine, in ætérnum cantábo.

16 Beátus pópulus qui scit iubilatiónem;
Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt,

17 et in nómine tuo exsultábunt tota die,
et in iustítia tua exaltabúntur. ℟.
18 Quóniam decor virtútis eórum tu es,
et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.
19 Quia Dómini est scutum nostrum,
et sancti Israel rex noster. ℟.

Alleluia

Lc 7, 16

℟. Allelúia. ℣. Prophéta magnus surréxit in nobis,
et Deus visitávit plebem suam. ℟. Allelúia.

Evangelium

Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 2, 1-12

Post dies intrávit íterum Iesus Caphárnaum, et audítum est quod in domo esset. Et convenérunt multi ita ut non ámplius caperéntur neque ad iánuam, et loquebátur eis verbum.

Et véniunt feréntes ad eum paralýticum, qui a quáttuor portabátur. Et cum non possent offérre eum illi præ turba, nudavérunt tectum ubi erat, et perfodiéntes summíttunt grabátum in quo paralýticus iacébat. Cum vidísset autem Iesus fidem illórum, ait paralýtico: « Fili, dimittúntur peccáta tua ».

Erant autem illic quidam de scribis sedéntes et cogitántes in córdibus suis: « Quid hic sic lóquitur? Blasphémat, quis potest dimíttere peccáta nisi solus Deus? »

Quo statim cógnito Iesus spíritu suo quia sic cogitárent intra se, dicit illis: « Quid ista cogitátis in córdibus vestris? Quid est facílius dícere paralýtico: " Dimittúntur peccáta tua ", an dícere: " Surge et tolle grabátum tuum et ámbula "? Ut autem sciátis quia potestátem

habet Fílius hóminis in terra dimitténdi peccáta, ait paralýtico: " Tibi dico: Surge, tolle grabátum tuum et vade in domum tuam " ».

Et surréxit, et prótinus subláto grabáto ábiit coram ómnibus, ita ut admiraréntur omnes et glorificárent Deum, dicéntes: « Numquam sic vídimus ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Grata tibi sit, quǽsumus, Dómine, tuæ plebis oblátio,
per quam et sanctificatiónem réferat,
et quæ pie precátur obtíneat.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 35, 10

Dómine, apud te est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Vel: — Io 10, 10

Ego veni ut vitam hábeant,
et abundántius hábeant, dicit Dóminus.

Post communionem

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus,
ut, quos tuis réficis sacraméntis,
tibi étiam plácitis móribus
dignánter deservíre concédas.
Per Christum.

Sabbato

Ant. ad introitum

In excélso throno vidi sedére virum,
quem adórat multitúdo Angelórum,
psalléntes in unum:
Ecce cuius impérii nomen est in ætérnum.

Collecta

Vota, quǽsumus, Dómine,
supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere,
ut et quæ agénda sunt vídeant,
et ad impléndа quæ víderint convaléscant.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 4, 12-16

Fratres:

Vivus est Dei sermo et éfficax et penetrabílior omni gládio ancípiti et pertíngens usque ad divisiónem ánimæ ac spíritus, compágum quoque et medullárum, et discrétor cogitatiónum et intentiónum cordis; et non est creatúra invisíbilis in conspéctu eius, ómnia autem nuda et apérta sunt óculis eius, ad quem nobis sermo.

Habéntes ergo Pontíficem magnum qui penetrávit cælos, Iesum Fílium Dei, teneámus confessiónem: non enim habémus Pontíficem qui non possit cómpati infirmitátibus nostris, tentátum autem per ómnia secúndum similitúdinem absque peccáto.

Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur et grátiam inveniámus in auxílium opportúnum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 18, 8. 9. 10. 15 (℟.: Io 6, 64 b)

℟. Verba tua, Dómine, spíritus et vita sunt.

8 Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam,
testimónium Dómini fidéle,
sapiéntiam præstans párvulis. ℟.

9 Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda,
præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. ℟.
10 Timor Dómini mundus, pérmanens in sǽculum sǽculi,
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul. ℟.
15 Sint, ut compláceant elóquia oris mei,
et meditátio cordis mei in conspéctu tuo.
Dómine, adiútor meus et redémptor meus. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Ecce vir quem dixerat Dominus,
Saul dominabitur populo eius.

Léctio libri primi Samuélis 9, 1-4. 17-19; 10, 1 a

Erat vir de Béniamin nómine Cis, fílius Abiel, fílii Seror, fílii Béchorath, fílii Aphia, fílii viri Iémini, fortis róbore. Et erat ei fílius vocábulo Saul, eléctus et bonus, et non erat vir de fíliis Israel mélior illo; ab húmero et sursum eminébat super omnem pópulum.

Períerant autem ásinæ Cis, patris Saul; et dixit Cis ad Saul fílium suum: « Tolle tecum unum de púeris, et consúrgens vade et quære ásinas ». Qui, cum transíssent per montem Ephraim et per terram Sálisa, et non invenïssent, transiérunt étiam per terram Salim, et non erant, sed et per terram Iémini, et mínime reperérunt.

Cumque aspexísset Sámuel Saúlem, Dóminus dixit ei: « Ecce vir, quem díxeram tibi: " Iste dominábitur pópulo meo " ».

Accéssit autem Saul ad Samuélem in médio portæ, et ait: « Indica, oro, mihi: ubi est domus Vidéntis? » Et respóndit Sámuel Saul dicens: « Ego sum Videns. Ascénde ante me in excélsum, ut comedátis mecum hódie; et dimíttam te mane et ómnia quæ sunt in corde tuo indicábo tibi ».

Tulit autem Sámuel lentículam ólei, et effúdit super caput eius, et deosculátus est eum; et ait: « Ecce unxit te Dóminus super hereditátem suam in príncipem, et liberábis pópulum suum de mánibus inimicórum eius, qui in circúitu eius sunt ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 20, 2-3. 4-5. 6-7 (℟.: 2 a)

℟. Dómine, in virtúte tua lætábitur rex.

2 Dómine, in virtúte tua lætábitur rex,
et super salutáre tuum exsultábit veheménter.
3 Desidérium cordis eius tribuísti ei,
et voluntátem labiórum eius non denegásti. ℟.

4 Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis;
posuísti in cápite eius corónam de auro puríssimo.
5 Vitam pétiit a te, et tribuísti ei,
longitúdinem diérum in sǽculum, et in sǽculum sǽculi. ℟.

6 Magna est glória eius in salutári tuo,
magnificéntiam et decórem impónes super eum;
7 quóniam pones eum benedictiónem in sǽculum sǽculi,
lætificábis eum in gáudio ante vultum tuum. ℟.

Alleluia — Lc 4, 18-19

℟. Allelúia. ℣. Evangelizáre paupéribus misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem. ℟. Allelúia.

Evangelium

Non veni vocare iustos, sed peccatores.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 2, 13-17

In illo témpore:

Egréssus est Iesus rursus ad mare; omnísque turba veniébat ad eum, et docébat eos. Et cum præteríret, vi-

dit Levin Alphǽi sedéntem ad telóneum, et ait illi: « Séquere me ». Et surgens secútus est eum.

Et factum est, cum accúmberet in domo illíus, et multi publicáni et peccatóres simul discumbébant cum Iesu et discípulis eius; erant enim multi et sequebántur eum. Et scribæ Pharisæórum, vidéntes quia manducáret cum peccatóribus et publicánis, dicébant discípulis eius: « Quare cum publicánis et peccatóribus mandúcat? »

Et Iesus hoc audíto ait illis: « Non necésse habent sani médicum sed qui male habent; non veni vocáre iustos sed peccatóres ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Grata tibi sit, quǽsumus, Dómine, tuæ plebis oblátio,
per quam et sanctificatiónem réferat,
et quæ pie precátur obtíneat.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 35, 10

Dómine, apud te est fons vitæ,
et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Vel: — Io 10, 10

Ego veni ut vitam hábeant,
et abundántius hábeant, dicit Dóminus.

Post communionem

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus,
ut, quos tuis réficis sacraméntis,
tibi étiam plácitis móribus dignánter deservíre concédas.
Per Christum.

DOMINICA II « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 65, 4

Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi;
psalmum dicat nómini tuo, Altíssime.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui cæléstia simul et terréna moderáris,
supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi,
et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 49, 3. 5-6

Dixit mihi Dóminus: « Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriábor ».

Et nunc, dicit Dóminus formans me ex útero servum sibi, ut redúcam Iacob ad eum, et Israel non congregábitur; et glorificátus sum in óculis Dómini, et Deus meus factus est fortitúdo mea.

Et dixit: « Parum est ut sis mihi servus ad suscitándas tribus Iacob et fæces Israel converténdas: ecce dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 39, 2 et 4 ab. 7-8 a. 8 b-9. 10 (℟.: 8 a et 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

2 Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi.

4 Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro. ℟.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me
9 fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui, et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.

Lectio secunda

Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu.

Inítium Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 1, 1-3

Paulus, vocátus apóstolus Christi Iesu per voluntátem Dei, et Sósthenes frater, Ecclésiæ Dei quæ est Corínthi, sanctificátis in Christo Iesu, vocátis sanctis cum ómnibus qui ínvocant Nomen Dómini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsórum et nostro:

Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo. — Verbum Dómini.

Alleluia Io 1, 14. 12 b

℟. Allelúia. ℣. Verbum caro factum est et habitávit in nobis.
Quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri. ℟. Allelúia.

Loco versus ante Evangelium, qui singulis dominicis « per annum » proponitur, alius adhiberi potest ex iis qui infra, p. 719, inveniuntur.

Evangelium

Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 29-34

In illo témpore:

Videt Ioánnes Iesum veniéntem ad se, et ait: « Ecce Agnus Dei qui tollit peccátum mundi. Hic est de quo dixi: " Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat ". Et ego nesciébam eum, sed ut manifestétur Israel proptérea veni ego in aqua baptízans ».

Et testimónium perhíbuit Ioánnes dicens: « Vidi Spíritum descendéntem quasi colúmbam de cælo, et mansit super eum, et ego nesciébam eum, sed qui misit me baptizáre in aqua, Ille mihi dixit: " Super quem víderis Spíritum descendéntem et manéntem super eum, hic est qui baptízat in Spíritu Sancto ".

Et ego vidi, et testimónium perhíbui quia hic est Fílius Dei ». — Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Loquere, Domine, quia audit servus tuus.

Léctio libri primi Samuélis 3, 3 b-10. 19

In diébus illis:

Dormiébat Sámuel in templo Dómini, ubi erat arca Dei. Et vocávit Dóminus: « Sámuel »; qui respóndens ait: « Ecce ego ». Et cucúrrit ad Heli et dixit: « Ecce ego, vocásti enim me ». Qui dixit: « Non vocávi; revértere et dormi ». Et ábiit et dormívit.

Et adiécit Dóminus rursum vocáre Samuélem. Consurgénsque Sámuel ábiit ad Heli et dixit: « Ecce ego, quia vocásti me ». Qui respóndit: « Non vocávi te, fili mi; revértere et dormi ». Porro Sámuel necdum sciébat Dóminum, neque revelátus fúerat ei sermo Dómini.

Et adiécit Dóminus et vocávit adhuc Samuélem tértio; qui consúrgens ábiit ad Heli, et ait: « Ecce ego, quia vocásti me ». Intelléxit ergo Heli quia Dóminus vocáret púerum, et ait ad Samuélem: « Vade et dormi; et si deínceps vocáverit te, dices: " Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus " ». Abiit ergo Sámuel et dormívit in loco suo.

Et venit Dóminus, et stetit, et vocávit sicut vocáverat secúndo: « Sámuel, Sámuel ». Et ait Sámuel: « Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus ».

Crevit autem Sámuel, et Dóminus erat cum eo; et non cécidit ex ómnibus verbis eius in terram.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 39, 2 et 4 ab. 7-8 a. 8 b-9. 10 (℟.: 8 a et 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

2 Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi.
4 Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro. ℟.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me
9 fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui,
et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.

Lectio secunda

Corpora vestra membra Christi sunt.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 6, 13 c-15 a. 17-20

Fratres:

Corpus non fornicatióni sed Dómino et Dóminus córpori; Deus vero et Dóminum suscitávit et nos suscitábit per virtútem suam.

Nescítis quóniam córpora vestra membra Christi sunt? Qui autem adhǽret Dómino, unus Spíritus est.

Fúgite fornicatiónem; omne peccátum quodcúmque fécerit homo extra corpus est, qui autem fornicátur in corpus suum peccat.

An nescítis quóniam corpus vestrum templum est Spíritus Sancti qui in vobis est, quem habétis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis prétio: glorificáte ergo Deum in córpore vestro. — Verbum Dómini.

Alleluia Io 1, 41. 17 b

℟. Allelúia. ℣. Invénimus Messíam, qui est Christus.
Grátia et véritas per eum facta est.
℟. Allelúia.

Evangelium

Viderunt ubi maneret et apud eum manserunt.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 35-42

In illo témpore:

Iterum stabat Ioánnes et ex discípulis eius duo, et respíciens Iesum ambulántem dicit: « Ecce Agnus Dei ».

Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem et secúti sunt Iesum. Convérsus autem Iesus et videns eos sequéntes se, dicit eis: « Quid quǽritis? »

Qui dixérunt ei: « Rabbi (quod dícitur interpretátum: Magíster), ubi hábitas? »

Dicit eis: « Veníte et vidébitis ». Venérunt ergo et vidérunt ubi manéret, et apud eum mansérunt die illo: hora erat quasi décima.

Erat Andréas, frater Simónis Petri, unus ex duóbus qui audíerant a Ioánne et secúti fúerant eum: invénit hic primum fratrem suum Simónem et dicit ei: « Invénimus Messíam (quod est interpretátum Christus) ». Addúxit eum ad Iesum.

Intúitus eum Iesus dixit: « Tu es Simon fílius Ioánnis, tu vocáberis Cephas (quod interpretátur Petrus) ».

Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Gaudebit sponsus super sponsam.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 62, 1-5

Propter Sion non tacébo, et propter Ierúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor iustus eius, et salvátor eius ut lampas accendátur.

Et vidébunt gentes iustum tuum, et cuncti reges ínclitum tuum; et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit.

Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui.

Non vocáberis ultra « Derelícta », et terra tua non vocábitur ámplius « Desoláta »; sed vocáberis « Volúntas mea in ea », et terra tua « Inhabitáta », quia complácuit Dómino in te, et terra tua inhabitábitur.

Habitábit enim iúvenis cum vírgine, et habitábunt in te fílii tui; et gaudébit sponsus super sponsam, et gaudébit super te Deus tuus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 95, 1-2 a. 2 b-3. 7-8. 9-10 a et c (℟.: 3)

℟. Annuntiáte in ómnibus pópulis mirabília Dómini.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
2 Cantáte Dómino, benedícite nómini eius. ℟.

Annuntiáte de die in diem salutáre eius.
3 Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius. ℟.

7 Afférte Dómino, famíliæ populórum,
afférte Dómino glóriam et poténtiam,
8 afférte Dómino glóriam nóminis eius. ℟.

9 Adoráte Dóminum in splendóre sancto.
Contremíscite a fácie eius, univérsa terra,
10 dícite in géntibus: « Dóminus regnávit ».
Iudicábit pópulos in æquitáte. ℟.

Lectio secunda

Unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 12, 4-11

Divisiónes gratiárum sunt, idem autem Spíritus; et divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus; et divisiónes operatiónum sunt, idem vero Deus qui operátur ómnia in ómnibus.

Unicuíque autem datur manifestátio Spíritus ad utilitátem. Alii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ,

álii autem sermo sciéntiæ secúndum eúndem Spíritum, álteri fides in eódem Spíritu, álii donatiónes sanitátum in uno Spíritu, álii operatiónes virtútum, álii prophetátio, álii discrétio spiríituum, álii génera linguárum, álii interpretátio linguárum; hæc autem ómnia operátur unus et idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

Verbum Dómini.

Alleluia — 2 Th 2, 14

℟. Allelúia. ℣. Deus vocávit nos per Evangélium,
in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Iesu
Christi. ℟. Allelúia.

Evangelium

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem — 2, 1-12

In illo témpore:

Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat Mater Iesu ibi: vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias.

Et deficiénte vino, dicit Mater Iesu ad eum: « Vinum non habent ». Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier? Nondum venit hora mea ». Dicit Mater eius minístris: « Quodcúmque díxerit vobis fácite ».

Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purificatiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et implevérunt eas usque ad summum. Et dicit eis: « Hauríte nunc et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt.

Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam, et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant qui haurierant aquam, vocat sponsum architriclínus, et dicit ei: « Omnis homo primum bonum vinum ponit, et

cum inebriáti fúerint, id quod detérius est: tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius. Post hoc descéndit Caphárnaum ipse et Mater eius et fratres eius et discípuli eius, et ibi mansérunt non multis diébus. — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Concéde nobis, quǽsumus, Dómine,
hæc digne frequentáre mystéria,
quia, quóties huius hóstiæ commemorátio celebrátur,
opus nostræ redemptiónis exercétur. Per Christum.

Præfatio de dominicis « per annum », pp. 752-759.

Ant. ad communionem — Ps 22, 5

Parásti in conspéctu meo mensam,
et calix meus inébrians quam præclárus est!

Vel: — 1 Io 4, 16

Nos cognóvimus et credídimus caritáti,
quam Deus habet in nobis.

Post communionem

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno cælésti pane satiásti,
una fácias pietáte concórdes. Per Christum.

Feria secunda

Ant. ad introitum — Ps 65, 4

Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi;
psalmum dicat nómini tuo, Altíssime.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui cæléstia simul et terréna moderáris,
supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi,
et pacem tuam nostris concéde tempóribus.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Cum esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est obœdientiam.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 5, 1-10

Omnis póntifex ex homínibus assúmptus pro homínibus constitúitur in his quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis, qui æque condolére possit his qui ignórant et errant, quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte, et propter eam debet, quemádmodum et pro pópulo, ita étiam pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi illum honórem sed qui vocátur a Deo, tamquam et Aaron.

Sic et Christus non semetípsum glorificávit ut Póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: « Fílius meus es tu, ego hódie génui te »; quemádmodum et in álio dicit: « Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech ».

Qui, in diébus carnis suæ, preces supplicationésque ad eum qui possit salvum illum a morte fácere, cum clamóre válido et lácrimis ólferens, et exaudítus pro sua reveréntia, et quidem cum esset Fílius, dídicit ex his quæ passus est obœdiéntiam; et, consummátus, factus est ómnibus obœdiéntibus sibi auctor salútis ætérnæ, appellátus a Deo Póntifex iuxta órdinem Melchísedech.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 109, 1. 2. 3. 4 (℟.: 4 bc)

℟. Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órdinem Melchísedech.

1 Dixit Dóminus Dómino meo: « Sede a dextris meis,
donec ponam inimícos tuos
scabéllum pedum tuórum ». ℟.

2 Virgam poténtiæ tuæ emíttet Dóminus ex Sion:
domináre in médio inimicórum tuórum. ℟.

3 Tecum principátus in die virtútis tuæ,
in splendóribus sanctis,
ex útero matutíni velut rorem génui te. ℟.

4 Iurávit Dóminus et non pænitébit eum:
« Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órdinem Melchísedech ». ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Melior est obœdientia quam victimæ.
Abiecit te Dominus ne sis rex.

Léctio libri primi Samuélis 15, 16-23

In diébus illis:

Ait Sámuel ad Saul: « Sine me, et indicábo tibi quæ locútus sit Dóminus ad me nocte ». Dixítque ei: « Lóquere ». Et ait Sámuel: « Nonne, cum párvulus esses in óculis tuis, caput in tríbubus Israel factus es? Unxítque te Dóminus in regem super Israel, et misit te Dóminus in viam et ait: “ Vade, et intérfice peccatóres Amalec, et pugnábis contra eos usque ad interneciónem eórum ”. Quare ergo non audísti vocem Dómini, sed versus ad prædam es, et fecísti malum in óculis Dómini? »

Et ait Saul ad Samuélem: « Immo audívi vocem Dómini, et ambulávi in via per quam misit me Dóminus;

et addúxi Agag regem Amalec, et Amalec interféci. Tulit autem de præda pópulus oves et boves, primítias eórum quæ cæsa sunt, ut ímmolet Dómino Deo suo in Gálgalis ».

Et ait Sámuel: « Numquid vult Dóminus holocáusta et víctimas, et non pótius ut obœdiátur voci Dómini? Mélior est enim obœdiéntia quam víctimæ, et auscultáre magis quam offérre ádipem aríetum. Quóniam quasi peccátum ariolándi est repugnáre, et quasi scelus idolatríæ nolle acquiéscere. Pro eo ergo quod abiecísti sermónem Dómini, abiécit te Dóminus ne sis rex ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 49, 8-9. 16 bc-17. 21 et 23 (℟.: 23 b)

℟. Qui immaculátus est in via, osténdam illi salutáre Dei.

8 Non in sacrifíciis tuis árguam te;
holocáusta enim tua in conspéctu meo sunt semper.
9 Non accípiam de domo tua vítulos,
neque de grégibus tuis hircos. ℟.

16 « Quare tu enárras præcépta mea,
et assúmis testaméntum meum in os tuum?
17 Tu vero odísti disciplínam,
et proiecísti sermónes meos retrórsum. ℟.

21 Hæc fecísti, et tácui.
Existimásti quod eram tui símilis:
árguam te, et státuam illa contra fáciem tuam.
23 Qui immolábit sacrifícium laudis, honorificábit me,
et qui immaculátus est in via,
osténdam illi salutáre Dei ». ℟.

Alleluia

Hebr 4, 12

℟. Allelúia. ℣. Vivus est sermo Dei et éfficax,
et discrétor cogitatiónum et intentiónum cordis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Sponsus cum illis est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 2, 18-22

In illo témpore:

Erant discípuli Ioánnis et Pharisǽi ieiunántes. Et véniunt et dicunt illi: « Cur discípuli Ioánnis et discípuli Pharisæórum ieiúnant, tui autem discípuli non ieiúnant? »

Et ait illis Iesus: « Numquid possunt convívæ nuptiárum, quámdiu sponsus cum illis est, ieiunáre? Quanto témpore habent secum sponsum non possunt ieiunáre; vénient autem dies cum auferétur ab eis sponsus, et tunc ieiunábunt in illa die.

Nemo assuméntum panni rudis ássuit vestiménto véteri alióquin suppleméntum aufert áliquid ab eo, novum a véteri, et peior scissúra fit. Et nemo mittit vinum novéllum in utres véteres — alióquin dirúmpet vinum utres, et vinum perit et utres — sed vinum novum in utres novos ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Concéde nobis, quǽsumus, Dómine,
hæc digne frequentáre mystéria,
quia, quóties huius hóstiæ commemorátio celebrátur,
opus nostræ redemptiónis exercétur. Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 22, 5

Parásti in conspéctu meo mensam,
et calix meus inébrians quam præclárus est!

Vel: 1 Io 4, 16

Nos cognóvimus et credídimus caritáti,
quam Deus habet in nobis.

Post communionem

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno cæléstis pane satiásti,
una fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum Ps 65, 4

Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi;
psalmum dicat nómini tuo, Altíssime.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui cæléstia simul et terréna moderáris,
supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi,
et pacem tuam nostris concéde tempóribus.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Propositam spem sicut anchoram habemus tutam ac firmam.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 6, 10-20

Fratres:

Non est iniústus Deus ut obliviscátur óperis vestri et dilectiónis quam ostendístis Nómini ipsíus, qui ministrástis sanctis et ministrátis. Cúpimus autem unumquémque vestrum eándem ostentáre sollicitúdinem ad expletiónem spei usque in finem, ut non segnes efficiámini, verum imitatóres eórum qui fide et patiéntia heréditant promissiónes.

Abrahæ namque promíttens Deus, quóniam néminem hábuit per quem iuráret maiórem, iurávit per semetípsum, dicens: « Utique benedícens benedícam te et multíplicans multiplicábo te »; et sic longanímiter ferens adéptus est repromissiónem. Hómines enim per maiórem sui iurant, et omnis controvérsiæ eórum finis ad confirmatiónem est iuraméntum: in quo abundántius volens Deus osténdere pollicitatiónis herédibus immobilitátem consílii sui, se interpósuit iureiurándo, ut per duas res immóbiles, in quibus impossíbile est mentíri Deum, fortíssimum solácium habeámus qui confúgimus ad tenéndam propósitam spem; quam sicut ánchoram habémus ánimæ, tutam ac firmam et incedéntem usque in interióra Veláminis, ubi præcúrsor pro nobis introívit Iesus, secúndum órdinem Melchísedech Póntifex factus in ætérnum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 110, 1-2. 4-5. 9 et 10 c (℟.: 5 b)

℟. Memor erit Dóminus in sæculum testaménti sui.
vel Allelúia.

1 Confitébor Dómino in toto corde meo,
in consílio iustórum et congregatióne.
2 Magna ópera Dómini,
exquirénda ómnibus qui cúpiunt ea. ℟.

4 Memóriam fecit mirabílium suórum,
miséricors et miserátor Dóminus.
5 Escam dedit timéntibus se;
memor erit in sæculum testaménti sui. ℟.

9 Redemptiónem misit pópulo suo,
mandávit in ætérnum testaméntum suum.
Sanctum et terríbile nomen eius;
10 laudátio eius manet in sæculum sæculi. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Unxit Samuel David in medio fratrum eius, et directus est Spiritus Domini in eo.

Léctio libri primi Samuélis 16, 1-13

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Samuélem: « Usquequo tu luges Saul, cum ego proiécerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuum óleo et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemítem: provídi enim in fíliis eius mihi regem ». Et ait Sámuel: « Quómodo vadam? Audiet enim Saul, et interfíciet me ». Et ait Dóminus: « Vítulum de arménto tolles in manu tua, et dices: " Ad immolándum Dómino veni ". Et vocábis Isai ad víctimam, et ego osténdam tibi quid fácias, et unges quemcúmque monstrávero tibi ».

Fecit ergo Sámuel sicut locútus est ei Dóminus, venítque in Béthlehem. Et admiráti sunt senióres civitátis occurréntes ei, dixerúntque: « Pacificúsne est ingréssus tuus? » Et ait: « Pacíficus: ad immolándum Dómino veni. Sanctificámini, et veníte mecum ut ímmolem ». Sanctificávit ergo Isai et fílios eius, et vocávit eos ad sacrifícium.

Cumque ingréssi essent, vidit Eliab et ait: « Num coram Dómino est christus eius? » Et dixit Dóminus ad Samuélem: « Ne respícias vultum eius, neque altitúdinem statúræ eius, quóniam abiéci eum; nec iuxta intúitum hóminis ego iúdico: homo enim videt ea quæ parent, Dóminus autem intuétur cor ». Et vocávit Isai Abínadab, et addúxit eum coram Samuéle. Qui dixit: « Nec hunc elégit Dóminus ». Addúxit autem Isai Samma, de quo ait: « Etiam hunc non elégit Dóminus ». Addúxit ítaque Isai septem fílios suos coram Samuéle, et ait Sámuel ad Isai: « Non elégit Dóminus ex istis ».

Dixítque Sámuel ad Isai: « Numquid iam compléti sunt fílii? » Qui respóndit: « Adhuc réliquus est párvulus, et pascit oves ». Et ait Sámuel ad Isai: « Mitte et adduc eum; nec enim discumbémus priúsquam huc ille véniat ».

Misit ergo et addúxit eum. Erat autem rufus et pulcher aspéctu, decoráque fácie. Et ait Dóminus: « Surge, unge eum: ipse est enim ». Tulit ergo Sámuel cornu ólei, et unxit eum in médio fratrum eius; et diréctus est Spíritus Dómini a die illa in David et deínceps. Surgénsque Sámuel ábiit in Rámatha. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 88, 20. 21-22. 27-28 (℟.: 21 a)

℟. Invéni David servum meum.

20 Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, et dixísti:
« Pósui adiutórium in poténte,
et exaltávi eléctum de plebe. ℟.

21 Invéni David servum meum;
óleo sancto meo unxi eum.
22 Manus enim mea firma erit cum eo,
et brácchium meum confortábit eum. ℟.

27 Ipse invocábit me: Pater meus es tu,
Deus meus et refúgium salútis meæ.
28 Et ego primogénitum ponam illum,
excélsum præ régibus terræ ». ℟.

Alleluia

Cf. Eph 1, 17-18

℟. Allelúia. ℣. Pater Dómini nostri Iesu Christi illúminet
óculos cordis nostri,
ut sciámus quæ sit spes vocatiónis nostræ.
℟. Allelúia.

Evangelium

Sabbatum propter hominem factum est,
et non homo propter sabbatum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 2, 23-28

Factum est cum Dóminus sábbatis ambuláret per sata, discípuli eius cœpérunt prægredi velléntes spicas. Pharisǽi autem dicébant ei: « Ecce, quid fáciunt sábbatis quod non licet? »

Et ait illis: « Numquam legístis quid fécerit David, quando necessitátem hábuit et esúriit ipse et qui cum eo erant? Quómodo introívit in domum Dei sub Abíathar príncipe sacerdótum et panes propositiónis manducávit, quos non licet manducáre nisi sacerdótibus, et dedit étiam eis qui cum eo erant? »

Et dicébat eis: « Sábbatum propter hóminem factum est, et non homo propter sábbatum; ítaque dóminus est Fílius hóminis étiam sábbati ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Concéde nobis, quǽsumus, Dómine,
hæc digne frequentáre mystéria,
quia, quóties huius hóstiæ commemorátio celebrátur,
opus nostræ redemptiónis exercétur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 22, 5

Parásti in conspéctu meo mensam,
et calix meus inébrians quam præclárus est!

Vel: 1 Io 4, 16

Nos cognóvimus et credídimus caritáti,
quam Deus habet in nobis.

Post communionem

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno cælésti pane satiásti,
una fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

Feria quarta

Ant. ad introitum — Ps 65, 4

Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi;
psalmum dicat nómini tuo, Altíssime.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui cæléstia simul et terréna moderáris,
supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi,
et pacem tuam nostris concéde tempóribus.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Tu es sacerdos in æternum
secundum ordinem Melchisedech.

Léctio Epístolæ ad Hebræos — 7, 1-3. 15-17

Fratres:

Melchísedech, rex Salem, Sacérdos Dei summi, qui obviávit Abrahæ regrésso a cæde regum et benedíxit ei, cui et décimam ómnium divísit Abraham, primum quidem qui interpretátur « Rex iustítiæ », deínde autem et Rex Salem, quod est « Rex pacis », sine patre, sine matre, sine genealógia, neque inítium diérum neque finem vitæ habens, assimilátus autem Fílio Dei, manet Sacérdos in perpétuum.

Et ámplius adhuc maniféstum est, si secúndum similitúdinem Melchísedech exsúrgit álius Sacérdos, qui non secúndum Legem mandáti carnális factus est, sed secúndum virtútem vitæ insolúbilis, testimónium enim áccipit: « Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 109, 1. 2. 3. 4 (℟.: 4 bc)

℟. Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órdinem Melchísedech.

1 Dixit Dóminus Dómino meo:
« Sede a dextris meis,
donec ponam inimícos tuos
scabéllum pedum tuórum ». ℟.

2 Virgam poténtiæ tuæ emíttet Dóminus ex Sion:
domináre in médio inimicórum tuórum. ℟.

3 Tecum principátus in die virtútis tuæ,
in splendóribus sanctis,
ex útero matutíni velut rorem génui te. ℟.

4 Iurávit Dóminus et non pænitébit eum:
« Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órdinem Melchísedech ». ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Prævaluit David adversus Philisthæum in funda et lapide.

Léctio libri primi Samuélis — 17, 32-33. 37. 40-51

In diébus illis:

Cum addúctus fuísset David ad Saul, locútus est ei: « Non cóncidat cor cuiúsquam in eo; ego servus tuus

vadam, et pugnábo advérsus Philisthæum ». Et ait Saul ad David: « Non vales resístere Philisthǽo isti, nec pugnáre advérsus eum, quia puer es; hic autem vir bellátor est ab adolescéntia sua ».

Et ait David: « Dóminus, qui erípuit me de manu leónis et de manu ursi, ipse me liberábit de manu Philisthǽi huius ». Dixit autem Saul ad David: « Vade, et Dóminus tecum sit ».

Et tulit báculum suum, quem semper habébat in mánibus; et elégit sibi quinque limpidíssimos lápides de torrénte, et misit eos in peram pastorálem, quam habébat secum, et fundam manu tulit, et procéssit advérsus Philisthǽum.

Ibat autem Philisthǽus incédens et appropínquans advérsus David, et ármiger eius ante eum. Cumque inspexísset Philisthǽus et vidísset David, despéxit eum: erat enim adoléscens rufus et pulcher aspéctu. Et dixit Philisthǽus ad David: « Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum báculo? » Et maledíxit Philisthǽus David in diis suis; dixítque ad David: « Veni ad me, et dabo carnes tuas volatílibus cæli et béstiis terræ ».

Dixit autem David ad Philisthǽum: « Tu venis ad me cum gládio et hasta et clípeo; ego autem vénio ad te in nómine Dómini exercítuum, Dei ágminum Israel, quibus exprobrásti hódie. Et dabit te Dóminus in manu mea, et percútiam te, et áuferam caput tuum a te; et dabo cadávera castrórum Philísthiim hódie volatílibus cæli et béstiis terræ, ut sciat omnis terra quia est Deus in Israel, et nóverit univérsa ecclésia hæc, quia non in gládio nec in hasta salvat Dóminus: ipsíus enim est bellum, et tradet vos in manus nostras ».

Cum ergo surrexísset Philisthǽus, et veníret et appropinquáret contra David, festinávit David et cucúrrit ad pugnam ex advérso Philisthǽi. Et misit manum suam

in peram, tulítque unum lápidem, et funda iecit; et circumdúcens percússit Philisthǽum in fronte; et infíxus est lapis in fronte eius, et cécidit in fáciem suam super terram.

Prævaluítque David advérsum Philisthǽum in funda et lápide; percussúmque Philisthǽum interfécit; cumque gládium non habéret in manu, David cucúrrit et stetit super Philisthǽum; et tulit gládium eius, et edúxit eum de vagína sua, et interfécit eum, præcidítque caput eius.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 143, 1. 2. 9-10 (℟.: 1 a)

℟. Benedíctus Dóminus, præsídium meum.

1 Benedíctus Dóminus, præsídium meum,
qui docet manus meas ad prœlium,
et dígitos meos ad bellum. ℟.

2 Misericórdia mea et fortitúdo mea,
refúgium meum et liberátor meus;
scutum meum, et in ipso sperávi,
qui subdit pópulum meum sub me. ℟.

9 Deus, cánticum novum cantábo tibi,
in psaltério decachórdo psallam tibi,
10 qui das salútem régibus,
qui rédimis David servum tuum
de gládio malígno. ℟.

Alleluia — Mt 4, 23

℟. Allelúia. ℣. Prædicábat Iesus Evangélium Regni,
et sanábat omnem infirmitátem in pópulo.
℟. Allelúia.

Evangelium

Licet sabbatis animam salvam facere an perdere?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 3, 1-6

In illo témpore:

Introívit Iesus íterum in synagógam. Et erat ibi homo habens manum áridam; et observábant eum si sábbatis curáret illum, ut accusárent eum.

Et ait hómini habénti manum áridam: « Surge in médium ». Et dicit eis: « Licet sábbatis bene fácere an male? Animam salvam fácere an pérdere? » At illi tacébant. Et circumspíciens eos cum ira, contristátus super cæcitáte cordis eórum, dicit hómini: « Exténde manum ». Et exténdit, et restitúta est manus eius.

Et exeúntes Pharisǽi statim cum Herodiánis consílium faciébant advérsus eum quómodo eum pérderent.

Verbum Dómini.

Super oblata

Concéde nobis, quǽsumus, Dómine,
hæc digne frequentáre mystéria,
quia, quóties huius hóstiæ commemorátio celebrátur,
opus nostræ redemptiónis exercétur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 22, 5

Parásti in conspéctu meo mensam,
et calix meus inébrians quam præclárus est!

Vel: 1 Io 4, 16

Nos cognóvimus et credídimus caritáti,
quam Deus habet in nobis.

Post communionem

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno cælésti pane satiásti,
una fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

Feria quinta

Ant. ad introitum Ps 65, 4

Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi;
psalmum dicat nómini tuo, Altíssime.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui cæléstia simul et terréna moderáris,
supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi,
et pacem tuam nostris concéde tempóribus.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Hostias obtulit semel semetipsum offerendo.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 7, 25 — 8, 6

Fratres:

Iesus salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum, semper vivens ad interpellándum pro eis.

Talis enim et decébat ut nobis esset Póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cælis factus: qui non habet necessitátem cotídie, quemádmodum pontífices, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro Pópuli; hoc enim fecit semel semet-

ípsum offeréndo. Lex enim hómines constítuit pontífices infirmitátem habéntes, sermo autem iurisiurándi, quod post Legem est, Fílium in ætérnum consummátum.

Caput autem super ea quæ dicúntur: talem habémus Pontíficem qui consédit in déxtera throni Maiestátis in cælis, Sanctórum minister et Tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, non homo.

Omnis enim póntifex ad offerénda múnera et hóstias constitúitur; unde necésse erat et hunc habére áliquid quod offérret. Si ergo esset super terram, nec esset sacérdos, cum sint qui ófferant secúndum Legem múnera; qui figúræ et umbræ desérviunt cæléstium, sicut respónsum est Móysi cum consummatúrus esset Tabernáculum: « Vide enim, inquit, ómnia fácies secúndum exémplar quod tibi osténsum est in Monte »; nunc autem differéntius sortítus est ministérium, quanto et melióris Testaménti Mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancítum est. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 39, 7-8 a. 8 b-9. 10. 17 (℟.: 8 a et 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me
9 fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui,
et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.

17 Exsúltent et lætténtur in te omnes quæréntes te,
et dicant semper: « Magnificétur Dóminus »
qui díligunt salutáre tuum. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Quærit pater meus Saul occidere te.

Léctio libri primi Samuélis 18, 6-9; 19, 1-7

In diébus illis:

Cum reverterétur, percússo Philisthǽo, David, egréssæ sunt mulíeres de univérsis úrbibus Israel, cantántes chorósque ducéntes, in occúrsum Saul regis, in týmpanis lætítiæ et in sistris. Et præcinébant mulíeres, ludéntes atque dicéntes: « Percússit Saul mille, et David decem mília ». Irátus est autem Saul nimis, et displícuit in óculis eius sermo iste; dixítque: « Dedérunt David decem mília, et mihi mille dedérunt; quid ei súperest, nisi solum regnum? » Non rectis ergo óculis Saul aspiciébat David a die illa et deínceps.

Locútus est autem Saul ad Iónatham, fílium suum, et ad omnes servos suos, ut occíderent David. Porro Iónathas, fílius Saul, diligébat David valde; et indicávit Iónathas David dicens: « Quærit Saul, pater meus, occídere te; quaprópter obsérva te, quæso, mane, et manébis clam et abscondéris. Ego autem egrédiens stabo iuxta patrem meum in agro ubicúmque fúeris; et ego loquar de te ad patrem meum, et quodcúmque vídero nuntiábo tibi ».

Locútus est ergo Iónathas de David bona ad Saul, patrem suum, dixítque ad eum: « Ne pecces, rex, in servum tuum David, quia non peccávit tibi, et ópera eius bona sunt tibi valde. Et pósuit ánimam suam in manu

sua et percússit Philisthæum, et fecit Dóminus salútem magnam univérso Israéli: vidísti et lætátus es. Quare ergo peccas in sánguine innóxio interfíciens David, qui est absque culpa? » Quod cum audísset Saul, placátus voce Iónathæ iurávit: « Vivit Dóminus, quia non occidétur ».

Vocávit ítaque Iónathas David, et indicávit ei ómnia verba hæc; et introdúxit Iónathas David ad Saul, et fuit ante eum sicut fúerat heri et nudiustértius.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 55, 2-3. 9-10 ab. 10 c-11. 12-13 (℟.: 5 bc)

℟. In Deo sperávi, non timébo.

2 Miserére mei, Deus,
quóniam conculcávit me homo,
tota die impúgnans oppréssit me.
3 Conculcavérunt me inimíci mei tota die,
quóniam multi pugnant advérsum me, Altíssime. ℟.

9 Peregrinatiónes meas tu numerásti:
pone lácrimas meas in utre tuo;
nonne in supputatióne tua?
10 Tunc convertèntur inimíci mei retrórsum,
in quacúmque die invocávero: ℟.

Ecce cognóvi quóniam Deus meus es.
11 In Deo cuius laudábo sermónem,
in Dómino cuius laudábo sermónem. ℟.

12 In Deo sperávi,
non timébo: quid fáciet mihi homo?
13 Super me sunt, Deus, vota tua;
reddam laudatiónes tibi. ℟.

Alleluia 2 Tim 1, 10 b

℟. Allelúia. ℣. Salvátor noster Iesus Christus destrúxit mortem,
et illuminávit vitam per Evangélium.
℟. Allelúia.

Evangelium

Spiritus immundi clamabant: « Tu es Filius Dei »,
et Iesus comminabatur eis ne manifestarent illum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 3, 7-12

In illo témpore:

Iesus cum discípulis suis secéssit ad mare. Et multa turba a Galilǽa secúta est; et a Iudǽa et ab Hierosólymis et ab Idumǽa et qui trans Iordánem et circa Tyrum et Sidónem, multitúdo magna, audiéntes quæ faciébat, venérunt ad eum. Et dixit discípulis suis ut navícula sibi præsto esset propter turbam ne comprímerent eum.

Multos enim sanávit, ita ut irrúerent in eum ut illum tángerent quotquot habébant plagas. Et spíritus immúndi, cum illum vidébant, procidébant ei et clamábant dicéntes: « Tu es Fílius Dei ». Et veheménter comminabátur eis ne manifestárent illum. — Verbum Dómini.

Super oblata

Concéde nobis, quǽsumus, Dómine,
hæc digne frequentáre mystéria,
quia, quóties huius hóstiæ commemorátio celebrátur,
opus nostræ redemptiónis exercétur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 22, 5

Parásti in conspéctu meo mensam,
et calix meus inébrians quam præclárus est!

Vel: 1 Io 4, 16

Nos cognóvimus et credídimus caritáti,
quam Deus habet in nobis.

Post communionem

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno cælésti pane satiásti,
una fácias pietáte concórdes. Per Christum.

Feria sexta

Ant. ad introitum Ps 65, 4

Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi;
psalmum dicat nómini tuo, Altíssime.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui cæléstia simul et terréna moderáris,
supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi,
et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Melioris Testamenti Mediator est.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 8, 6-13

Fratres:

Nunc Póntifex noster differéntius sortítus est ministérium, quanto et melióris Testaménti Mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancítum est. Nam si illud prius culpa vacásset, non secúndi locus inquirerétur; vitúperans enim eos dicit:

« Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et consummábo super domum Israel et super domum Iuda Testamén-

tum novum, non secúndum Testaméntum quod feci pátribus eórum in die qua apprehéndi manum illórum ut edúcerem illos de terra Ægýpti, quóniam ipsi non permansérunt in Testaménto meo, et Ego negléxi eos, dicit Dóminus.

Quia hoc est testaméntum quod testábor dómui Israel post dies illos, dicit Dóminus, dando leges meas in mentem eórum, et in corde eórum superscríbam eas, et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in Pópulum. Et non docébit unusquísque civem suum et unusquísque fratrem suum, dicens: " Cognósce Dóminum ", quóniam omnes scient Me, a minóre usque ad maiórem eórum. Quia propítius ero iniquitátibus eórum, et peccatórum illórum iam non memorábor ».

Dicéndo « Novum » veterávit prius; quod autem antiquátur et senéscit prope intéritum est.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 84, 8 et 10. 11-12. 13-14 (℟.: 11 a)

℟. Misericórdia et véritas obviavérunt sibi.

8 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam,
et salutáre tuum da nobis.
10 Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus,
ut inhábitet glória in terra nostra. ℟.

11 Misericórdia et véritas obviavérunt sibi,
iustítia et pax osculátæ sunt.
12 Véritas de terra orta est,
et iustítia de cælo prospéxit. ℟.

13 Etenim Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.
14 Iustítia ante eum ambulábit,
et ponet in via gressus suos. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Non mittam manum in eum, quia christus Domini est.

Léctio libri primi Samuélis 24, 3-21

In diébus illis:

Assúmens Saul tria mília electórum virórum ex omni Israel, perréxit ad investigándum David et viros eius, étiam super abruptíssimas petras, quæ solis ibícibus pérviæ sunt. Et venit ad caulas óvium, quæ se offerébant viánti.

Erátque ibi spelúnca, quam ingréssus est Saul; porro David et viri eius in interióre parte spelúncæ latébant. Et dixérunt servi David ad eum: « Ecce dies de qua locútus est Dóminus ad te: " Ego tradam tibi inimícum tuum, ut fácias ei sicut placúerit in óculis tuis " ». Surréxit ergo David, et præcídit oram clámydis Saul silénter. Post hæc percússit cor suum David, eo quod abscidísset oram clámydis Saul; dixítque ad viros suos: « Propítius sit mihi Dóminus, ne fáciam hanc rem dómino meo christo Dómini, ut mittam manum meam in eum, quia christus Dómini est ». Et confrégit David viros suos sermónibus, et non permísit eos ut consúrgerent in Saul.

Porro Saul, exsúrgens de spelúnca, pergébat cœpto itínere. Surréxit autem et David post eum, et egréssus de spelúnca, clamávit post tergum Saul, dicens: « Dómine, mi rex ». Et respéxit Saul post se, et inclínans se David pronus in terram adorávit.

Dixítque ad Saul: « Quare audis verba hóminum loquéntium: " David quærit malum advérsum te? " Ecce hódie vidérunt óculi tui quod tradíderit te Dóminus in manu mea in spelúnca; et cogitávi ut occíderem te, sed pepércit tibi óculus meus. Dixi enim: " Non exténdam

manum meam in dóminum meum, quia christus Dómini est ". Quin pótius, pater mi, vide et cognósce oram clámydis tuæ in manu mea, quóniam, cum præscínderem summitátem clámydis tuæ, nólui exténdere manum meam in te. Animadvérte et vide quóniam non est in manu mea malum neque iníquitas, neque peccávi in te; tu autem insidiáris ánimæ meæ, ut áuferas eam. Iúdicet Dóminus inter me et te, et ulciscátur me Dóminus ex te; manus autem mea non sit in te. (Sicut et in provérbio antíquo dícitur: " Ab ímpiis egrediétur impíetas "; manus ergo mea non sit in te). Quem perséqueris, rex Israel? Quem perséqueris? Canem mórtuum perséqueris, et púlicem unum. Sit Dóminus iudex; et iúdicet inter me et te: et vídeat et iúdicet causam meam, et éruat me de manu tua ».

Cum autem complésset David loquens sermónes huiuscémodi ad Saul, dixit Saul: « Numquid vox hæc tua est, fili mi David? » Et levávit Saul vocem suam, et flévit. Dixítque ad David: « Iústior tu es quam ego: tu enim tribuísti mihi bona, ego autem réddidi tibi mala. Et tu indicásti hódie quæ féceris mihi bona, quómodo tradíderit me Dóminus in manum tuam, et non occíderis me. Quis enim, cum invénerit inimícum suum, dimíttet eum in via bona? Sed Dóminus reddat tibi vicissitúdinem hanc pro eo quod hódie operátus es in me. Et nunc scio quod certíssime regnatúrus sis et habitúrus in manu tua regnum Israel ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 56, 2. 3-4. 6 et 11 (℟.: 2 a)

℟. Miserére mei, Deus, miserére mei.

2 Miserére mei, Deus, miserére mei,
quóniam in te cónfugit ánima mea:
et in umbra alárum tuárum confúgiam,
donec tránseant insídiæ. ℟.

3 Clamábo ad Deum Altíssimum,
Deum qui benefécit mihi.
4 Mittet de cælo, et liberábit me;
dabit in oppróbrium conculcántes me.
Mittet Deus misericórdiam suam et veritátem suam. ℟.

6 Exaltáre super cælos, Deus,
super omnem terram glória tua,
11 quóniam magnificáta est usque ad cælos
misericórdia tua,
et usque ad nubes véritas tua. ℟.

Alleluia 2 Cor 5, 19 ac

℟. Allelúia. ℣. Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi,
et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis.
℟. Allelúia.

Evangelium

Vocavit quos voluit ipse, ut essent cum illo.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 3, 13-19

In illo témpore:

Ascéndit Iesus in montem et vocat ad se quos vóluit ipse, et venérunt ad eum. Et fecit Duódecim ut essent cum illo et ut mítteret eos prædicáre habéntes potestátem eiciéndi dæmónia.

Et impósuit Simóni nomen Petrum, et Iacóbum Zebedǽi et Ioánnem fratrem Iacóbi, et impósuit eis nómina Boanérges, quod est Fílii Tonítrui; et Andréam et Philíppum et Bartholomǽum et Matthǽum et Thomam et Iacóbum Alphǽi et Thaddǽum et Simónem Cananǽum et Iudam Iscarióth, qui et trádidit illum.

Verbum Dómini.

Super oblata

Concéde nobis, quǽsumus, Dómine,
hæc digne frequentáre mystéria,
quia, quóties huius hóstiæ commemorátio celebrátur,
opus nostræ redemptiónis exercétur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 22, 5

Parásti in conspéctu meo mensam,
et calix meus inébrians quam præclárus est!

Vel: — 1 Io 4, 16

Nos cognóvimus et credídimus caritáti,
quam Deus habet in nobis.

Post communionem

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno cæléstí pane satiásti,
una fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

Sabbato

Ant. ad introitum — Ps 65, 4

Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi;
psalmum dicat nómini tuo, Altíssime.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui cæléstia simul et terréna moderáris,
supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi,
et pacem tuam nostris concéde tempóribus.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Per proprium sanguinem introivit semel in Sancta.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 9, 2-3. 11-14

Fratres:

Tabernáculum præparátum est primum, in quo íerat candelábrum et mensa et propositio panum, quod dícitur « Sancta »; post secúndum autem Velaméntum, Tabernáculum quod dícitur « Sancta Sanctórum ».

Christus autem cum advénit Póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius Tabernáculum non manufáctum, id est non huius creatiónis, neque per sánguinem hircórum et vitulórum sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta.

Si enim sanguis hircórum et taurórum et cinis vítulæ aspérsus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum ætérnum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis ad serviéndum Deo vivénti. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 46, 2-3. 6-7. 8-9 (℟.: 6)

℟. Ascéndit Deus in iúbilo, et Dóminus in voce tubæ.

2 Omnes gentes, pláudite mánibus,
iubiláte Deo in voce exsultatiónis.
3 Quóniam Dóminus Altíssimus, terríbilis,
rex magnus super omnem terram. ℟.

6 Ascéndit Deus in iúbilo,
et Dóminus in voce tubæ.
7 Psállite Deo, psállite;
psállite regi nostro, psállite. ℟.

8 Quóniam rex omnis terræ Deus,
psállite sapiénter.
9 Regnávit Deus super gentes,
Deus sedet super sedem sanctam suam. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Quomodo ceciderunt fortes in prœlio?

Inítium libri secúndi Samuélis 1, 1-4. 11-12. 19. 23-27

In diébus illis:

Revérsus est David a cæde Amalec, et mansit in Síceleg duos dies. In die autem tértia appáruit homo véniens de castris Saul, veste conscíssa et púlvere conspérsus caput; et, ut venit ad David, cécidit super fáciem suam et adorávit. Dixítque ad eum David: « Unde venis? » Qui ait ad eum: « De castris Israel fugi ». Et dixit ad eum David: « Quod est verbum quod factum est? Indica mihi ». Qui ait: « Fugit pópulus ex prœ́lio, et multi corruéntes e pópulo mórtui sunt; sed et Saul et Iónathas, fílius eius, interiérunt ».

Apprehéndens autem David vestiménta sua scidit, omnésque viri qui erant cum eo; et planxérunt, et flevérunt, et ieiunavérunt usque ad vésperam super Saul et super Iónatham fílium eius, et super pópulum Dómini, et super domum Israel, eo quod corruíssent gládio:

« Incliti Israel super montes tuos interfécti sunt. Quómodo cecidérunt fortes?

Saul et Iónathas, amábiles et decóri in vita sua, in morte quoque non sunt divísi; áquilis velocióres, leónibus fortióres.

Fíliæ Israel, super Saul flete, qui vestiébat vos cóccino in delíciis, qui præbébat ornaménta áurea cúltui vestro.

Quómodo cecidérunt fortes in prœlio?

Iónathas in excélsis tuis occísus est. Dóleo super te, frater mi Iónatha, decóre nimis et amábilis super amórem mulíerum. Sicut mater únicum amat fílium suum, ita ego te diligébam.

Quómodo cecidérunt robústi, et periérunt arma béllica? » — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 79, 2-3. 5-7 (℟.: 4 b)

℟. Illústra fáciem tuam, Dómine, et salvi érimus.

2 Qui pascis Israel, inténde,
qui dedúcis velut ovem Ioseph.
Qui sedes super Chérubim, effúlge
3 coram Ephraim, Béniamin et Manásse.
Excita poténtiam tuam, et veni, ut salvos fácias nos. ℟.

5 Dómine Deus virtútum,
quoúsque irascéris super oratiónem pópuli tui?
6 Cibásti nos pane lacrimárum,
et potum dedísti nobis in lácrimis copióse.
7 Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris,
et inimíci nostri subsannavérunt nos. ℟.

Alleluia — Cf. Act 16, 14 b

℟. Allelúia. ℣. Aperi, Dómine, cor nostrum,
ut intendámus verbis Fílii tui. ℟. Allelúia.

Evangelium

Dicebant sui: «In furorem versus est».

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 3, 20-21

In illo témpore:

Venit Iesus cum discípulis suis ad domum; et convénit íterum turba, ita ut non possent neque panem mandu-

cáre. Et cum audíssent sui, exiérunt tenére eum, dicébant enim: « In furórem versus est ».
Verbum Dómini.

Super oblata

Concéde nobis, quǽsumus, Dómine,
hæc digne frequentáre mystéria,
quia, quóties huius hóstiæ commemorátio celebrátur,
opus nostræ redemptiónis exercétur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 22, 5

Parásti in conspéctu meo mensam,
et calix meus inébrians quam præclárus est!

Vel: — 1 Io 4, 16

Nos cognóvimus et credídimus caritáti,
quam Deus habet in nobis.

Post communionem

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno cælésti pane satiásti,
una fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

DOMINICA III « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 95, 1. 6

Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius,
sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
dírige actus nostros in beneplácito tuo,
ut in nómine dilécti Fílii tui
mereámur bonis opéribus abundáre. Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

In Galilæa gentium,
vidit populus lucem magnam.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 9, 1-4

Primo témpore alleviáta est terra Zábulon et terra Néphthali; et novíssimo aggraváta est via maris trans Iordánem Galilǽæ géntium.

Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam; habitántibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. Multiplicásti gentem, et non magnificásti lætítiam; lætabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe, sicut exsúltant victóres, capta præda, quando dívidunt spólia.

Iugum enim óneris eius, et virgam húmeri eius, et sceptrum exactóris eius superásti, sicut in die Mádian.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 26, 1. 4. 13-14 (℟.: 1 a)

℟. Dóminus illuminátio mea et salus mea.

1 Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo? ℟.

4 Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ,
ut vídeam voluptátem Dómini,
et vísitem templum eius. ℟.

13 Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.
14 Exspécta Dóminum, viríliter age,
et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum. ℟.

Lectio secunda

Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 1, 10-13. 17

Obsecro vos, fratres, per Nomen Dómini nostri Iesu Christi, ut idípsum dicátis omnes, et non sint in vobis schísmata, sitis autem perfécti in eódem sensu et in eádem senténtia.

Significátum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiónes inter vos sunt. Hoc autem dico, quod unusquísque vestrum dicit: « Ego quidem sum Pauli », « Ego autem Apóllo », « Ego vero Cephæ », « Ego autem Christi ».

Divísus est Christus? Numquid Paulus crucifíxus est pro vobis, aut in nómine Pauli baptizáti estis?

Non enim misit me Christus baptizáre sed evangelizáre, non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. — Verbum Dómini.

Alleluia Mt 4, 23

℟. Allelúia. ℣. Prædicábat Iesus Evangélium Regni,
et sanábat omnem infirmitátem in pópulo.
℟. Allelúia.

Evangelium*

Venit in Capharnaum, ut impleretur quod dictum est per Isaiam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum 4, 12-23

Cum audísset Iesus quod Ioánnes tráditus esset, secéssit in Galilǽam. Et relícta Názareth venit et habitávit in Caphárnaum marítimam in fínibus Zábulon et Népthalim: ut implerétur quod dictum est per Isaíam prophétam dicéntem:

« Terra Zábulon et terra Népthalim, ad viam maris trans Iordánem, Galilǽa géntium, pópulus qui sedébat in ténebris lucem vidit magnam, et sedéntibus in regióne et umbra mortis lux orta est eis ».

Exínde cœpit Iesus prædicáre et dícere: « Pæniténtiam ágite: appropinquávit enim Regnum cælórum ».

Ambulans autem iuxta mare Galilǽæ vidit duos fratres, Simónem qui vocátur Petrus et Andréam fratrem eius, mitténtes rete in mare; erant enim piscatóres. Et ait illis: « Veníte post me, et fáciam vos piscatóres hóminum ». At illi contínuo, relíctis rétibus, secúti sunt eum.

Et procédens inde vidit álios duos fratres, Iacóbum Zebedǽi et Ioánnem fratrem eius, in navi cum Zebedǽo patre eórum reficiéntes rétia sua: et vocávit eos. Illi autem statim, relícta navi et patre suo, secúti sunt eum.

Et circumíbat Iesus totam Galilǽam, docens in syna-

gógis eórum et prædicans Evangélium Regni et sanans omnem languórem et omnem infirmitátem in pópulo.
Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum 4, 12-17

Cum audísset Iesus quod Ioánnes tráditus esset, secéssit in Galilǽam. Et relícta Názareth venit et habitávit in Caphárnaum marítimam in fínibus Zábulon et Népthalim: ut impleréstur quod dictum est per Isaíam prophétam dicéntem:

« Terra Zábulon et terra Népthalim, ad viam maris, trans Iordánem, Galilǽa géntium, pópulus qui sedébat in ténebris lucem vidit magnam, et sedéntibus in regióne et umbra mortis lux orta est eis ».

Exínde cœpit Iesus prædicáre et dícere: « Pænitén-tiam ágite: appropinquávit enim Regnum cælórum ».
Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Conversi sunt Ninivitæ de via sua mala.

Léctio libri Ionæ prophétæ 3, 1-5. 10

Factum est verbum Dómini ad Ionam, dicens: « Surge, et vade in Níniven civitátem magnam, et prǽdica in ea prædicatiónem, quam ego loquor ad te ». Et surréxit Ionas, et ábiit in Níniven iuxta verbum Dómini.

Et Nínive erat cívitas magna itínere trium diérum. Et cœpit Ionas introíre in civitátem itínere diéi uníus, et clamávit et dixit: « Adhuc quadragínta dies, et Nínive subvertétur ».

Et crediderunt viri Ninivítæ in Deum, et prædicavérunt ieiúnium, et vestíti sunt saccis a maióre usque ad minórem.

Et vidit Deus ópera eórum, quia convérsi sunt de via sua mala; et misértus est Deus super malítiam, quam locútus fúerat ut fáceret eis, et non fecit.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 24, 4 bc-5 ab. 6-7 bc. 8-9 (℟.: 4 b)

℟. Vias tuas, Dómine, demónstra mihi.

4 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi,
et sémitas tuas édoce me.
5 Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus salútis meæ. ℟.

6 Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,
et misericordiárum tuárum,
quóniam a sæculo sunt.
7 Secúndum misericórdiam tuam
meménto mei tu,
propter bonitátem tuam, Dómine. ℟.

8 Dulcis et rectus Dóminus,
propter hoc peccatóres viam docébit;
9 díriget mansuétos in iudício,
docébit mites vias suas. ℟.

Lectio secunda

Præterit figura huius mundi.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 7, 29-31

Hoc dico, fratres, tempus breviátum est; réliquum est ut et qui habent uxóres tamquam non habéntes

sint, et qui flent tamquam non flentes, et qui gaudent tamquam non gaudéntes, et qui emunt tamquam non possidéntes, et qui utúntur hoc mundo, tamquam non abuténtes; prǽterit enim figúra huius mundi.

Verbum Dómini.

Alleluia Mc 1, 15

℟. Allelúia. ℣. Appropinquávit Regnum Dei;
crédite Evangélio. ℟. Allelúia.

Evangelium

Pænitemini et credite Evangelio.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 14-20

Postquam tráditus est Ioánnes, venit Iesus in Galilǽam prǽdicans Evangélium Dei et dicens: « Implétum est tempus et appropinquávit Regnum Dei: pænitémini et crédite Evangélio ».

Et prætériens secus mare Galilǽæ vidit Simónem et Andréam fratrem Simónis mitténtes in mare; erant enim piscatóres. Et dixit eis Iesus: « Veníte post me, et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum ». Et prótinus relíctis rétibus secúti sunt eum.

Et progréssus pusíllum vidit Iacóbum Zebedǽi et Ioánnem fratrem eius, et ipsos in navi, componéntes rétia, et statim vocávit illos. Et relícto patre suo Zebedǽo in navi cum mercennáriis abiérunt post eum.

Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Legerunt in libro Legis, et intellexerunt cum legeretur.

Léctio libri Nehemíæ 8, 2-4 a. 5-6. 8-10

In diébus illis:

Attulit Esdras sacérdos Legem coram multitúdine virórum et mulíerum, cunctísque qui póterant intellégere, in die prima mensis séptimi. Et legit in eo apérte in platéa, quæ erat ante portam Aquárum, de mane usque ad médiam diem, in conspéctu virórum et mulíerum et sapiéntium; et aures omnis pópuli erant eréctæ ad librum.

Stetit autem Esdras scriba super gradum lígneum, quem fécerat ad loquéndum. Et apéruit Esdras librum coram omni pópulo (super univérsum quippe pópulum eminébat), et cum aperuísset eum, stetit omnis pópulus. Et benedíxit Esdras Dómino Deo magno, et respóndit omnis pópulus: « Amen. Amen », élevans manus suas. Et incurváti sunt, et adoravérunt Deum proni in terram.

Et legérunt in libro Legis Dei distíncte et apérte ad intellegéndum; et intellexérunt cum legerétur. Dixit autem Nehemías (ipse est Athérsatha) et Esdras, sacérdos et scriba, et levítæ interpretántes univérso pópulo: « Dies sanctificátus est Dómino Deo nostro: nolíte lugére et nolíte flere ». Flebat enim omnis pópulus, cum audíret verba Legis. Et dixit eis: « Ite, comédite pínguia, et bíbite mulsum, et míttite partes his qui non præparavérunt sibi; quia sanctus dies Dómini est. Et nolíte contristári: gáudium étenim Dómini est fortitúdo nostra ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 18, 8. 9. 10. 15 (℟.: Io 6, 64 b)

℟. Verba tua, Dómine, spíritus et vita sunt.

8 Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam,
testimónium Dómini fidéle,
sapiéntiam præstans párvulis. ℟.

9 Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda,
præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. ℟.

10 Timor Dómini mundus, pérmanens in sǽculum sǽculi,
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul. ℟.

15 Sint, ut compláceant elóquia oris mei,
et meditátio cordis mei in conspéctu tuo,
Dómine, adiútor meus et redémptor meus. ℟.

Lectio secunda*

Vos estis corpus Christi,
et membra ex parte.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 12, 12-30

Fratres:

Sicut corpus unum est et membra habet multa, ómnia autem membra córporis cum sint multa unum corpus sunt, ita et Christus: étenim in uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus, sive Iudǽi sive Græci, sive servi sive líberi, et omnes unum Spíritum potáti sumus. Nam et corpus non est unum membrum sed multa. Si díxerit pes: « Non sum manus, non sum de córpore », non ídeo non est de córpore; et si díxerit auris: « Non sum óculus, non sum de córpore », non ídeo non est de córpore: si totum corpus óculus est, ubi audítus? Si totum audítus, ubi odorátus?

Nunc autem pósuit Deus membra, unumquódque eórum in córpore sicut vóluit. Quod si essent ómnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest dícere óculus mánui: « Non es mihi necessária! », aut íterum caput pédibus: « Non estis mihi necessárii! »; sed multo magis quæ vidéntur membra córporis infirmióra esse, necessária sunt, et quæ putámus ignobilióra membra esse córporis, his honórem abundantiórem circúmdamus, et quæ inhonésta sunt nostra abundantiórem honestátem habent, honésta autem nostra nullíus egent. Sed Deus temperávit corpus, ei cui déerat abundantiórem tribuéndo honórem, ut non sit schisma in córpore, sed idípsum pro ínvicem sollícita sint membra. Et sive pátitur unum membrum, compatiúntur ómnia membra; sive glorificátur unum membrum, congáudent ómnia membra.

Vos autem estis corpus Christi et membra ex parte. Et quosdam quidem pósuit Deus in Ecclésia primum apóstolos, secúndo prophétas, tértio doctóres, deínde virtútes, exin donatiónes curatiónum, opitulatiónes, gubernatiónes, génera linguárum. Numquid omnes apóstoli? Numquid omnes prophétæ? Numquid omnes doctóres? Numquid omnes virtútes? Numquid omnes donatiónes habent curatiónum? Numquid omnes linguis loquúntur? Numquid omnes interpretántur? — Verbum Dómini.

---

vel brevior

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 12, 12-14. 27

Fratres:

Sicut corpus unum est et membra habet multa, ómnia autem membra córporis cum sint multa unum corpus sunt, ita et Christus: étenim in uno Spíritu omnes

nos in unum corpus baptizáti sumus, sive Iudǽi sive Græci, sive servi sive líberi, et omnes unum Spíritum potáti sumus. Nam et corpus non est unum membrum sed multa.

Vos autem estis corpus Christi et membra ex parte.

Verbum Dómini.

Alleluia — Lc 4, 18-19

℟. Allelúia. ℣. Evangelizáre paupéribus misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem. ℟. Allelúia.

Evangelium

Hodie impleta est hæc Scriptura

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam
1, 1-4; 4, 14-21

Quóniam quidem multi conáti sunt ordináre narratiónem quæ in nobis complétæ sunt rerum, sicut tradidérunt nobis qui ab inítio ipsi vidérunt et minístri fuérunt verbi, visum est et mihi, adsecúto a princípio omnia, diligénter ex órdine tibi scríbere, óptime Theóphile, ut cognóscas eórum verbórum de quibus erudítus es firmitátem.

In illo témpore:

Regréssus est Iesus in virtúte Spíritus in Galilǽam. Et fama éxiit per univérsam regiónem de illo. Et ipse docébat in synagógis eórum, et magnificabátur ab ómnibus.

Et venit Názareth, ubi erat nutrítus, et intrávit secúndum consuetúdinem suam die sábbati in synagógam, et surréxit légere. Et tráditus est illi liber prophétæ Isaiæ, et ut revólvit librum invénit locum ubi scriptum erat:

« Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me evangelizáre paupéribus, misit me prædicáre captívis re-

missiónem et cæcis visum, dimíttere confráctos in remissióne, prædicáre annum Dómini accéptum ».

Et cum plicuísset librum, réddidit minístro et sedit; et ómnium in synagóga óculi erant intendéntes in eum. Cœpit autem dícere ad illos: « Hódie impléta est hæc Scriptúra in áuribus vestris ». — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Múnera nostra, Dómine, súscipe placátus,
quæ sanctificándo nobis, quǽsumus,
salutária fore concéde. Per Christum.

Præfatio de dominicis « per annum », pp. 752-759.

Ant. ad communionem — Ps 33, 6

Accédite ad Dóminum et illuminámini,
et fácies vestræ non confundéntur.

Vel: — Io 8, 12

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, non ámbulat in ténebris,
sed habébit lumen vitæ.

Post communionem

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, vivificatiónis tuæ grátiam consequéntes,
in tuo semper múnere gloriémur. Per Christum.

Feria secunda

Ant. ad introitum — Ps 95, 1. 6

Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius,
sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
dírige actus nostros in beneplácito tuo,
ut in nómine dilécti Fílii tui
mereámur bonis opéribus abundáre.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

*Semel oblatus ad auferenda peccata,
secundo apparebit exspectantibus se.*

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 9, 15. 24-28

Fratres:

Christus Novi Testaménti Mediátor est, ut, morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióre Testaménto, repromissiónem accípiant qui vocáti sunt ætérnæ hereditátis.

Non enim in manufácta Sancta Christus introívit, quæ sunt similitúdo verórum, sed in ipsum cælum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis; neque ut sæpe ófferat semetípsum, quemádmodum póntifex intrat in Sancta per síngulos annos in sánguine aliéno. Alióquin oportébat eum frequénter pati ab orígine mundi; nunc autem semel in consummatióne sæculórum ad destitutiónem peccáti per sacrifícium sui manifestátus est.

Et quemádmodum statútum est homínibus semel mori, post hoc autem iudícium, sic et Christus semel oblátus ad multórum auferénda peccáta, secúndo sine peccáto apparébit exspectántibus se in salútem.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 97, 1. 2-3 ab. 3 cd-4. 5-6 (℟.: 1 a)

℟. Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
Salvávit sibi déxtera eius,
et brácchium sanctum eius. ℟.

2 Notum fecit Dóminus salutáre suum,
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
3 Recordátus est misericórdiæ suæ
et veritátis suæ dómui Israel. ℟.

Vidérunt omnes términi terræ
salutáre Dei nostri.
4 Iubiláte Deo, omnis terra,
erúmpite, exsultáte et psállite. ℟.

5 Psállite Dómino in cíthara,
in cíthara et voce psalmi;
6 in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ,
iubiláte in conspéctu regis Dómini. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Tu pasces populum meum Israel.

Léctio libri secúndi Samuélis 5, 1-7. 10

In diébus illis:

Venérunt univérsæ tribus Israel ad David in Hebron, dicéntes: « Ecce nos os tuum et caro tua sumus. Sed et heri et nudiustértius, cum esset Saul rex super nos, tu eras edúcens et redúcens Israel: dixit autem Dóminus

ad te: “ Tu pasces pópulum meum Israel et tu eris dux super Israel ” ».

Venérunt quoque et senióres Israel ad regem in Hebron, et percússit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Dómino; unxerúntque David in regem super Israel. Fílius trigínta annórum erat David cum regnáre cœpísset et quadragínta annis regnávit. In Hebron regnávit super Iudam septem annis et sex ménsibus; in Ierúsalem autem regnávit trigínta tribus annis super omnem Israel et Iudam.

Et ábiit rex et omnes viri qui erant cum eo, in Ierúsalem ad Iebusǽum habitatórem terræ, dictúmque est David ab eis: « Non ingrediéris huc nisi abstúleris cæcos et claudos, dicéntes: “ Non ingrediétur David huc ” ». Cepit autem David arcem Sion: hæc est cívitas David.

Et ingrediebátur profíciens atque succréscens, et Dóminus Deus exercítuum erat cum eo. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 88, 20. 21-22. 25-26 (℟.: 25 a)

℟. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, et dixísti:
« Pósui adiutórium in poténte,
et exaltávi eléctum de plebe. ℟.

21 Invéni David servum meum;
óleo sancto meo unxi eum.
22 Manus enim mea firma erit cum eo,
et brácchium meum confortábit eum. ℟.

25 Et véritas mea et misericórdia mea cum ipso
et in nómine meo exaltábitur cornu eius.
26 Et ponam super mare manum eius,
et super flúmina déxteram eius ». ℟.

Alleluia

2 Tim 1, 10 b

℟. Allelúia. ℣. Salvátor noster Iesus Christus destrúxit mortem,
et illuminávit vitam per Evangélium.
℟. Allelúia.

Evangelium

Satanas finem habet.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 3, 22-30

In illo témpore:

Scribæ qui ab Hierosólymis descénderant dicébant: « Beélzebul habet » et: « In príncipe dǽmonum éicit dæmónia ».

Et convocátis eis in parábolis dicébat illis: « Quómodo potest Sátanas Sátanam eícere? Et si regnum in se dividátur, non potest stare regnum illud; et si domus in semetípsam dispertiátur, non póterit domus illa stare. Et si Sátanas consurréxit in semetípsum et dispertítus est, non potest stare sed finem habet. Nemo autem potest in domum fortis ingréssus vasa eius dirípere, nisi prius fortem álliget, et tunc domum eius dirípiet.

Amen dico vobis: Omnia dimitténtur fíliis hóminum, peccáta et blasphémiæ quibus blasphemáverint; qui autem blasphemáverit in Spíritum Sanctum non habet remissiónem in ætérnum, sed reus est ætérni delícti ». Quóniam dicébant: « Spíritum immúndum habet ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Múnera nostra, Dómine, súscipe placátus,
quæ sanctificándo nobis, quǽsumus,
salutária fore concéde.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 33, 6

Accédite ad Dóminum et illuminámini,
et fácies vestræ non confundéntur.

Vel: Io 8, 12

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, non ámbulat in ténebris,
sed habébit lumen vitæ.

Post communionem

Præsta nobis, quǽsumus,
omnípotens Deus,
ut, vivificatiónis tuæ grátiam consequéntes,
in tuo semper múnere gloriémur.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum Ps 95, 1. 6

Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius,
sánctitas et magnificéntia
in sanctificatióne eius.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
dírige actus nostros in beneplácito tuo,
ut in nómine dilécti Fílii tui
mereámur bonis opéribus abundáre.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 10, 1-10

Fratres:

Umbram habens Lex bonórum futurórum, non ipsam imáginem rerum, per síngulos annos iísdem ipsis hóstiis quas ófferunt indesinénter, numquam potest accedéntes perféctos fácere; alióquin nonne cessássent offérri, ídeo quod nullam habérent ultra consciéntiam peccatórum cultóres semel mundáti? Sed in ipsis commemorátio peccatórum per síngulos annos fit, impossíbile enim est sánguinem taurórum et hircórum auférre peccáta.

Ideo ingrédiens mundum dicit: « Hóstiam et oblatiónem noluísti, corpus autem aptásti mihi: holocaustómata et sacrifícia pro peccáto non tibi placuérunt. Tunc dixi: Ecce vénio: in capítulo libri scriptum est de me, ut fáciam, Deus, voluntátem tuam ».

Supérius dicens: « Hóstias et oblatiónes et holocaustómata et sacrifícia pro peccáto noluísti nec placuérunt tibi » quæ secúndum Legem offerúntur, tunc dixit: « Ecce vénio ut fáciam voluntátem tuam ». Aufert primum ut secúndum státuat; in qua voluntáte sanctificáti sumus per oblatiónem córporis Christi Iesu in semel.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 39, 2 et 4 ab. 7-8 a. 10. 11 (℟.: 8 a et 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

2 Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi.
4 Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro. ℟.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio ». ℟.
10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.
11 Iustítiam tuam non abscóndi in corde meo,
veritátem tuam et salutáre tuum dixi.
Non abscóndi misericórdiam tuam
et veritátem tuam ab ecclésia magna. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

David et omnis Israel ducebant arcam testamenti Domini in iubilo.

Léctio libri secúndi Samuélis 6, 12 b-15. 17-19

In diébus illis:

Abiit David et addúxit arcam Dei de domo Obédedom in civitátem David cum gáudio. Et erant cum David septem chori et víctima vítuli. Cumque transcendíssent qui portábant arcam Dómini sex passus, immolábat bovem et aríetem. Et David saltábat totis víribus ante Dóminum; porro David erat accínctus ephod líneo. Et David et omnis domus Israel ducébant arcam testaménti Dómini in iúbilo et in clangóre búcinæ.

Et introduxérunt arcam Dómini, et imposuérunt eam in loco suo in médio tabernáculi, quod teténderat ei David; et óbtulit David holocáusta et pacífica coram Dómino. Cumque complésset ófferens holocáusta et pacífica, benedíxit pópulo in nómine Dómini exercítuum. Et partítus est univérsæ multitúdini Israel, tam viro quam mulíeri, síngulis collýridam panis unam, et assa-

túram búbulæ carnis unam, et símilam frixam óleo. Et ábiit omnis pópulus unusquísque in domum suam.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 23, 7. 8. 9. 10 (℟.: cf. 8 a)

℟. Quis est iste rex glóriæ?
Dóminus ipse est.

7 Attóllite, portæ, cápita vestra,
et elevámini, portæ æternáles,
et introíbit rex glóriæ. ℟.

8 Quis est iste rex glóriæ?
Dóminus fortis et potens,
Dóminus potens in prœlio. ℟.

9 Attóllite, portæ, cápita vestra,
et elevámini, portæ æternáles,
et introíbit rex glóriæ. ℟.

10 Quis est iste rex glóriæ?
Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ. ℟.

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ, quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Evangelium

Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 3, 31-35

In illo témpore:

Venit Mater Iesu et fratres eius et foris stantes misérunt ad eum vocántes eum. Et sedébat circa eum turba,

et dicunt ei: « Ecce Mater tua et fratres tui et soróres tuæ foris quærunt te ».

Et respóndens eis ait: « Quæ est mater mea et fratres mei? » Et circumspíciens eos qui in circúitu eius sedébant, ait: « Ecce mater mea et fratres mei. Qui enim fécerit voluntátem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Múnera nostra, Dómine, súscipe placátus,
quæ sanctificándo nobis, quǽsumus,
salutária fore concéde.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 33, 6

Accédite ad Dóminum et illumináminі,
et fácies vestræ non confundéntur.

Vel: — Io 8, 12

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, non ámbulat in ténebris,
sed habébit lumen vitæ.

Post communionem

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, vivificatiónis tuæ grátiam consequéntes,
in tuo semper múnere gloriémur.
Per Christum.

Feria quarta

Ant. ad introitum — Ps 95, 1. 6

Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius,
sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
dírige actus nostros in beneplácito tuo,
ut in nómine dilécti Fílii tui
mereámur bonis opéribus abundáre. Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Consummavit in sempiternum eos qui sanctificantur.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 10, 11-18

Omnis quidem sacérdos stat cotídie minístrans et eásdem sæpe ófferens hóstias, quæ numquam possunt auférre peccáta. Hic autem, una pro peccátis obláta hóstia, in sempitérnum consédit in déxtera Dei, de cétero exspéctans « donec ponántur inimíci eius scabéllum pedum eius »; una enim oblatióne consummávit in sempitérnum eos qui sanctificántur.

Testificátur autem nobis et Spíritus Sanctus; postquam enim dixit: « Hoc est Testaméntum quod testábor ad illos post dies illos, dicit Dóminus, dando leges meas in córdibus eórum, et in mente eórum superscríbam eas, et peccatórum eórum et iniquitátum eórum iam non recordábor ámplius ».

Ubi autem horum remíssio, iam non oblátio pro peccáto. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 109, 1. 2. 3. 4 (℟.: 4 bc)

℟. Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órdinem Melchísedech.

Dixit Dóminus Dómino meo: « Sede a dextris meis,
donec ponam inimícos tuos
scabéllum pedum tuórum ». ℟.

2 Virgam poténtiæ tuæ emíttet Dóminus ex Sion:
dumináre in médio inimicórum tuórum. ℟.
3 Tecum principátus in die virtútis tuæ,
in splendóribus sanctis,
ex útero matutíni velut rorem génui te. ℟.
4 Iurávit Dóminus et non pænitébit eum:
« Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órdinem Melchísedech ». ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Suscitabo semen tuum post te
et firmabo regnum eius.

Léctio libri secúndi Samuélis 7, 4-17

In diébus illis:

Ecce sermo Dómini ad Nathan dicens: « Vade et lóquere ad servum meum David: Hæc dicit Dóminus: " Numquid tu ædificábis mihi domum ad habitándum? Neque enim habitávi in domo, ex die illa qua edúxi fílios Israel de terra Ægýpti usque in diem hanc; sed ambulábam in tabernáculo et in tentório. Per cuncta loca, quæ transívi cum ómnibus fíliis Israel, numquid loquens locútus sum ad unam de tríbubus Israel, cui præcépi ut ásceret pópulum meum Israel, dicens: Quare non ædificástis mihi domum cédrinam? "

Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dóminus exercítuum: " Ego tuli te de páscuis sequéntem greges, ut esses dux super pópulum meum Israel. Et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti, et interféci univérsos inimícos tuos a fácie tua, fecíque tibi nomen grande iuxta nomen magnórum qui sunt in terra. Et ponam locum pópulo meo Israel, et plantábo eum, et ha-

bitábit sub eo, et non turbábitur ámplius; nec addent fílii iniquitátis ut afflígant eum sicut prius, ex die qua constítui iúdices super pópulum meum Israel.

Et réquiem dabo tibi ab ómnibus inimícis tuis, prædicítque tibi Dóminus quod domum fáciat tibi Dóminus. Cumque compléti fúerint dies tui, et dormíeris cum pátribus tuis, suscitábo semen tuum post te, quod egrediétur de útero tuo, et firmábo regnum eius.

Ipse ædificábit domum nómini meo, et stabíliam thronum regni eius usque in sempitérnum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in fílium. Qui si iníque áliquid gésserit, árguam eum in virga virórum et in plagis filiórum hóminum. Misericórdiam autem meam non áuferam ab eo, sicut ábstuli a Saul, quem amóvi a fácie mea. Et fidélis erit domus tua et regnum tuum usque in ætérnum ante fáciem tuam, et thronus tuus erit firmus iúgiter " ».

Secúndum ómnia verba hæc et iuxta univérsam visiónem istam sic locútus est Nathan ad David.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 88, 4-5. 27-28. 29-30 (℟.: 29 a)

℟. In ætérnum servábo illi misericórdiam meam.

4 « Dispósui testaméntum elécto meo,
iurávi David servo meo:
5 Usque in ætérnum confirmábo semen tuum,
et ædificábo in generatiónem
et generatiónem sedem tuam ». ℟.

27 « Ipse invocábit me: Pater meus es tu,
Deus meus et refúgium salútis meæ.
28 Et ego primogénitum ponam illum,
excélsum præ régibus terræ. ℟.

29 In ætérnum servábo illi misericórdiam meam,
et testaméntum meum fidéle ipsi.

30 Et ponam in sǽculum sǽculi semen eius,
et thronum eius sicut dies cæli ». ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Semen est verbum Dei, sator autem Christus;
omnis qui ínvenit eum, manébit in ætérnum.
℟. Allelúia.

Evangelium

Exiit seminans ad seminandum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 4, 1-20

In illo témpore:

Iterum cœpit Iesus docére ad mare. Et congregátur ad eum turba plúrima, ita ut in navem ascéndens sedéret in mari, et omnis turba circa mare super terram erant. Et docébat eos in parábolis multa, et dicébat illis in doctrína sua:

« Audíte: Ecce éxiit séminans ad seminándum. Et factum est, dum séminat, áliud cécidit circa viam, et venérunt vólucres et comedérunt illud. Aliud cécidit super petrósa, ubi non habébat terram multam, et statim exórtum est, quóniam non habébat altitúdinem terræ; et quando exórtus est sol, exæstuávit, et eo quod non habéret radícem, exáruit; et áliud cécidit in spinas, et ascendérunt spinæ et suffocavérunt illud, et fructum non dedit. Et ália cecidérunt in terram bonam et dabant fructum: ascendébant et crescébant et afferébant unum trigínta et unum sexagínta et unum centum ». Et dicébat: « Qui habet aures audiéndi, áudiat ».

Et cum esset singuláris, interrogavérunt eum hi qui circa eum erant cum Duódecim parábolas. Et dicébat eis: « Vobis datum est mystérium Regni Dei: illis autem

qui foris sunt, in parábolis ómnia fiunt, ut “ vidéntes vídeant et non vídeant, et audiéntes áudiant et non intéllegant, ne quando convertántur et dimittátur eis ” ».

Et ait illis: « Nescítis parábolam hanc, et quómodo omnes parábolas cognoscétis?

Qui séminat, verbum séminat. Hi autem sunt qui circa viam ubi seminátur verbum, et cum audíerint, conféstim venit Sátanas et aufert verbum quod seminátum est in eos. Et hi sunt qui super petrósa seminántur: qui cum audíerint verbum statim cum gáudio accípiunt illud, et non habent radícem in se sed temporáles sunt; deínde orta tribulatióne vel persecutióne propter verbum, conféstim scandalizántur. Et álii sunt qui in spinis seminántur: hi sunt qui verbum audiérunt, et ærúmnæ sǽculi et decéptio divitiárum et circa réliqua concupiscéntiæ introeúntes suffócant verbum, et sine fructu effícitur. Et hi sunt qui super terram bonam semináti sunt, qui áudiunt verbum et suscípiunt et fructíficant unum trigínta et unum sexagínta et unum centum ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Múnera nostra, Dómine, súscipe placátus,
quæ sanctificándo nobis, quǽsumus,
salutária fore concéde. Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 33, 6

Accédite ad Dóminum et illumináminì,
et fácies vestræ non confundéntur.

Vel: — Io 8, 12

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, non ámbulat in ténebris,
sed habébit lumen vitæ.

Post communionem

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, vivificatiónis tuæ grátiam consequéntes,
in tuo semper múnere gloriémur. Per Christum.

Feria quinta

Ant. ad introitum — Ps 95, 1. 6

Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
Confféssio et pulchritúdo in conspéctu eius,
sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
dírige actus nostros in beneplácito tuo,
ut in nómine dilécti Fílii tui
mereámur bonis opéribus abundáre.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

In plenitudine fidei teneamus spei confessionem et consideremus invicem in provocationem caritatis.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos — 10, 19-25

Habéntes, fratres, fidúciam in intróitum Sanctórum in sánguine Iesu, quam initiávit nobis viam novam et vivéntem per Velámen, id est carnem suam, et Sacerdótem Magnum super Domum Dei, accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aspérsi corda a consciéntia mala et ablúti corpus aqua munda; teneámus spei confessiónem indeclinábilem, fidélis enim est qui repromísit; et considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis

et bonórum óperum, non deseréntes congregatiónem nostram, sicut est consuetúdinis quibúsdam, sed exhortántes et tanto magis quanto vidétis appropinquántem diem. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 23, 1-2. 3-4 ab. 5-6 (℟.: cf. 6)

℟. Hæc est generátio quæréntium fáciem tuam, Dómine.

1 Dómini est terra et plenitúdo eius,
orbis terrárum et qui hábitant in eo.
2 Quia ipse super mária fundávit eum,
et super flúmina firmávit eum. ℟.
3 Quis ascéndet in montem Dómini,
aut quis stabit in loco sancto eius?
4 Innocens mánibus et mundo corde,
qui non accépit in vanum nomen eius. ℟.
5 Hic accípiet benedictiónem a Dómino,
et iustificatiónem a Deo salutári suo.
6 Hæc est generátio quæréntium eum,
quæréntium fáciem Dei Iacob. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Quis ego sum, Domine Deus,
et quæ domus mea?

Léctio libri secúndi Samuélis 7, 18-19. 24-29

Postquam locútus est Nathan ad David, ingréssus est rex et sedit coram Dómino, et dixit: « Quis ego sum, Dómine Deus, et quæ domus mea, quia adduxísti me huc usque? Sed et hoc parum visum est in conspéctu tuo, Dómine Deus, nisi loqueréris étiam de domo servi tui in longínquum (ista est enim lex Adam), Dómine Deus.

Firmásti enim tibi pópulum tuum Israel in pópulum sempitérnum; et tu, Dómine Deus, factus es eis in Deum. Nunc ergo, Dómine Deus, verbum, quod locútus es super servum tuum et super domum eius, súscita in sempitérnum, et fac sicut locútus es; ut magnificétur nomen tuum usque in sempitérnum, atque dicátur: " Dóminus exercítuum Deus super Israel ". Et domus servi tui David erit stabilíta coram Dómino.

Quia tu, Dómine exercítuum, Deus Israel, reveIásti aurem servi tui dicens: " Domum ædificábo tibi "; proptérea invénit servus tuus cor suum ut oráret te oratióne hac. Nunc ergo, Dómine Deus, tu es Deus, et verba tua erunt vera; locútus es enim ad servum tuum bona hæc.

Incipe ergo et bénedic dómui servi tui, ut sit in sempitérnum coram te, quia tu, Dómine Deus, locútus es, et benedictióne tua benedicétur domus servi tui in sempitérnum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 131, 1-2. 3-5. 11. 12. 13-14 (℟.: Lc 1, 32 a)

℟. Dabit illi Dóminus Deus sedem David patris eius.

1 Meménto, Dómine, David
et omnis mansuetúdinis eius.
2 Quia iurávit Dómino,
votum vovit Poténti Iacob: ℟.

3 « Non introíbo in tabernáculum domus meæ,
non ascéndam in lectum strati mei;
4 non dabo somnum óculis meis
et pálpebris meis dormitatiónem,
5 donec invéniam locum Dómino,
tabernáculum Poténti Iacob ». ℟.

11 Iurávit Dóminus David,
véritas est, et non recédet ab ea:
« De fructu ventris tui
ponam super sedem tuam. ℟.

12 Si custodíerint fílii tui testaméntum meum,
et testimónia mea quæ docébo eos,
fílii eórum usque in sæculum
sedébunt super sedem tuam ». ℟.

13 Quóniam elégit Dóminus Sion,
desiderávit eam in habitatiónem sibi:
14 « Hæc réquies mea in sæculum sæculi;
hic habitábo, quóniam desirávi eam ». ℟.

Alleluia — Ps 118, 105

℟. Allelúia. ℣. Lucérna pédibus meis verbum tuum,
et lumen sémitis meis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Lucerna venit ut super candelabrum ponatur.
In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum — 4, 21-25

In illo témpore: Dicébat Iesus turbæ:

« Numquid venit lucérna ut sub módio ponátur aut sub lecto? Nonne ut super candelábrum ponátur? Non enim est áliquid abscónditum nisi ut manifestétur, nec factum est occúltum nisi ut in palam véniat. Si quis habet aures audiéndi, áudiat ».

Et dicébat illis: « Vidéte quid audiátis. In qua mensúra mensi fuéritis, remetiétur vobis et adiciétur vobis. Qui enim habet, dábitur illi; et qui non habet, étiam quod habet auferétur ab illo ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Múnera nostra, Dómine, súscipe placátus,
quæ sanctificándo nobis, quǽsumus,
salutária fore concéde.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 33, 6

Accédite ad Dóminum et illuminámini,
et fácies vestræ non confundéntur.

Vel: Io 8, 12

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, non ámbulat in ténebris,
sed habébit lumen vitæ.

Post communionem

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, vivificatiónis tuæ grátiam consequéntes,
in tuo semper múnere gloriémur.
Per Christum.

Feria sexta

Ant. ad introitum Ps 95, 1. 6

Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius,
sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
dírige actus nostros in beneplácito tuo,
ut in nómine dilécti Fílii tui
mereámur bonis opéribus abundáre.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Magnum certamen sustinuistis.
Nolite itaque abicere confidentiam.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 10, 32-39

Fratres:

Rememorámini prístinos dies, in quibus illumináti magnum certámen sustinuístis passiónum, in áltero quidem oppróbriis et tribulatiónibus spectáculum facti, in áltero autem sócii táliter conversántium efécti; nam et vinctis compássi estis, et rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliorem substántiam et manéntem.

Nolíte ítaque abícere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem, patiéntia enim vobis necessária est ut voluntátem Dei faciéntes reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum quántulum, qui ventúrus est véniet et non tardábit: iustus autem meus ex fide vivet, quod si subtráxerit se, non sibi cómplacet in eo ánima mea.

Nos autem non sumus subtractiónis in perditiónem, sed fídei in acquisitiónem ánimæ.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 36, 3-4. 5-6. 23-24. 39-40 (℟.: 39 a)

℟. Salus iustórum a Dómino.

3 Spera in Dómino et fac bonitátem,
et inhabitábis terram et pascéris in fide.
4 Delectáre in Dómino,
et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℟.

5 Commítte Dómino viam tuam et spera in eo,
et ipse fáciet;
6 et edúcet quasi lumen iustítiam tuam,
et iudícium tuum tamquam merídiem. ℟.
23 A Dómino gressus hóminis confirmántur,
et viam eius volet.
24 Cum cecíderit non collidétur,
quia Dóminus susténtat manum eius. ℟.
39 Salus autem iustórum a Dómino,
et protéctor in témpore tribulatiónis.
40 Et adiuvábit eos Dóminus et liberábit eos,
et éruet eos a peccatóribus et salvábit eos,
quia speravérunt in eo. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Despexisti me et tulisti uxorem Uriæ ut esset uxor tua.

Léctio libri secúndi Samuélis 11, 1-4 a. 5-10 a. 13-17

Factum est, verténte anno, eo témpore quo solent reges ad bella procédere, misit David Ioab et servos suos cum eo et univérsum Israel; et vastavérunt fílios Ammon, et obsedérunt Rabba. David autem remánsit in Ierúsalem.

Dum hæc ageréntur, áccidit ut súrgeret David de strato suo post merídiem, et deambuláret in solário domus régiæ; vidítque mulíerem se lavántem ex advérso super solárium suum; erat autem múlier pulchra valde. Misit ergo rex et requisívit quæ esset múlier; nuntiatúmque est ei quod ipsa esset Bethsabée, fília Eliam, uxor Uríæ Hethǽi. Missis ítaque David núntiis, tulit eam; et

revérsa est in domum suam, concépto fetu, mitténsque nuntiávit David, et ait: « Concépi ». Misit autem David ad Ioab, dicens: « Mitte ad me Uríam Hethǽum ». Misítque Ioab Uríam ad David. Et venit Urías ad David. Quæsivítque David quam recte ágeret Ioab et pópulus, et quómodo administrarétur bellum. Et dixit David ad Uríam: « Vade in domum tuam, et lava pedes tuos ». Et egréssus est Urías de domo regis, secutúsque est eum cibus régius. Dormívit autem Urías ante portam domus régiæ cum áliis servis dómini sui, et non descéndit ad domum suam. Nuntiatúmque est David a dicéntibus: « Non ivit Urías in domum suam ». Et vocávit eum David ut coméderet coram se et bíberet, et inebriávit eum. Qui egréssus véspere dormívit in strato suo cum servis dómini sui; et in domum suam non descéndit.

Factum est ergo mane, et scripsit David epístolam ad Ioab misítque per manum Uríæ, scribens in epístola: « Pónite Uríam ex advérso belli, ubi fortíssimum est prœ́lium, et derelínquite eum ut percússus intéreat ».

Igitur cum Ioab obsidéret urbem, pósuit Uríam in loco ubi sciébat viros esse fortíssimos. Egressíque viri de civitáte bellábant advérsum Ioab; et cecidérunt de pópulo servórum David, et mórtuus est étiam Urías Hethǽus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 50, 3-4. 5-6 a. 6 bc-7. 10-11 (℟.: cf. 3 a)

℟. Miserére, Dómine, quia peccávimus.

3 Miserére mei, Deus, secúndum misericórdiam tuam;
et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum
dele iniquitátem meam.
4 Amplius lava me ab iniquitáte mea,
et a peccáto meo munda me. ℟.

5 Quóniam iniquitátem meam ego cognósco,
et peccátum meum contra me est semper.
6 Tibi, tibi soli peccávi, et malum coram te feci. ℟.
Ut iustus inveniáris in senténtia tua
et æquus in iudício tuo.
7 Ecce enim in iniquitáte generátus sum,
et in peccáto concépit me mater mea. ℟.
10 Audíre me fácies gáudium et lætítiam,
et exsultábunt ossa quæ humiliásti.
11 Avérte fáciem tuam a peccátis meis,
et omnes iniquitátes meas dele. ℟.

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Evangelium

Iacit semen et dormit, et semen increscit, dum nescit ille.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 4, 26-34

In illo témpore: Dicébat Iesus turbis:

« Sic est Regnum Dei, quemádmodum si homo iáciat seméntem in terram et dórmiat et exsúrgat nocte ac die, et semen gérminet et incréscat dum nescit ille. Ultro terra fructíficat, primum herbam, deínde spicam, deínde plenum fruméntum in spica. Et cum se prodúxerit fructus, statim mittit falcem quóniam adest messis ».

Et dicébat: « Quómodo assimilábimus Regnum Dei, aut in qua parábola ponémus illud? Sicut granum sinápis, quod cum seminátum fúerit in terra, minus est ómnibus semínibus quæ sunt in terra, et cum seminátum fúerit,

ascéndit et fit maius ómnibus holéribus et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aves cæli habitáre ».

Et tálibus multis parábolis loquebátur eis verbum, prout póterant audíre; sine parábola autem non loquebátur eis, seórsum autem discípulis suis disserébat ómnia. — Verbum Dómini.

Super oblata

Múnera nostra, Dómine, súscipe placátus,
quæ sanctificándo nobis, quǽsumus,
salutária fore concéde.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 33, 6

Accédite ad Dóminum et illumináimini,
et fácies vestræ non confundéntur.

Vel: — Io 8, 12

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, non ámbulat in ténebris,
sed habébit lumen vitæ.

Post communionem

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, vivificatiónis tuæ grátiam consequéntes,
in tuo semper múnere gloriémur.
Per Christum.

Sabbato

Ant. ad introitum — Ps 95, 1. 6

Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius,
sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
dírige actus nostros in beneplácito tuo,
ut in nómine dilécti Fílii tui
mereámur bonis opéribus abundáre.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Exspectabat civitatem, cuius artifex et conditor Deus.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 11, 1-2. 8-19

Est fides sperandórum substántia, rerum arguméntum non apparéntium. In hac enim testimónium consecúti sunt senióres.

Fide vocátus Abraham obœdívit in locum exíre quem acceptúrus erat in hereditátem, et exívit nésciens quo iret. Fide peregrinátus est in terra promissiónis tamquam in aliéna, in cásulis habitándo cum Isaac et Iacob, coherédibus promissiónis eiúsdem; exspectábat enim fundaménta habéntem civitátem, cuius ártifex et cónditor Deus.

Fide — et ipsa Sarra stérilis — virtútem in conceptiónem séminis accépit étiam præter tempus ætátis, quóniam fidélem crédidit esse eum qui promíserat; propter quod et ab uno orti sunt, et hoc emórtuo, tamquam sídera cæli in multitúdine et sicut haréna quæ est ad oram maris innumerábilis.

Iuxta fidem defúncti sunt omnes isti, non accéptis promissiónibus, sed a longe eas aspiciéntes et salutántes, et confiténtes quia peregríni et hóspites sunt super ter-

ram; qui enim hæc dicunt, significant se pátriam inquírere. Et si quidem illíus meminíssent de qua exíerant, habébant útique tempus reverténdi; nunc autem meliórem áppetunt, id est cæléstem. Ideo non confúnditur Deus vocári Deus eórum, parávit enim illis Civitátem.

Fide óbtulit Abraham Isaac cum tentarétur, et unigénitum offerébat ille qui suscéperat promissiónes, ad quem dictum erat: « In Isaac vocábitur tibi semen », arbitrátus quia et a mórtuis suscitáre potens est Deus; unde eum et in parábola reportávit.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Lc 1, 69-70. 71-72. 73-75 (℟.: 68)

℟. Benedíctus Dóminus Deus Israel,
quia visitávit plebem suam.

69 Et eréxit cornu salútis nobis
in domo David púeri sui:
70 sicut locútus est per os sanctórum,
qui a sǽculo sunt, prophetárum eius. ℟.

71 Salútem ex inimícis nostris,
et de manu ómnium qui odérunt nos:
72 ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris,
et memorári testaménti sui sancti. ℟.

73 Iusiurándum, quod iurávit ad Abraham
patrem nostrum,
datúrum se nobis;
74 ut sine timóre,
de manu inimicórum nostrórum liberáti,
serviámus illi
75 in sanctitáte et iustítia coram ipso
ómnibus diébus nostris. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Peccavi Domino

Léctio libri secúndi Samuélis 12, 1-7 a. 10-17

In diébus illis:

Misit Dóminus Nathan ad David. Qui cum venísset ad eum, dixit ei: « Duo viri erant in civitáte una, unus dives et alter pauper. Dives habébat oves et boves plúrimos valde; pauper autem nihil habébat omníno præter ovem unam párvulam, quam émerat et nutríerat, et quæ créverat apud eum cum fíliis eius simul, de pane illíus cómedens et de cálice eius bibens, et in sinu illíus dórmiens: erátque illi sicut fília. Cum autem peregrínus quidam venísset ad dívitem, parcens ille súmere de óvibus et de bobus suis, ut exhibéret convívium peregríno illi qui vénerat ad se, tulit ovem viri páuperis, et præparávit cibos hómini qui vénerat ad se ».

Irátus autem indignatióne David advérsus hóminem illum nimis, dixit ad Nathan: « Vivit Dóminus, quóniam fílius mortis est vir qui fecit hoc; ovem reddet in quádruplum, eo quod fécerit verbum istud et non pepércerit ».

Dixit autem Nathan ad David: « Tu es ille vir. Quamóbrem non recédet gládius de domo tua usque in sempitérnum, eo quod despéxeris me, et túleris uxórem Uríæ Hethǽi ut esset uxor tua. Itaque hæc dicit Dóminus: “ Ecce ego suscitábo super te malum de domo tua, et tollam uxóres tuas in óculis tuis, et dabo próximo tuo, et dórmiet cum uxóribus tuis in óculis solis huius. Tu enim fecísti abscóndite; ego autem fáciam verbum istud in conspéctu omnis Israel et in conspéctu solis ” ».

Et dixit David ad Nathan: « Peccávi Dómino ». Dixítque Nathan ad David: « Dóminus quoque tránstulit

peccátum tuum: non moriéris. Verúmtamen, quóniam blasphemáre fecísti inimícos Dómini propter verbum hoc, fílius qui natus est tibi morte moriétur ». Et revérsus est Nathan in domum suam.

Percússit quoque Dóminus párvulum, quem pepérerat uxor Uríæ David, et desperátus est. Deprecatúsque est David Dóminum pro párvulo, et ieiunávit David ieiúnio, et ingréssus seórsum iácuit super terram. Venérunt autem senióres domus eius cogéntes eum ut súrgeret de terra; qui nóluit nec comédit cum eis cibum.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 50, 12-13. 14-15. 16-17 (℟.: 12 a)

℟. Cor mundum crea in me, Deus.

12 Cor mundum crea in me, Deus,
et spíritum firmum ínnova in viscéribus meis.
13 Ne proícias me a fácie tua,
et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℟.

14 Redde mihi lætítiam salutáris tui,
et spíritu promptíssimo confírma me.
15 Docébo iníquos vias tuas,
et ímpii ad te converténtur. ℟.

16 Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ,
et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.
17 Dómine, lábia mea apéries,
et os meum annuntiábit laudem tuam. ℟.

Alleluia

Io 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret;
omnis qui credit in eum habet vitam ætérnam. ℟. Allelúia.

Evangelium

Quis est iste, quia et ventus et mare obœdiunt ei?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 4, 35-40

In illa die, cum sero esset factum, ait Iesus discípulis suis: « Transeámus contra ». Et dimitténtes turbam, assúmunt eum ut erat in navi, et áliæ naves erant cum illo.

Et exóritur procélla magna venti, et fluctus se mittébant in navem, ita ut iam implerétur navis. Et erat ipse in puppi supra cervícal dórmiens; et éxcitant eum et dicunt ei: « Magíster, non ad te pértinet quia perímus? » Et exsúrgens comminátus est vento, et dixit mari: « Tace, obmutésce ». Et cessávit ventus, et facta est tranquíllitas magna.

Et ait illis: « Quid tímidi estis? Necdum habétis fidem? » Et timuérunt magno timóre, et dicébant ad altérutrum: « Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obœ́diunt ei? » — Verbum Dómini.

Super oblata

Múnera nostra, Dómine, súscipe placátus,
quæ sanctificándo nobis, quǽsumus,
salutária fore concéde.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 33, 6

Accédite ad Dóminum et illuminámini,
et fácies vestræ non confundéntur.

Vel: Io 8, 12

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, non ámbulat in ténebris,
sed habébit lumen vitæ.

Post communionem

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus, ut, vivificatiónis tuæ grátiam consequéntes, in tuo semper múnere gloriémur.
Per Christum.

DOMINICA IV « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 105, 47

Salvos nos fac, Dómine Deus noster,
et cóngrega nos de natiónibus,
ut confiteámur nómini sancto tuo,
et gloriémur in laude tua.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Concéde nobis, Dómine Deus noster,
ut te tota mente venerémur,
et omnes hómines rationábili diligámus afféctu.
Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

Derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum.

Léctio libri Sophoníæ prophétæ 2, 3; 3, 12-13

Quǽrite Dóminum, omnes mansuéti terræ, qui iudícium eius estis operáti; quǽrite iustum, quǽrite mansuétum, si quómodo abscondámini in die furóris Dómini.

« Derelínquam in médio tui pópulum páuperem et egénum, et sperábunt in nómine Dómini. Relíquiæ Israel non fácient iniquitátem, nec loquéntur mendácium; et non inveniétur in ore eórum lingua dolósa, quóniam ipsi pascéntur et accubábunt, et non erit qui extérreat ». — Verbum Dómini.

Psalmus resp. Ps 145, 7. 8-9 a. 9 bc-10 (℟.: Mt 5, 3)

℟. Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.
vel Allelúia.

7 Qui custódit veritátem in sǽculum,
facit iudícium oppréssis,
dat escam esuriéntibus.
Dóminus solvit compedítos. ℟.

8 Dóminus illúminat cæcos,
Dóminus érigit depréssos,
Dóminus díligit iustos,
9 Dóminus custódit ádvenas. ℟.

Pupíllum et víduam susténtat,
et viam peccatórum dispérdit.
10 Regnábit Dóminus in sǽcula,
Deus tuus, Sion, in generatiónem et generatiónem. ℟.

Lectio secunda

Infirma mundi elegit Deus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Coríntios 1, 26-31

Vidéte vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles; sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus ut confúndat sapiéntes, et infírma mundi elégit Deus ut confúndat fórtia, et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu Dei.

Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est Sapiéntia nobis a Deo et iustítia et sanctificátio et redémptio, ut quemádmodum scriptum est: « Qui gloriátur, in Dómino gloriétur ». — Verbum Dómini.

Alleluia Mt 5, 12 a

℟. Allelúia. ℣. Gaudéte et exsultáte,
quóniam merces vestra copiósa est in cælis.
℟. Allelúia.

Evangelium

Beati pauperes spiritu

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
5, 1-12 a

In illo témpore:

Videns Iesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius; et apériens os suum docébat eos dicens:

« Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.

Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur.

Beáti misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.

Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti estis cum maledíxerint vobis et persecúti vos fúerint et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me; gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis ». — Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Prophetam suscitabo et ponam verba mea in ore eius.

Léctio libri Deuteronómii 18, 15-20

Locútus est Móyses pópulo dicens:

« Prophétam de gente tua et de frátribus tuis sicut me suscitábit tibi Dóminus Deus tuus: ipsum áudies, ut

petísti a Dómino Deo tuo in Horeb, quando cóntio congregáta est, atque dixísti: " Ultra non áudiam vocem Dómini Dei mei et ignem hunc máximum ámplius non vidébo, ne móriar " ».

Et ait Dóminus mihi: « Bene ómnia sunt locúti. Prophétam suscitábo eis de médio fratrum suórum símilem tui, et ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos ómnia quæ præcépero illi.

Qui autem verba eius, quæ loquétur in nómine meo, audíre nolúerit, ego ultor exístam. Prophéta autem, qui arrogántia depravátus, volúerit loqui in nómine meo, quæ ego non præcépi illi ut díceret, aut ex nómine alienórum deórum, interficiétur ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 94, 1-2. 6-7. 8-9 (℟.: 8)

℟. Utinam hódie vocem Dómini audiátis:
« Nolíte obduráre corda vestra ».

1 Veníte, exsultémus Dómino;
iubilémus Deo salutári nostro.
2 Præoccupémus fáciem eius in confessióne,
et in psalmis iubilémus ei. ℟.

6 Veníte, adorémus et procidámus,
et génua flectámus ante Dóminum qui fecit nos,
7 quia ipse est Deus noster,
et nos pópulus páscuæ eius
et oves manus eius. ℟.

8 Utinam hódie vocem eius audiátis:
« Nolíte obduráre corda vestra,
9 sicut in Meríba secúndum diem Massa in desérto,
ubi tentavérunt me patres vestri:
probavérunt me, etsi vidérunt ópera mea ». ℟.

Lectio secunda

*Virgo cogitat quæ Domini sunt,
ut sit sancta.*

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 7, 32-35

Fratres:

Volo vos sine sollicitúdine esse.

Qui sine uxóre est sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Dómino; qui autem cum uxóre est sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta et córpore et spíritu; quæ autem nupta est cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro.

Porro hoc ad utilitátem vestram dico, non ut láqueum vobis iníciam, sed ad honéstum et ad adhæréndum Dómino sine distractióne. — Verbum Dómini.

Alleluia Mt 4, 16

℟. Allelúia. ℣. Pópulus qui sedébat in ténebris vidit lucem magnam,
et sedéntibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Erat docens eos quasi potestatem habens.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 21-28

In illo témpore:

Ingrediúntur Caphárnaum Iesus et discípuli sui. Et statim sábbatis ingréssus synagógam docébat. Et stupébant super doctrína eius, erat enim docens eos quasi potestátem habens et non sicut scribæ.

Et statim erat in synagóga eórum homo in spíritu immúndo, et exclamávit dicens: « Quid nobis et tibi, Iesu Nazaréne? Venísti pérdere nos? Scio qui sis, Sanctus Dei ».

Et comminátus est ei Iesus dicens: « Obmutésce, et exi de hómine ». Et discérpens eum spíritus immúndus et exclámans voce magna exívit ab eo.

Et miráti sunt omnes, ita ut conquírerent inter se dicéntes: « Quidnam est hoc? Doctrína nova cum potestáte: et spirítibus immúndis ímperat, et obœ́diunt ei ». Et procéssit rumor eius statim ubíque in omnem regiónem Galilǽæ.

Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Prophetam in gentibus dedi te.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 1, 4-5. 17-19

In diébus Iosíæ: Factum est verbum Dómini ad me dícens: « Priúsquam te formárem in útero, novi te; et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te.

Tu ergo accínge lumbos tuos, et surge, et lóquere ad eos ómnia quæ ego præcípio tibi. Ne formídes a fácie eórum, nec enim timére te fáciam vultum eórum.

Ego quippe dedi te hódie in civitátem munítam, et in colúmnam férream, et in murum ǽreum, super omnem terram: régibus Iuda, princípibus eius et sacerdótibus et pópulo terræ.

Et bellábunt advérsum te et non prævalébunt, quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut líberem te ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 70, 1-2. 3-4 a. 5-6 ab. 15 ab et 17 (℟.: cf. 15)

℟. Os meum annuntiábit salutáre tuum, Dómine.

1 In te, Dómine, sperávi,
non confúndar in ætérnum.
2 In iustítia tua líbera me, et éripe me;
inclína ad me aurem tuam, et salva me. ℟.

3 Esto mihi in rupem præsídii
et in domum munítam, ut salvum me fácias,
quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu.
4 Deus meus, éripe me de manu peccatóris. ℟.

5 Quóniam tu es exspectátio mea, Dómine;
Dómine, spes mea a iuventúte mea.
6 Super te inníxus sum ex útero,
de ventre matris meæ tu es suscéptor meus. ℟.

15 Os meum annuntiábit iustítiam tuam,
tota die salutáre tuum.
17 Deus, docuísti me a iuventúte mea;
et usque nunc annuntiábo mirabília tua. ℟.

Lectio secunda*

Manent fides, spes, caritas; maior autem est caritas.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 12, 31 — 13, 13

Fratres:

Æmulámini charísmata maióra. Et adhuc excellentiórem viam vobis demónstro.

Si linguis hóminum loquar et angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans aut cýmbalum tínniens. Et si habúero prophetíam et nóverim

mystéria ómnia et omnem sciéntiam, et si habúero omnem fidem ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum ut glórier, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest.

Cáritas pátiens est, benígna est cáritas, non æmulátur, non agit supérbe, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitátem, congáudet autem veritáti: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.

Cáritas numquam éxcidit. Sive prophetíæ, evacuabúntur; sive linguæ, cessábunt; sive sciéntia, destruétur. Ex parte enim cognóscimus et ex parte prophetámus; cum autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est. Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus; quando factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus enim nunc per spéculum in ænígmate, tunc autem fácie ad fáciem; nunc cognósco ex parte, tunc autem cognóscam sicut et cógnitus sum.

Nunc autem manet fides, spes, cáritas, tria hæc; maior autem ex his est cáritas. — Verbum Dómini.

---

vel brevior

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 13, 4-13

Fratres:

Cáritas pátiens est, benígna est cáritas, non æmulátur, non agit supérbe, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitátem, congáudet autem

veritáti: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.

Cáritas numquam éxcidit: sive prophetíæ, evacuabúntur; sive linguæ, cessábunt; sive sciéntia, destruétur. Ex parte enim cognóscimus et ex parte prophetámus; cum autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est. Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus; quando factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus enim nunc per spéculum in ænígmate, tunc autem fácie ad fáciem; nunc cognósco ex parte, tunc autem cognóscam sicut et cógnitus sum.

Nunc autem manet fides, spes, cáritas, tria hæc; maior autem ex his est cáritas. — Verbum Dómini.

Alleluia — Lc 4, 18-19

℟. Allelúia. ℣. Evangelizáre paupéribus misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem. ℟. Allelúia.

Evangelium

Iesus sicut Elias et Eliseus non ad Iudæos tantum mittitur.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 4, 21-30

In illo témpore:

Cœpit Iesus dícere in synagóga: « Hódie impléta est hæc Scriptúra in áuribus vestris ». Et omnes testimónium illi dabant et mirabántur in verbis grátiæ quæ procedébant de ore ipsíus, et dicébant: « Nonne hic fílius est Ioseph? »

Et ait illis: « Utique dicétis mihi hanc similitúdinem: " Médice, cura te ipsum "; quanta audívimus facta in Caphárnaum, fac et hic in pátria tua ». Ait autem:

« Amen dico vobis: Nemo prophéta accéptus est in pátria sua. In veritáte autem dico vobis: Multæ víduæ erant in diébus Elíæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus et ménsibus sex, cum facta est fames magna in omni terra; et ad nullam illárum missus est Elías nisi in Sarépta Sidóniæ ad mulíerem víduam. Et multi leprósi erant in Israel sub Eliséo prophéta et nemo eórum mundátus est nisi Náaman Syrus ».

Et repléti sunt omnes in synagóga ira hæc audiéntes, et surrexérunt et eiecérunt illum extra civitátem, et duxérunt illum usque ad supercílium montis, supra quem cívitas illórum erat ædificáta, ut præcipitárent eum. Ipse autem tránsiens per médium illórum ibat.

Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Altáribus tuis, Dómine,
múnera nostræ servitútis inférimus,
quæ, placátus assúmens,
sacraméntum nostræ redemptiónis effícias.
Per Christum.

Præfatio de dominicis « per annum », pp. 752-759.

Ant. ad communionem — Ps 30, 17-18

Illúmina fáciem tuam super servum tuum,
et salvum me fac in tua misericórdia.
Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Vel: — Mt 5, 3-4

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Post communionem

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti,
quǽsumus, Dómine,
ut hoc perpétuæ salútis auxílio
fides semper vera profíciat. Per Christum.

Feria secunda

Ant. ad introitum — Ps 105, 47

Salvos nos fac, Dómine Deus noster,
et cóngrega nos de natiónibus,
ut confiteámur nómini sancto tuo,
et gloriémur in laude tua.

Collecta

Concéde nobis, Dómine Deus noster,
ut te tota mente venerémur,
et omnes hómines rationábili diligámus afféctu.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Per fidem devicerunt regna. Deus pro nobis melius aliquid providebit.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos — 11, 32-40

Fratres:

Quid adhuc dicam? Defíciet enim me tempus enarrántem de Gédeon, Barac, Samson, Iepthæ, David et Sámuel atque Prophétis, qui per fidem devicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes

facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum; accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos;

álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem;

álii vero ludíbria et vérbera expérti sunt, ínsuper et víncula et cárcerem; lapidáti sunt, secti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt, circumiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus, in solitudínibus errántes et móntibus et spelúncis et in cavérnis terræ.

Et hi omnes testimónium per fidem consecúti non reportavérunt promissiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providénte, ut ne sine nobis consummaréntur.

Verbum Dómini.

Psalmus resp. Ps 30, 20. 21. 22. 23. 24 (℟.: 25)

℟. Confortétur cor vestrum,
omnes qui sperátis in Dómino.

20 Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine,
quam abscondísti timéntibus te.
Perfecísti eis qui sperant in te,
in conspéctu filiórum hóminum. ℟.

21 Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ
a conturbatióne hóminum;
próteges eos in tabernáculo
a contradictióne linguárum. ℟.

22 Benedíctus Dóminus,
quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi
in civitáte muníta. ℟.

23 Ego autem dixi in trepidatióne mea:
« Præcísus sum a conspéctu oculórum tuórum ».
Verúmtamen exaudísti vocem oratiónis meæ,
dum clamárem ad te. ℟.

24 Dilígite Dóminum, omnes sancti eius:
fidéles consérvat Dóminus,
et retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Fugiamus a facie Absalom. Dimittite Semei ut maledicat, iuxta præceptum Domini.

Léctio libri secúndi Samuélis 15, 13-14. 30; 16, 5-13a

In diébus illis:

Venit núntius ad David dicens: « Toto corde univérsus Israel séquitur Absalom ». Et ait David servis suis qui erant cum eo in Ierúsalem: « Súrgite, fugiámus; neque enim erit nobis effúgium a fácie Absalom. Festináte égredi, ne forte véniens óccupet nos, et impéllat super nos ruínam, et percútiat civitátem in ore gládii ».

Porro David ascendébat Clivum Olivárum, scandens et flens, nudis pédibus incédens et opérto cápite; sed et omnis pópulus, qui erat cum eo, opérto cápite ascendébat plorans.

Venit ergo rex David usque Bahúrim, et ecce egrediebátur inde vir de cognatióne domus Saul, nómine Sémei, fílius Gera; procedebátque egrédiens et maledicébat, mittebátque lápides contra David et contra univérsos servos regis. Omnis autem pópulus et univérsi bellatóres a dextro et a sinístro látere regis incedébant.

Ita autem loquebátur Sémei, cum maledíceret regi: « Egrédere, egrédere, vir sánguinum et vir Bélial: réddidit tibi Dóminus univérsum sánguinem domus Saul, quóniam invasísti regnum pro eo, et dedit Dóminus regnum in manu Absalom fílii tui; et ecce premunt te mala tua, quóniam vir sánguinum es ».

Dixit autem Abísai fílius Sárviæ regi: « Quare maledícit canis hic mórtuus dómino meo regi? Vadam et amputábo caput eius ».

Et ait rex: « Quid mihi et vobis est, fílii Sárviæ? Dimíttite eum ut maledícat; Dóminus enim præcépit ei ut maledíceret David; et quis est qui áudeat dícere quare sic fécerit? » Et ait rex Abísai et univérsis servis suis: « Ecce fílius meus, qui egréssus est de útero meo, quærit ánimam meam; quanto magis nunc fílius Iémini. Dimíttite eum ut maledícat iuxta præcéptum Dómini. Si forte respíciat Dóminus afflictiónem meam, et reddat mihi Dóminus bonum pro maledictióne hac hodiérna ».

Ambulábat ítaque David et sócii eius per viam cum eo. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 3, 2-3. 4-5. 6-7 (℟.: 7 b)

℟. Exsúrge, Dómine, salvum me fac.

2 Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me?
Multi insúrgunt advérsum me,
3 multi dicunt ánimæ meæ:
« Non est salus ipsi in Deo ». ℟.

4 Tu autem, Dómine, protéctor meus es,
glória mea et exáltans caput meum.
5 Voce mea ad Dóminum clamávi,
et exaudívit me de monte sancto suo. ℟.

6 Ego obdormívi et soporátus sum,
exsurréxi quia Dóminus suscépit me.
7 Non timébo mília pópuli circumdántis me.
Exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus. ℟.

Alleluia Lc 7, 16

℟. Allelúia. ℣. Prophéta magnus surréxit in nobis,
et Deus visitávit plebem suam. ℟. Allelúia.

Evangelium

Exi, spiritus immunde, ab homine.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 5, 1-20

In illo témpore:

Venérunt Iesus et discípuli sui trans fretum maris in regiónem Gerasenórum. Et exeúnte eo de navi, statim occúrrit ei de monuméntis homo in spíritu immúndo, qui domicílium habébat in monuméntis; et neque caténis iam quisquam eum póterat ligáre, quóniam sæpe compédibus et caténis vinctus dirupísset caténas et cómpedes comminuísset, et nemo póterat eum domáre; et semper nocte ac die in monuméntis et in móntibus erat clamans et cóncidens se lapídibus.

Et videns Iesum a longe cucúrrit et adorávit eum, et clamans voce magna dicit: « Quid mihi et tibi, Iesu fili Dei Altíssimi? Adiúro te per Deum, ne me tórqueas ». Dicébat enim illi: « Exi, spíritus immúnde, ab hómine ». Et interrogábat eum: « Quod tibi nomen est? » Et dicit ei: « Légio nomen mihi est, quia multi sumus ». Et deprecabátur eum multum ne se expélleret extra regiónem.

Erat autem ibi circa montem grex porcórum magnus pascens, et deprecáti sunt eum dicéntes: « Mitte nos in porcos, ut in eos introeámus ». Et concéssit eis. Et exeúntes spíritus immúndi introiérunt in porcos. Et magno ímpetu grex ruit per præcipítium in mare, ad duo mília, et suffocabántur in mari.

Qui autem pascébant eos fugérunt et nuntiavérunt in civitátem et in agros; et egréssi sunt vidére quid esset facti. Et véniunt ad Iesum, et vident illum qui a dæmónio vexabátur sedéntem, vestítum et sanæ mentis, eum qui legiónem habúerat, et timuérunt. Et qui víderant, narravérunt illis quáliter factum esset ei qui dæ-

mónium habúerat, et de porcis. Et rogáre eum cœpérunt ut discéderet a fínibus eórum.

Cumque ascénderet navem, qui dæmónio vexátus fúerat deprecabátur eum ut esset cum illo. Et non admísit eum, sed ait illi: « Vade in domum tuam ad tuos, et annúntia illis quanta tibi Dóminus fécerit et misértus sit tui ». Et ábiit et cœpit prædicáre in Decápoli quanta sibi fecísset Iesus, et omnes mirabántur.

Verbum Dómini.

Super oblata

Altáribus tuis, Dómine,
múnera nostræ servitútis inférimus,
quæ, placátus assúmens,
sacraméntum nostræ redemptiónis effícias.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 30, 17-18

Illúmina fáciem tuam super servum tuum,
et salvum me fac in tua misericórdia.
Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Vel: — Mt 5, 3-4

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Post communionem

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti,
quæsumus, Dómine,
ut hoc perpétuæ salútis auxílio
fides semper vera profíciat.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum Ps 105, 47

Salvos nos fac, Dómine Deus noster,
et cóngrega nos de natiónibus,
ut confiteámur nómini sancto tuo,
et gloriémur in laude tua.

Collecta

Concéde nobis, Dómine Deus noster,
ut te tota mente venerémur,
et omnes hómines rationábili diligámus afféctu.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Per patientiam curramus propositum nobis certamen.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 12, 1-4

Fratres:

Et nos, tantam habéntes circumpósitam nobis nubem téstium, deponéntes omne pondus et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus propósitum nobis certámen, aspiciéntes in auctórem fídei et consummatórem Iesum, qui pro gáudio sibi propósito sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera throni Dei sedet.

Recogitáte enim eum qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradictiónem, ut ne fatigémini ánimis vestris deficiéntes. Nondum usque ad sánguinem restitístis advérsus peccátum repugnántes.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 21, 26 b-27. 28 et 30. 31-32 (℟.: 27 b)

℟. Laudábunt te, Dómine, qui te requírunt.

26 Vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.
27 Edent páuperes, et saturabúntur,
et laudábunt Dóminum qui requírunt eum:
« Vivant corda eórum in sǽculum sǽculi ». ℟.

28 Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum
univérsi fines terræ,
et adorábunt in conspéctu eius
univérsæ famíliæ géntium.
30 Ipsum solum adorábunt omnes qui dórmiunt in terra;
in conspéctu eius prócident omnes
qui descéndunt in púlverem. ℟.

Anima autem mea illi vivet,
31 et semen meum sérviet ipsi.
Narrábitur de Dómino generatióni ventúræ,
32 et annuntiábunt iustítiam eius
pópulo qui nascétur: « Hæc fecit Dóminus ». ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Fili mi, Absalom, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te?

Léctio libri secúndi Samuélis

18, 9-10. 14 b. 24-25 a. 30 — 19, 3

In diébus illis:

Accidit ut occúrreret Absalom servis David sedens mulo; cumque ingréssus fuísset mulus subter condénsam quercum et magnam, adhǽsit caput eius quércui et, illo suspenso inter cælum et terram, mulus cui insíderat

pertransívit. Vidit autem hoc quíspiam, et nuntiávit Ioab, dicens: « Vidi Absalom pendére de quercu ». Tulit ergo Ioab tres lánceas in manu sua, et infíxit eas in corde Absalom.

David autem sedébat inter duas portas. Speculátor vero qui erat in fastígio portæ super murum, élevans óculos vidit hóminem curréntem solum, et exclámans indicávit regi. Dixítque rex: « Transi, et sta hic ». Cumque ille transísset et staret, appáruit Chusi et véniens ait: « Bonum appórto núntium, dómine mi rex; iudicávit enim pro te Dóminus hódie de manu ómnium, qui surrexérunt contra te ».

Dixit autem rex ad Chusi: « Estne pax púero Absalom? » Cui respóndens Chusi: « Fiant, inquit, sicut puer, inimíci dómini mei regis, et univérsi qui consúrgunt advérsus eum in malum ». Contristátus ítaque rex ascéndit cenáculum portæ, et flevit. Et sic loquebátur vadens: « Fili mi Absalom! Absalom fili mi! Quis mihi tríbuat ut ego móriar pro te? Absalom fili mi! Fili mi Absalom! »

Nuntiátum est autem Ioab quod rex fleret et lugéret fílium suum, et versa est victória in luctum in die illa omni pópulo; audívit enim pópulus in die illa dici: « Dolet rex super fílio suo ». Et declinávit pópulus in die illa íngredi civitátem, quómodo declináre solet pópulus versus et fúgiens de prœ́lio. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 85, 1-2. 3-4. 5-6 (℟.: 1 a)

℟. Inclína, Dómine, aurem tuam et exáudi me.

1 Inclína, Dómine, aurem tuam et exáudi me,
quóniam inops et pauper sum ego.
2 Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum;
salvum fac servum tuum, Deus meus,
sperántem in te. ℟.

3 Miserére mei, Dómine,
quóniam ad te clamávi tota die.
4 Lætífica ánimam servi tui,
quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi. ℟.
5 Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis,
et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.
6 Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam,
et inténde voci deprecatiónis meæ. ℟.

Alleluia — Mt 8, 17

℟. Allelúia. ℣. Ipse infirmitátes nostras accépit,
et ægrotatiónes nostras portávit. ℟. Allelúia.

Evangelium

Puella, tibi dico, surge.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 5, 21-43

In illo témpore:

Cum transcendísset Iesus in navi rursus trans fretum, convénit turba multa ad illum et erat circa mare. Et venit quidam de archisynagógis nómine Iaírus, et videns eum prócidit ad pedes eius, et deprecátur eum multum, dicens: « Filíola mea in extrémis est, veni, impóne manus super eam ut salva sit et vivat ». Et ábiit cum illo. Et sequebátur eum turba multa, et comprimébant illum.

Et múlier quæ erat in proflúvio sánguinis annis duódecim et fúerat multa perpéssa a complúribus médicis et erogáverat ómnia sua nec quicquam profécerat sed magis detérius habébat, cum audísset de Iesu, venit in turba retro et tétigit vestiméntum eius; dicébat enim: « Si vel vestiménta eius tetígero, salva ero ». Et conféstim siccátus est fons sánguinis eius, et sensit córpore quod sanáta esset a plaga.

Et statim Iesus cognóscens in semetípso virtútem quæ exíerat de eo, convérsus ad turbam aiébat: « Quis tétigit vestiménta mea? » Et dicébant ei discípuli sui: « Vides turbam compriméntem te, et dicis: " Quis me tétigit? " » Et circumspiciébat vidére eam quæ hoc fécerat. Múlier autem timens et tremens, sciens quod factum esset in se, venit et prócidit ante eum, et dixit ei omnem veritátem. Ille autem dixit ei: « Fília, fides tua te salvam fecit: vade in pace, et esto sana a plaga tua ».

Adhuc eo loquénte, véniunt ab archisynagógo dicéntes: « Fília tua mórtua est; quid ultra vexas Magístrum? » Iesus autem, verbo quod dicebátur audíto, ait archisynagógo: « Noli timére, tantúmmodo crede ». Et non admísit quemquam sequi se nisi Petrum et Iacóbum et Ioánnem fratrem Iacóbi.

Et véniunt ad domum archisynagógi, et videt tumúltum et flentes et heiulántes multum, et ingréssus ait eis: « Quid turbámini et plorátis? Puélla non est mórtua, sed dormit ». Et irridébant eum.

Ipse vero, eiéctis ómnibus, assúmit patrem puéllæ et matrem et qui secum erant, et ingréditur ubi erat puélla; et tenens manum puéllæ ait illi: « Talítha, qûm », quod est interpretátum: « Puélla, tibi dico, surge ». Et conféstim surréxit puélla et ambulábat; erat enim annórum duódecim. Et obstupuérunt contínuo stupóre magno. Et præcépit illis veheménter, ut nemo id sciret, et dixit dari illi manducáre. — Verbum Dómini.

Super oblata

Altáribus tuis, Dómine,
múnera nostræ servitútis inférimus,
quæ, placátus assúmens,
sacraméntum nostræ redemptiónis effícias.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 30, 17-18

Illúmina fáciem tuam super servum tuum,
et salvum me fac in tua misericórdia.
Dómine, non confúndar,
quóniam invocávi te.

Vel: Mt 5, 3-4

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Post communionem

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti,
quǽsumus, Dómine,
ut hoc perpétuæ salútis auxílio
fides semper vera profíciat.
Per Christum.

Feria quarta

Ant. ad introitum Ps 105, 47

Salvos nos fac, Dómine Deus noster,
et cóngrega nos de natiónibus,
ut confiteámur nómini sancto tuo,
et gloriémur in laude tua.

Collecta

Concéde nobis, Dómine Deus noster,
ut te tota mente venerémur,
et omnes hómines
rationábili diligámus afféctu.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Quem diligit Dominus castigat.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 12, 4-7. 11-15

Fratres:

Nondum usque ad sánguinem restitístis advérsus peccátum repugnántes, et oblíti estis exhortatiónis, quæ vobis tamquam fíliis lóquitur:

« Fili mi, noli neglégere disciplínam Dómini, neque defícias dum ab eo argúeris; quem enim díligit Dóminus castígat, flagéllat autem omnem fílium quem récipit ».

Ad disciplínam suffértis; tamquam fílios vos tractat Deus; quis enim fílius quem non córripit pater?

Omnis autem disciplína in præsénti quidem vidétur non esse gáudii sed mæróris, póstea autem fructum pacíficum exercitátis per eam reddit iustítiæ. Propter quod remíssas manus et solúta génua erígite, et gressus rectos fácite pédibus vestris, ut quod claudum est non extorqueátur, magis autem sanétur.

Pacem sectámini cum ómnibus, et sanctificatiónem, sine qua nemo vidébit Dóminum, providéntes ne quis desit grátiæ Dei, ne qua radix amaritúdinis sursum gérminans pertúrbet et per illam inquinéntur multi.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 1-2. 13-14. 17-18 a (℟.: cf. 17)

℟. Misericórdia Dómini ab ætérno super timéntes eum.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se.
14 Quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum,
recordátus est quóniam pulvis sumus. ℟.

17 Misericórdia autem Dómini ab ætérno,
et usque in ætérnum super timéntes eum,
et iustítia illíus in fílios filiórum;
18 in eos qui servant testaméntum eius. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Ego sum qui peccavi numerans populum;
isti qui oves sunt, quid fecerunt?

Léctio libri secúndi Samuélis 24, 2. 9-17

In diébus illis:

Dixit David rex ad Ioab príncipem exércitus sui: « Perámbula omnes tribus Israel a Dan usque Bersabée, et numeráte pópulum, ut sciam númerum eius ». Dedit ergo Ioab númerum descriptiónis pópuli regi; et invénta sunt de Israel octingénta mília virórum fórtium, qui edúcerent gládium, et de Iuda quingénta mília pugnatórum.

Percússit autem cor David eum, postquam numerátus est pópulus; et dixit David ad Dóminum: « Peccávi valde in hoc facto; sed precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui, quia stulte egi nimis ». Surréxit ítaque David mane, et sermo Dómini factus est ad Gad prophétam et vidéntem David dicens: « Vade et lóquere ad David: Hæc dicit Dóminus: ". Trium tibi datur óptio; élige unum quod volúeris ex his ut fáciam tibi " ».

Cumque venísset Gad ad David, nuntiávit ei dicens: « Aut septem annis véniet tibi fames in terra tua,

aut tribus ménsibus fúgies adversários tuos et illi te persequéntur, aut certe tribus diébus erit pestiléntia in terra tua. Nunc ergo delíbera, et vide quem respóndeam ei, qui me misit, sermónem ». Dixit autem David ad Gad: « Coárctor nimis; sed mélius est ut íncidam in manus Dómini (multæ enim misericórdiæ eius sunt), quam in manus hóminum ».

Immisítque Dóminus pestiléntiam in Israel de mane usque ad tempus constitútum; et mórtui sunt ex pópulo a Dan usque ad Bersabée septuagínta mília virórum.

Cumque extendísset manum suam Angelus Dómini super Ierúsalem ut dispérderet eam, misértus est Dóminus super afflictióne, et ait Angelo percutiénti pópulum: « Súfficit: nunc cóntine manum tuam ». Erat autem Angelus Dómini iuxta áream Areúna Iebusǽi.

Dixítque David ad Dóminum, cum vidísset Angelum cædéntem pópulum: « Ego sum qui peccávi, ego iníque egi; isti, qui oves sunt, quid fecérunt? Vertátur, óbsecro, manus tua contra me et contra domum patris mei ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 31, 1-2. 5. 6. 7 (℟.: cf. 5 c)

℟. Remítte, Dómine, culpam peccáti mei.

1 Beátus cui remíssa est iníquitas,
et obtéctum est peccátum.
2 Beátus vir cui non imputávit Dóminus delíctum.
nec est in spíritu eius dolus. ℟.

5 Peccátum meum cógnitum tibi feci,
et delíctum meum non abscóndi.
Dixi: « Confitébor advérsum me
iniquitátem meam Dómino ».
Et tu remisísti impietátem peccáti mei. ℟.

6 Propter hoc orábit ad te omnis sanctus
in témpore opportúno.

Et in dilúvio aquárum multárum
ad eum non approximábunt. ℟.
7 Tu es refúgium meum, a tribulatióne conservábis me;
exsultatiónibus salútis circúmdabis me. ℟.

Alleluia Io 10, 27

℟. Allelúia. ℣. Oves meæ vocem meam áudiunt, dicit Dóminus;
et ego cognósco eas, et sequúntur me.
℟. Allelúia.

Evangelium

Non est propheta sine honore nisi in patria sua.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 6, 1-6

In illo témpore:

Venit Iesus in pátriam suam et sequebántur illum discípuli sui. Et facto sábbato cœpit in synagóga docére; et multi audiéntes admirabántur dicéntes: « Unde huic hæc et quæ est sapiéntia quæ data est illi et virtútes tales quæ per manus eius efficiúntur? Nonne hic est faber, fílius Maríæ, et frater Iacóbi et Iosétis et Iudæ et Simónis? Et nonne soróres eius hic nobíscum sunt? » Et scandalizabántur in illo.

Et dicébat eis Iesus: « Non est prophéta sine honóre nisi in pátria sua et in cognatióne sua et in domo sua ». Et non póterat ibi virtútem ullam fácere, nisi paucos infírmos impósitis mánibus curávit: et mirabátur propter incredulitátem eórum. Et circumíbat castélla in circúitu docens. — Verbum Dómini.

Super oblata

Altáribus tuis, Dómine,
múnera nostræ servitútis inférimus,

quæ, placátus assúmens,
sacraméntum nostræ redemptiónis effícias.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 30, 17-18

Illúmina fáciem tuam super servum tuum,
et salvum me fac in tua misericórdia.
Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Vel: Mt 5, 3-4

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Post communionem

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti,
quǽsumus, Dómine,
ut hoc perpétuæ salútis auxílio
fides semper vera profíciat.
Per Christum.

Feria quinta

Ant. ad introitum Ps 105, 47

Salvos nos fac, Dómine Deus noster,
et cóngrega nos de natiónibus,
ut confiteámur nómini sancto tuo,
et gloriémur in laude tua.

Collecta

Concéde nobis, Dómine Deus noster,
ut te tota mente venerémur,
et omnes hómines rationábili diligámus afféctu.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Accessistis ad Sion Montem et Civitatem Dei viventis.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 12, 18-19. 21-24

Fratres:

Non accessístis ad tractábilem et ardéntem ignem et túrbinem et calíginem et procéllam et tubæ sonum et vocem verbórum, quam qui audiérunt recusavérunt ne ultra eis fíeret verbum. Et ita terríbile erat quod videbátur, Móyses dixit: « Extérritus sum et tremebúndus ».

Sed accessístis ad Sion Montem et Civitátem Dei vivéntis, Ierúsalem cæléstem et multa mília angelórum, frequéntiam et Ecclésiam primogenitórum qui conscrípti sunt in cælis, et iúdicem Deum ómnium, et spíritus iustórum qui consummáti sunt, et Testaménti Novi Mediatórem Iesum, et sánguinem aspersiónis, mélius loquéntem quam Abel. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 47, 2-3 a. 3 b-4. 9. 10-11 (℟.: cf. 10)

℟. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam
in médio templi tui.

2 Magnus Dóminus et laudábilis nimis,
in civitáte Dei nostri.
3 Mons sanctus eius collis speciósus,
exsultátio univérsæ terræ. ℟.

Mons Sion, extréma aquilónis,
cívitas regis magni.
4 Deus in dómibus eius notus
factus est ut refúgium. ℟.

9 Sicut audívimus, sic vídimus
in civitáte Dómini virtútum,
in civitáte Dei nostri;
Deus fundávit eam in ætérnum. ℟.
10 Recogitámus, Deus, misericórdiam tuam
in médio templi tui.
11 Secúndum nomen tuum, Deus,
sic et laus tua in fines terræ;
iustítia plena est déxtera tua. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Ego ingredior viam universæ terræ;
confortare, Salomon, et esto vir.

Léctio libri primi Regum 2, 1-4. 10-12

Appropinquavérunt dies David ut morerétur, præcepítque Salomóni fílio suo, dicens: « Ego ingrédior viam univérsæ terræ; confortáre et esto vir, et obsérva custódias Dómini Dei tui, ut ámbules in viis eius, ut custódias cæremónias eius et præcépta eius et iudícia et testimónia, sicut scriptum est in lege Móysi; ut intéllegas univérsa quæ facis et quocúmque te vérteris; ut confírmet Dóminus sermónes suos, quos locútus est de me dicens: " Si custodíerint fílii tui vias suas, et ambuláverint coram me in veritáte in omni corde suo et in omni ánima sua, non auferétur tibi vir de sólio Israel " ».

Dormívit ígitur David cum pátribus suis, et sepúltus est in civitáte David. Dies autem, quibus regnávit David super Israel, quadragínta anni sunt: in Hebron regnávit septem annis, in Ierúsalem trigínta tribus.

Sálomon autem sedit super thronum David patris sui, et firmátum est regnum eius nimis.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

1 Chron 29, 10. 11 ab. 11 d-12 a. 12 bcd (℟.: 12 b)

℟. Tu, Dómine, domináris ómnia.

10 Benedíctus es, Dómine Deus Israel patris nostri,
ab ætérno in ætérnum. ℟.

11 Tua est, Dómine, magnificéntia et poténtia et glória
atque victória, et tibi laus;
cuncta enim, quæ in cælo sunt et in terra, tua sunt. ℟.
Tuum, Dómine, regnum,
et tu es super omnes príncipes.
12 Tuæ divítiæ et tua est glória. ℟.

Tu domináris ómnium, in manu tua virtus et poténtia,
in manu tua magnitúdo et impérium ómnium. ℟.

Alleluia

Mc 1, 15

℟. Allelúia. ℣. Appropinquávit Regnum Dei;
crédite Evangélio. ℟. Allelúia.

Evangelium

Cœpit eos míttere.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 6, 7-13

In illo témpore:

Cónvocat Iesus Duódecim, et cœpit eos míttere binos, et dabat illis potestátem in spíritus immúndos; et præcépit eis ne quid tóllerent in via nisi virgam tantum: non panem, non peram neque in zona æs, sed ut calcearéntur sandáliis et ne indueréntur duábus túnicis.

Et dicébat eis: « Quocúmque introiéritis in domum, illic manéte donec exeátis inde. Et quicúmque locus non recéperit vos nec audíerint vos, exeúntes inde excútite púlverem de pédibus vestris in testimónium illis ».

Et exeúntes prædicavérunt ut pæniténtiam ágerent,

et dæmónia multa eiciébant, et ungébant óleo multos ægrótos et sanábant. — Verbum Dómini.

Super oblata

Altáribus tuis, Dómine,
múnera nostræ servitútis inférimus,
quæ, placátus assúmens,
sacraméntum nostræ redemptiónis effícias.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 30, 17-18

Illúmina fáciem tuam super servum tuum,
et salvum me fac in tua misericórdia.
Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Vel: Mt 5, 3-4

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Post communionem

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti,
quǽsumus, Dómine,
ut hoc perpétuæ salútis auxílio
fides semper vera profíciat.
Per Christum.

Feria sexta

Ant. ad introitum Ps 105, 47

Salvos nos fac, Dómine Deus noster,
et cóngrega nos de natiónibus,
ut confiteámur nómini sancto tuo,
et gloriémur in laude tua.

Collecta

Concéde nobis, Dómine Deus noster,
ut te tota mente venerémur,
et omnes hómines rationábili diligámus afféctu.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Iesus Christus heri et hodie idem, et in sæcula.

Léctio Epístolæ ad Hebræ̀os 13, 1-8

Fratres:

Cáritas fraternitátis máneat. Hospitalitátem nolíte oblivísci, per hanc enim quidam nesciéntes hospítio recepérunt ángelos. Mementóte vinctórum tamquam simul vincti, laborántium tamquam et ipsi in córpore morántes.

Honorábile connúbium in ómnibus et torus immaculátus, fornicatóres enim et adúlteros iudicábit Deus.

Sint mores sine avarítia; conténti præséntibus; ipse enim dixit: « Non te déseram neque derelínquam »; ita ut confidénter dicámus: « Dóminus mihi adiútor est, non timébo; quid fáciet mihi homo? »

Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis imitámini fidem.

Iesus Christus heri et hódie idem, et in sǽcula.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 26, 1. 3. 5. 8 b-9 abc (℟.: 1 a)

℟. Dóminus illuminátio mea et salus mea.

Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo? ℟.

Si consístant advérsum me castra,
non timébit cor meum;
si exsúrgat advérsum me prœlium,
in hoc ego sperábo. ℟.

5 Quóniam occultábit me in tentório suo,
in die malórum.
Abscóndet me in abscóndito tabernáculi sui,
in petra exaltábit me. ℟.

8 Fáciem tuam, Dómine, requíram.
9 Ne avértas fáciem tuam a me,
ne declínes in ira a servo tuo.
Adiútor meus es tu, ne me reícias. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

De omni corde suo David laudavit Dominum, et dilexit Deum.

Léctio libri Sirácidæ 47, 2-13

Quasi adeps separátus a carne, sic David a fíliis Israel.

Cum leónibus lusit quasi cum agnis, et in ursis simíliter fecit, sicut in agnis óvium. In iuventúte sua numquid non occídit gigántem, et ábstulit oppróbrium de gente? In tollendo manum saxo fundæ deiécit exsultatiónem Golíæ; nam invocávit Dóminum omnipoténtem, et dedit in déxtera eius tóllere hóminem fortem in bello, et exaltáre cornu gentis suæ. Sic in decem mílibus glorificávit eum, et laudávit eum in benedictiónibus Dómini, in offeréndo illi corónam glóriæ.

Contrívit enim inimícos úndique, et exstirpávit Philísthiim contrários usque in hodiérnum diem; contrívit cornu ipsórum usque in ætérnum.

In omni ópere dedit confessiónem Sancto et Excélso in verbo glóriæ; de omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit illum, et dedit illi contra inimícos poténtiam.

Et stare fecit cantóres contra altáre, et in sono eórum dulces fecit modos; et dedit in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem.

Dóminus purgávit peccáta ipsíus, et exaltávit in ætérnum cornu eius, et dedit illi testaméntum regni, et sedem glóriæ in Israel. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 17, 31. 47 et 50. 51 (℟.: cf. 47 b)

℟. Benedíctus sit Deus salútis meæ!

31 Deus, impollúta via eius,
elóquia Dómini igne examináta;
protéctor est ómnium sperántium in se. ℟.

47 Vivat Dóminus, et benedíctus Adiútor meus,
et exaltétur Deus salútis meæ.
50 Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine,
et nómini tuo psalmum dicam. ℟.

51 Magníficans salútes regis sui,
et fáciens misericórdiam Christo suo,
David et sémini eius usque in sǽculum. ℟.

Alleluia

Cf. Lc 8, 15

℟. Allelúia. ℣. Beáti qui in corde bono et óptimo verbum Dei rétinent,
et fructum áfferunt in patiéntia.
℟. Allelúia.

Evangelium

Quem ego decollavi Ioannem,
hic resurrexit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 6, 14-29

In illo témpore:

Audívit Heródes rex, manifèstum enim factum est nomen Iesu, et dicébant: « Ioánnes Baptísta resurréxit a mórtuis, et proptérea inoperántur vírtutes in illo ». Alii autem dicébant: « Elías est ». Alii vero dicébant: « Prophéta est quasi unus ex prophétis ». Quo audíto Heródes aiébat: « Quem ego decollávi Ioánnem, hic resurréxit ».

Ipse enim Heródes misit ac ténuit Ioánnem et vinxit eum in cárcere propter Herodíadem uxórem Philíppi fratris sui, quia dúxerat eam. Dicébat enim Ioánnes Heródi: « Non licet tibi habére uxórem fratris tui ». Heródias autem insidiabátur illi et volébat occídere eum nec póterat: Heródes enim metuébat Ioánnem, sciens eum virum iustum et sanctum, et custodiébat eum, et audíto eo multum hæsitábat et libénter eum audiébat.

Et cum dies opportúnus accidísset quo Heródes natáli suo cenam fecit princípibus suis et tribúnis et primis Galilǽæ, cumque introísset fília ipsíus Herodíadis et saltásset, plácuit Heródi simúlque recumbéntibus. Rex ait puéllæ: « Pete me quod vis, et dabo tibi ». Et iurávit illi multum: « Quidquid petíeris a me, dabo tibi, usque ad dimídium regni mei ». Quæ cum exísset, dixit matri suæ: « Quid petam? » At illa dixit: « Caput Ioánnis Baptístæ ».

Cumque introísset statim cum festinatióne ad regem, petívit dicens: « Volo ut prótinus des mihi in disco caput Ioánnis Baptístæ ». Et contristátus rex propter iusiurándum et propter recumbéntes nóluit eam decípere et

statim misso spiculatóre rex præcépit afférri caput eius. Et ábiens decollávit eum in cárcere et áttulit caput eius in disco et dedit illud puéllæ, et puélla dedit illud matri suæ.

Quo audíto discípuli eius venérunt et tulérunt corpus eius et posuérunt illud in monuménto.

Verbum Dómini.

Super oblata

Altáribus tuis, Dómine,
múnera nostræ servitútis inférimus,
quæ, placátus assúmens,
sacraméntum nostræ redemptiónis effícias.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 30, 17-18

Illúmina fáciem tuam super servum tuum,
et salvum me fac in tua misericórdia.
Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Vel: — Mt 5, 3-4

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Post communionem

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti,
quǽsumus, Dómine,
ut hoc perpétuæ salútis auxílio
fides semper vera profíciat. Per Christum.

Sabbato

Ant. ad introitum — Ps 105, 47

Salvos nos fac, Dómine Deus noster,
et cóngrega nos de natiónibus,

ut confiteámur nómini sancto tuo,
et gloriémur in laude tua.

Collecta

Concéde nobis, Dómine Deus noster,
ut te tota mente venerémur,
et omnes hómines rationábili diligámus afféctu.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Deus pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum, aptet vos in omni bono.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 13, 15-17. 20-21

Fratres:

Per Iesum offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium Nómini eius. Beneficéntiæ autem et communiónis nolíte oblivísci, tálibus enim hóstiis oblectátur Deus.

Obœdíte præpósitis vestris et subiacéte eis, ipsi enim pervígilant pro animábus vestris quasi ratiónem redditúri, ut cum gáudio hoc fáciant et non geméntes, hoc enim non éxpedit vobis.

Deus autem pacis, qui edúxit de mórtuis Pastórem magnum óvium in sánguine Testaménti ætérni Dóminum nostrum Iesum, aptet vos in omni bono ut faciátis voluntátem eius, fáciens in nobis quod pláceat coram se per Iesum Christum, cui glória in sǽcula sæculórum. Amen. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3 a. 3 b-4. 5. 6 (℟.: 1)

℟. Dóminus pascit me, et nihil déerit.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,

super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit. ℟.
Dedúxit me super sémitas iustítiæ
propter nomen suum.
4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.
5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.
6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit.

Léctio libri primi Regum 3, 4-13

In diébus illis:

Abiit Sálomon in Gábaon ut immoláret ibi; illud quippe erat excélsum máximum. Mille hóstias in holocáustum óbtulit Sálomon super altáre illud in Gábaon. Appáruit autem Dóminus Salomóni per sómnium nocte dicens: « Póstula quod vis ut dem tibi ».

Et ait Sálomon: « Tu fecísti cum servo tuo David, patre meo, misericórdiam magnam, sicut ambulávit in conspéctu tuo in veritáte et iustítia et recto corde tecum; custodísti ei misericórdiam tuam grandem, et dedísti

ei fílium sedéntem super thronum eius, sicut est hódie. Et nunc, Dómine Deus, tu regnáre fecísti servum tuum pro David patre meo. Ego autem sum puer párvulus, et ignórans egréssum et intróitum meum. Et servus tuus in médio est pópuli quem elegísti, pópuli infiníti, qui numerári et supputári non potest præ multitúdine. Dabis ergo servo tuo cor dócile, ut pópulum tuum iudicáre possit, et discérnere inter bonum et malum. Quis enim póterit iudicáre pópulum istum, pópulum tuum hunc multum? »

Plácuit ergo sermo coram Dómino, quod Sálomon postulásset huiuscémodi rem. Et dixit Dóminus Salomóni: « Quia postulásti verbum hoc, et non petísti tibi dies multos nec divítias aut ánimas inimicórum tuórum, sed postulásti tibi sapiéntiam ad discernéndum iudícium: ecce feci tibi secúndum sermónes tuos, et dedi tibi cor sápiens et intéllegens, in tantum ut nullus ante te símilis tui fúerit, nec post te surrectúrus sit. Sed et hæc, quæ non postulásti, dedi tibi, divítias scílicet et glóriam, ut nemo fúerit símilis tui in régibus cunctis retro diébus ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 118, 9. 10. 11. 12. 13. 14 (℟.: 12 b)

℟. Doce me, Dómine, iustificatiónes tuas.

9 In quo mundábit adolescéntior viam suam?
In custodiéndo sermónes tuos. ℟.

10 In toto corde meo exquisívi te,
ne erráre me fácias a præcéptis tuis. ℟.

11 In corde meo abscóndi elóquia tua,
ut non peccem tibi. ℟.

12 Benedíctus es, Dómine;
doce me iustificatiónes tuas. ℟.

13 In lábiis meis
numerávi ómnia iudícia oris tui. ℟.
14 In via testimoniórum tuórum delectátus sum
sicut in ómnibus divítiis. ℟.

Alleluia Io 10, 27

℟. Allelúia. ℣. Oves meæ vocem meam áudiunt, dicit Dóminus;
et ego cognósco eas, et sequúntur me.
℟. Allelúia.

Evangelium

Erant sicut oves non habentes pastorem.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 6, 30-34

In illo témpore:

Conveniéntes Apóstoli ad Iesum renuntiavérunt illi ómnia quæ égerant et docúerant. Et ait illis: « Veníte vos ipsi seórsum in desértum locum, et requiéscite pusíllum ». Erant enim qui veniébant et redíbant multi, et nec manducándi spátium habébant.

Et abiérunt in navi in desértum locum seórsum. Et vidérunt eos abeúntes et cognovérunt multi, et pedéstre de ómnibus civitátibus concurrérunt illuc et prævenérunt eos.

Et éxiens vidit multam turbam, et misértus est super eos quia erant sicut oves non habéntes pastórem, et cœpit docére illos multa. — Verbum Dómini.

Super oblata

Altáribus tuis, Dómine,
múnera nostræ servitútis inférimus,
quæ, placátus assúmens,
sacraméntum nostræ redemptiónis effícias.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 30, 17-18

Illúmina fáciem tuam super servum tuum,
et salvum me fac in tua misericórdia.
Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Vel: Mt 5, 3-4

Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Post communionem

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti,
quæsumus, Dómine,
ut hoc perpétuæ salútis auxílio
fides semper vera profíciat.
Per Christum.

DOMINICA V « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 94, 6-7

Veníte, adorémus Deum,
et procidámus ante Dóminum, qui fecit nos;
quia ipse est Dóminus Deus noster.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
contínua pietáte custódi,
ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur,
tua semper protectióne muniátur. Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

Erumpet quasi mane lumen tuum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 58, 7-10

Hæc dicit Dóminus:

« Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam; cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et sánitas tua cítius oriétur; et anteíbit fáciem tuam iustítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet; clamábis, et dicet: " Ecce adsum ".

Si abstúleris de médio tui caténam, et desíeris exténdere dígitum, et loqui quod non prodest; cum effúderis esuriénti ánimam tuam, et ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, et ténebræ tuæ erunt sicut merídies ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 111, 4-5. 6-7. 8 a et 9 (℟.: 4 a)

℟. Exórtum est in ténebris lumen rectis.

vel Allelúia.

4 Exórtum est in ténebris lumen rectis,
miséricors et miserátor et iustus.
5 Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat,
dispónet res suas in iudício. ℟.

6 Quia in ætérnum non commovébitur.
In memória ætérna erit iustus,
7 ab auditióne mala non timébit.
Parátum cor eius, sperans in Dómino. ℟.

8 Confirmátum est cor eius, non timébit.
9 Distríbuit, dedit paupéribus;
iustítia eius manet in sæculum sæculi,
cornu eius exaltábitur in glória. ℟.

Lectio secunda

Annuntiavi vobis testimonium Christi crucifixi.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 2, 1-5

Ego, cum veníssem ad vos, fratres, veni non per sublimitátem sermónis aut sapiéntiæ annúntians vobis mystérium Dei. Non enim iudicávi scire me áliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifíxum.

Et ego in infirmitáte et timóre et tremóre multo fui apud vos, et sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne Spíritus et virtútis, ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum sed in virtúte Dei. — Verbum Dómini.

Alleluia

Io 8, 12

℟. Allelúia. ℣. Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me habébit lumen vitæ.
℟. Allelúia.

Evangelium

Vos estis lux mundi.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
5, 13-16

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Vos estis sal terræ; quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus.

Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita; neque accéndunt lucérnam et ponunt eam sub módio sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt.

Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant vestra bona ópera et gloríficent Patrem vestrum qui in cælis est ». — Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Replebor doloribus usque ad tenebras.

Léctio libri Iob 7, 1-4. 6-7

Locútus est Iob dicens:

« Milítia est vita hóminis super terram, et sicut dies mercenárii, dies eius. Sicut servus desíderat umbram, et sicut mercenárius præstolátur finem óperis sui, sic et ego hábui menses vácuos, et noctes laboriósas enumerávi mihi.

Si dormíero, dicam: " Quando consúrgam? " Et rur-

sum expectábo vésperam, et replébor dolóribus usque ad ténebras.

Dies mei velócius transiérunt, quam a texénte tela succíditur, et consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto quia ventus est vita mea, et non revertétur óculus meus ut vídeat bona ». — Verbum Dómini.

Psalmus resp. Ps 146, 1-2. 3-4. 5-6 (℟.: cf. 3 a)

℟. Laudáte Dóminum, qui sanat contrítos corde.

vel Allelúia.

1 Laudáte Dóminum,
quóniam bonum est psállere Deo nostro,
quóniam iucúndum est celebráre laudem.
2 Ædíficans Ierúsalem Dóminus,
dispérsos Israel congregábit. ℟.

3 Qui sanat contrítos corde,
et álligat plagas eórum;
4 qui númerat multitúdinem stellárum,
et ómnibus eis nómina vocat. ℟.

5 Magnus Dóminus noster, et magnus virtúte,
sapiéntiæ eius non est númerus.
6 Susténtat mansuétos Dóminus,
humílians autem peccatórem usque ad terram. ℟.

Lectio secunda

Væ mihi est si non evangelizavero!

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 9, 16-19. 22-23

Fratres:

Si evangelizávero, non est mihi glória; necéssitas enim mihi incúmbit; væ enim mihi est si non evangelizávero!

Si enim volens hoc ago, mercédem hábeo; si autem invítus, dispensátio mihi crédita est. Quæ est ergo merces mea? Ut Evangélium prædicans sine sumptu ponam Evangélium, ut non abútar potestáte mea in Evangélio.

Nam, cum liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucri fácerem. Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucri fácerem, ómnibus ómnia factus sum, ut áliquos útique fácerem salvos. Omnia autem fácio propter Evangélium, ut compárticeps eius efficiar.

Verbum Dómini.

Alleluia — Mt 8, 17

℟. Allelúia. ℣. Ipse infirmitátes nostras accépit,
et ægrotatiónes nostras portávit. ℟. Allelúia.

Evangelium

Curavit multos qui vexabantur variis languoribus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 29-39

In illo témpore:

Egrediéntes Iesus et discípuli sui de synagóga venérunt in domum Simónis et Andréæ cum Iacóbo et Ioánne. Socrus autem Simónis decumbébat febrícitans, et statim dicunt ei de illa. Et accédens elevávit eam apprehénsa manu: et dimísit eam febris, et ministrábat eis.

Véspere autem facto, cum occidísset sol, afferébant ad eum omnes male habéntes et dæmónia habéntes; et erat omnis cívitas congregáta ad iánuam. Et curávit multos qui vexabántur váriis languóribus, et dæmónia multa eiécit, et non sinébat loqui dæmónia, quóniam sciébant eum.

Et dilúculo valde mane surgens egréssus est et ábiit in desértum locum ibíque orábat. Et persecútus est eum

Simon et qui cum illo erant; et cum invenissent eum, dixérunt ei: « Omnes quærunt te ».

Et ait illis: « Eámus álibi in próximos vicos, ut et ibi prǽdicem: ad hoc enim veni ». Et venit prǽdicans in synagógis eórum per omnem Galilǽam et dæmónia eíciens. — Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Ecce ego, mitte me.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 6, 1-2 a. 3-8

In anno quo mórtuus est rex Ozías, vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum; et ea quæ sub ipso erant replébant templum. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni et sex alæ álteri.

Et clamábant alter ad álterum, et dicébant: « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus exercítuum: plena est omnis terra glória eius ». Et commóta sunt superliminária cárdinum a voce clamántis, et domus repléta est fumo.

Et dixi: « Væ mihi, quia tácui, quia vir pollútus lábiis ego sum, et in médio pópuli pollúta lábia habéntis ego hábito, et Regem Dóminum exercítuum vidi óculis meis! »

Et volávit ad me unus de Séraphim, et in manu eius cálculus, quem fórcipe túlerat de altári; et tétigit os meum, et dixit: « Ecce tétigit hoc lábia tua, et auferétur iníquitas tua, et peccátum tuum mundábitur ».

Et audívi vocem Dómini dicéntis: « Quem mittam? et quis ibit nobis? » Et dixi: « Ecce ego, mitte me ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 137, 1-2 a. 2 bc-3. 4-5. 7 c-8 (℟.: 1 c)

℟. In conspéctu angelórum
psallam tibi, Dómine.

1 Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo,
quóniam audísti verba oris mei.
In conspéctu angelórum psallam tibi,
2 adorábo ad templum sanctum tuum. ℟.

Confitébor nómini tuo
propter misericórdiam tuam et veritátem tuam,
quóniam magnificásti super omne nomen
elóquium tuum.
3 In quacúmque die invocávero te, exáudi me;
multiplicábis in ánima mea virtútem. ℟.

4 Confitebúntur tibi, Dómine, omnes reges terræ,
quia audiérunt elóquia oris tui.
5 Et cantábunt vias Dómini,
quóniam magna est glória Dómini. ℟.

7 Salvum me fáciet déxtera tua.
8 Dóminus opus perfíciet pro me;
Dómine, misericórdia tua in sæculum:
ópera mánuum tuárum ne remíttas. ℟.

Lectio secunda*

Sic prædicamus et sic credidistis.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Coríntios 15, 1-11

Notum vobis fácio, fratres, Evangélium quod evangelizávi vobis, quod et accepístis, in quo et statis, per quod et salvámini, qua ratióne evangelizáverim vobis si tenétis, nisi si frustra credidístis.

Trádidi enim vobis in primis quod et accépi, quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secúndum Scriptúras, et quia sepúltus est, et quia suscitátus est tértia die secúndum Scriptúras, et quia visus est Cephæ, et post hæc Duódecim; deínde visus est plus quam quingéntis frátribus simul, ex quibus plures manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt; deínde visus est Iacóbo, deínde Apóstolis ómnibus; novíssime autem ómnium, tamquam abortívo, visus est et mihi.

Ego enim sum mínimus apostolórum, qui non sum dignus vocári apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei; grátia autem Dei sum id quod sum, et grátia eius in me vácua non fuit, sed abundántius illis ómnibus laborávi, non ego autem, sed grátia Dei mecum.

Igitur sive ego sive illi sic prædicámus et sic credidístis. — Verbum Dómini.

---

vel brevior

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Coríntibios 15, 3-8. 11

Fratres:

Trádidi vobis in primis quod et accépi, quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secúndum Scriptúras, et quia sepúltus est, et quia suscitátus est tértia die secúndum Scriptúras, et quia visus est Cephæ, et post hæc Duódecim; deínde visus est plus quam quingéntis frátribus simul, ex quibus plures manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt; deínde visus est Iacóbo, deínde Apóstolis ómnibus; novíssime autem ómnium, tamquam abortívo, visus est et mihi.

Igitur sive ego sive illi sic prædicámus et sic credidístis. — Verbum Dómini.

Alleluia Mt 4, 19

℟. Allelúia. ℣. Veníte post me, dicit Dóminus,
et fáciam vos piscatóres hóminum.
℟. Allelúia.

Evangelium

Relictis omnibus secuti sunt illum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 5, 1-11

In illo témpore:

Cum turba urgéret Iesum et audíret verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genésareth, et vidit duas naves stantes secus stagnum; piscatóres autem descénderant de illis et lavábant rétia. Ascéndens autem in unam navem, quæ erat Simónis, rogávit eum a terra redúcere pusíllum, et sedens docébat de navícula turbas.

Ut cessávit autem loqui, dixit ad Simónem: « Duc in altum et laxáte rétia vestra in captúram ». Et respóndens Simon dixit: « Præcéptor, per totam noctem laborántes nihil cépimus; in verbo autem tuo laxábo rétia ». Et cum hoc fecíssent, conclusérunt píscium multitúdinem copiósam, rumpebántur autem rétia eórum. Et annuérunt sóciis qui erant in ália navi, ut venírent et adiuvárent eos, et venérunt, et implevérunt ambas navículas ita ut mergeréntur.

Quod cum vidéret Simon Petrus, prócidit ad génua Iesu dicens: « Exi a me, quia homo peccátor sum, Dómine »: stupor enim circumdéderat eum et omnes, qui cum illo erant, in captúra píscium quos céperant, simíliter autem et Iacóbum et Ioánnem, fílios Zebedǽi, qui erant sócii Simónis. Et ait ad Simónem Iesus: « Noli timére, ex hoc iam hómines eris cápiens ».

Et subdúctis ad terram návibus, relíctis ómnibus secúti sunt illum. — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Dómine Deus noster, qui has pótius creatúras
ad fragilitátis nostræ subsídium condidísti,
tríbue, quǽsumus,
ut étiam æternitátis nobis fiant sacraméntum.
Per Christum.

Præfatio de dominicis « per annum », pp. 752-759.

Ant. ad communionem Ps 106, 8-9

Confiteántur Dómino misericórdiæ eius,
et mirabília eius fíliis hóminum,
quia satiávit ánimam inánem,
et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Vel: Mt 5, 5-6

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.
Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam,
quóniam ipsi saturabúntur.

Post communionem

Deus, qui nos de uno pane et de uno cálice
partícipes esse voluísti,
da nobis, quǽsumus, ita vívere,
ut, unum in Christo effécti,
fructum afferámus pro mundi salúte gaudéntes.
Per Christum.

Feria secunda

Ant. ad introitum Ps 94, 6-7

Veníte, adorémus Deum,
et procidámus ante Dóminum, qui fecit nos;
quia ipse est Dóminus Deus noster.

Collecta

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
contínua pietáte custódi,
ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur,
tua semper protectióne muniátur.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Dixit Deus, et factum est ita.

Inítium libri Génesis 1, 1-19

In princípio creávit Deus cælum et terram. Terra autem erat inánis et vácua, et ténebræ erant super fáciem abýssi, et spíritus Dei ferebátur super aquas.

Dixítque Deus: « Fiat lux ». Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona, et divísit lucem a ténebris. Appellavítque lucem diem et ténebras noctem. Factúmque est véspere et mane, dies unus.

Dixit quoque Deus: « Fiat firmaméntum in médio aquárum et dívidat aquas ab aquis ». Et fecit Deus firmaméntum, divisítque aquas, quæ erant sub firmaménto, ab his quæ erant super firmaméntum. Et factum est ita. Vocavítque Deus firmaméntum cælum. Et factum est véspere et mane, dies secúndus.

Dixit vero Deus: « Congregéntur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum, et appáreat árida ». Et factum est ita. Et vocávit Deus áridam terram, congregationésque aquárum appellávit mária. Et vidit Deus quod esset bonum.

Et ait: « Gérminet terra herbam viréntem et faciéntem semen et lignum pomíferum fáciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetípso sit super terram ». Et factum est ita. Et prótulit terra herbam vi-

réntem et faciéntem semen iuxta genus suum lignúmque fáciens fructum et habens unumquódque seméntem secúndum spéciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est véspere et mane, dies tértius.

Dixit autem Deus: « Fiant luminária in firmaménto cæli et dívidant diem ac noctem et sint in signa et témpora et dies et annos, ut lúceant in firmaménto cæli et illúminent terram ». Et factum est ita. Fecítque Deus duo luminária magna: lumináre maius, ut præésset diéi, et luminàre minus, ut præésset nocti, et stellas. Et pósuit eas in firmaménto cæli, ut lucérent super terram, et præéssent diéi ac nocti, et divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est véspere et mane, dies quartus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 103, 1-2 a. 5-6. 10 et 12. 24 et 35 c (℟.: 31 b)

℟. Lætétur Dóminus in opéribus suis.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino:
Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.
Confessiónem et decórem induísti,
2 amíctus lúmine sicut vestiménto. ℟.

5 Qui fundásti terram super stabilitátem suam,
non inclinábitur in sæculum sæculi.
6 Abýssus sicut vestiméntum opéruit eam,
super montes stabant aquæ. ℟.

10 Qui emíttis fontes in torréntes;
inter médium móntium pertransíbunt.
12 Super ea vólucres cæli habitábunt,
de médio ramórum dabunt voces. ℟.

24 Quam multiplicáta sunt ópera tua, Dómine:
ómnia in sapiéntia fecísti,
impléta est terra creatúra tua.
35 Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Intulerunt arcam fœderis in Sanctum Sanctorum, et nebula implevit domum Domini.

Léctio libri primi Regum 8, 1-7. 9-13

In diébus illis:

Congregáti sunt omnes maióres natu Israel cum princípibus tríbuum et duces familiárum filiórum Israel ad regem Salomónem in Ierúsalem, ut deférrent arcam fœ́deris Dómini de civitáte David, id est de Sion. Convenítque ad regem Salomónem univérsus Israel in mense Ethanim in sollémni die (ipse est mensis séptimus). Venerúntque cuncti senes de Israel, et tulérunt arcam sacerdótes, et portavérunt arcam Dómini et tabernáculum fœ́deris et ómnia vasa sanctuárii, quæ erant in tabernáculo; et ferébant ea sacerdótes et levítæ.

Rex autem Sálomon et omnis multitúdo Israel, quæ convénerat ad eum, gradiebátur cum illo ante arcam; et immolábant oves et boves absque æstimatióne et número. Et intulérunt sacerdótes arcam fœ́deris Dómini in locum suum, in oráculum templi, in Sanctum Sanctórum, subter alas Chérubim; síquidem Chérubim expandébant alas super locum arcæ, et protegébant arcam et vectes eius désuper. In arca autem non erat áliud nisi duæ tábulæ lapídeæ, quas posúerat in ea Móyses in Horeb, quando pépigit Dóminus fœdus cum fíliis Israel cum egrederéntur de terra Ægýpti.

Factum est autem, cum exíssent sacerdótes de sanctuário, nébula implévit domum Dómini, et non póterant sacerdótes stare et ministráre propter nébulam; impléverat enim glória Dómini domum Dómini.

Tunc ait Sálomon: « Dóminus dixit ut habitáret in

nébula. Ædíficans ædificávi domum in habitáculum tuum, firmíssimum sólium tuum in sempitérnum ».
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 131, 6-7. 8-10 (℞.: 8 a)

℞. Surge, Dómine, in réquiem tuam.
6 Ecce audívimus eam esse in Ephrata,
invénimus eam in Campis Iaar.
7 Ingrediámur in tabernáculum eius,
adorémus ad scabéllum pedum eius. ℞.
8 Surge, Dómine, in réquiem tuam,
tu et arca fortitúdinis tuæ.
9 Sacerdótes tui induántur iustítiam,
et sancti tui exsúltent.
10 Propter David servum tuum
non avértas fáciem Christi tui. ℞.

Alleluia Mt 4, 23

℞. Allelúia. ℣. Prædicábat Iesus Evangélium Regni,
et sanábat omnem infirmitátem in pópulo.
℞. Allelúia.

Evangelium

Quotquot tangebant eum salvi fiebant.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 6, 53-56

In illo témpore:

Cum transfretássent Iesus et discípuli sui in terram, pervenérunt Genésareth et applicuérunt.

Cumque egréssi essent de navi, contínuo cognovérunt eum et percurréntes univérsam regiónem illam cœpérunt in grabátis eos qui se male habébant circumférre ubi audiébant eum esse. Et quocúmque introíbat in vicos aut in civitátes vel in villas, in platéis ponébant infírmos,

et deprecabántur eum ut vel fímbriam vestiménti eius tángerent: et quotquot tangébant eum, salvi fiébant.
Verbum Dómini.

Super oblata

Dómine Deus noster,
qui has pótius creatúras
ad fragilitátis nostræ subsídium condidísti,
tríbue, quǽsumus,
ut étiam æternitátis nobis fiant sacraméntum.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 106, 8-9

Confiteántur Dómino misericórdiæ eius,
et mirabília eius fíliis hóminum,
quia satiávit ánimam inánem,
et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Vel: — Mt 5, 5-6

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.
Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam,
quóniam ipsi saturabúntur.

Post communionem

Deus, qui nos de uno pane et de uno cálice
partícipes esse voluísti,
da nobis, quǽsumus, ita vívere,
ut, unum in Christo effécti,
fructum afferámus pro mundi salúte gaudéntes.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum — Ps 94, 6-7

Veníte, adorémus Deum,
et procidámus ante Dóminum, qui fecit nos;
quia ipse est Dóminus Deus noster.

Collecta

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
contínua pietáte custódi,
ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur,
tua semper protectióne muniátur.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.

Léctio libri Génesis 1, 20 — 2, 4 a

Dixit étiam Deus: « Prodúcant aquæ réptile ánimæ vivéntis, et volátile super terram sub firmaménto cæli ». Creavítque Deus cete grándia, et omnem ánimam vivéntem atque motábilem, quam prodúxerant aquæ in spécies suas, et omne volátile secúndum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum, benedixítque eis dicens: « Créscite et multiplicámini et repléte aquas maris, avésque multiplicéntur super terram ». Et factum est véspere et mane, dies quintus.

Dixit quoque Deus: « Prodúcat terra ánimam vivéntem in género suo, iuménta et reptília et béstias terræ secúndum spécies suas ». Factúmque est ita. Et fecit Deus béstias terræ iuxta spécies suas et iuménta et omne réptile terræ in génere suo. Et vidit Deus quod esset bonum.

Et ait: « Faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram; et præsit píscibus maris et volatílibus cæli et béstiis universǽque terræ omníque réptili, quod movétur in terra ». Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam; ad imáginem Dei creávit illum: másculum et féminam creávit eos.

Benedixítque illis Deus et ait: « Créscite et multiplicámini et repléte terram et subícite eam et dominámini píscibus maris et volatílibus cæli et univérsis animántibus, quæ movéntur super terram ».

Dixítque Deus: « Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem semen super terram et univérsa ligna, quæ habent in semetípsis seméntem géneris sui, ut sint vobis in escam et cunctis animántibus terræ omníque vólucri cæli et univérsis, quæ movéntur in terra et in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescéndum ». Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat, et erant valde bona. Et factum est véspere et mane, dies sextus.

Igitur perfécti sunt cæli et terra et omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus suum, quod fécerat, et requiévit die séptimo ab univérso ópere quod patrárat. Et benedíxit diéi séptimo et sanctificávit illum, quia in ipso cessáverat ab omni ópere suo, quod creávit Deus ut fáceret.

Istæ sunt generatiónes cæli et terræ.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 8, 4-5. 6-7. 8-9 (℟.: 2 a)

℟. Dómine, Dóminus noster,
quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

4 Quando vídeo cælos tuos, ópera digitórum tuórum,
lunam et stellas quæ tu fundásti:
5 quid est homo, quod memor es eius?
aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? ℟.

6 Minuísti eum paulo minus ab ángelis,
glória et honóre coronásti eum;
7 et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.
Omnia subiecísti sub pédibus eius: ℟.

8 Oves et boves univérsas,
ínsuper et pécora campi,

9 vólucres cæli et pisces maris,
quæcúmque perámbulant sémitas maris. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Dixisti: Erit nomen meum ibi, ut exaudias deprecationem populi tui Israel.

Léctio libri primi Regum 8, 22-23. 27-30

In diébus illis:

Stetit Sálomon ante altáre Dómini in conspéctu ecclésiæ Israel et expándit manus suas in cælum, et ait:

« Dómine Deus Israel, non est símilis tui deus in cælo désuper et super terram deórsum, qui custódis pactum et misericórdiam servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo.

Ergóne putándum est quod vere Deus hábitet super terram? Si enim cælum et cæli cælórum te cápere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificávi! Sed réspice ad oratiónem servi tui et ad preces eius, Dómine Deus meus. Audi hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie. Ut sint óculi tui apérti super domum hanc nocte ac die, super domum de qua dixísti: " Erit nomen meum ibi "; ut exáudias oratiónem quam orat in loco isto ad te servus tuus.

Ut exáudias deprecatiónem servi tui et pópuli tui Israel, quodcúmque oráverint in loco isto. Et exáudies in loco habitáculi tui, in cælo, et, cum exaudíeris, propítius eris ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 83, 3. 4. 5 et 10. 11 (℟.: 2)

℟. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum!

3 Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. ℟.

4 Etenim passer invénit sibi domum,
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos:
altária tua, Dómine virtútum,
rex meus et Deus meus. ℟.
5 Beáti qui hábitant in domo tua,
in perpétuum laudábunt te.
10 Protéctor noster áspice, Deus,
et réspice in fáciem Christi tui. ℟.
11 Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília,
elégi ad limen esse in domo Dei mei,
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. ℟.

Alleluia — Ps 118, 36 a. 29 b

℟. Allelúia. ℣. Inclína cor meum, Deus, in testimónia tua;
et legem tuam da mihi benígne.
℟. Allelúia.

Evangelium

Relinquentes mandatum Dei,
tenetis traditionem hominum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum — 7, 1-13

In illo témpore:

Convéniunt ad Iesum Pharisǽi et quidam de scribis veniéntes ab Hierosólymis, et cum vidíssent quosdam ex discípulis eius commúnibus mánibus, id est non lotis, manducáre panes — Pharisǽi enim et omnes Iudǽi nisi pugíllo lavent manus non mandúcant, tenéntes traditiónem seniórum, et a foro nisi baptizéntur non cómedunt, et ália multa sunt quæ accepérunt servánda: baptísmata cálicum et urceórum et æramentórum et lectórum — et intérrogant eum Pharisǽi et scribæ: « Quare discípuli tui non ámbulant iuxta traditiónem seniórum, sed commúnibus mánibus mandúcant panem? »

At ille dixit eis: « Bene prophetávit Isaías de vobis hypócritis, sicut scriptum est: " Pópulus hic lábiis me honórat, cor autem longe est a me; in vanum autem me colunt, docéntes doctrínas præcépta hóminum ". Relinquéntes mandátum Dei tenétis traditiónem hóminum ». Et dicébat illis: « Bene írritum fácitis præcéptum Dei, ut traditiónem vestram servétis. Móyses enim dixit: " Honóra patrem tuum et matrem tuam "; et: " Qui maledíxerit patri aut matri morte moriátur "; vos autem dícitis: " Si díxerit homo patri aut matri: Corban, quod est ' donum ', quodcúmque ex me tibi profúerit ", ultra non permíttitis ei fácere quidquam patri aut matri, rescindéntes verbum Dei per traditiónem vestram quam tradidístis; et simília huiúsmodi multa fácitis ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Dómine Deus noster,
qui has pótius creatúras
ad fragilitátis nostræ subsídium condidísti,
tríbue, quǽsumus,
ut étiam æternitátis nobis fiant sacraméntum.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 106, 8-9

Confiteántur Dómino misericórdiæ eius,
et mirabília eius fíliis hóminum,
quia satiávit ánimam inánem,
et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Vel: — Mt 5, 5-6

Beáti qui lugent,
quóniam ipsi consolabúntur.
Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam,
quóniam ipsi saturabúntur.

Post communionem

Deus, qui nos de uno pane et de uno cálice
partícipes esse voluísti,
da nobis, quǽsumus, ita vívere,
ut, unum in Christo effécti,
fructum afferámus pro mundi salúte gaudéntes.
Per Christum.

Feria quarta

Ant. ad introitum Ps 94, 6-7

Veníte, adorémus Deum,
et procidámus ante Dóminum, qui fecit nos;
quia ipse est Dóminus Deus noster.

Collecta

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
contínua pietáte custódi,
ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur,
tua semper protectióne muniátur.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Tulit Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis.

Léctio libri Génesis 2, 4 b-9. 15-17

In die qua fecit Dóminus Deus cælum et terram, et omne virgúltum agri, ántequam orirétur in terra, omnémque herbam regiónis, priúsquam germináret; non enim plúerat Dóminus Deus super terram, et homo non erat, qui operarétur terram; sed fons ascendébat e terra írrigans univérsam superfíciem terræ.

Formávit ígitur Dóminus Deus hóminem de limo terræ, et inspirávit in fáciem eius spiráculum vitæ, et factus est homo in ánimam vivéntem.

Plantáverat autem Dóminus Deus paradísum voluptátis a princípio, in quo pósuit hóminem quem formáverat. Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescéndum suáve; lignum étiam vitæ in médio paradísi lignúmque sciéntiæ boni et mali.

Tulit ergo Dóminus Deus hóminem, et pósuit eum in paradíso voluptátis, ut operarétur et custodíret illum, præcepítque ei dicens: « Ex omni ligno paradísi cómede; de ligno autem sciéntiæ boni et mali ne cómedas; in quocúmque enim die coméderis ex eo morte moriéris ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 103, 1-2 a. 27-28. 29 bc-30 (℟.: 1 a)

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino:
Dómine Deus meus,
magnificátus es veheménter.
Confessiónem et decórem induísti,
2 amíctus lúmine sicut vestiménto. ℟.

27 Omnia a te exspéctant,
ut des illis escam in témpore suo.
28 Dante te illis, cólligent,
aperiénte te manum tuam,
implebúntur bonis. ℟.

29 Revocábis spíritum eórum, et defícient,
et in púlverem suum reverténtur.
30 Emíttes spíritum tuum, et creabúntur,
et renovábis fáciem terræ. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Vidit regina Saba omnem sapientiam Salomonis.

Léctio libri primi Regum 10, 1-10

In diébus illis:

Regína Saba, audíta fama Salomónis in nómine Dómini, venit tentáre eum in ænigmátibus. Et ingréssa Ierúsalem multo cum comitátu et divítiis, camélis portántibus arómata et aurum infinítum nimis et gemmas pretiósas, venit ad regem Salomónem; et locúta est ei univérsa quæ habébat in corde suo. Et dócuit eam Sálomon ómnia verba quæ proposúerat; non fuit sermo qui regem posset latére, et non respondéret ei.

Videns autem regína Saba omnem sapiéntiam Salomónis et domum, quam ædificáverat, et cibos mensæ eius, et habitácula servórum, et órdines ministrántium vestésque eórum, et pincérnas, et holocáusta, quæ offerébat in domo Dómini, non habébat ultra spíritum; dixítque ad regem:

« Verus est sermo, quem audívi in terra mea super sermónibus tuis et super sapiéntia tua. Et non credébam narrántibus mihi, donec ipsa veni et vidi óculis meis, et probávi quod média pars mihi nuntiáta non fúerit. Maior est sapiéntia et ópera tua quam rumor quem audívi.

Beáti viri tui et beáti servi tui, qui stant coram te semper et áudiunt sapiéntiam tuam. Sit Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuísti, et pósuit te super thronum Israel, eo quod diléxerit Dóminus Israel in sempitérnum et constítuit te regem, ut fáceres iudícium et iustítiam ».

Dedit ergo regi centum vigínti talénta auri, et arómata multa nimis et gemmas pretiósas. Non sunt alláta

ultra arómata tam multa quam ea quæ dedit regína Saba regi Salomóni.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 36, 5-6. 30-31. 39-40 (℟.: 30 a)

℟. Os iusti meditábitur sapiéntiam.

5 Commítte Dómino viam tuam et spera in eo,
et ipse fáciet;
6 et edúcet quasi lumen iustítiam tuam,
et iudícium tuum tamquam merídiem. ℟.

30 Os iusti meditábitur sapiéntiam,
et lingua eius loquétur iudícium;
31 lex Dei eius in corde ipsíus,
et non vacillábunt gressus eius. ℟.

39 Salus autem iustórum a Dómino,
et protéctor eórum in témpore tribulatiónis.
40 Et adiuvábit eos Dóminus et liberábit eos,
et éruet eos a peccatóribus et salvábit eos,
quia speravérunt in eo. ℟.

Alleluia

Io 17, 17 b. a

℟. Allelúia. ℣. Sermo tuus, Dómine, véritas est;
sanctífica nos in veritáte.
℟. Allelúia.

Evangelium

Quod de homine exit, illud coinquinat hominem.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 7, 14-23

In illo témpore:

Advocáta íterum Iesus turba dicébat illis: « Audíte me omnes et intellégite: Nihil est extra hóminem in-

tróiens in eum, quod possit eum coinquináre; sed quæ de hómine procédunt, illa sunt quæ coínquinant hóminem ».

Et cum introísset in domum a turba, interrogábant eum discípuli eius parábolam. Et ait illis: « Sic et vos imprudéntes estis? Non intellégitis quia omne extrínsecus intróiens in hóminem non potest eum coinquináre, quia non íntroit in cor eius sed in ventrem, et in secéssum exit? » — Purgans omnes escas.

Dicébat autem: « Quod de hómine exit, illud coínquinat hóminem; ab intus enim de corde hóminum cogitatiónes malæ procédunt, fornicatiónes, furta, homicídia, adultéria, avarítiæ, nequítiæ, dolus, impudicítia, óculus malus, blasphémia, supérbia, stultítia: ómnia hæc mala ab intus procédunt et coínquinant hóminem ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Dómine Deus noster,
qui has pótius creatúras
ad fragilitátis nostræ subsídium condidísti,
tríbue, quǽsumus,
ut étiam æternitátis nobis fiant sacraméntum.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 106, 8-9

Confiteántur Dómino misericórdiæ eius,
et mirabília eius fíliis hóminum,
quia satiávit ánimam inánem,
et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Vel: — Mt 5, 5-6

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.
Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam,
quóniam ipsi saturabúntur.

Post communionem

Deus, qui nos de uno pane et de uno cálice
partícipes esse voluísti,
da nobis, quǽsumus, ita vívere,
ut, unum in Christo effécti,
fructum afferámus pro mundi salúte gaudéntes.
Per Christum.

Feria quinta

Ant. ad introitum — Ps 94, 6-7

Veníte, adorémus Deum,
et procidámus ante Dóminum, qui fecit nos;
quia ipse est Dóminus Deus noster.

Collecta

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
contínua pietáte custódi,
ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur,
tua semper protectióne muniátur.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Duxit eam ad Adam.
Et erunt duo in carne una.

Léctio libri Génesis — 2, 18-25

Dixit Dóminus Deus: « Non est bonum esse hóminem solum; faciámus ei adiutórium símile sibi ».

Formátis ígitur Dóminus Deus de humo cunctis animántibus terræ et univérsis volatílibus cæli, addúxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea; omne enim quod vocávit Adam ánimæ vivéntis, ipsum est nomen eius. Ap-

pellavítque Adam nomínibus suis cuncta animántia, et univérsa volatília cæli, et omnes béstias terræ. Adæ vero non inveniebátur adiútor símilis eius.

Immísit ergo Dóminus Deus sopórem in Adam. Cumque obdormísset, tulit unam de costis eius, et replévit carnem pro ea; et ædificávit Dóminus Deus costam, quam túlerat de Adam, in mulíerem, et addúxit eam ad Adam. Dixítque Adam:

« Hoc nunc os ex óssibus meis, et caro de carne mea; hæc vocábitur " Virágo ", quóniam de viro sumpta est ».

Quamóbrem relínquet homo patrem suum et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una.

Erat autem utérque nudus, Adam scílicet et uxor eius, et non erubescébant.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 127, 1-2. 3. 4-5. (℟.: cf. 1 a)

℟. Beáti omnes qui timent Dóminum.

1 Beátus omnis qui timet Dóminum,
qui ámbulat in viis eius.
2 Labóres mánuum tuárum manducábis,
beátus es, et bene tibi erit. ℟.

3 Uxor tua sicut vitis fructífera
in latéribus domus tuæ;
fílii tui sicut novéllæ olivárum
in circúitu mensæ tuæ. ℟.

4 Ecce sic benedicétur homo,
qui timet Dóminum.
5 Benedícat tibi Dóminus ex Sion,
et vídeas bona Ierúsalem
ómnibus diébus vitæ tuæ. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Quia non custodisti pactum, scindam regnum tuum, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David.

Léctio libri primi Regum 11, 4-13

Cum iam esset senex rex Sálomon, depravátum est cor eius per mulíeres ut sequerétur deos aliénos; nec erat cor eius perféctum cum Dómino Deo suo sicut cor David, patris eius. Sed colébat Sálomon Astárthen, deam Sidoniórum, et Moloch, idólum Ammonitárum. Fecítque Sálomon quod non placúerat coram Dómino, et non adimplévit ut sequerétur Dóminum sicut David, pater eius. Tunc ædificávit Sálomon fanum Chamos, idólo Moab, in monte qui est contra Ierúsalem, et Moloch, idólo filiórum Ammon. Atque in hunc modum fecit univérsis uxóribus suis alienígenis, quæ adolébant tura et immolábant diis suis.

Igitur irátus est Dóminus Salomóni, quod avérsa esset mens eius a Dómino Deo Israel, qui apparúerat ei secúndo, et præcéperat de verbo hoc, ne sequerétur deos aliénos, et non custodívit quæ mandávit ei Dóminus. Dixit ítaque Dóminus Salomóni:

« Quia habuísti hoc apud te, et non custodísti pactum meum et præcépta mea quæ mandávi tibi, disrúmpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. Verúmtamen in diébus tuis non fáciam, propter David patrem tuum: de manu fílii tui scindam illud. Nec totum regnum áuferam, sed tribum unam dabo fílio tuo, propter David servum meum et Ierúsalem quam elégi ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 105, 3-4. 35-36. 37 et 40 (℟.: 4 a)

℟. Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui.

3 Beáti qui custódiunt iudícium,
et fáciunt iustítiam in omni témpore.
4 Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui,
vísita nos in salutári tuo. ℟.

35 Et commíxti sunt inter gentes,
et didicérunt ópera eórum.
36 Et serviérunt sculptílibus eórum,
et factum est illis in scándalum. ℟.

37 Et immolavérunt fílios suos,
et fílias suas dæmóniis.
40 Et exársit ira Dóminus in pópulum suum,
et abominátus est hereditátem suam. ℟.

Alleluia

Iac 1, 21

℟. Allelúia. ℣. In mansuetúdine suscípite ínsitum verbum,
quod potest salváre ánimas vestras.
℟. Allelúia.

Evangelium

Catelli sub mensa comedunt de micis puerorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 7, 24-30

In illo témpore:

Surgens Iesus ábiit in fines Tyri et Sidónis. Et ingréssus domum néminem vóluit scire, et non pótuit latére.

Sed statim ut audívit de eo múlier, cuius habébat fília spíritum immúndum, véniens prócidit ad pedes eius. Erat autem múlier Græca, Syrophœníssa génere. Et rogábat eum ut dæmónium eíceret de fília eius.

Et dicébat illi: « Sine prius saturári fílios, non est enim bonum súmere panem filiórum et míttere catéllis ».

At illa respóndit et dicit ei: « Dómine, étiam catélli sub mensa cómedunt de micis puerórum ».

Et ait illi: « Propter hunc sermónem vade, éxiit dæmónium de fília tua ». Et cum abísset domum suam, invénit puéllam iacéntem supra lectum et dæmónium exísse. — Verbum Dómini.

Super oblata

Dómine Deus noster,
qui has pótius creatúras
ad fragilitátis nostræ subsídium condidísti,
tríbue, quǽsumus,
ut étiam æternitátis nobis fiant sacraméntum.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 106, 8-9

Confiteántur Dómino misericórdiæ eius,
et mirabília eius fíliis hóminum,
quia satiávit ánimam inánem,
et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Vel: — Mt 5, 5-6

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.
Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam,
quóniam ipsi saturabúntur.

Post communionem

Deus, qui nos de uno pane et de uno cálice
partícipes esse voluísti,
da nobis, quǽsumus, ita vívere,
ut, unum in Christo effécti,
fructum afferámus pro mundi salúte gaudéntes.
Per Christum.

Feria sexta

Ant. ad introitum Ps 94, 6-7

Veníte, adorémus Deum,
et procidámus ante Dóminum, qui fecit nos;
quia ipse est Dóminus Deus noster.

Collecta

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
contínua pietáte custódi,
ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur,
tua semper protectióne muniátur. Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Eritis sicut dii scientes bonum et malum.

Léctio libri Génesis 3, 1-8

Serpens erat callídior cunctis animántibus terræ, quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerem: « Cur præcépit vobis Deus, ut non comederétis de omni ligno paradísi? »

Cui respóndit múlier: « De fructu lignórum, quæ sunt in paradíso, véscimur; de fructu vero ligni, quod est in médio paradísi, præcépit nobis Deus ne comederémus et ne tangerémus illud, ne forte moriámur ».

Dixit autem serpens ad mulíerem: « Nequáquam morte moriémini. Scit enim Deus quod, in quocúmque die comedéritis ex eo, aperiéntur óculi vestri, et éritis sicut dii sciéntes bonum et malum ».

Vidit ígitur múlier quod bonum esset lignum ad vescéndum et pulchrum óculis aspectúque delectábile, et tulit de fructu illíus, et comédit dedítque viro suo, qui comédit. Et apérti sunt óculi ambórum. Cumque cogno-

víssent se esse nudos, consuérunt fólia ficus et fecérunt sibi perizómata.

Et, cum audíssent vocem Dómini Dei deambulántis in paradíso ad auram post merídiem, abscóndit se Adam et uxor eius a fácie Dómini Dei in médio ligni paradísi. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 31, 1-2. 5. 6. 7 (℟.: 1 a)

℟. Beátus cui remíssa est iníquitas.

1 Beátus cui remíssa est iníquitas,
et obtéctum est peccátum.
2 Beátus vir cui non imputávit Dóminus delíctum,
nec est in spíritu eius dolus. ℟.

5 Peccátum meum cógnitum tibi feci,
et delíctum meum non abscóndi.
Dixi: « Confitébor advérsum me
iniquitátem meam Dómino ».
Et tu remisísti impietátem peccáti mei. ℟.

6 Propter hoc orábit ad te omnis sanctus
in témpore opportúno.
Et in dilúvio aquárum multárum
ad eum non approximábunt. ℟.

7 Tu es refúgium meum,
a tribulatióne conservábis me;
exsultatiónibus salútis circúmdabis me. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Recessit Israel a domo David

Léctio libri primi Regum 11, 29-32; 12, 19

Factum est in témpore illo, ut Ieróboam egrederétur de Ierúsalem, et inveníret eum Ahías Silonítes prophéta

in via, opértus pállio novo; erant autem duo tantum in agro.

Apprehendénsque Ahías pállium suum novum, quo coopértus erat, scidit in duódecim partes, et ait ad Ieróboam: « Tolle tibi decem scissúras; hæc enim dicit Dóminus Deus Israel: " Ecce ego scindam regnum de manu Salomónis, et dabo tibi decem tribus. Porro una tribus remanébit ei, propter servum meum David et Ierúsalem civitátem quam elégi ex ómnibus tríbubus Israel " ».

Recessítque Israel a domo David usque in præséntem diem. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 80, 10-11 ab. 12-13. 14-15 (℟.: cf. 11 a et 9 a)

℟. Ego sum Dóminus Deus tuus: audi vocem meam.

10 Non erit in te deus aliénus
neque adorábis deum extráneum.
11 Ego enim sum Dóminus Deus tuus,
qui edúxi te de terra Ægýpti. ℟.

12 Et non audívit pópulus meus vocem meam,
et Israel non inténdit mihi.
13 Et dimísi eos secúndum durítiam cordis eórum,
ibunt in adinventiónibus suis. ℟.

14 Si pópulus meus audísset me,
Israel si in viis meis ambulásset,
15 in brevi inimícos eórum humiliássem,
et super tribulántes eos misíssem manum meam. ℟.

Alleluia

Cf. Act 16, 14 b

℟. Allelúia. ℣. Aperi, Dómine, cor nostrum,
ut intendámus verbis Fílii tui.
℟. Allelúia.

Evangelium

Surdos fecit audire et mutos loqui.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum
7, 31-37

In illo témpore:

Exiens Iesus de fínibus Tyri venit per Sidónem ad mare Galilǽæ inter médios fines Decapóleos.

Et addúcunt ei surdum et mutum et deprecabántur eum ut impónat illi manum. Et apprehéndens eum de turba seórsum misit dígitos suos in auriculas eius et éxspuens tétigit linguam eius, et suspíciens in cælum ingémuit et ait illi: « Effetha », quod est: « Adaperíre ». Et statim apértæ sunt aures eius, et solútum est vínculum linguæ eius, et loquebátur recte.

Et præcépit illis ne cui dícerent: quanto autem eis præcipiébat, tanto magis plus prædicábant.

Et eo ámplius admirabántur dicéntes: « Bene ómnia fecit, et surdos fecit audíre et mutos loqui ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Dómine Deus noster,
qui has pótius creatúras
ad fragilitátis nostræ subsídium condidísti,
tríbue, quǽsumus,
ut étiam æternitátis nobis fiant sacraméntum.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 106, 8-9

Confiteántur Dómino misericórdiæ eius,
et mirabília eius fíliis hóminum,
quia satiávit ánimam inánem,
et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Vel: Mt 5, 5-6

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.
Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam,
quóniam ipsi saturabúntur.

Post communionem

Deus, qui nos de uno pane et de uno cálice
partícipes esse voluísti,
da nobis, quǽsumus, ita vívere,
ut, unum in Christo effécti,
fructum afferámus pro mundi salúte gaudéntes.
Per Christum.

Sabbato

Ant. ad introitum Ps 94, 6-7

Veníte, adorémus Deum,
et procidámus ante Dóminum, qui fecit nos;
quia ipse est Dóminus Deus noster.

Collecta

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
contínua pietáte custódi,
ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur,
tua semper protectióne muniátur. Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis ut operaretur terram.

Léctio libri Génesis 3, 9-24

Vocávit Dóminus Deus Adam et dixit ei: « Ubi es? »
Qui ait: « Vocem tuam audívi in paradíso, et tímui eo quod nudus essem, et abscóndi me ».

Cui dixit: « Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedísti? »

Dixítque Adam: « Múlier, quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, et comédi ».

Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: « Quare hoc fecísti? »

Quæ respóndit: « Serpens decépit me, et comédi ».

Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: « Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia et béstias terræ; super pectus tuum gradiéris, et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus; ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo eius ».

Mulíeri quoque dixit: « Multiplicábo ærúmnas tuas et concéptus tuos; in dolóre páries fílios, et sub viri potestáte eris, et ipse dominábitur tui ».

Adæ vero dixit: « Quia audísti vocem uxóris tuæ et comedísti de ligno, ex quo præcéperam tibi ne coméderes, maledícta terra in ópere tuo; in labóribus cómedes ex ea cunctis diébus vitæ tuæ. Spinas et tríbulos germinábit tibi, et cómedes herbam terræ. In sudóre vultus tui vescéris pane, donec revertáris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es, et in púlverem revertéris ».

Et vocávit Adam nomen uxóris suæ « Eva », eo quod mater esset cunctórum vivéntium.

Fecit quoque Dóminus Deus Adæ et uxóri eius túnicas pellíceas, et índuit eos et ait: « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum; nunc ergo, ne forte mittat manum suam et sumat étiam de ligno vitæ, et cómedat et vivat in ætérnum ».

Et emísit eum Dóminus Deus de paradíso voluptátis, ut operarétur terram, de qua sumptus est. Eiecítque Adam, et collocávit ante paradísum voluptátis Chérubim

et flámmeum gládium atque versátilem, ad custodiéndam viam ligni vitæ.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 89, 2. 3-4. 5-6. 12-13 (℟.: 1)

℟. Dómine, refúgium factus es nobis,
a generatióne in generatiónem.

2 Priúsquam montes nasceréntur
aut gignerétur terra et orbis,
a sǽculo et usque in sǽculum tu es Deus. ℟.
3 Redúcis hóminem in púlverem;
et dixísti: « Revertímini, fílii hóminum ».
4 Quóniam mille anni ante óculos tuos
tamquam dies hestérna quæ prætériit,
et custódia in nocte. ℟.
5 Perfúndis eos somno,
6 erunt mane sicut herba succréscens:
mane floret et crescit,
véspere décidit et aréscit. ℟.
12 Dinumeráre dies nostros sic doce nos,
ut inducámus cor ad sapiéntiam.
13 Convértere, Dómine, úsquequo?
Et deprecábilis esto super servos tuos. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Fecit Ieroboam duos vitulos aureos.

Léctio libri primi Regum 12, 26-32; 13, 33-34

In diébus illis:
Dixit Ieróboam in corde suo: « Nunc revertétur regnum ad domum David, si ascénderit pópulus iste ut fáciat sacrifícia in domo Dómini in Ierúsalem; et con-

vertétur cor pópuli huius ad dóminum suum Róboam regem Iuda; interficiéntque me et reverténtur ad eum ». Et excogitáto consílio fecit duos vítulos áureos, et dixit eis: « Nolíte ultra ascéndere in Ierúsalem; ecce dii tui, Israel, qui te eduxérunt de terra Ægýpti ». Posuítque unum in Bethel et álterum in Dan. Et factum est verbum hoc in peccátum; ibat enim pópulus ad adorándum vítulum usque in Dan.

Et fecit fana in excélsis, et sacerdótes de extrémis pópuli, qui non erant de fíliis Levi. Constituítque diem sollémnem in mense octávo, quintadécima die mensis, in similitúdinem sollemnitátis quæ celebrabátur in Iuda. Et ascéndens altáre simíliter fecit in Bethel, ut immoláret vítulis quos fabricátus fúerat; constituítque in Bethel sacerdótes excelsórum quæ fécerat.

Non est revérsus Ieróboam de via sua péssima, sed e contrário fecit de novíssimis pópuli sacerdótes excelsórum. Quicúmque volébat implébat manum suam, et fiébat sacérdos excelsórum. Et propter hanc causam peccávit domus Ieróboam, et evérsa est et deléta de superfície terræ. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 105, 6-7 a. 19-20. 21-22 (℟.: 4 a)

℟. Meménto nostri, Dómine,
in beneplácito pópuli tui.

6 Peccávimus cum pátribus nostris,
iniúste égimus, iniquitátem fécimus.
7 Patres nostri in Ægýpto
non intellexérunt mirabília tua. ℟.

19 Et fecérunt vítulum in Horeb,
et adoravérunt scúlptile;
20 et mutavérunt glóriam suam
in similitúdinem tauri comedéntis fenum. ℟.

21 Oblíti sunt Deum qui salvávit eos,
qui fecit magnália in Ægýpto,
22 mirabília in terra Cham,
terribília in mari Rubro. ℟.

Alleluia Mt 4, 4 b

℟. Allelúia. ℣. Non in solo pane vivit homo,
sed in omni verbo quod procédit de ore Dei.
℟. Allelúia.

Evangelium

Manducaverunt et saturati sunt.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 8, 1-10

In illis diébus íterum cum turba multa esset nec habérent quod manducárent, convocátis Iesus discípulis ait illis: « Miséreor super turbam, quia iam tríduo sústinent me nec habent quod mandúcent; et si dimísero eos ieiúnos in domum suam, defícient in via; et quidam ex eis de longe venérunt ».

Et respondérunt ei discípuli sui: « Unde istos póterit quis hic saturáre pánibus in solitúdine? »

Et interrogábat eos: « Quot panes habétis? »

Qui dixérunt: « Septem ».

Et præcépit turbæ discúmbere supra terram; et accípiens septem panes, grátias agens fregit et dabat discípulis suis ut appónerent et apposuérunt turbæ. Et habébant piscículos paucos; et benedícens eos, iussit hos quoque appóni.

Et manducavérunt et saturáti sunt, et sustulérunt quod superáverat de fragméntis septem sportas. Erant autem quasi quáttuor mília. Et dimísit eos.

Et statim ascéndens navem cum discípulis suis venit in partes Dalmanútha.

Verbum Dómini.

Super oblata

Dómine Deus noster,
qui has pótius creatúras
ad fragilitátis nostræ subsídium condidísti,
tríbue, quǽsumus,
ut étiam æternitátis nobis fiant sacraméntum.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 106, 8-9

Confiteántur Dómino misericórdiæ eius,
et mirabília eius fíliis hóminum,
quia satiávit ánimam inánem,
et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Vel: Mt 5, 5-6

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.
Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam,
quóniam ipsi saturabúntur.

Post communionem

Deus, qui nos de uno pane et de uno cálice
partícipes esse voluísti,
da nobis, quǽsumus, ita vívere,
ut, unum in Christo effécti,
fructum afferámus pro mundi salúte gaudéntes.
Per Christum.

DOMINICA VI « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 30, 3-4

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum refúgii,
ut salvum me fácias.
Quóniam firmaméntum meum et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dux mihi eris, et enútries me.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus,
qui te in rectis et sincéris manére pectóribus ásseris,
da nobis tua grátia tales exsístere,
in quibus habitáre dignéris. Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

Nemini mandavit impie agere.

Léctio libri Sirácidæ 15, 16-21

Si volúeris mandáta serváre, conservábunt te, et in perpétuum fidem plácitam fácere.

Appósuit tibi aquam et ignem; ad quod volúeris pórrige manum tuam.

Ante hóminem vita et mors, bonum et malum: quod placúerit ei dábitur illi.

Quóniam multa sapiéntia Dei, et fortis in poténtia videns omnes sine intermissióne.

Oculi Dómini ad timéntes eum, et ipse agnóscit omnem óperam hóminis.

Némini mandávit ímpie ágere, et némini dedit spátium peccándi. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 118, 1-2. 4-5. 17-18. 33-34 (℟.: 1 b)

℟. Beáti qui ámbulant in lege Dómini.

1 Beáti immaculáti in via,
qui ámbulant in lege Dómini.
2 Beáti qui servant testimónia eius,
in toto corde exquírunt eum. ℟.

4 Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis.
5 Utinam dirigántur viæ meæ
ad custodiéndas iustificatiónes tuas. ℟.

17 Bénefac servo tuo, et vivam,
et custódiam sermónem tuum.
18 Revéla óculos meos,
et considerábo mirabília de lege tua. ℟.

33 Legem pone mihi, Dómine,
viam iustificatiónum tuárum,
et servábo eam semper.
34 Da mihi intelléctum, et servábo legem tuam,
et custódiam illam in toto corde meo. ℟.

Lectio secunda

Prædestinavit Deus sapientiam ante sæcula in gloriam nostram.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 2, 6-10

Fratres:

Sapiéntiam lóquimur inter perféctos, sapiéntiam vero non huius sǽculi neque príncipum huius sǽculi qui destruúntur,

sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sǽcula in glóriam nostram; quam nemo príncipum huius sǽculi cognóvit;

si enim cognovíssent, numquam Dóminum glóriæ crucifixíssent. Sed sicut scriptum est: « Quod óculus non vidit nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus his qui díligunt illum ».

Nobis autem revelávit Deus per Spíritum: Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profúnda Dei.

Verbum Dómini.

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ, quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Evangelium*

Sic dictum est antiquis; ego autem dico vobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 5, 17-37

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Nolíte putáre quóniam veni sólvere Legem aut Prophétas: non veni sólvere sed adimplére. Amen quippe dico vobis: Donec tránseat cælum et terra, iota unum aut unus apex non præteríbit a Lege donec ómnia fiant.

Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in Regno cælórum; qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in Regno cælórum.

Dico enim vobis: Nisi abundáverit iustítia vestra plus quam scribárum et Pharisæórum, non intrábitis in Regnum cælórum.

Audístis quia dictum est antíquis: " Non occídes "; qui autem occíderit, reus erit iudício. Ego autem dico vobis: Omnis qui iráscitur fratri suo, reus erit iudício; qui autem díxerit fratri suo: " Racha ", reus erit concí-

lio; qui autem díxerit: " Fátue ", reus erit gehénnæ ignis.

Si ergo ófferes munus tuum ad altáre, et ibi recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid advérsum te, relínque ibi munus tuum ante altáre et vade prius, reconciliáre fratri tuo, et tunc véniens offer munus tuum.

Esto conséntiens adversário tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversárius iúdici, et iudex tradat te minístro, et in cárcerem mittáris. Amen dico tibi: Non éxies inde donec reddas novíssimum quadrántem.

Audístis quia dictum est: " Non mœcháberis ". Ego autem dico vobis: Omnis qui víderit mulíerem ad concupiscéndum eam iam mœchátus est eam in corde suo.

Quod si óculus tuus dexter scandalízat te, érue eum et próice abs te: éxpedit enim tibi ut péreat unum membrórum tuórum quam totum corpus tuum mittátur in gehénnam. Et si déxtera manus tua scandalízat te, abscíde eam et próice abs te: éxpedit enim tibi ut péreat unum membrórum tuórum quam totum corpus tuum ábeat in gehénnam.

Dictum est autem: " Quicúmque dimíserit uxórem suam, det illi libéllum repúdii ". Ego autem dico vobis: Omnis qui dimíserit uxórem suam, excépta fornicatiónis causa, facit eam mœchári, et qui dimíssam dúxerit, adúlterat.

Iterum audístis quia dictum est antíquis: " Non periurábis ", " reddes autem Dómino iuraménta tua ". Ego autem dico vobis: Non iuráre omníno, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabéllum est pedum eius, neque per Hierosólymam, quia cívitas est magni Regis; neque per caput tuum iuráveris, quia non potes unum capíllum album fácere aut nigrum.

Sit autem sermo vester: “ Est est ”, “ Non non ”: quod autem his abundántius est a Malo est ».
Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
5, 20-22 a. 27-28. 33-34 a. 37

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Dico vobis: Nisi abundáverit iustítia vestra plus quam scribárum et Pharisæórum, non intrábitis in Regnum cælórum.

Audístis quia dictum est antíquis: “ Non occídes ”; qui autem occíderit, reus erit iudício. Ego autem dico vobis: Omnis qui iráscitur fratri suo, reus erit iudício.

Audístis quia dictum est: “ Non mœcháberis ”. Ego autem dico vobis: Omnis qui víderit mulíerem ad concupiscéndum eam iam mœchátus est eam in corde suo.

Iterum audístis quia dictum est antíquis: “ Non periurábis ”, “ reddes autem Dómino iuraménta tua ”. Ego autem dico vobis: Non iuráre omníno.

Sit autem sermo vester: “ Est est ”, “ Non non ”: quod autem his abundántius est a Malo est ».
Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Solus habitabit leprosus extra castra.

Léctio libri Levítici 13, 1-2. 44-46

Locútus est Dóminus ad Móysen et Aaron, dicens:

« Homo, in cuius cute et carne ortus fúerit divérsus color, sive pústula aut quasi lucens quíppiam, id est

plaga lepræ, adducétur ad Aaron sacerdótem, vel ad unum quémlibet filiórum eius.

Quicúmque ergo maculátus fúerit lepra, et separátus est ad arbítrium sacerdótis, habébit vestiménta dissúta, caput nudum, os veste contéctum, contaminátum ac sórdidum se clamábit. Omni témpore, quo leprósus est et immúndus, solus habitábit extra castra ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 31, 1-2. 5. 11 (℟.: cf. 7)

℟. Tu es refúgium meum, gáudio salútis circúmdas me.

1 Beátus cui remíssa est iníquitas,
et obtéctum est peccátum.
2 Beátus vir cui non imputávit Dóminus delíctum,
nec est in spíritu eius dolus. ℟.

Peccátum meum cógnitum tibi feci,
et delíctum meum non abscóndi.
Dixi: « Confitébor advérsum me
iniquitátem meam Dómino ».
Et tu remisísti impietátem peccáti mei. ℟.

11 Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti,
et gloriámini, omnes recti corde. ℟.

Lectio secunda

Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 10, 31 — 11, 1

Fratres:

Sive manducátis sive bíbitis sive áliud quid fácitis, ómnia in glóriam Dei fácite. Sine offensióne estóte Iudǽis et Græcis et Ecclésiæ Dei, sicut et ego per ómnia ómnibus pláceo, non quærens quod mihi útile est sed quod multis, ut salvi fiant.

Imitatóres mei estóte sicut et ego Christi.
Verbum Dómini.

Alleluia Lc 7, 16

℟. Allelúia. ℣. Prophéta magnus surréxit in nobis,
et Deus visitávit plebem suam. ℟. Allelúia.

Evangelium

Discessit ab eo lepra, et mundatus est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 40-45

In illo témpore:

Venit ad Iesum leprósus déprecans eum et genu flectens et dicens ei: « Si vis, potes me mundáre ». Et misértus exténdens manum suam tétigit eum, et ait illi: « Volo, mundáre », et statim discéssit ab eo lepra, et mundátus est.

Et infrémuit in eum statímque eiécit illum, et dicit ei: « Vide némini quidquam díxeris, sed vade, osténde te sacerdóti et offer pro emundatióne tua quæ præcépit Móyses, in testimónium illis ».

At ille egréssus cœpit prædicáre multum et diffamáre sermónem, ita ut iam non posset manifésto in civitátem introíre sed foris in desértis locis erat; et conveniébant ad eum úndique. — Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Maledictus qui confidit in homine; benedictus qui confidit in Domino.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 17, 5-8

Hæc dicit Dóminus:

« Maledíctus homo qui confídit in hómine, et ponit

carnem brácchium suum, et a Dómino recédit cor eius. Erit enim quasi myrícæ in desérto, et non vidébit cum vénerit bonum; sed habitábit in siccitáte in desérto, in terra salsúginis et inhabitábili.

Benedíctus vir qui confídit in Dómino, et erit Dóminus fidúcia eius; et erit quasi lignum quod transplantátur super aquas, quod ad humórem mittit radíces suas, et non timébit cum vénerit æstus: et erit fólium eius víride, et in témpore siccitátis non erit sollícitum, nec aliquándo désinet fácere fructum ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 1, 1-2. 3. 4 et 6 (℟.: Ps 39, 5 c)

℟. Beátus vir qui pósuit Dóminum spem suam.

1 Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum,
et in via peccatórum non stetit,
et in convéntu derisórum non sedit;
2 sed in lege Dómini volúntas eius,
et in lege eius meditátur die ac nocte. ℟.

3 Et erit tamquam lignum plantátum
secus decúrsus aquárum,
quod fructum suum dabit in témpore suo;
et fólium eius non défluet,
et ómnia quæcúmque fáciet prosperabúntur. ℟.

4 Non sic ímpii, non sic,
sed tamquam pulvis quem próicit ventus.
6 Quóniam novit Dóminus viam iustórum,
et iter impiórum períbit. ℟.

Lectio secunda

Si Christus non resurrexit, stulta est fides vestra.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 15, 12. 16-20

Fratres:

Si Christus prædicátur quod suscitátus est a mórtuis, quómodo quidam dicunt in vobis quóniam resurréctio mortuórum non est?

Nam si mórtui non resúrgunt, neque Christus resurréxit; quod si Christus non resurréxit, stulta est fides vestra, adhuc estis in peccátis vestris. Ergo et qui dormiérunt in Christo periérunt. Si in hac vita tantum in Christo sperántes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus.

Nunc autem Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium. — Verbum Dómini.

Alleluia Lc 6, 23 ab

℟. Allelúia. ℣. Gaudéte et exsultáte:
ecce enim merces vestra multa est in cælo.
℟. Allelúia.

Evangelium

Beati pauperes. Væ vobis divitibus!

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 6, 17. 20-26

In illo témpore:

Descéndens Iesus cum Duódecim, stetit in loco campéstri, et turba multa discipulórum eius, et multitúdo copiósa plebis ab omni Iudǽa et Ierúsalem et marítima Tyri et Sidónis.

Et ipse elevátis óculis suis in discípulos suos, dicébat:

« Beáti páuperes, quia vestrum est Regnum Dei.

Beáti qui nunc esurítis, quia saturabímini.

Beáti qui nunc fletis, quia ridébitis.

Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos et exprobráverint et eiécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis: gaudéte in illa die et exsultáte, ecce enim merces vestra multa est in cælo; secúndum hæc enim faciébant Prophétis patres eórum.

Verúmtamen væ vobis divítibus, quia habétis consolatiónem vestram.

Væ vobis, qui saturáti estis nunc, quia esuriétis.

Væ vobis, qui ridétis nunc, quia lugébitis et flébitis.

Væ, cum bene vobis díxerint omnes hómines, secúndum hæc enim faciébant pseudoprophétis patres eórum ». — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Hæc nos oblátio, quǽsumus, Dómine, mundet et rénovet,
atque tuam exsequéntibus voluntátem
fiat causa remuneratiónis ætérnæ. Per Christum.

Præfatio de dominicis « per annum », pp. 752-759.

Ant. ad communionem — Ps 77, 29-30

Manducavérunt, et saturáti sunt nimis,
et desidérium eórum áttulit eis Dóminus;
non sunt fraudáti a desidério suo.

Vel: — Io 3, 16

Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret,

ut omnis qui credit in eum non péreat,
sed hábeat vitam ætérnam.

Post communionem

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis,
quǽsumus, ut semper éadem,
per quæ veráciter vívimus, appetámus.
Per Christum.

Feria secunda

Ant. ad introitum Ps 30, 3-4

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum refúgii,
ut salvum me fácias.
Quóniam firmaméntum meum
et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dux mihi eris, et enútries me.

Collecta

Deus,
qui te in rectis et sincéris manére pectóribus ásseris,
da nobis tua grátia tales exsístere,
in quibus habitáre dignéris.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum.

Léctio libri Génesis 4, 1-15. 25

Adam cognóvit uxórem suam Evam, quæ concépit et péperit Cain, dicens: « Posséedi hóminem per Deum ». Rursúmque péperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel pastor óvium, et Cain agrícola.

Factum est autem post multos dies ut offérret Cain de frúctibus terræ múnera Dómino. Abel quoque óbtulit de primogénitis gregis sui et de adípibus eórum. Et respéxit Dóminus ad Abel et ad múnera eius; ad Cain vero et ad múnera illíus non respéxit. Iratúsque est Cain veheménter, et cóncidit vultus eius.

Dixítque Dóminus ad eum: « Quare irátus es? et cur cóncidit fácies tua? Nonne si bene égeris, recípies; sin autem male, statim in fóribus peccátum áderit? Sed sub te erit appetítus eius, et tu domináberis illíus ».

Dixítque Cain ad Abel fratrem suum: « Egrediámur foras ». Cumque essent in agro, consurréxit Cain advérsus fratrem suum Abel, et interfécit eum.

Et ait Dóminus ad Cain: « Ubi est Abel frater tuus? »

Qui respóndit: « Néscio; num custos fratris mei sum ego? »

Dixítque ad eum: « Quid fecísti? Vox sánguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc ígitur maledíctus eris super terram, quæ apéruit os suum et suscépit sánguinem fratris tui de manu tua. Cum operátus fúeris eam, non dabit tibi fructus suos; vagus et prófugus eris super terram ».

Dixítque Cain ad Dóminum: « Maior est iníquitas mea, quam ut véniam mérear. Ecce éicis me hódie a fácie terræ; et a fácie tua abscóndar, et ero vagus et prófugus in terra; omnis ígitur, qui invénerit me, occídet me ».

Dixítque ei Dóminus: « Nequáquam ita fiet; sed omnis qui occíderit Cain séptuplum puniétur ». Posuítque Dóminus Cain signum, ut non interfíceret eum omnis qui invenísset eum.

Cognóvit quoque adhuc Adam uxórem suam, et péperit fílium, vocavítque nomen eius Seth dicens: « Pósuit mihi Deus semen áliud pro Abel, quem occídit Cain ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 49, 1 et 8. 16 bc-17. 20-21 (℟.: 14 a)

℟. Immola Deo sacrifícium laudis.

1 Deus deórum Dóminus locútus est,
et vocávit terram a solis ortu usque ad occásum.
8 Non in sacrifíciis tuis árguam te;
holocáusta enim tua in conspéctu meo sunt semper. ℟.

16 « Quare tu enárras præcépta mea,
et assúmis testaméntum meum in os tuum?
17 Tu vero odísti disciplínam,
et proiecísti sermónes meos retrórsum. ℟.

20 Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris,
et advérsus fílium matris tuæ
proferébas oppróbrium.
21 Hæc fecísti, et tácui.
Existimásti quod eram tui símilis:
árguam te, et státuam illa contra fáciem tuam ». ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Probatio fidei vestræ patientiam operatur,
ut sitis perfecti et integri.

Inítium Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 1, 1-11

Iacóbus, Dei et Dómini Iesu Christi servus, duódecim Tríbubus quæ sunt in dispersióne, salútem.

Omne gáudium existimáte, fratres mei, cum in tentatiónibus váriis incidéritis, sciéntes quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur; patiéntia autem opus perféctum hábeat, ut sitis perfécti et íntegri, in nullo deficiéntes.

Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo qui dat ómnibus affluénter et non impróperat, et

dábitur ei. Póstulet autem in fide, nihil hǽsitans, qui enim hǽsitat símilis est flúctui maris qui a vento movétur et circumfértur; non ergo ǽstimet homo ille quod accípiat áliquid a Dómino, vir duplex ánimo, incónstans in ómnibus viis suis.

Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua, dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos feni transíbit. Exórtus est enim sol cum ardóre et arefécit fenum, et flos eius décidit et decor vultus eius depériit; ita et dives in itinéribus suis marcéscet.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 118, 67. 68. 71. 72. 75. 76 (℟.: 77 a)

℟. Véniant mihi miseratiónes tuæ, Dómine, et vivam.

67 Priúsquam humiliárer ego errávi;
nunc autem elóquium tuum custódiam. ℟.

68 Bonus es tu et benefáciens,
doce me iustificatiónes tuas. ℟.

71 Bonum mihi quia humiliátus sum,
ut discam iustificatiónes tuas. ℟.

72 Bonum mihi lex oris tui,
super mília auri et argénti. ℟.

75 Cognóvi, Dómine, quia ǽquitas iudícia tua,
et in veritáte humiliásti me. ℟.

76 Fiat misericórdia tua ut consolétur me,
secúndum elóquium tuum servo tuo. ℟.

Alleluia

Io 14, 6

℟. Allelúia. ℣. Ego sum via, véritas et vita, dicit Dóminus;
nemo venit ad Patrem, nisi per me.
℟. Allelúia.

Evangelium

Quid generatio ista quærit signum?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 8, 11-13

In illo témpore:

Exiérunt Pharisǽi et cœpérunt conquírere cum Iesu, quæréntes ab illo signum de cælo, tentántes eum. Et ingemíscens spíritu suo ait: « Quid generátio ista quærit signum? Amen dico vobis: Non dábitur generatióni isti signum ».

Et dimíttens eos, íterum ascéndens, ábiit trans fretum. — Verbum Dómini.

Super oblata

Hæc nos oblátio, quǽsumus, Dómine, mundet et rénovet,
atque tuam exsequéntibus voluntátem
fiat causa remuneratiónis ætérnæ.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 77, 29-30

Manducavérunt, et saturáti sunt nimis,
et desidérium eórum áttulit eis Dóminus;
non sunt fraudáti a desidério suo.

Vel: Io 3, 16

Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret,
ut omnis qui credit in eum non péreat,
sed hábeat vitam ætérnam.

Post communionem

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis,
quǽsumus, ut semper éadem,
per quæ veráciter vívimus, appetámus.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum Ps 30, 3-4

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum refúgii,
ut salvum me fácias.
Quóniam firmaméntum meum et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dux mihi eris, et enútries me.

Collecta

Deus,
qui te in rectis et sincéris manére pectóribus ásseris,
da nobis tua grátia tales exsístere,
in quibus habitáre dignéris.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Delebo hominem quem creavi a facie terræ.

Léctio libri Génesis 6, 5-8; 7, 1-5. 10

Videns Deus quod multa malítia hóminum esset in terra, et cuncta cogitátio cordis inténta esset ad malum omni témpore, pænítuit eum quod hóminem fecísset in terra. Et tactus dolóre cordis intrínsecus: « Delébo, inquit, hóminem, quem creávi, a fácie terræ, ab hómine usque ad animántia, a réptili usque ad vólucres cæli; pǽnitet enim me fecísse eos ».

Noe vero invénit grátiam coram Dómino.

Dixítque Dóminus ad eum: « Ingrédere tu et omnis domus tua in arcam; te enim vidi iustum coram me in generatióne hac. Ex ómnibus animántibus mundis tolle septéna et septéna, másculum et féminam; de animántibus vero immúndis duo et duo, másculum et féminam. Sed et de volatílibus cæli septéna et septéna, másculum et

féminam, ut salvétur semen super fáciem univérsæ terræ. Adhuc enim, et post dies septem ego pluam super terram quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, et delébo omnem substántiam, quam feci, de superfície terræ ».

Fecit ergo Noe ómnia quæ mandáverat ei Dóminus. Cumque transíssent septem dies, aquæ dilúvii inundavérunt super terram. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 28, 1 a et 2. 3 ac-4. 3 b et 9 b-10 (℟.: 11 b)

℟. Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

1 Afférte Dómino, fílii Dei,
2 afférte Dómino glóriam nóminis eius,
adoráte Dóminum in splendóre sancto. ℟.

3 Vox Dómini super aquas,
Dóminus super aquas multas.
4 Vox Dómini in virtúte,
vox Dómini in magnificéntia. ℟.

3 Deus maiestátis intónuit;
9 et in templo eius omnes dicent glóriam.
10 Dóminus super dilúvium hábitat,
et sedébit Dóminus rex in ætérnum. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Ipse Deus neminem tentat.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 1, 12-18

Caríssimi:

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quia cum probátus fúerit accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Nemo cum tentátur dicat: « A Deo tentor »; Deus enim non tentátor malis, ipse autem néminem tentat. Unusquísque vero tentátur a concupiscéntia sua abstráctus et illéctus; dein concupiscéntia cum concéperit parit peccátum, peccátum vero cum consummátum fúerit génerat mortem.

Nolíte erráre, fratres mei dilectíssimi. Omne datum óptimum et omne donum perféctum de sursum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie génuit nos verbo veritátis, ut simus primítiæ quædam creatúræ eius. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 93, 12-13 a. 14-15. 18-19 (℟.: 12 a)

℟. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine.

12 Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine,
et de lege tua docúeris eum,
13 ut mítiges ei a diébus malis. ℟.

14 Quia non repéllet Dóminus plebem suam,
et hereditátem suam non derelínquet.
15 Quia ad iustítiam revertétur iudícium,
et sequéntur illam omnes qui recto sunt corde. ℟.

18 Si dicébam: « Motus est pes meus »,
misericórdia tua, Dómine, sustentábat me.
19 In multitúdine sollicitúdinum meárum in corde meo,
consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. ℟.

Alleluia

Io 14, 23

℟. Allelúia. ℣. Si quis díligit me, sermónem meum servábit,
et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus. ℟. Allelúia.

Evangelium

Cavete a fermento Pharisæorum et Herodis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 8, 14-21

In illo témpore:

Oblíti sunt discípuli súmere panes et nisi unum panem non habébant secum in navi. Et præcipiébat eis Iesus dicens: « Vidéte, cavéte a ferménto Pharisæórum et ferménto Heródis ».

Et disputábant ad ínvicem quia panes non habérent.

Quo cógnito ait illis: « Quid disputátis quia panes non habétis? Nondum cognóscitis nec intellégitis? Cæcátum habétis cor vestrum? Oculos habéntes non vidétis, et aures habéntes non audítis? Nec recordámini, quando quinque panes fregi in quinque mília, quot cóphinos fragmentórum plenos sustulístis? »

Dicunt ei: « Duódecim ».

« Quando illos septem in quáttuor mília, quot sportas plenas fragmentórum tulístis? »

Et dicunt ei: « Septem ».

Et dicébat eis: « Nondum intellégitis? »

Verbum Dómini.

Super oblata

Hæc nos oblátio, quǽsumus, Dómine, mundet et rénovet,
atque tuam exsequéntibus voluntátem
fiat causa remuneratiónis ætérnæ.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 77, 29-30

Manducavérunt, et saturáti sunt nimis,
et desidérium eórum áttulit eis Dóminus;
non sunt fraudáti a desidério suo.

Vel: Io 3, 16

Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret,
ut omnis qui credit in eum non péreat,
sed hábeat vitam ætérnam.

Post communionem

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis,
quǽsumus, ut semper éadem,
per quæ veráciter vívimus, appetámus.
Per Christum.

Feria quarta

Ant. ad introitum Ps 30, 3-4

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum refúgii,
ut salvum me fácias.
Quóniam firmaméntum meum et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dux mihi eris, et enútries me.

Collecta

Deus,
qui te in rectis et sincéris manére pectóribus ásseris,
da nobis tua grátia tales exsístere,
in quibus habitáre dignéris.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Aspexit viditque quod siccata esset facies terræ.

Léctio libri Génesis 8, 6-13. 20-22

Cum transíssent quadragínta dies, apériens Noe fenéstram arcæ, quam fécerat, dimísit corvum; qui egredie-

bátur et non revertebátur, donec siccaréntur aquæ super terram.

Emísit quoque colúmbam post eum, ut vidéret si iam cessássent aquæ super fáciem terræ. Quæ, cum non invenísset ubi requiésceret pes eius, revérsa est ad eum in arcam, aquæ enim erant super univérsam terram. Extendítque manum, et apprehénsam íntulit in arcam. Exspectátis autem ultra septem diébus áliis, rursum dimísit colúmbam ex arca. At illa venit ad eum ad vésperam, portans ramum olívæ viréntibus fóliis in ore suo. Intelléxit ergo Noe quod cessássent aquæ super terram. Exspectavítque nihilóminus septem álios dies, et emísit colúmbam, quæ non est revérsa ultra ad eum.

Igitur sexcentésimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminútæ sunt aquæ super terram, et apériens Noe tectum arcæ aspéxit, vidítque quod exsiccáta esset superfícies terræ.

Ædificávit autem Noe altáre Dómino; et tollens de cunctis pecóribus et volúcribus mundis óbtulit holocáusta super altáre. Odoratúsque est Dóminus odórem suavitátis, et ait: « Nequáquam ultra maledícam terræ propter hómines; sensus enim et cogitátio humáni cordis in malum prona sunt ab adulescéntia sua. Non ígitur ultra percútiam omnem ánimam vivéntem, sicut feci. Cunctis diébus terræ, seméntis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies non requiéscent ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 115, 12-13. 14-15. 18-19 (℟.: 17 a)

℟. Tibi, Dómine, sacrificábo hóstiam laudis.

vel Allelúia.

12 Quid retríbuam Dómino
pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

13 Cálicem salutáris accípiam,
et nomen Dómini invocábo. ℟.
14 Vota mea Dómino reddam
coram omni pópulo eius.
15 Pretiósa in conspéctu Dómini
mors sanctórum eius. ℟.
18 Vota mea Dómino reddam
coram omni pópulo eius,
19 in átriis domus Dómini,
in médio tui, Ierúsalem. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Estote factores verbi et non auditores tantum.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 1, 19-27

Scitis, fratres mei dilécti. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum, tardus autem ad loquéndum, et tardus ad iram; ira enim viri iustítiam Dei non operátur. Propter quod abiciéntes omnem immundítiam et abundántiam malítiæ, in mansuetúdine suscípite ínsitum verbum, quod potest salváre ánimas vestras.

Estóte autem factóres verbi, et non auditóres tantum falléntes vosmetípsos. Quia si quis audítor est verbi et non factor, hic comparábitur viro consideránti vultum nativitátis suæ in spéculo; considerávit enim se et ábiit et statim oblítus est qualis fúerit. Qui autem perspéxerit in lege perfécta libertátis et permánserit, non audítor obliviósus factus sed factor óperis, hic beátus in facto suo erit.

Si quis putat se religiósum esse non freno circumdúcens linguam suam sed sedúcens cor suum, huius vana est relígio. Relígio munda et immaculáta apud Deum et

Patrem hæc est, visitáre pupíllos et víduas in tribulatióne eorum, immaculátum se custodíre ab hoc sǽculo.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 14, 2-3 ab. 3 cd-4 ab. 5 (℟.: 1 b)

℟. Quis requiéscet in monte sancto tuo, Dómine?

2 Qui ingréditur sine mácula, et operátur iustítiam;
qui lóquitur veritátem in corde suo,
3 qui non egit dolum in lingua sua. ℟.

Nec fecit próximo suo malum,
et oppróbrium non íntulit próximo suo.
4 Ad níhilum reputátus est in conspéctu eius malígnus,
timéntes autem Dóminum gloríficat. ℟.

5 Qui pecúniam suam non dedit ad usúram,
et múnera super innocéntem non accépit.
Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum. ℟.

Alleluia

Cf. Eph 1, 17-18

℟. Allelúia. ℣. Pater Dómini nostri Iesu Christi illúminet óculos cordis nostri,
ut sciámus quæ sit spes vocatiónis nostræ.
℟ Allelúia.

Evangelium

Restitutus est cæcus,
et videbat clare omnia.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 8, 22-26

In illo témpore:

Véniunt Iesus et discípuli Bethsáida. Et addúcunt ei cæcum et rogant eum ut illum tangat. Et apprehéndens manum cæci edúxit eum extra vicum et éxspuens in

óculos eius, impósitis mánibus ei, interrogábat eum: « Vides áliquid? » Et aspíciens dicébat: « Vídeo hómines, quia velut árbores vídeo ambulántes ».

Deínde íterum impósuit manus super óculos eius, et cœpit vidére, et restitútus est, et vidébat clare ómnia.

Et misit illum in domum suam dicens: « Nec in vicum introíeris ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Hæc nos oblátio, quǽsumus, Dómine, mundet et rénovet,
atque tuam exsequéntibus voluntátem
fiat causa remuneratiónis ætérnæ.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 77, 29-30

Manducavérunt, et saturáti sunt nimis,
et desidérium eórum áttulit eis Dóminus;
non sunt fraudáti a desidério suo.

Vel: — Io 3, 16

Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret,
ut omnis qui credit in eum non péreat,
sed hábeat vitam ætérnam.

Post communionem

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis,
quǽsumus, ut semper éadem,
per quæ verácite vívimus, appetámus.
Per Christum.

Feria quinta

Ant. ad introitum — Ps 30, 3-4

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum refúgii,
ut salvum me fácias.

Quóniam firmaméntum meum et refúgium meum es tu, et propter nomen tuum dux mihi eris, et enútries me.

Collecta

Deus,
qui te in rectis et sincéris manére pectóribus ásseris,
da nobis tua grátia tales exsístere,
in quibus habitáre dignéris.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Arcum meum ponam in nubibus et erit signum fœderis inter me et terram.

Léctio libri Génesis 9, 1-13

Benedíxit Deus Noe et fíliis eius, et dixit ad eos:

« Créscite et multiplicámini et repléte terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animália terræ et super omnes vólucres cæli, cum univérsis quæ movéntur super terram; omnes pisces maris mánui vestræ tráditi sunt. Et omne, quod movétur et vivit, erit vobis in cibum: quasi ólera viréntia trádidi vobis ómnia.

Excépto quod carnem cum sánguine non comedétis. Sánguinem enim animárum vestrárum requíram de manu cunctárum bestiárum; et de manu hóminis, de manu viri et fratris eius requíram ánimam hóminis. Quicúmque effúderit humánum sánguinem, fundétur sanguis illíus; ad imáginem quippe Dei factus est homo.

Vos autem créscite et multiplicámini, et ingredímini super terram, et impléte eam ».

Hæc quoque dixit Deus ad Noe et ad fílios eius cum eo: « Ecce ego státuam pactum meum vobíscum, et cum sémine vestro post vos, et ad omnem ánimam vivéntem,

quæ est vobíscum, tam in volúcribus quam in iuméntis et pecúdibus terræ cunctis, quæ egréssa sunt de arca, et univérsis béstiis terræ. Státuam pactum meum vobíscum, et nequáquam ultra interficiétur omnis caro aquis dilúvii, neque erit deínceps dilúvium díssipans terram ».

Dixítque Deus: « Hoc signum fœderis, quod do inter me et vos et ad omnem ánimam vivéntem, quæ est vobíscum in generatiónes sempitérnas: arcum meum ponam in núbibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 101, 16-18. 19-21. 29 et 22-23 (℟.: 20 b)

℟. Dóminus de cælo in terram aspéxit.

16 Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine,
et omnes reges terræ glóriam tuam;
17 quia ædificávit Dóminus Sion,
et appáruit in glória sua.
18 Respéxit in oratiónem ínopum,
et non sprevit precem eórum. ℟.

19 Scribántur hæc pro generatióne áltera,
et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum.
20 Quia prospéxit de excélso sanctuário suo,
Dóminus de cælo in terram aspéxit;
21 ut audíret gémitus compeditórum,
ut sólveret fílios mortis. ℟.

29 Fílii servórum tuórum habitábunt,
et semen eórum in conspéctu tuo firmábitur,
22 ut annúntient in Sion nomen Dómini,
et laudem eius in Ierúsalem;
23 in conveniéndo pópuli in unum,
et regna, ut sérviant Dómino. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Nonne Deus elegit pauperes? Vos autem exhonorastis pauperem.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 2, 1-9

Fratres mei, nolíte in personárum acceptióne habére fidem Dómini nostri Iesu Christi glóriæ.

Etenim si introíerit in synagógam vestram vir áureum ánulum habens in veste cándida, introíerit autem et pauper in sórdido hábitu, et intendátis in eum qui indútus est veste præclára, et dixéritis: « Tu sede hic bene », páuperi autem dicátis: « Tu sta illic aut sede sub scabéllo meo », nonne iudicátis apud vosmetípsos et facti estis iúdices cogitatiónum iniquárum?

Audíte, fratres mei dilectíssimi. Nonne Deus elégit qui páuperes sunt mundo dívites in fide et herédes Regni, quod repromísit diligéntibus se? Vos autem exhonorástis páuperem. Nonne dívites ópprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad iudícia? Nonne ipsi blasphémant bonum nomen quod invocátum est super vos?

Si tamen legem perfícitis regálem secúndum Scriptúram, « Díliges próximum tuum sicut teípsum », bene fácitis; si autem persónas accípitis, peccátum operámini, redargúti a Lege quasi transgressóres.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7 (℟.: 7 a)

℟. Pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum.

2 Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.
3 In Dómino gloriábitur ánima mea,
áudiant mansuéti et læténtur. ℟.

4 Magnificáte Dóminum mecum,
et exaltémus nomen eius in idípsum.
5 Exquisívi Dóminum, et exaudívit me,
et ex ómnibus terróribus meis erípuit me. ℟.
6 Respícite ad eum, et illuminámini,
et fácies vestræ non confundéntur.
7 Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum,
et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum. ℟.

Alleluia Io 6, 64 b. 69 b

℟. Allelúia. ℣. Verba tua, Dómine, spíritus et vita sunt;
verba vitæ ætérnæ habes. ℟. Allelúia.

Evangelium

Tu es Christus ... Oportet Filium hominis multa pati.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 8, 27-33

In illo témpore:

Egréssus est Iesus et discípuli eius in castélla Cæsaréæ Philíppi; et in via interrogábat discípulos suos dicens eis: « Quem me dicunt esse hómines? »

Qui respondérunt illi dicéntes: « Ioánnem Baptístam, álii Elíam, álii vero unum de prophétis ».

Et ipse interrogábat eos: « Vos vero quem me dícitis esse? »

Respóndens Petrus ait ei: « Tu es Christus ». Et comminátus est eis ne cui dícerent de illo.

Et cœpit docére illos: « Opórtet Fílium hóminis multa pati et reprobári a senióribus et a summis sacerdótibus et scribis, et occídi et post tres dies resúrgere »; et palam verbum loquebátur.

Et apprehéndens eum Petrus cœpit increpáre eum. Qui convérsus et videns discípulos suos comminátus est

Petro et dicit: « Vade retro me, Sátana, quóniam non sapis quæ Dei sunt sed quæ sunt hóminum ».
Verbum Dómini.

Super oblata

Hæc nos oblátio, quǽsumus, Dómine, mundet et rénovet,
atque tuam exsequéntibus voluntátem
fiat causa remuneratiónis ætérnæ.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 77, 29-30

Manducavérunt, et saturáti sunt nimis,
et desidérium eórum áttulit eis Dóminus;
non sunt fraudáti a desidério suo.

Vel: — Io 3, 16

Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret,
ut omnis qui credit in eum non péreat,
sed hábeat vitam ætérnam.

Post communionem

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis,
quǽsumus, ut semper éadem,
per quæ veráciter vívimus, appetámus.
Per Christum.

Feria sexta

Ant. ad introitum — Ps 30, 3-4

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum refúgii,
ut salvum me fácias.
Quóniam firmaméntum meum et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dux mihi eris, et enútries me.

Collecta

Deus,
qui te in rectis et sincéris manére pectóribus ásseris,
da nobis tua grátia tales exsístere,
in quibus habitáre dignéris.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Descendamus et confundamus linguam eorum.

Léctio libri Génesis 11, 1-9

Erat terra lábii uníus et sermónum eorúndem. Cúmque hómines proficisceréntur de oriénte, invenérunt campum in terra Sénnaar, et habitavérunt in eo. Dixítque alter ad próximum suum: « Veníte, faciámus láteres et coquámus eos igni ». Habuerúntque láteres pro saxis et bitúmen pro cæménto.

Et dixérunt: « Veníte, faciámus nobis civitátem et turrim, cuius culmen pertíngat ad cælum, et celebrémus nomen nostrum ántequam dividámur in univérsas terras ».

Descéndit autem Dóminus, ut vidéret civitátem et turrim, quam ædificábant fílii Adam. Et dixit: « Ecce unus est pópulus et unum lábium ómnibus; cœperúntque hoc fácere, nec desístent a cogitatiónibus suis donec eas ópere cómpleant. Veníte ígitur, descendámus et confundámus ibi linguam eórum, ut non áudiat unusquísque vocem próximi sui ».

Atque ita divísit eos Dóminus ex illo loco in univérsas terras, et cessavérunt ædificáre civitátem. Et idcírco vocátum est nomen eius « Babel », quia ibi confúsum est lábium univérsæ terræ; et inde dispérsit eos Dóminus super fáciem cunctárum regiónum. — Verbum Dómini.

Psalmus resp. Ps 32, 10-11. 12-13. 14-15 (℟.: 12 b)

℟. Beátus pópulus, quem elégit Dóminus
in hereditátem sibi.

10 Dóminus díssipat consília géntium,
írritas facit cogitatiónes populórum.
11 Consílium autem Dómini in ætérnum manet,
cogitatiónes cordis eius in generatióne et generatiónem. ℟.

12 Beáta gens, cui Dóminus est Deus,
pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.
13 De cælo respéxit Dóminus,
vidit omnes fílios hóminum. ℟.

14 De loco habitáculi sui respéxit,
super omnes qui hábitant terram,
15 qui finxit singillátim corda eórum,
qui intéllegit ómnia ópera eórum. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Sicut corpus sine spiritu emortuum est,
ita et fides sine operibus.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 2, 14-24. 26

Quid próderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habére, ópera autem non hábeat? Numquid póterit fides salváre eum?

Si frater aut soror nudi sunt et índigent victu cotidiáno, dicat autem áliquis de vobis illis: « Ite in pace, calefacímini et saturámini », non dedéritis autem eis quæ necessária sunt córporis, quid próderit? Sic et fides, si non hábeat ópera, mórtua est in semetípsa.

Sed dicet quis: « Tu fidem habes et ego ópera hábeo. Osténde mihi fidem tuam sine opéribus, et ego tibi osténdam ex opéribus meis fidem ». Tu credis quóniam

unus est Deus? Bene facis; et dǽmones credunt et contremíscunt. Vis autem scire, o homo inánis, quóniam fides sine opéribus otiósa est? Abraham pater noster nonne ex opéribus iustificátus est, ófferens Isaac fílium suum super altáre? Vides quóniam fides cooperabátur opéribus illíus et ex opéribus fides consummáta est, et suppléta est Scriptúra dicens: « Crédidit Abraham Deo, et reputátum est illi ad iustítiam », et Amícus Dei appellátus est.

Vidétis quóniam ex opéribus iustificátur homo et non ex fide tantum. Sicut enim corpus sine spíritu emórtuum est, ita et fides sine opéribus mórtua est.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 111, 1-2. 3-4. 5-6 (℟.: cf. 1)

℟. Beátus vir qui in mandátis Dómini cupit nimis.

vel Allelúia.

1 Beátus vir qui timet Dóminum,
in mandátis eius cupit nimis.
2 Potens in terra erit semen eius,
generátio rectórum benedicétur. ℟.
3 Glória et divítiæ in domo eius,
et iustítia eius manet in sǽculum sǽculi.
4 Exórtum est in ténebris lumen rectis,
miséricors et miserátor et iustus. ℟.
5 Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat,
dispónet res suas in iudício,
6 quia in ætérnum non commovébitur. ℟.

Alleluia Io 15, 15 b

℟. Allelúia. ℣. Vos dixi amícos, dicit Dóminus,
quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo
nota feci vobis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Qui perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 8, 34-39

In illo témpore:

Convocáta Iesus turba cum discípulis suis dixit eis: « Si quis vult post me sequi, déneget se ipsum et tollat crucem suam et sequátur me. Qui enim voluérit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; qui autem perdíderit ánimam suam propter me et Evangélium, salvam eam fáciet.

Quid enim prodest hómini si lucrétur mundum totum et detriméntum fáciat ánimæ suæ? Quid enim dabit homo commutatiónem pro ánima sua?

Qui enim me confúsus fúerit et mea verba in generatióne ista adúltera et peccatríce, et Fílius hóminis confundétur eum cum vénerit in glória Patris sui cum ángelis sanctis ».

Et dicébat illis: « Amen dico vobis: Sunt quidam de hic stántibus, qui non gustábunt mortem, donec vídeant Regnum Dei venísse in Virtúte ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Hæc nos oblátio, quæsumus, Dómine, mundet et rénovet,
atque tuam exsequéntibus voluntátem
fiat causa remuneratiónis ætérnæ.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 77, 29-30

Manducavérunt, et saturáti sunt nimis,
et desidérium eórum áttulit eis Dóminus;
non sunt fraudáti a desidério suo.

Vel: Io 3, 16

Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret,
ut omnis qui credit in eum non péreat,
sed hábeat vitam ætérnam.

Post communionem

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis,
quǽsumus, ut semper éadem,
per quæ veráciter vívimus, appetámus.
Per Christum.

Sabbato

Ant. ad introitum Ps 30, 3-4

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum refúgii,
ut salvum me fácias.
Quóniam firmaméntum meum et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dux mihi eris, et enútries me.

Collecta

Deus,
qui te in rectis et sincéris manére pectóribus ásseris,
da nobis tua grátia tales exsístere,
in quibus habitáre dignéris. Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Fide intellegimus aptata esse sæcula verbo Dei.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 11, 1-7

Fratres:

Est fides sperandórum substántia, rerum arguméntum non apparéntium. In hac enim testimónium consecúti sunt senióres.

Fide intellégimus aptáta esse sǽcula verbo Dei, ut ex invisibílibus visibília facta sint.

Fide ampliórem hóstiam Abel quam Cain óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse iustus, testimónium perhibénte munéribus eius Deo, et per illam defúnctus adhuc lóquitur.

Fide Enoch translátus est ne vidéret mortem, et non inveniebátur quia tránstulit illum Deus; ante translatiónem enim testimónium accépit placuísse Deo, sine fide autem impossíbile placére, crédere enim opórtet accedéntem ad Deum quia est, et inquiréntibus se remunerátor fit.

Fide Noe respónso accépto de his quæ adhuc non videbántur, revéritus aptávit arcam in salútem domus suæ; per quam damnávit mundum, et iustítiæ, quæ secúndum fidem est, heres est institútus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 144, 2-3. 4-5. 10-11 (℟.: cf. 1 b)

℟. Benedícam nómini tuo, Dómine, in ætérnum.

2 Per síngulos dies benedícam tibi,
et laudábo nomen tuum
in sǽculum et in sǽculum sǽculi.
3 Magnus Dóminus et laudábilis nimis,
et magnitúdinis eius non est investigátio. ℟.

4 Generátio generatióni laudábit ópera tua,
et poténtiam tuam pronuntiábunt.
5 Magnificéntiam glóriæ maiestátis tuæ loquéntur,
et mirabília tua enarrábunt. ℟.

10 Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;
et sancti tui benedícant tibi.
11 Glóriam regni tui dicant,
et poténtiam tuam loquántur. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Linguam nullus hominum domare potest.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 3, 1-10

Nolíte plures magístri fíeri, fratres mei, sciéntes quóniam maius iudícium accipiémus. In multis enim offéndimus omnes.

Si quis in verbo non offéndit, hic perféctus est vir, potens étiam freno circumdúcere totum corpus. Si autem equórum frenos in ora míttimus ad obœdiéndum nobis, et omne corpus illórum circumférimus. Ecce et naves, cum tam magnæ sint et a ventis válidis minéntur, circumferúntur a mínimo gubernáculo ubi ímpetus dirigéntis volúerit; ita et lingua módicum quidem membrum est et magna exsúltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incéndit; et lingua ignis est, univérsitas iniquitátis, lingua constitúitur in membris nostris, quæ máculat totum corpus et inflámmat rotam nativitátis et inflammátur a gehénna.

Omnis enim natúra et bestiárum et vólucrum et serpéntium et étiam ceterórum domátur et dómita est a natúra humána; linguam autem nullus hóminum domáre potest; inquiétum malum, plena venéno mortífero. In ipsa benedícimus Dóminum et Patrem, et in ipsa maledícimus hómines qui ad similitúdinem Dei facti sunt; ex ipso ore procédit benedíctio et maledíctio. Non opórtet, fratres mei, hæc ita fíeri. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 11, 2-3. 4-5. 7-8 (℟.: 8 a)

℟. Tu, Dómine, servábis nos.

2 Salvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus,
quóniam deminúti sunt fidéles a fíliis hóminum.

3 Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum;
in lábiis dolósis, in dúplici corde locúti sunt. ℟.
4 Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa
et linguam magníloquam.
5 Qui dixérunt: « Lingua nostra magnificábimur,
lábia nostra a nobis sunt; quis noster dóminus est? » ℟.
7 Elóquia Dómini elóquia casta,
argéntum igne examinátum, separátum a terra,
purgátum séptuplum.
8 Tu, Dómine, servábis nos et custódies nos,
a generatióne hac in ætérnum. ℟.

Alleluia — Cf. Mc 9, 6

℟. Allelúia. ℣. Cæli apérti sunt et vox Patris intónuit: « Hic est Fílius meus caríssimus: audíte illum ». ℟. Allelúia.

Evangelium

Transfiguratus est coram ipsis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 9, 2-12

In illo témpore:

Assúmit Iesus Petrum et Iacóbum et Ioánnem, et ducit illos in montem excélsum seórsum solos. Et transfigurátus est coram ipsis, et vestiménta eius facta sunt splendéntia, cándida nimis quália fullo super terram non potest tam cándida fácere. Et appáruit illis Elías cum Móyse, et erant loquéntes cum Iesu.

Et respóndens Petrus ait Iesu: « Rabbi, bonum est nos hic esse et faciámus tria tabernácula, tibi unum et Móysi unum et Elíæ unum ». Non enim sciébat quid respondéret, erant enim extérriti.

Et facta est nubes obúmbrans eos, et venit vox de nube: « Hic est Fílius meus diléctus: audíte illum ». Et

statim circumspiciéntes néminem ámplius vidérunt nisi Iesum tantum secum.

Et descendéntibus illis de monte, præcépit illis ne cui quæ vidíssent narrárent, nisi cum Fílius hóminis a mórtuis resurréxerit. Et verbum continuérunt apud se, conquiréntes quid esset illud « a mórtuis resúrgere ».

Et interrogábant eum dicéntes: « Quid ergo dicunt scribæ quia Elíam opórteat veníre primum? »

Qui ait illis: « Elías cum vénerit primo, restítuet ómnia, et quómodo scriptum est super Fílio hóminis ut multa patiátur et contemnátur? Sed dico vobis: Et Elías venit, et fecérunt illi quæcúmque volébant, sicut scriptum est de eo ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Hæc nos oblátio, quǽsumus, Dómine, mundet et rénovet,
atque tuam exsequéntibus voluntátem
fiat causa remuneratiónis ætérnæ. Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 77, 29-30

Manducavérunt, et saturáti sunt nimis,
et desidérium eórum áttulit eis Dóminus;
non sunt fraudáti a desidério suo.

Vel: — Io 3, 16

Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret,
ut omnis qui credit in eum non péreat,
sed hábeat vitam ætérnam.

Post communionem

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis,
quǽsumus, ut semper éadem,
per quæ veráciter vívimus, appetámus. Per Christum.

DOMINICA VII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 12, 6

Dómine, in tua misericórdia sperávi.
Exsultávit cor meum in salutári tuo,
cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus,
ut, semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita,
et dictis exsequámur et factis. Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

Diliges amicum tuum sicut teipsum.

Léctio libri Levítici 19, 1-2. 17-18

Locútus est Dóminus ad Móysen dicens:

« Lóquere ad omnem cœtum filiórum Israel, et dices ad eos: Sancti estóte, quia ego sanctus sum Dóminus Deus vester.

Non óderis fratrem tuum in corde tuo, sed públice árgue eum, ne hábeas super illo peccátum. Non quæras ultiónem, nec memor eris iniúriæ cívium tuórum. Díliges amícum tuum sicut teípsum. Ego Dóminus ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 102, 1-2. 3-4. 8 et 10. 12-13 (℟.: 8 a)

℟. Miserátor et miséricors Dóminus.

Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.

2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.
3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.
8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
10 Non secúndum peccáta nostra fecit nobis,
neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis. ℟
12 Quantum distat ortus ab occidénte,
longe fecit a nobis iniquitátes nostras.
13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se. ℟.

Lectio secunda

Omnia vestra sunt, vos autem Christi,
Christus autem Dei.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 3, 16-23

Fratres:

Nescítis quia templum Dei estis et Spíritus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei evérterit, evértet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

Nemo se sedúcat; si quis vidétur sápiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sápiens. Sapiéntia enim huius mundi stultítia est apud Deum; scriptum est enim: « Qui apprehéndit sapiéntes in astútia eórum », et íterum: « Dóminus novit cogitatiónes sapiéntium, quóniam vanæ sunt ».

Itaque nemo gloriétur in homínibus; ómnia enim

vestra sunt, sive Paulus, sive Apóllo, sive Cephas, sive mundus, sive vita sive mors, sive præséntia sive futúra, ómnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. — Verbum Dómini.

Alleluia 1 Io 2, 5

℟. Allelúia. ℣. Qui servat verbum Christi,
vere in hoc cáritas Dei perfécta est.
℟. Allelúia.

Evangelium

Dilígite inimícos vestros.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
5, 38-48

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Audístis quia dictum est: " Oculum pro óculo et dentem pro dente ". Ego autem dico vobis: Non resístere malo; sed si quis te percússerit in déxtera maxílla tua, præbe illi et álteram; et ei qui vult tecum iudício conténdere et túnicam tuam tóllere, remítte ei et pállium; et quicúmque te angariáverit mille passus, vade cum illo duo. Qui petit a te, da ei, et volénti mutuári a te, ne avertáris.

Audístis quia dictum est: " Díliges próximum tuum ", et ódio habébis inimícum tuum. Ego autem dico vobis: Dilígite inimícos vestros et oráte pro persequéntibus vos, ut sitis fílii Patris vestri qui in cælis est, quia solem suum oríri facit super malos et bonos et pluit super iustos et iniústos.

Si enim dilexéritis eos qui vos díligunt, quam mercédem habétis? Nonne et publicáni hoc fáciunt? Et si salutavéritis fratres vestros tantum, quid ámplius fá-

citis? Nonne et éthnici hoc fáciunt? Estóte ergo vos perfécti sicut Pater vester cæléstis perféctus est ».
Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Deleo iniquitates tuas propter me.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 43, 18-19. 21-22. 24 b-25

Hæc dicit Dóminus:

« Ne meminéritis priórum, et antíqua ne intueámini. Ecce ego fácio nova, et nunc oriéntur, útique cognoscétis ea. Ponam in desérto viam, et in ínvio flúmina.

Pópulum istum formávi mihi; laudem meam narrábit.

Non me invocásti, Iacob; nec laborásti in me, Israel.

Servíre me fecísti in peccátis tuis, præbuísti mihi labórem in iniquitátibus tuis. Ego sum, ego sum ipse qui déleo iniquitátes tuas propter me; et peccatórum tuórum non recordábor ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 40, 2-3. 4-5. 13-14 (℟.: 5 b)

℟. Sana ánimam meam, Dómine, quia peccávi tibi.

2 Beátus qui intéllegit de egéno,
in die mala liberábit eum Dóminus.
3 Dóminus servábit eum, et vivificábit eum,
et beátum fáciet eum in terra,
et non tradet eum in fauces inimicórum eius. ℟.
4 Dóminus opem feret illi super lectum dolóris eius;
univérsum stratum eius versábis in infirmitáte eius.
5 Ego dixi: « Dómine, miserére mei;
sana ánimam meam, quia peccávi tibi ». ℟.
13 Me autem propter innocéntiam suscepísti,
et statuísti me in conspéctu tuo in ætérnum.
14 Benedíctus Dóminus Deus Israel
a sǽculo et usque in sǽculum. Fiat, fiat. ℟.

Lectio secunda

Iesus non fuit est *et* non, *sed* est *in illo fuit.*

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 1, 18-22

Fratres:

Fidélis Deus quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est « est » et « non ». Dei enim Fílius Iesus Christus qui in vobis per nos prædicátus est, per me et Silvánum et Timótheum, non fuit « est » et « non », sed « est » in illo fuit. Quotquot enim promissiónes Dei sunt, in illo « est »; ideo et per ipsum « Amen » Deo, ad glóriam per nos.

Qui autem confírmat nos vobíscum in Christum et qui unxit nos Deus, et qui signávit nos et dedit arrabónem Spíritus in córdibus nostris. — Verbum Dómini.

Alleluia Lc 4, 18-19

℟. Allelúia. ℣. Evangelizáre paupéribus misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem. ℟. Allelúia.

Evangelium

Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 2, 1-12

Post dies intrávit íterum Iesus Caphárnaum, et audítum est quod in domo esset. Et convenérunt multi ita ut non ámplius caperéntur neque ad iánuam, et loquebátur eis verbum.

Et véniunt feréntes ad eum paralýticum, qui a quáttuor portabátur. Et cum non possent offérre eum illi præ turba, nudavérunt tectum ubi erat, et perfodiéntes

summíttunt grabátum in quo paralýticus iacébat. Cum vidísset autem Iesus fidem illórum, ait paralýtico: « Fili, dimittúntur peccáta tua ».

Erant autem illic quidam de scribis sedéntes et cogitántes in córdibus suis: « Quid hic sic lóquitur? Blasphémat, quis potest dimíttere peccáta nisi solus Deus? »

Quo statim cógnito Iesus spíritu suo quia sic cogitárent intra se, dicit illis: « Quid ista cogitátis in córdibus vestris? Quid est facílius dícere paralýtico: " Dimittúntur peccáta tua ", an dícere: " Surge et tolle grabátum tuum et ámbula "? Ut autem sciátis quia potestátem habet Fílius hóminis in terra dimitténdi peccáta, ait paralýtico: " Tibi dico: Surge, tolle grabátum tuum et vade in domum tuam " ».

Et surréxit, et prótinus subláto grabáto ábiit coram ómnibus, ita ut admiraréntur omnes et glorificárent Deum, dicéntes: « Numquam sic vídimus ».

Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Tradidit te Dominus in manum meam, et nolui extendere manum.

Léctio libri primi Samuélis 26, 2. 7-9. 12-13. 22-23

In diébus illis:

Surréxit Saul, et descéndit in desértum Ziph, et cum eo tria mília virórum de eléctis Israel, ut quǽreret David in desérto Ziph.

Venérunt ergo David et Abísai ad pópulum nocte, et invenérunt Saul iacéntem et dormiéntem in tentório, et hastam fixam in terra ad caput eius, Abner autem et pópulum dormiéntes in circúitu eius. Dixítque Abísai ad David: « Conclúsit Deus inimícum tuum hódie in ma-

nus tuas; nunc ergo perfódiam eum láncea in terra semel, et secúndo opus non erit ». Et dixit David ad Abísai: « Ne interfícias eum; quis enim exténdet manum suam in christum Dómini et ínnocens erit? »

Tulit ígitur David hastam et scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, et abiérunt; et non erat quisquam qui vidéret et intellégeret et evigiláret, sed omnes dormiébant, quia sopor Dómini irrúerat super eos.

Cumque transísset David ex advérso et stetísset in vértice montis de longe, et esset grande intervállum inter eos, David ait: « Ecce hasta regis: tránseat unus de púeris regis et tollat eam. Dóminus autem retríbuet unicuíque secúndum iustítiam suam et fidem; trádidit enim te Dóminus hódie in manum meam, et nólui exténdere manum meam in christum Dómini ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 1-2. 3-4. 8 et 10. 12-13 (℟.: 8 a)

℟. Miserátor et miséricors Dóminus.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
10 Non secúndum peccáta nostra fecit nobis,
neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis. ℟.

12 Quantum distat ortus ab occidénte,
longe fecit a nobis iniquitátes nostras.
13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se. ℟.

Lectio secunda

Sicut portavimus imaginem terreni,
portabimus et imaginem cælestis.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 15, 45-49

Fratres:

Factus est primus homo Adam in ánimam vivéntem; novíssimus Adam in Spíritum vivificántem.

Sed non prius quod spiritále est, sed quod animále est, deínde quod spiritále. Primus homo de terra terrénus, secúndus homo de cælo. Qualis terrénus, tales et terréni, et qualis cæléstis, tales et cæléstes; et sicut portávimus imáginem terréni, portábimus et imáginem cæléstis. — Verbum Dómini.

Alleluia Io 13, 34

℟. Allelúia. ℣. Mandátum novum do vobis, dicit Dóminus,
ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.
℟. Allelúia.

Evangelium

Estote misericordes,
sicut et Pater vester misericors est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 6, 27-38

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Vobis dico, qui audítis: Dilígite inimícos vestros, bene fácite his qui vos odérunt, benedícite maledicéntibus

vobis, oráte pro calumniántibus vos. Ei qui te pércutit in maxíllam, præbe et álteram, et ab eo qui aufert tibi vestiméntum, étiam túnicam noli prohibére. Omni peténti te, tríbue, et ab eo qui aufert quæ tua sunt, ne répetas. Et prout vultis ut fáciant vobis hómines, fácite illis simíliter.

Et si dilígitis eos qui vos díligunt, quæ vobis est grátia? Nam et peccatóres diligéntes se díligunt. Et si bene fecéritis his qui vobis bene fáciunt, quæ vobis est grátia? Síquidem et peccatóres idem fáciunt. Et si mútuum dedéritis his a quibus sperátis recípere, quæ vobis grátia est? Nam et peccatóres peccatóribus fœnerántur ut recípiant æquália.

Verúmtamen dilígite inimícos vestros et bene fácite et mútuum date nihil desperántes; et erit merces vestra multa, et éritis fílii Altíssimi, quia ipse benígnus est super ingrátos et malos. Estóte misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est.

Et nolíte iudicáre, et non iudicabímini; et nolíte condemnáre, et non condemnabímini. Dimíttite, et dimittémini; date, et dábitur vobis: mensúram bonam, confértam, coagitátam, supereffluéntem dabunt in sinum vestrum; eádem quippe mensúra qua mensi fuéritis, remetiétur vobis ». — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Mystéria tua, Dómine, débitis servítiis exsequéntes,
súpplices te rogámus,
ut, quod ad honórem tuæ maiestátis offérimus,
nobis profíciat ad salútem. Per Christum.

Præfatio de dominicis « per annum », pp. 752-759.

Ant. ad communionem — Ps 9, 2-3

Narrábo ómnia mirabília tua.
Lætábor et exsultábo in te,
psallam nómini tuo, Altíssime.

Vel: — Io 11, 27

Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi,
qui in hunc mundum venísti.

Post communionem

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut illíus salútis capiámus efféctum,
cuius per hæc mystéria pignus accépimus.
Per Christum.

Feria secunda

Ant. ad introitum — Ps 12, 6

Dómine, in tua misericórdia sperávi.
Exsultávit cor meum in salutári tuo,
cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, semper rationabília meditántes,
quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequámur et factis.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Prior omnium creata est Sapientia.

Inítium libri Sirácidæ — 1, 1-10

Omnis sapiéntia a Dómino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum.

Arénam maris et plúviæ guttas et dies sǽculi quis dinumerávit? Altitúdinem cæli et latitúdinem terræ et profúndum abýssi quis diménsus est? Sapiéntiam Dei præcedéntem ómnia quis investigávit?

Prior ómnium creáta est sapiéntia, et intelléctus prudéntiæ ab ævo. Fons sapiéntiæ verbum Dei in excélsis, et ingréssus illíus mandáta ætérna.

Radix sapiéntiæ cui reveláta est? et astútias illíus quis agnóvit? Disciplína sapiéntiæ cui reveláta est, et manifestáta? et multiplicatiónem ingréssus illíus quis intelléxit?

Unus est altíssimus, creátor omnípotens, et rex potens, et metuéndus nimis, sedens super thronum illíus et dóminans, Deus.

Ipse creávit illam in Spíritu sancto, et vidit, et dinumerávit, et mensus est. Et effúdit illam super ómnia ópera sua, et super omnem carnem secúndum datum suum, et præbuit illam diligéntibus se.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 92, 1 ab. 1 c-2. 5 (℟.: 1 a)

℟. Dóminus regnávit, decórem indútus est.

1 Dóminus regnávit, decórem indútus est;
indútus est Dóminus,
fortitúdine præcínxit se. ℟.

Etenim firmávit orbem terræ
qui non commovébitur.
2 Firmáta sedes tua ex tunc,
a sǽculo tu es. ℟.

5 Testimónia tua credibília facta sunt nimis;
domum tuam decet sanctitúdo, Dómine,
in longitúdinem diérum. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Si contentiones habetis in cordibus vestris, nolite gloriari.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 3, 13-18

Caríssimi:

Quis sápiens et disciplinátus inter vos? Osténdat ex bona conversatióne operatiónem suam in mansuetúdine sapiéntiæ. Quod si zelum amárum habétis et contentiónes in córdibus vestris, nolíte gloriári et mendáces esse advérsus veritátem; non est ista sapiéntia desúrsum descéndens, sed terréna, animális, diabólica; ubi enim zelus et conténtio, ibi inconstántia et omne opus pravum.

Quæ autem desúrsum est sapiéntia, primum quidem pudíca est, deínde pacífica, modésta, suadíbilis, plena misericórdia et frúctibus bonis, non iúdicans, sine simulatióne; fructus autem iustítiæ in pace seminátur faciéntibus pacem. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 18, 8. 9. 10. 15 (℟.: 9 a)

℟. Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda.

8 Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam,
testimónium Dómini fidéle,
sapiéntiam præstans párvulis. ℟.

9 Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda,
præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. ℟.

10 Timor Dómini mundus, pérmanens in sæculum sæculi,
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul. ℟.

15 Sint, ut compláceant elóquia oris mei,
et meditátio cordis mei in conspéctu tuo.
Dómine, adiútor meus et redémptor meus. ℟.

Alleluia 2 Tim 1, 10 b

℟. Allelúia. ℣. Salvátor noster Iesus Christus destrúxit mortem,
et illuminávit vitam per Evangélium.
℟. Allelúia.

Evangelium

Credo: adiuva incredulitatem meam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 9, 14-28

In illo témpore:

Descéndens Iesus de monte et véniens ad discípulos, vidit turbam magnam circa eos, et scribas conquiréntes cum illis. Et conféstim omnis pópulus videns eum stupefáctus est, et accurréntes salutábant eum. Et interrogávit eos: « Quid inter vos conquíritis? »

Et respóndit ei unus de turba: « Magíster, áttuli fílium meum ad te habéntem spíritum mutum, et ubicúmque eum apprehénderit, allídit illum, et spumat et stridet déntibus et aréscit; et dixi discípulis tuis ut eícerent illum, et non potuérunt ».

Qui respóndens eis dicit: « O generátio incrédula, quámdiu apud vos ero? Quámdiu vos pátiar? Afférte illum ad me ». Et attulérunt illum ad eum. Et cum vidísset illum, spíritus statim conturbávit eum, et córruens in terram volutabátur spumans.

Et interrogávit patrem eius: « Quantum témporis est, ex quo hoc ei áccidit? »

At ille ait: « Ab infántia; et frequénter eum étiam in ignem et in aquas misit ut eum pérderet; sed si quid potes, ádiuva nos, misértus nostri ».

Iesus autem ait illi: « " Si potes! " Omnia possibília credénti ».

Et contínuo exclámans pater púeri aiébat: « Credo: ádiuva incredulitátem meam ».

Et cum vidéret Iesus concurréntem turbam, comminátus est spirítui immúndo dicens illi: « Mute et surde spíritus, ego tibi præcípio, exi ab eo et ámplius ne intróeas in eum ». Et clamans et multum discérpens eum éxiit; et factus est sicut mórtuus, ita ut multi dícerent: « Mórtuus est! » Iesus autem tenens manum eius elevávit illum, et surréxit.

Et cum introísset in domum, discípuli eius secréto interrogábant eum: « Quare nos non potúimus eícere eum? » Et dixit illis: « Hoc genus in nullo potest exíre nisi in oratióne ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Mystéria tua, Dómine, débitis servítiis exsequéntes,
súpplices te rogámus,
ut, quod ad honórem tuæ maiestátis offérimus,
nobis profíciat ad salútem.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 9, 2-3

Narrábo ómnia mirabília tua.
Lætábor et exsultábo in te,
psallam nómini tuo, Altíssime.

Vel: Io 11, 27

Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi,
qui in hunc mundum venísti.

Post communionem

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut illíus salútis capiámus efféctum,
cuius per hæc mystéria pignus accépimus.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum Ps 12, 6

Dómine, in tua misericórdia sperávi.
Exsultávit cor meum in salutári tuo,
cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, semper rationabília meditántes,
quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequámur et factis.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Præpara animam tuam ad tentationem.

Léctio libri Sirácidæ 2, 1-13

Fili, accédens ad servitútem Dei, sta in iustítia et timóre, et prǽpara ánimam tuam ad tentatiónem.

Déprime cor tuum et sústine, inclína aurem tuam, et súscipe verba intelléctus, et ne festínes in témpore obductiónis. Sústine sustentatiónes Dei; coniúngere Deo et sústine, ut crescat in novíssimo vita tua.

Omne quod tibi applícitum fúerit áccipe, et in dolóre sústine, et in humilitáte tua patiéntiam habe; quóniam in igne probátur aurum et argéntum, hómines vero receptíbiles in camíno humiliatiónis.

Crede Deo, et recuperábit te, et dírige viam tuam, et spera in illum; serva timórem illíus, et in illo veterásce.

Metuéntes Dóminum, sustinéte misericórdiam eius, et non deflectátis ab illo ne cadátis. Qui timétis Dóminum, crédite illi, et non evacuábitur merces vestra.

Qui timétis Dóminum, speráte in illum, et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum, et illuminabúntur corda vestra.

Respícite, fílii, natiónes hóminum; et scitóte quia nullus sperávit in Dómino, et confúsus est. Quis enim permánsit in mandátis eius, et derelíctus est? Aut quis invocávit eum, et despéxit illum?

Quóniam pius et misericors est Deus, et remíttet in die tribulatiónis peccáta; et protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 36, 3-4. 18-19. 27-28. 39-40 (℟.: cf. 5)

℟. Commítte Dómino viam tuam, et ipse aget.

3 Spera in Dómino et fac bonitátem,
et inhabitábis terram et pascéris in fide.
4 Delectáre in Dómino,
et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℟.

18 Novit Dóminus dies immaculatórum,
et heréditas eórum in ætérnum erit.
19 Non confundéntur in témpore malo,
et in diébus famis saturabúntur. ℟.

27 Declína a malo et fac bonum,
et inhabitábis in sæculum sæculi.
28 Quia Dóminus amat iudícium,
et non derelínquet sanctos suos.
Iniústi in ætérnum disperíbunt,
et semen impiórum exterminábitur. ℟.

39 Salus autem iustórum a Dómino,
et protéctor eórum in témpore tribulatiónis.
40 Et adiuvábit eos Dóminus et liberábit eos,
et éruet eos a peccatóribus et salvábit eos,
quia speravérunt in eo. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Petitis et non accipitis, eo quod male petitis.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 4, 1-10

Caríssimi:

Unde bella et unde lites in vobis? Nonne hinc, ex concupiscéntiis vestris quæ mílitant in membris vestris? Concupíscitis et non habétis; occíditis et zelátis, et non potéstis adipísci; litigátis et belligerátis. Non habétis propter quod non postulátis; pétitis et non accípitis, eo quod male pétitis, ut in concupiscéntiis vestris insumátis.

Adúlteri, nescítis quia amicítia huius mundi inimíca est Dei? Quicúmque ergo volúerit amícus esse sæculi huius, inimícus Dei constitúitur. Aut putátis quia inániter Scriptúra dicat: « Ad invídiam concupíscit Spíritus qui inhábitat in nobis »? Maiórem autem dat grátiam; propter quod dicit: « Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam ».

Subicímini ígitur Deo; resístite autem diábolo, et fúgiet a vobis; appropiáte Deo, et appropinquábit vobis. Emundáte manus, peccatóres, et purificáte corda, dúplices ánimo. Míseri estóte et lugéte et ploráte; risus vester in luctum convertátur et gáudium in mærórem. Humiliámini in conspéctu Dómini, et exaltábit vos.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 54, 7-8. 9-10 a. 10 b-11 a. 23 (℟.: 23 a)

℟. Iacta super Dóminum curam tuam,
et ipse te enútriet.

7 Et dixi: « Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ,
et volábo et requiéscam?

8 Ecce, elongábo fúgiens,
et manébo in solitúdine ». ℟.

9 Exspectábo eum qui salvum me fáciat,
a spíritu procéllæ et tempestáte.
10 Díssipa, Dómine, dívide linguas eórum. ℟.

Quóniam vidi violéntiam et contentiónem in civitáte.
11 Die ac nocte circúmeunt eam super muros eius. ℟.

23 Iacta super Dóminum curam tuam,
et ipse te enútriet;
non dabit in ætérnum fluctuatiónem iusto. ℟.

Alleluia — Gal 6, 14

℟. Allelúia. ℣. Mihi absit gloriári nisi in cruce Dómini, per quem mihi mundus crucifíxus est et ego mundo. ℟. Allelúia.

Evangelium

Filius hominis traditur. Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum — 9, 30-36

In illo témpore:

Profécti de monte Iesus et discípuli sui peragrábant Galilǽam; nec volébat quemquam scire. Docébat enim discípulos suos, et dicébat illis: « Fílius hóminis tráditur in manus hóminum, et occídent eum, et occísus post tres dies resúrget ». At illi ignorábant verbum, et timébant eum interrogáre.

Et venérunt Caphárnaum. Qui cum domi esset, interrogábat eos: « Quid in via tractabátis? » At illi tacébant. Síquidem inter se in via disputáverant quis esset maior.

Et résidens vocávit Duódecim et ait illis: « Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus et ómnium miníster ».

Et accípiens púerum, státuit eum in médio eórum, quem cum compléxus esset, ait illis: « Quisquis unum ex huiúsmodi púeris recéperit in Nómine meo, me récipit: et quicúmque me suscéperit, non me súscipit, sed eum qui me misit ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Mystéria tua, Dómine, débitis servítiis exsequéntes,
súpplices te rogámus,
ut, quod ad honórem tuæ maiestátis offérimus,
nobis profíciat ad salútem.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 9, 2-3

Narrábo ómnia mirabília tua.
Lætábor et exsultábo in te,
psallam nómini tuo, Altíssime.

Vel: — Io 11, 27

Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

Post communionem

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus,
ut illíus salútis capiámus efféctum,
cuius per hæc mystéria pignus accépimus.
Per Christum.

Feria quarta

Ant. ad introitum Ps 12, 6

Dómine, in tua misericórdia sperávi.
Exsultávit cor meum in salutári tuo,
cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, semper rationabília meditántes,
quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequámur et factis.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Eos qui diligunt sapientiam diligit Deus.

Léctio libri Sirácidæ 4, 12-22

Sapiéntia fíliis suis vitam inspírat, et súscipit inquiréntes se, et præíbit in via iustítiæ. Et qui illam díligit, díligit vitam, et qui vigiláverint ad illam, complecténtur placórem eius.

Qui tenúerint illam, vitam hereditábunt, et quo introíbit, benedícet Deus. Qui sérviunt ei, obsequéntes erunt Sancto, et eos, qui díligunt illam, díligit Deus. Qui audit illam, iudicábit gentes, et qui intuétur illam, permanébit confídens.

Si credíderit ei, hereditábit illam, et erunt in confirmatióne creatúræ illíus; quóniam in tentatióne ámbulat cum eo, et in primis éligit eum. Timórem et metum et probatiónem indúcet super illum, et cruciábit illum in tribulatióne doctrínæ suæ, donec tentet eum in cogitatiónibus suis, et credat ánimæ illíus.

Et firmábit illum, et iter addúcet diréctum ad illum, et lætificábit illum, et denudábit abscónsa sua illi, et

thesaurizábit super illum sciéntiam et intelléctum iustítiæ. Si autem oberráverit, derelínquet eum et tradet eum in manus inimíci sui. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 118, 165. 168. 171. 172. 174. 175 (℟.: 165 a)

℟. Pax multa diligéntibus legem tuam, Dómine.

165 Pax multa diligéntibus legem tuam,
et non est illis scándalum. ℟.

168 Servávi mandáta tua et testimónia tua,
quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo. ℟.

171 Eructábunt lábia mea hymnum,
cum docúeris me iustificatiónes tuas. ℟.

172 Cantet lingua mea elóquium tuum,
quia ómnia præcépta tua iustítia. ℟.

174 Concupívi salutáre tuum, Dómine,
et lex tua delectátio mea est. ℟.

175 Vivet ánima mea et laudábit te,
et iudícia tua adiuvábunt me. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Quæ est vita vestra? Dicatis ergo: Si Dominus voluerit.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 4, 13 b-18

Caríssimi:

Age nunc qui dícitis: « Hódie aut crástino íbimus in illam civitátem et faciémus quidem ibi annum et mercábimur et lucrum faciémus »: qui ignorátis quæ erit in crástinum vita vestra. Vapor enim estis ad módicum parens, deínceps exterminátur; pro eo ut dicátis:

« Si Dóminus volúerit, et vivémus et faciémus hoc aut illud ». Nunc autem gloriámini in supérbiis vestris; omnis gloriátio talis malígna est. Sciénti ígitur bonum fácere et non faciénti, peccátum est illi. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 48, 2-3. 6-7. 8-10. 11 (℟.: Mt 5, 3)

℟. Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.

2 Audíte hæc, omnes gentes,
áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem.
3 Quique húmiles et viri nóbiles,
simul in unum dives et pauper. ℟.

6 Cur timébo in diébus malis,
cum iníquitas supplantántium circúmdabit me?
7 Qui confídunt in virtúte sua,
et in multitúdine divitiárum suárum gloriántur. ℟.

8 Etenim seípsum non rédimet homo;
non dabit Deo propitiatiónem suam.
9 Nímium est prétium redemptiónis ánimæ eius:
ad últimum defíciet,
10 ut vivat usque in finem, nec vídeat intéritum. ℟.

11 Et vidébit sapiéntes moriéntes;
simul insípiens et stultus períbunt,
et relínquent aliénis divítias suas. ℟.

Alleluia

Io 14, 6

℟. Allelúia. ℣. Ego sum via, véritas et vita, dicit Dóminus;
nemo venit ad Patrem nisi per me.
℟. Allelúia.

Evangelium

Qui non est adversum nos, pro nobis est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 9, 38-39

In illo témpore:

Locútus est Iesu Ioánnes dicens: « Magíster, vídimus quemdam in Nómine tuo eiciéntem dæmónia, et prohibebámus eum, qui non sequebátur nos ».

Iesus autem ait: « Nolíte prohibére eum. Nemo est enim qui fáciat virtútem in Nómine meo et possit cito male loqui de me; qui enim non est advérsum nos, pro nobis est ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Mystéria tua, Dómine, débitis servítiis exsequéntes,
súpplices te rogámus,
ut, quod ad honórem tuæ maiestátis offérimus,
nobis profíciat ad salútem.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 9, 2-3

Narrábo ómnia mirabília tua.
Lætábor et exsultábo in te,
psallam nómini tuo, Altíssime.

Vel: Io 11, 27

Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi,
qui in hunc mundum venísti.

Post communionem

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut illíus salútis capiámus efféctum,
cuius per hæc mystéria pignus accépimus.
Per Christum.

Feria quinta

Ant. ad introitum Ps 12, 6

Dómine, in tua misericórdia sperávi.
Exsultávit cor meum in salutári tuo,
cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, semper rationabília meditántes,
quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequámur et factis.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Non tardes converti ad Dominum.

Léctio libri Sirácidæ 5, 1-10

Noli atténdere ad possessiónes iníquas, et ne díxeris: « Est mihi suffíciens vita »: nihil enim próderit in témpore vindíctæ et obductiónis.

Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui, et ne díxeris: « Quómodo pótui? » aut « Quis me subíciet propter facta mea? » Deus enim víndicans vindicábit.

Ne díxeris: « Peccávi, et quid mihi áccidit triste? » Altíssimus enim est pátiens rédditor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adícias peccátum super peccátum.

Et ne dicas: « Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur ». Misericórdia enim et ira ab illo cito próximant, et in peccatóres réspicit ira illíus.

Non tardes convérti ad Dóminum, et ne dífferas de

die in diem: súbito enim véniet ira illíus, et in témpore vindíctæ dispérdet te.

Noli ánxius esse in divítiis iniústis; non enim próderunt tibi in die obductiónis et vindíctæ.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 1, 1-2. 3. 4 et 6 (℟.: Ps 39, 5 a)

℟. Beátus vir qui pósuit Dóminum spem suam.

1 Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum,
et in via peccatórum non stetit,
et in convéntu derisórum non sedit;
2 sed in lege Dómini volúntas eius,
et in lege eius meditátur die ac nocte. ℟.

3 Et erit tamquam lignum plantátum
secus decúrsus aquárum,
quod fructum suum dabit in témpore suo;
et fólium eius non défluet,
et ómnia quæcúmque fáciet prosperabúntur. ℟.

4 Non sic ímpii, non sic,
sed tamquam pulvis quem próicit ventus.
6 Quóniam novit Dóminus viam iustórum,
et iter impiórum períbit. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Merces operariorum, quæ fraudata est, clamat, et clamores in aures Domini introierunt.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 5, 1-6

Age, nunc, dívites, ploráte ululántes in misériis quæ advénient vobis. Divítiæ vestræ putrefáctæ sunt, et vestiménta vestra a tíneis comésta sunt, aurum et ar-

géntum vestrum æruginávit, et ærúgo eórum in testimónium vobis erit et manducábit carnes vestras sicut ignis: thesaurizástis in novíssimis diébus.

Ecce merces operariórum qui messuérunt regiónes vestras, quæ fraudáta est a vobis, clamat, et clamóres eórum qui messuérunt in aures Dómini Sábaoth introiérunt. Epuláti estis super terram, et in luxúriis fuístis, enutrístis corda vestra in die occisiónis. Addixístis, occidístis iustum. Non resístit vobis. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 48, 14-15 ab. 15 cd-16. 17-18. 19-20 (℟.: Mt 5, 3)

℟. Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.

14 Hæc via illórum quorum fidúcia in semetípsis,
et finis eórum qui cómplacent in ore suo.
15 Sicut oves in inférno pósiti sunt, mors depáscet eos. ℟.

Descéndent præcípites ad sepúlcrum,
et figúra eórum erit in consumptiónem.
16 Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam,
de manu ínferi vere suscípiet me. ℟.

17 Ne timúeris, cum dives factus fúerit homo,
et cum multiplicáta fúerit glória domus eius.
18 Quóniam cum interíerit, non sumet ómnia,
neque descéndet cum eo glória eius. ℟.

19 Cum ánimæ suæ in vita ipsíus benedíxerit:
« Laudábunt te, quod benefecísti tibi »;
20 tamen introíbit ad progéniem patrum suórum,
qui in ætérnum non vidébunt lumen. ℟.

Alleluia

1 Th 2, 13

℟. Allelúia. ℣. Accípite verbum Dei, non ut verbum hóminum,
sed, sicut est vere, verbum Dei. ℟. Allelúia.

Evangelium

Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 9, 41-49

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Quisquis potum déderit vobis cálicem aquæ in Nómine, quia Christi estis, amen dico vobis: Non perdet mercédem suam.

Et quisquis scandalizáverit unum ex his pusíllis credéntibus in me, bonum est ei magis ut circumdétur mola asinária collo eius, et in mare mittátur.

Et si scandalizáverit te manus tua, abscíde illam: bonum est tibi débilem introíre in vitam, quam duas manus habéntem ire in gehénnam, in ignem inexstinguíbilem. Et si pes tuus te scandalízat, ámputa illum: bonum est tibi claudum introíre in vitam, quam duos pedes habéntem mitti in gehénnam. Et si óculus tuus scandalízat te, éice eum: bonum est tibi luscum introíre in Regnum Dei, quam duos óculos habéntem mitti in gehénnam, ubi vermis eórum non móritur et ignis non exstínguitur; omnis enim igne saliétur.

Bonum est sal; quod si sal insúlsum fúerit, in quo illud condiétis?

Habéte in vobis sal, et pacem habéte inter vos ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Mystéria tua, Dómine, débitis servítiis exsequéntes,
súpplices te rogámus,
ut, quod ad honórem tuæ maiestátis offérimus,
nobis profíciat ad salútem.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 9, 2-3

Narrábo ómnia mirabília tua.
Lætábor et exsultábo in te,
psallam nómini tuo, Altíssime.

Vel: Io 11, 27

Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

Post communionem

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut illíus salútis capiámus efféctum,
cuius per hæc mystéria pignus accépimus. Per Christum.

Feria sexta

Ant. ad introitum Ps 12, 6

Dómine, in tua misericórdia sperávi.
Exsultávit cor meum in salutári tuo,
cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, semper rationabília meditántes,
quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequámur et factis.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Amico fideli nulla est comparatio.

Léctio libri Sirácidæ 6, 5-17

Verbum dulce multíplicat amícos et mítigat inimícos; et lingua éucharis in bono hómine abúndat. Multi pacífici sint tibi, et consiliárius sit tibi unus de mille.

Si póssides amícum, in tentatióne pósside eum, et ne fácile credas ei; est enim amícus in die tribulatiónis.

Et est amícus qui convértitur ad inimicítiam, et est amícus qui ódium et rixam et convícia denudábit. Est autem amícus sócius mensæ, et non permanébit in die necessitátis.

Amícus, si permánserit fixus, erit tibi quasi coæquális, et in doméstici tuis fiduciáliter aget. Si humiliáverit se contra te, et a fácie tua abscónderit se, unánimem habébis amicítiam bonam.

Ab inimícis tuis separáre, et ab amícis tuis atténde.

Amícus fidélis protéctio fortis; qui autem ínvenit illum, ínvenit thesáurum. Amíco fidéli nulla est comparátio, et non est digna ponderátio auri et argénti contra bonitátem fídei illíus.

Amícus fidélis medicaméntum vitæ et immortalitátis, et qui métuunt Dóminum invénient illum. Qui timet Deum, æque habébit amicítiam bonam, quóniam secúndum illum erit amícus illíus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 118, 12. 16. 18. 27. 34. 35 (℟.: 35 a)

℟. Deduc me, Dómine, in sémitam præceptórum tuórum.

12 Benedíctus es, Dómine;
doce me iustificatiónes tuas. ℟.

16 In iustificatiónibus tuis delectábor,
non oblivíscar sermónem tuum. ℟.

18 Revéla óculos meos,
et considerábo mirabília de lege tua. ℟.

27 Viam mandatórum tuórum fac me intellégere,
et exercébor in mirabílibus tuis. ℟.

34 Da mihi intelléctum, et servábo legem tuam,
et custódiam illam in toto corde meo. ℟.

35 Deduc me in sémitam præceptórum tuórum,
quia ipsam vólui. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Ecce Iudex ante ianuam assistit.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 5, 9-12

Nolíte ingemíscere, fratres, in altérutrum ut non iudicémini; ecce Iudex ante iánuam assístit.

Exémplum accípite, fratres, labóris et patiéntiæ Prophétas, qui locúti sunt in Nómine Dómini. Ecce beatificámus eos qui sustinuérunt; sufferéntiam Iob audístis, et finem Dómini vidístis, quóniam misericors est Dóminus et miserátor.

Ante ómnia autem, fratres mei, nolíte iuráre, neque per cælum neque per terram neque áliud quodcúmque iuraméntum; sit autem vestrum « est » « est » et « non » « non », uti non sub iudício decidátis.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 1-2. 3-4. 8-9. 11-12 (℟.: 8 a)

℟. Miserátor et miséricors Dóminus.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.

8 Miserátor et misericors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Non in perpétuum conténdet,
neque in ætérnum irascétur. ℟.
11 Quóniam, quantum exaltátur cælum a terra,
præváluit misericórdia eius super timéntes eum;
12 quantum distat ortus ab occidénte,
longe fecit a nobis iniquitátes nostras. ℟.

Alleluia

Io 17, 17 b. a

℟ Allelúia. ℣. Sermo tuus, Dómine, véritas est;
sanctífica nos in veritáte. ℟. Allelúia.

Evangelium

Quod Deus coniunxit, homo non separet.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 1-12

In illo témpore:

Exsúrgens Iesus venit in fines Iudǽæ ultra Iordánem, et convéniunt íterum turbæ ad eum, et sicut consuéverat, íterum docébat illos.

Et accedéntes Pharisǽi interrogábant eum si licet viro uxórem dimíttere, tentántes eum.

At ille respóndens dixit eis: « Quid vobis præcépit Móyses? »

Qui dixérunt: « Móyses permísit libéllum repúdii scríbere et dimíttere ».

Iesus autem ait eis: « Ad durítiam cordis vestri scripsit vobis præcéptum istud. Ab inítio autem creatúræ " másculum et féminam fecit eos. Propter hoc relínquet homo patrem suum et matrem et adhærébit ad uxórem suam, et erunt duo in carne una; ítaque iam non sunt duo sed una caro ". Quod ergo Deus coniúnxit, homo non séparet ».

Et in domo íterum discípuli de hoc interrogábant eum. Et dicit illis: « Quicúmque dimíserit uxórem suam et áliam dúxerit, adultérium commíttit in eam, et si ipsa dimíserit virum suum et álii núpserit, mœchátur.
Verbum Dómini.

Super oblata

Mystéria tua, Dómine, débitis servítiis exsequéntes,
súpplices te rogámus,
ut, quod ad honórem tuæ maiestátis offérimus,
nobis profíciat ad salútem.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 9, 2-3

Narrábo ómnia mirabília tua.
Lætábor et exsultábo in te,
psallam nómini tuo, Altíssime.

Vel: — Io 11, 27

Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi,
qui in hunc mundum venísti.

Post communionem

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut illíus salútis capiámus efféctum,
cuius per hæc mystéria pignus accépimus.
Per Christum.

Sabbato

Ant. ad introitum — Ps 12, 6

Dómine, in tua misericórdia sperávi.
Exsultávit cor meum in salutári tuo,
cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi.

Collecta

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus,
ut, semper rationabília meditántes,
quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequámur et factis.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Secundum imaginem suam fecit Deus hominem.

Léctio libri Sirácidæ 17, 1-13

Deus creávit de terra hóminem, et secúndum imáginem suam fecit illum; et íterum convértit illum in ipsam et secúndum se vestívit illum virtúte.

Númerum diérum et tempus dedit illi, et dedit illi potestátem eórum, quæ sunt super terram. Pósuit timórem illíus super omnem carnem, et dominátus est bestiárum et volatílium.

Creávit ex ipso adiutórium símile sibi; consílium, et linguam, et óculos, et aures, et cor dedit illis excogitándi, et disciplína intelléctus replévit illos.

Creávit illis sciéntiam spíritus, sensu implévit cor illórum, et mala et bona osténdit illis.

Pósuit óculum suum super corda illórum, osténdere illis magnália óperum suórum, ut nomen sanctificatiónis colláudent, et gloriári in mirabílibus illíus, ut magnália enárrent óperum eius.

Addidit illis disciplínam, et legem vitæ hereditávit illos; testaméntum ætérnum constítuit cum illis, et iustítiam et iudícia sua osténdit illis.

Et magnália honóris eius vidit óculus illórum, et honórem vocis audiérunt aures illórum. Et dixit illis: « Atténdite ab omni iníquo ». Et mandávit illis unicuíque de próximo suo.

Viæ illórum coram ipso sunt semper, non sunt abscónsæ ab óculis ipsíus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 13-14. 15-16. 17-18 a (℟.: cf. 17)

℟. Misericórdia Dómini ab ætérno super timéntes eum.

13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se.
14 Quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum,
recordátus est quóniam pulvis sumus. ℟.

15 Homo sicut fenum dies eius,
tamquam flos agri sic efflorébit.
16 Spirat ventus in illum, et non subsístet,
et non cognóscet eum ámplius locus eius. ℟.

17 Misericórdia autem Dómini ab ætérno,
et usque in ætérnum super timéntes eum,
et iustítia illíus in fílios filiórum;
18 in eos qui servant testaméntum eius. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Multum valet deprecatio iusti operans.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 5, 13-20

Caríssimi:

Tristátur áliquis vestrum? Oret; æquo ánimo est? Psallat. Infirmátur quis in vobis? Advocet presbýteros Ecclésiæ et orent super eum, unguéntes eum óleo in Nómine Dómini: et orátio fídei salvábit infírmum, et allevábit eum Dóminus; et si peccáta operátus fúerit, dimitténtur ei.

Confitémini ergo altérutrum peccáta et oráte pro ínvicem, ut sanémini. Multum enim valet deprecátio iusti óperans. Elías homo erat símilis nobis passíbilis, et ora-

tióne orávit ut non plúeret, et non pluit super terram annos tres et menses sex; et rursum orávit, et cælum dedit plúviam et terra germinávit fructum suum.

Fratres mei, si quis ex vobis erráverit a veritáte et convérterit quis eum, scire debet quóniam qui convérti fécerit peccatórem ab erróre viæ eius salvábit ánimam suam a morte et opériet multitúdinem peccatórum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 140, 1-2. 3 et 8 (℟.: 2 a)

℟. Dirigátur, Dómine, orátio mea
sicut incénsum in conspéctu tuo.

1 Dómine, clamávi ad te, ad me festína;
inténde voci meæ, cum clamo ad te.
2 Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo,
elevátio mánuum meárum ut sacrifícium vespertínum. ℟.

3 Pone, Dómine, custódiam ori meo,
et vigílias ad óstium labiórum meórum.
8 Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei;
ad te confúgi, non effúndas ánimam meam. ℟.

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Evangelium

Quisquis non receperit Regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 13-16

In illo témpore:

Offerébant Iesu párvulos ut tángeret illos; discípuli autem comminabántur eis.

At videns Iesus, indígne tulit et ait illis: « Sínite párvulos veníre ad me, ne prohibuéritis eos, tálium est enim Regnum Dei. Amen dico vobis: Quisquis non recéperit Regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud ».

Et compléxans eos benedicébat impónens manus super illos. — Verbum Dómini.

Super oblata

Mystéria tua, Dómine, débitis servítiis exsequéntes,
súpplices te rogámus,
ut, quod ad honórem tuæ maiestátis offérimus,
nobis profíciat ad salútem.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 9, 2-3

Narrábo ómnia mirabília tua.
Lætábor et exsultábo in te,
psallam nómini tuo, Altíssime.

Vel: — Io 11, 27

Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

Post communionem

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut illíus salútis capiámus efféctum,
cuius per hæc mystéria pignus accépimus.
Per Christum.

DOMINICA VIII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 17, 19-20

Factus est Dóminus protéctor meus,
et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
ut et mundi cursus
pacífico nobis tuo órdine dirigátur,
et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur.
Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

Ego non obliviscar tui.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 49, 14-15

Dixit Sion: « Derelíquit me Dóminus, et Dóminus oblítus est mei. Numquid oblivísci potest múlier infántem suum, ut non misereátur fílio úteri sui? Et si illa oblíta fúerit, ego tamen non oblivíscar tui ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 61, 2-3. 6-7. 8-9 ab (℟.: 2 a)

℟. In Deo tantum quiésce, ánima mea.

2 In Deo tantum quiésce, ánima mea;
ab ipso enim salutáre meum.
3 Verúmtamen ipse refúgium meum et salutáre meum,
præsídium meum, non movébor ámplius. ℟.

6 In Deo tantum quiésce, ánima mea;
quóniam ab ipso patiéntia mea.
7 Verúmtamen ipse Deus meus et salutáre meum,
præsídium meum, non movébor. ℟.

8 In Deo salutáre meum et glória mea;
Deus fortitúdinis meæ,
et refúgium meum in Deo est.
9 Speráte in eo, omnis congregátio pópuli,
effúndite coram illo corda vestra. ℟.

Lectio secunda

Manifestabit Dominus consilia cordium.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 4, 1-5

Fratres:

Sic nos exístimet homo ut minístros Christi et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic iam quǽritur inter dispensatóres ut fidélis quis inveniátur.

Mihi autem pro mínimo est ut a vobis iúdicer aut ab humáno die; sed neque meípsum iúdico; nihil enim mihi cónscius sum sed non in hoc iustificátus sum, qui autem iúdicat me Dóminus est.

Itaque nolíte ante tempus quicquam iudicáre, quoadúsque véniat Dóminus, qui et illuminábit abscóndita tenebrárum et manifestábit consília córdium; et tunc laus erit unicuíque a Deo. — Verbum Dómini.

Alleluia Hebr 4, 12

℟. Allelúia. ℣. Vivus est sermo Dei et éfficax,
et discrétor cogitatiónum et intentiónum cordis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Nolite esse solliciti in crastinum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
6, 24-34

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Nemo potest duóbus dóminis servíre; aut enim unum ódio habébit et álterum díliget, aut unum sustinébit et álterum contémnet; non potéstis Deo servíre et mammónæ.

Ideo dico vobis: Ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini: nonne ánima plus est quam esca, et corpus quam vestiméntum? Respícite volatília cæli, quóniam non serunt neque metunt neque cóngregant in hórrea, et Pater vester cæléstis pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis?

Quis autem vestrum cógitans potest adícere ad ætátem suam cúbitum unum?

Et de vestiménto quid sollíciti estis? Consideráte lília agri quómodo crescunt: non labórant neque nent. Dico autem vobis, quóniam nec Sálomon in omni glória sua coopértus est sicut unum ex istis. Si autem fenum agri quod hódie est et cras in clíbanum míttitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, módicæ fídei?

Nolíte ergo sollíciti esse dicéntes: "Quid manducábimus?", aut "Quid bibémus?", aut "Quo operiémur?" Hæc enim ómnia gentes inquírunt; scit enim Pater vester cæléstis quia his ómnibus indigétis. Quǽrite autem primum Regnum Dei et iustítiam eius, et hæc ómnia adiciéntur vobis.

Nolíte ergo esse sollíciti in crástinum, crástinus enim dies sollícitus erit sibi ipse; súfficit diéi malítia sua ». — Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Sponsabo te mihi in sempiternum.

Léctio libri Osée prophétæ 2, 14 b. 15 b. 19-20

Hæc dicit Dóminus:

« Ecce ego ducam eam in solitúdinem, et loquar ad cor eius; et canet ibi iuxta dies iuventútis suæ, et iuxta dies ascensiónis suæ de terra Ægýpti.

Et sponsábo te mihi in sempitérnum; et sponsábo te mihi in iustítia et iudício, et in misericórdia, et in miseratiónibus; et sponsábo te mihi in fide, et scies quia ego Dóminus ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 1-2. 3-4. 8 et 10. 12-13 (℟.: 8 a)

℟ Miserátor et miséricors Dóminus.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
10 Non secúndum peccáta nostra fecit nobis,
neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis. ℟.

12 Quantum distat ortus ab occidénte,
longe fecit a nobis iniquitátes nostras.
13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se. ℟.

Lectio secunda

Epistola estis Christi ministrata a nobis.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 3, 1 b-6

Fratres:

Numquid egémus sicut quidam commendatíciis epístolis ad vos aut ex vobis? Epístola nostra vos estis, scripta in córdibus nostris, quæ scitur et légitur ab ómnibus homínibus; manifestáti quóniam epístola estis Christi ministráta a nobis, scripta non atraménto sed Spíritu Dei vivi non in tábulis lapídeis sed in tábulis cordis carnálibus.

Fidúciam autem talem habémus per Christum ad Deum. Non quod sufficiéntes simus cogitáre áliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficiéntia nostra ex Deo est, qui et idóneos nos fecit minístros Novi Testaménti, non lítteræ sed Spíritus: líttera enim occídit, Spíritus autem vivíficat. — Verbum Dómini.

Alleluia Iac 1, 18

℟. Allelúia. ℣. Voluntárie génuit nos Pater verbo veritátis,
ut simus inítium áliquod creatúræ eius.
℟. Allelúia.

Evangelium

Sponsus cum illis est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 2, 18-22

In illo témpore:

Erant discípuli Ioánnis et Pharisǽi ieiunántes. Et véniunt et dicunt Iesu: « Cur discípuli Ioánnis et discípuli Pharisæórum ieiúnant, tui autem discípuli non ieiúnant? »

Et ait illis Iesus: « Numquid possunt convívæ nuptiárum, quámdiu sponsus cum illis est, ieiunáre? Quanto témpore habent secum sponsum non possunt ieiunáre; vénient autem dies cum auferétur ab eis sponsus, et tunc ieiunábunt in illa die.

Nemo assuméntum panni rudis ássuit vestiménto véteri alióquin suppleméntum aufert aliquid ab eo, novum a véteri, et peior scissúra fit. Et nemo mittit vinum novéllum in utres véteres — alióquin dirúmpet vinum utres et vinum perit et utres — sed vinum novum in utres novos ».

Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Ante sermonem non laudes virum.

Léctio libri Sirácidæ 27, 5-8

Sicut in percussúra cribri remanébit pulvis, sic apória hóminis in cogitátu illíus.

Vasa fíguli probat fornax, et hómines iustos tentátio tribulatiónis.

Sicut rusticátio de ligno osténdit fructum illíus, sic verbum ex cogitátu cordis hóminis.

Ante sermónem non laudes virum; hæc enim tentátio est hóminum.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 91, 2-3. 13-14. 15-16 (℟.: cf. 2 a)

℟. Bonum est confitéri tibi, Dómine.

2 Bonum est confitéri Dómino,
et psállere nómini tuo, Altíssime,

3 annuntiáre mane misericórdiam tuam,
et veritátem tuam per noctem. ℟.

13 Iustus ut palma florébit,
sicut cedrus Líbani succréscet.
14 Plantáti in domo Dómini,
in átriis Dei nostri florébunt. ℟.

15 Adhuc fructus dabunt in senécta,
úberes et bene viréntes erunt,
16 ut annúntient quóniam rectus Dóminus,
refúgium meum, et non est iníquitas in eo. ℟.

Lectio secunda

Dedit nobis victoriam per Iesum Christum.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 15, 54-58

Fratres:

Cum corruptíbile hoc indúerit incorruptélam, et mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est: « Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? Ubi est, mors, stímulus tuus? » Stímulus autem mortis peccátum est, virtus vero peccáti Lex. Deo autem grátias qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Itaque, fratres mei dilécti, stábiles estóte, immóbiles, abundántes in ópere Dómini semper, sciéntes quod labor vester non est inánis in Dómino.

Verbum Dómini.

Alleluia Phil 2, 15-16

℟. Allelúia. ℣. Lucétis sicut luminária in mundo,
verbum vitæ continéntes.
℟. Allelúia.

Evangelium

Ex abundantia cordis os loquitur.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 6, 39-45

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis et similitúdinem: « Numquid potest cæcus cæcum dúcere? Nonne ambo in fóveam cadent?

Non est discípulus super magístrum, perféctus autem omnis erit sicut magíster eius.

Quid autem vides festúcam in óculo fratris tui, trabem autem quæ in óculo tuo est non consíderas? Quómodo potes dícere fratri tuo: " Frater, sine eíciam festúcam quæ est in óculo tuo ", ipse in óculo tuo trabem non videns? Hypócrita, éice primum trabem de óculo tuo, et tunc perspícies ut edúcas festúcam quæ est in óculo fratris tui.

Non est enim arbor bona fáciens fructum malum, neque íterum arbor mala fáciens fructum bonum. Unaquǽque enim arbor de fructu suo cognóscitur, neque enim de spinis cólligunt ficus, neque de rubo vindémiant uvam. Bonus homo de bono thesáuro cordis profert bonum, et malus homo de malo profert malum: ex abundántia enim cordis os eius lóquitur ».

Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Deus, qui offerénda tuo nómini tríbuis,
et obláta devotióni nostræ servitútis ascríbis,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut, quod præstas unde sit méritum,
profícere nobis largiáris ad prǽmium. Per Christum.

Præfatio de dominicis « per annum », pp. 752-759.

Ant. ad communionem Ps 12, 6

Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi,
et psallam nómini Dómini Altíssimi.

Vel: Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummatiónem sǽculi, dicit Dóminus.

Post communionem

Satiáti múnere salutári,
tuam, Dómine, misericórdiam deprecámur,
ut, hoc eódem quo nos temporáliter végetas sacraménto,
perpétuæ vitæ partícipes benígnus effícias. Per Christum.

Feria secunda

Ant. ad introitum Ps 17, 19-20

Factus est Dóminus protéctor meus,
et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Collecta

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
ut et mundi cursus pacífico nobis tuo órdine dirigátur,
et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Revertere ad Dominum et cognosce iudicia Dei.

Léctio libri Sirácidæ 17, 20-28

Pæniténtibus dedit Deus viam iustítiæ, et confirmávit deficiéntes sustinére, et destinávit illis sortem veritátis.

Convértere ad Dóminum, et relínque peccáta tua; precáre ante fáciem Dómini, et mínue offendícula. Revértere ad Dóminum, et avértere ab iniustítia tua, et nimis ódito exsecratiónem.

Et cognósce iustítias et iudícia Dei, et sta in sorte propositiónis et oratiónis Altíssimi Dei. In partes vade sǽculi sancti, cum vivis et dántibus confessiónem Deo.

Non demoréris in erróre impiórum; ante mortem confitére: a mórtuo, quasi nihil, perit conféssio. Confitéberis vivens; vivus et sanus confitéberis; et laudábis Deum, et gloriáberis in miseratiónibus illíus.

Quam magna misericórdia Dómini, et propitiátio illíus converténtibus ad se! — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 31, 1-2. 5. 6. 7 (℟.: 11 a)

℟. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti.

1 Beátus cui remíssa est iníquitas,
et obtéctum est peccátum.
2 Beátus vir cui non imputávit Dóminus delíctum,
nec est in spíritu eius dolus. ℟.

5 Peccátum meum cógnitum tibi feci,
et delíctum meum non abscóndi.
Dixi: « Confitébor advérsum me
iniquitátem meam Dómino ».
Et tu remisísti impietátem peccáti mei. ℟.

6 Propter hoc orábit ad te omnis sanctus
in témpore opportúno.
Et in dilúvio aquárum multárum
ad eum non approximábunt. ℟.

7 Tu es refúgium meum,
a tribulatióne conservábis me;
exsultatiónibus salútis circúmdabis me. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Christum cum non videritis diligitis, credentes autem, exsultatis lætitia inenarrabili.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 1, 3-9

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui secúndum magnam misericórdiam suam regenerávit nos in spem vivam per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis, in hereditátem incorruptíbilem et incontaminátam et immarcescíbilem, conservátam in cælis propter vos qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem parátam revelári in témpore novíssimo.

In quo exsultátis, módicum nunc si opórtet contristáti in váriis tentatiónibus, ut probátio vestræ fídei multo pretiósior auro quod perit, per ignem quidem probáto, inveniátur in laudem et glóriam et honórem in revelatióne Iesu Christi. Quem cum non vidéritis dilígitis, in quem nunc non vidéntes, credéntes autem, exsultátis lætítia inenarrábili et glorificáta, reportántes finem fídei vestræ salútem animárum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 110, 1-2. 5-6. 9 et 10 c (℟.: 5 b)

℟. Memor erit Dóminus in sǽculum testaménti sui.
vel Allelúia.

1 Confitébor Dómino in toto corde meo,
in consílio iustórum et congregatióne.
2 Magna ópera Dómini,
exquirénda ómnibus qui cúpiunt ea. ℟.

5 Escam dedit timéntibus se;
memor erit in sǽculum testaménti sui.
6 Virtútem óperum suórum annuntiávit pópulo suo,
ut det illis hereditátem géntium. ℟.

9 Redemptiónem misit pópulo suo,
mandávit in ætérnum testaméntum suum.
10 Laudátio eius manet in sǽculum sǽculi. ℟.

Alleluia 2 Cor 8, 9

℟. Allelúia. ℣. Iesus Christus egénus factus est, cum esset dives,
ut illíus inópia vos dívites essétis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Quæcumque habes vende, et sequere me.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 17-27

In illo témpore:

Cum egrederétur Iesus in viam, accúrrens quidam et genu flexo ante eum rogábat eum: « Magíster bone, quid fáciam ut vitam ætérnam percípiam? »

Iesus autem dixit ei: « Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus. Præcépta nosti: ne occídas, ne adúlteres, ne furéris, ne falsum testimónium díxeris, ne fraudem féceris, honóra patrem tuum et matrem ».

Ille autem dixit ei: « Magíster, hæc ómnia conservávi a iuventúte mea ».

Iesus autem intúitus eum diléxit eum, et dixit illi: « Unum tibi deest: vade, quæcúmque habes vende et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo, et veni, séquere me ». Qui contristátus in hoc verbo, ábiit mærens, erat enim habens possessiónes multas.

Et circumspíciens Iesus ait discípulis suis: « Quam difficile qui pecúnias habent in Regnum Dei introíbunt ». Discípuli autem obstupescébant in verbis eius. At Iesus rursus respóndens ait illis: « Fílii, quam difficile est in Regnum Dei introíre, facílius est camélum per forámen acus transíre quam dívitem intráre in Regnum Dei ».

Qui magis admirabántur dicéntes ad semetípsos: « Et quis potest salvus fíeri? »

Intuens illos Iesus ait: « Apud hómines impossíbile est sed non apud Deum, ómnia enim possibília sunt apud Deum ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Deus, qui offerénda tuo nómini tríbuis,
et obláta devotióni nostræ servitútis ascríbis,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut, quod præstas unde sit méritum,
profícere nobis largiáris ad prǽmium.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 12, 6

Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi,
et psallam nómini Dómini Altíssimi.

Vel: — Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummatiónem sǽculi, dicit Dóminus.

Post communionem

Satiáti múnere salutári,
tuam, Dómine, misericórdiam deprecámur,
ut, hoc eódem quo nos temporáliter végetas sacraménto,
perpétuæ vitæ partícipes benígnus effícias.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum — Ps 17, 19-20

Factus est Dóminus protéctor meus,
et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Collecta

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
ut et mundi cursus pacífico nobis tuo órdine dirigátur,
et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Sacrificium salutare est attendere mandatis.

Léctio libri Sirácidæ 35, 1-15

Qui consérvat legem multíplicat oblatiónem: sacrifícium salutáre est atténdere mandátis, et discédere ab omni iniquitáte; et propitiatiónem litáre sacrifícii super iniustítias, et deprecátio pro peccátis recédere ab iniustítia.

Retríbuet grátiam qui offert similáginem, et qui facit misericórdiam offert sacrifícium. Beneplácitum est Dómino recédere ab iniquitáte, et deprecátio pro peccátis recédere ab iniustítia.

Non apparébis ante conspéctum Dómini vácuus: hæc enim ómnia propter mandátum Dei fiunt. Oblátio iusti impínguat altáre, et odor suavitátis est in conspéctu Altíssimi. Sacrifícium iusti accéptum est, et memóriam eius non obliviscétur Dóminus.

Bono ánimo glóriam redde Deo, et non mínuas primítias mánuum tuárum. In omni dato hílarem fac vultum tuum, et in exsultatióne sanctífica décimas tuas.

Da Altíssimo secúndum datum eius, et in bono óculo adinventiónem fácito mánuum tuárum; quóniam Dóminus retríbuens est et sépties tantum reddet tibi.

Noli offérre múnera prava: non enim suscípiet illa. Et noli inspícere sacrifícium iniústum: quóniam Dóminus iudex est, et non est apud illum glória persónæ.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 49, 5-6. 7-8. 14 et 23 (℟.: 23 b)

℟. Qui immaculátus est in via,
osténdam illi salutáre Dei.

5 « Congregáte mihi sanctos meos,
qui disposuérunt testaméntum meum in sacrifício ».
6 Et annuntiábunt cæli iustítiam eius,
quóniam Deus iudex est. ℟.

7 « Audi, pópulus meus, et loquar;
Israel, et testificábor advérsum te:
Deus, Deus tuus ego sum.
8 Non in sacrifíciis tuis árguam te;
holocáusta enim tua in conspéctu meo sunt semper. ℟.

14 Immola Deo sacrifícium laudis,
et redde Altíssimo vota tua.
23 Qui immolábit sacrifícium laudis,
honorificábit me,
et qui immaculátus est in via,
osténdam illi salutáre Dei ». ℟.

Anno secundo

Lectio prior

De futura in vos gratia prophetaverunt,
propter quod, sobrii, perfecte sperate.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 1, 10-16

Caríssimi:

De salúte animárum exquisiérunt atque scrutáti sunt Prophétæ qui de futúra in vos grátia prophetavérunt, scrutántes in quod vel quale tempus significáret qui erat in eis Spíritus Christi, prænúntians eas quæ in Christo sunt passiónes et posterióres glórias; quibus revelátum

est quia non sibi ipsis, vobis autem ministrábant ea, quæ nunc nuntiáta sunt vobis per eos qui evangelizavérunt vos, Spíritu Sancto misso de cælo, in quæ desíderant ángeli prospícere.

Propter quod succíncti lumbos mentis vestræ, sóbrii, perfécte speráte in eam quæ offértur vobis grátiam in revelatióne Iesu Christi. Quasi fílii obœdiéntiæ, non configuráti prióribus in ignorántia vestra desidériis, sed secúndum eum qui vocávit vos sanctum, et ipsi sancti in omni conversatióne sitis, quóniam scriptum est: « Sancti éritis, quia Ego sanctus sum ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 97, 1. 2-3 ab. 3 c-4 (℟.: 2 a)

℟. Notum fecit Dóminus salutáre suum.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
Salvávit sibi déxtera eius,
et brácchium sanctum eius. ℟.

2 Notum fecit Dóminus salutáre suum,
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
3 Recordátus est misericórdiæ suæ
et veritátis suæ dómui Israel. ℟.

Vidérunt omnes términi terræ
salutáre Dei nostri.
4 Iubiláte Deo, omnis terra,
erúmpite, exsultáte et psállite. ℟.

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Evangelium

Accipietis centies tantum
in tempore hoc cum persecutionibus,
et in sæculo futuro vitam æternam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 28-31

In illo témpore:

Cœpit Petrus Iesu dícere: « Ecce nos dimísimus ómnia et secúti sumus te ».

Ait Iesus: « Amen dico vobis: Nemo est qui relíquerit domum aut fratres aut soróres aut matrem aut patrem aut fílios aut agros propter me et propter Evangélium, qui non accípiat cénties tantum nunc in témpore hoc domos et fratres et soróres et matres et fílios et agros cum persecutiónibus, et in sǽculo futúro vitam ætérnam.

Multi autem erunt primi novíssimi et novíssimi primi ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Deus, qui offerénda tuo nómini tríbuis,
et obláta devotióni nostræ servitútis ascríbis,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut, quod præstas unde sit méritum,
profícere nobis largiáris ad prǽmium.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 12, 6

Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi,
et psallam nómini Dómini Altíssimi.

Vel: Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummatiónem sǽculi, dicit Dóminus.

Post communionem

Satiáti múnere salutári,
tuam, Dómine, misericórdiam deprecámur,
ut, hoc eódem quo nos temporáliter végetas sacraménto,
perpétuæ vitæ partícipes benígnus effícias.
Per Christum.

Feria quarta

Ant. ad introitum — Ps 17, 19-20

Factus est Dóminus protéctor meus,
et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Collecta

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
ut et mundi cursus pacífico nobis tuo órdine dirigátur,
et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Cognoscant gentes quia non est Deus nisi tu.

Léctio libri Sirácidæ — 36, 1-2 a. 5-6. 13-19

Miserére nostri, Deus ómnium, et réspice nos et osténde nobis lucem miseratiónum tuárum.

Et immítte timórem tuum super gentes, ut cognóscant te, sicut et nos cognóvimus quóniam non est Deus præter te, Dómine.

Innova signa et immúta mirabília. Cóngrega omnes tribus Iacob, ut cognóscant quia non est Deus nisi tu, et enárrent magnália tua; et hereditábis eos sicut ab inítio.

Miserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum, et Israel, quem coæquásti primogénito tuo. Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ, Ierúsalem, civitáti requiéi tuæ. Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, et glória tua pópulum tuum.

Da testimónium his, qui ab inítio creatúræ tuæ sunt, et súscita prædicatiónes, quas locúti sunt in nómine tuo prophétæ prióres. Da mercédem sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur.

Et exáudi oratiónes servórum tuórum, secúndum benedictiónem Aaron de pópulo tuo, et dírige nos in viam iustítiæ; et sciant omnes, qui hábitant terram, quia tu es Deus conspéctor sæculórum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 78, 8. 9. 11. 13 (℟.: Sir 36, 1 b)

℟. Osténde nobis, Dómine,
lucem miseratiónum tuárum.

8 Ne memíneris iniquitátum patrum nostrórum,
cito antícipent nos misericórdiæ tuæ,
quia páuperes facti sumus nimis. ℟.

9 Adiuva nos, Deus salutáris noster,
propter glóriam nóminis tui, et líbera nos;
et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum. ℟.

11 Intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum;
secúndum magnitúdinem brácchii tui
supérstites relínque fílios mortis. ℟.

13 Nos autem, pópulus tuus et oves páscuæ tuæ,
confitébimur tibi in sæculum;
in generatiónem et generatiónem
annuntiábimus laudem tuam. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Redempti estis pretioso sanguine
quasi Agni immaculati Christi.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 1, 18-25

Caríssimi:

Scitis quod non corruptibílibus argénto vel auro redémpti estis de vana vestra conversatióne a pátribus trádita, sed pretióso sánguine quasi Agni incontamináti et immaculáti Christi, præcógniti quidem ante constitutiónem mundi, manifestáti autem novíssimis tempóribus propter vos qui per ipsum fidéles estis in Deum, qui suscitávit eum a mórtuis et dedit ei glóriam, ut fides vestra et spes esset in Deum.

Animas vestras castificántes in obœdiéntia veritátis, ad fraternitátis amórem non fictum, ex corde ínvicem dilígite atténtius, renáti non ex sémine corruptíbili sed incorruptíbili, per verbum Dei vivum et pérmanens; quia omnis caro ut fenum et omnis glória eius tamquam flos feni; exáruit fenum et flos décidit; verbum autem Dómini manet in ætérnum. Hoc est autem verbum quod evangelizátum est in vos. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 147, 12-13. 14-15. 19-20 (℟.: 12 a)

℟. Lauda, Ierúsalem, Dóminum.
vel Allelúia.

12 Lauda, Ierúsalem, Dóminum;
colláuda Deum tuum, Sion.
13 Quóniam confortávit seras portárum tuárum,
benedíxit fíliis tuis in te. ℟.

14 Qui ponit fines tuos pacem,
et ádipe fruménti sátiat te.
15 Qui emíttit elóquium suum terræ,
velóciter currit verbum eius. ℟.
19 Qui annúntiat verbum suum Iacob,
iustítias et iudícia sua Israel.
20 Non fecit táliter omni natióni,
et iudícia sua non manifestávit eis. ℟.

Alleluia Mc 10, 45

℟. Allelúia. ℣. Fílius hóminis venit ut ministráret,
et daret ánimam suam redemptiónem pro
multis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Ecce ascendimus in Hierosolymam,
et Filius hominis tradetur.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 32-45

In illo témpore:

Erant discípuli in via ascendéntes in Hierosólymam, et præcedébat illos Iesus, et stupébant, illi autem sequéntes timébant. Et assúmens íterum Duódecim cœpit illis dícere quæ essent ei eventúra:

« Ecce ascéndimus in Hierosólymam, et Fílius hóminis tradétur princípibus sacerdótum et scribis, et damnábunt eum morte et tradent eum géntibus et illúdent ei et cónspuent eum et flagellábunt eum et interfícient eum, et post tres dies resúrget ».

Et accédunt ad eum Iacóbus et Ioánnes fílii Zebedǽi dicéntes ei: « Magíster, vólumus ut quodcúmque petiérimus a te fácias nobis ».

At ille dixit eis: « Quid vultis, ut fáciam vobis? »

Illi autem dixérunt ei: « Da nobis, ut unus ad déxteram tuam et álius ad sinístram sedeámus in glória tua ».

Iesus autem ait eis: « Nescítis quid petátis. Potéstis bíbere cálicem quem ego bibo, aut baptísmum quo ego baptízor baptizári? »

At illi dixérunt ei: « Póssumus ».

Iesus autem ait eis: « Cálicem quidem quem ego bibo, bibétis, et baptísmum quo ego baptízor, baptizabímini, sedére autem ad déxteram meam vel ad sinístram non est meum dare, sed quibus parátum est ».

Et audiéntes decem cœpérunt indignári de Iacóbo et Ioánne. Et vocans eos Iesus ait illis: « Scitis quia hi qui vidéntur principári géntibus, dominántur eis et príncipes eórum potestátem habent ipsórum. Non ita est autem in vobis: sed quicúmque volúerit fíeri maior inter vos, erit vester miníster, et quicúmque volúerit in vobis primus esse, erit ómnium servus; nam et Fílius hóminis non venit ut ministrarétur ei sed ut ministráret et daret ánimam suam redemptiónem pro multis ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Deus, qui offerénda tuo nómini tríbuis,
et obláta devotióni nostræ servitútis ascríbis,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut, quod præstas unde sit méritum,
profícere nobis largiáris ad prǽmium. Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 12, 6

Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi,
et psallam nómini Dómini Altíssimi.

Vel: — Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummatiónem sǽculi, dicit Dóminus.

Post communionem

Satiáti múnere salutári,
tuam, Dómine, misericórdiam deprecámur,
ut, hoc eódem quo nos temporáliter végetas sacraménto,
perpétuæ vitæ partícipes benígnus effícias.
Per Christum.

Feria quinta

Ant. ad introitum — Ps 17, 19-20

Factus est Dóminus protéctor meus,
et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Collecta

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
ut et mundi cursus pacífico nobis tuo órdine dirigátur,
et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Gloria Domini plenum est opus eius.

Léctio libri Sirácidæ — 42, 15-26

Memor ero óperum Dómini et quæ vidi annuntiábo: in sermónibus Dómini ópera eius. Sol illúminans per ómnia respéxit, et glória Dómini plenum est opus eius.

Nonne Dóminus fecit sanctos enarráre ómnia mirabília sua, quæ confirmávit Dóminus omnípotens stabilíri in glória sua? Abýssum et cor hóminum investigávit, et in astútia eórum excogitávit.

Cognóvit enim Dóminus omnem sciéntiam, et inspéxit in signum ævi, annúntians quæ præteriérunt et quæ

superventúra sunt, revélans vestígia occultórum. Non prǽterit illum omnis cogitátus, et non abscóndit se ab eo ullus sermo.

Magnália sapiéntiæ suæ decorávit, qui est ante sǽculum et usque in sǽculum, neque adiéctum est, neque minúitur, et non eget alicúius consílio.

Quam desiderabília ómnia ópera eius: et tamquam scintílla quæ est consideráre! Omnia hæc vivunt et manent in sǽculum, et in omni necessitáte ómnia obáudiunt ei.

Omnia duplícia unum contra unum; et non fecit quidquam deésse. Uniuscuiúsque confirmávit bona; et quis satiábitur videns glóriam eius? — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 32, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9 (℟.: 6 a)

℟. Verbo Dómini cæli facti sunt.

2 Confitémini Dómino in cíthara,
in psaltério decem chordárum psállite illi.
3 Cantáte ei cánticum novum,
bene psállite ei in vociferatióne. ℟.

4 Quia rectum est verbum Dómini,
et ómnia ópera eius in fide.
5 Díligit iustítiam et iudícium,
misericórdia Dómini plena est terra. ℟.

6 Verbo Dómini cæli facti sunt,
et spíritu oris eius omnis virtus eórum.
7 Cóngregans sicut in utre aquas maris,
ponens in thesáuris abýssos. ℟.

8 Tímeat Dóminum omnis terra,
a fácie autem eius formídent omnes inhabitántes orbem.
9 Quóniam ipse dixit, et facta sunt,
ipse mandávit, et creáta sunt. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Vos autem regale sacerdotium, gens sancta,
ut virtutes annuntietis eius qui vos vocavit.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 2, 2-5. 9-12

Caríssimi:

Sicut modo géniti infántes rationále sine dolo lac concupíscite, ut in eo crescátis in salútem, si gustástis quóniam dulcis Dóminus.

Ad quem accedéntes, lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, coram Deo autem eléctum, pretiósum, et ipsi tamquam lápides vivi ædificámini domus spiritális in sacerdótium sanctum, offérre spirituáles hóstias acceptábiles Deo per Iesum Christum.

Vos autem genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus in acquisitiónem, ut virtútes annuntiétis eius qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum; qui aliquándo non pópulus, nunc autem Pópulus Dei, qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti.

Caríssimi, óbsecro tamquam ádvenas et peregrínos abstinére vos a carnálibus desidériis, quæ mílitant advérsus ánimam; conversatiónem vestram inter gentes habéntes bonam, ut in eo quod detréctant de vobis tamquam de malefactóribus, ex bonis opéribus considerántes glorífícent Deum in die visitatiónis. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 99, 2. 3. 4. 5 (℟.: 2 c)

℟. Introíte in conspéctu Dómini in exsultatióne.

2 Iubiláte Dómino, omnis terra,
servíte Dómino in lætítia;
introíte in conspéctu eius in exsultatióne. ℟.

3 Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus;
ipse fecit nos, et ipsíus sumus,
pópulus eius et oves páscuæ eius. ℟.
4 Introíte portas eius in confessióne,
átria eius in hymnis,
confitémini illi, benedícite nómini eius. ℟.
5 Quóniam suávis est Dóminus;
in ætérnum misericórdia eius,
et usque in generatiónem et generatiónem véritas eius. ℟.

Alleluia Io 8, 12

℟. Allelúia. ℣. Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me habébit lumen vitæ.
℟. Allelúia.

Evangelium

Rabboni, ut videam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 46-52

In illo témpore:

Proficiscénte Iesu de Iéricho et discípulis eius et plúrima multitúdine, fílius Timǽi Bartimǽus cæcus sedébat iuxta viam mendícans. Qui cum audísset quia Iesus Nazarénus est, cœpit clamáre et dícere: « Fili David Iesu, miserére mei ». Et comminabántur ei multi ut tacéret; at ille multo magis clamábat: « Fili David, miserére mei ».

Et stans Iesus dixit: « Vocáte illum ». Et vocant cæcum dicéntes ei: « Animǽquior esto, surge, vocat te ». Qui proiécto vestiménto suo, exsíliens venit ad Iesum. Et respóndens ei Iesus dixit: « Quid vis tibi fáciam? »

Cæcus autem dixit ei: « Rabbóni, ut vídeam ».

Et Iesus ait illi: « Vade, fides tua te salvum fecit ». Et conféstim vidit, et sequebátur eum in via.

Verbum Dómini.

Super oblata

Deus, qui offerénda tuo nómini tríbuis,
et obláta devotióni nostræ servitútis ascríbis,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut, quod præstas unde sit méritum,
profícere nobis largiáris ad prǽmium.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 12, 6

Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi,
et psallam nómini Dómini Altíssimi.

Vel: — Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummatiónem sǽculi, dicit Dóminus.

Post communionem

Satiáti múnere salutári,
tuam, Dómine, misericórdiam deprecámur,
ut, hoc eódem quo nos temporáliter végetas sacraménto,
perpétuæ vitæ partícipes benígnus effícias.
Per Christum.

Feria sexta

Ant. ad introitum — Ps 17, 19-20

Factus est Dóminus protéctor meus,
et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Collecta

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
ut et mundi cursus pacífico nobis tuo órdine dirigátur,
et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Parentes nostri viri misericordiæ sunt,
et nomen eorum vivit
in generationem et generationem.

Léctio libri Sirácidæ 44, 1. 9-12

Laudémus viros gloriósos et paréntes nostros in generatióne sua.

Sunt quorum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint; et nati sunt quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis. Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt; cum sémine eórum pérmanent bona.

Heréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum; et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent; semen eórum et glória eórum non derelinquétur. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 149, 1-2. 3-4. 5-6 a et 9 b (℟.: 4 a)

℟. Beneplácitum est Dómino in pópulo suo.

1 Cantáte Dómino cánticum novum;
laus eius in ecclésia sanctórum.
2 Lætétur Israel in eo qui fecit eum,
et fílii Sion exsúltent in rege suo. ℟.

3 Laudent nomen eius in choro,
in týmpano et cíthara psallant ei.
4 Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo,
et honorábit mansuétos in salútem. ℟.

5 Iúbilent sancti in glória,
læténtur in cubílibus suis,
6 exaltatiónes Dei in gútture eórum:
9 glória hæc est ómnibus sanctis eius. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Estote boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 4, 7-13

Caríssimi:

Omnium finis appropinquávit. Estóte ítaque prudéntes et vigiláte in oratiónibus. Ante ómnia mútuam in vosmetípsos caritátem contínuam habéntes, quia cáritas óperit multitúdinem peccatórum; hospitáles ínvicem sine murmuratióne; unusquísque sicut accépit donatiónem, in altérutrum illam administrántes sicut boni dispensatóres multifórmis grátiæ Dei. Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei; si quis minístrat, tamquam ex virtúte quam largítur Deus; ut in ómnibus glorificétur Deus per Iesum Christum: cui est glória et impérium in sǽcula sæculórum: amen!

Caríssimi, nolíte mirári in fervóre qui ad tentatiónem vobis fit, quasi novi áliquid vobis contíngat, sed quemádmodum communicátis Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ eius gaudeátis exsultántes.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 95, 10. 11-12. 13 (℟.: 13 ab)

℟. Venit Dóminus iudicáre terram.

10 Dícite in géntibus: « Dóminus regnávit ».
Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur;
iudicábit pópulos in æquitáte. ℟.

11 Lætèntur cæli et exsúltet terra,
sonet mare et plenitúdo eius;
12 gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.
Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum. ℟.

A fácie Dómini, quia venit,
quóniam venit iudicáre terram.
Iudicábit orbem terræ in iustítia
et pópulos in veritáte sua. ℟.

Alleluia Io 15, 16

℟. Allelúia. ℣. Ego vos elégi de mundo, ut eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Evangelium

Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Habete fidem Dei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 11, 11-26

Cum acclamátus esset Iesus a turba, introívit Hierosólymam in templum; et circumspéctis ómnibus, cum iam véspera esset hora, exívit in Bethániam cum Duódecim.

Et áltera die cum exírent a Bethánia, esúriit. Cumque vidísset a longe ficum habéntem fólia, venit si quid forte inveníret in ea, et cum venísset ad eam, nihil invénit præter fólia: non enim erat tempus ficórum. Et respóndens dixit ei: « Iam non ámplius in ætérnum quisquam fructum ex te mandúcet ». Et audiébant discípuli eius.

Et véniunt Hierosólymam. Et cum introísset in templum, cœpit eícere vendéntes et eméntes in templo, et mensas nummulariórum et cáthedras vendéntium colúmbas evértit, et non sinébat ut quisquam vas transférret per templum. Et docébat dicens eis: « Non scriptum est: Domus mea domus oratiónis vocábitur ómnibus géntibus? Vos autem fecístis eam spelúncam latrónum ».

Quo audíto príncipes sacerdótum et scribæ quærébant quómodo eum pérderent; timébant enim eum, quóniam univérsa turba admirabátur super doctrína eius.

Et, cum véspera facta esset, egrediebántur de civitáte. Et cum mane transírent, vidérunt ficum áridam factam a radícibus. Et recordátus Petrus dicit ei: « Rabbi, ecce ficus cui maledixísti áruit ».

Et respóndens Iesus ait illis: « Habéte fidem Dei; amen dico vobis: Quicúmque díxerit huic monti: " Tóllere et míttere in mare ", et non hæsitáverit in corde suo sed credíderit quia quod díxerit fiat, fiet ei. Proptérea dico vobis: Omnia quæcúmque orántes pétitis, crédite quia iam accepístis et erunt vobis.

Et cum statis in oratióne, dimíttite si quid habétis advérsus áliquem, ut et Pater vester qui in cælis est dimíttat vobis peccáta vestra ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Deus, qui offerénda tuo nómini tríbuis,
et obláta devotióni nostræ servitútis ascríbis,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut, quod præstas unde sit méritum,
profícere nobis largiáris ad prǽmium.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 12, 6

Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi,
et psallam nómini Dómini Altíssimi.

Vel: — Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummatiónem sǽculi, dicit Dóminus.

Post communionem

Satiáti múnere salutári,
tuam, Dómine, misericórdiam deprecámur,

ut, hoc eódem quo nos temporáliter végetas sacraménto, perpétuæ vitæ partícipes benígnus effícias.
Per Christum.

Sabbato

Ant. ad introitum — Ps 17, 19-20

Factus est Dóminus protéctor meus,
et edúxit me in latitúdinem,
salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Collecta

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
ut et mundi cursus pacífico nobis tuo órdine dirigátur,
et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Danti mihi sapientiam dabo gloriam.

Léctio libri Sirácidæ — 51, 17-27

Confitébor et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

Cum adhuc iúnior essem, priúsquam oberrárem, quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea; ante templum postulábam pro illa, et usque in novíssimis inquíram eam; et efflóruit tamquam præcox uva, lætátum est cor meum in ea.

Ambulávit pes meus iter rectum; a iuventúte mea investigábam eam. Inclinávi módice aurem meam, et excépi illam. Multam invéni in meípso sapiéntiam, et multum profféci in ea.

Danti mihi sapiéntiam dabo glóriam. Consiliátus sum enim ut fácerem illam, zelátus sum bonum et non confúndar.

Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndo eam confirmátus sum. Manus meas exténdi in altum, et insipiéntiam eius luxi.

Animam meam diréxi ad illam, et in agnitióne invéni eam. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 18, 8. 9. 10. 11 (℟.: 9 a)

℟. Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda.

8 Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam,
testimónium Dómini fidéle,
sapiéntiam præstans párvulis. ℟.

9 Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda,
præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. ℟.

10 Timor Dómini mundus, pérmanens in sæculum sæculi,
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul. ℟.

11 Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum
et dulcióra super mel et favum stillántem. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Potest Deus conservare vos sine peccato et constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos.

Léctio Epístolæ beáti Iudæ apóstoli 17. 20-25

Vos, caríssimi, mémores estóte verbórum quæ prædícta sunt ab apóstolis Dómini nostri Iesu Christi.

Superædificántes vosmetípsos sanctíssimæ vestræ fídei, in Spíritu Sancto orántes, ipsos vos in dilectióne Dei serváte, exspectántes misericórdiam Dómini nostri Iesu

Christi in vitam ætérnam. Et his quidem miserémini disputántibus, illos vero salváte de igne, rapiéntes, áliis autem miserémini in timóre, odiéntes et eam quæ carnális est maculátam túnicam.

Ei autem qui potest vos conserváre sine peccáto et constitúere ante conspéctum glóriæ suæ immaculátos in exsultatióne, soli Deo Salvatóri nostro per Iesum Christum Dóminum nostrum glória, magnificéntia, impérium et potéstas ante omne sǽculum et nunc et in ómnia sǽcula. Amen.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 62, 2. 3-4. 5-6 (℟.: 2 b)

℟. Sitívit in te ánima mea, Dómine Deus meus.

2 Deus, Deus meus es tu, ad te de luce vígilo.
Sitívit in te ánima mea,
te desiderávit caro mea,
in terra desérta et árida et inaquósa. ℟.

3 Sic in sancto appárui tibi,
ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.
4 Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas,
lábia mea laudábunt te. ℟.

5 Sic benedícam te in vita mea,
et in nómine tuo levábo manus meas.
6 Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea,
et lábiis exsultatiónis laudábit os meum. ℟.

Alleluia — Col 3, 16 a. 17 c

℟. Allelúia. ℣. Verbum Christi hábitet in vobis abundánter;
grátias ágite Deo et Patri per Christum.
℟. Allelúia.

Evangelium

In qua potestate hæc facis?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 11, 27-33

In illo témpore:

Véniunt rursus Iesus et discípuli Hierosólymam. Et cum ambuláret in templo, accédunt ad eum summi sacerdótes et scribæ et senióres et dicébant illi: « In qua potestáte hæc facis? Vel quis tibi dedit hanc potestátem ut ista fácias? »

Iesus autem ait illis: « Interrogábo vos unum verbum, et respondéte mihi, et dicam vobis in qua potestáte hæc fáciam; baptísmum Ioánnis de cælo erat an ex homínibus? Respondéte mihi ».

At illi cogitábant secum dicéntes: « Si dixérimus: " De cælo ", dicet: " Quare ergo non credidístis ei? " Si autem dixérimus: " Ex homínibus " » — timébant pópulum, omnes enim habébant Ioánnem quia vere prophéta esset. Et respondéntes dicunt Iesu: « Nescímus ».

Et Iesus ait illis: « Neque ego dico vobis in qua potestáte hæc fáciam ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Deus, qui offerénda tuo nómini tríbuis,
et obláta devotióni nostræ servitútis ascríbis,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut, quod præstas unde sit méritum,
profícere nobis largiáris ad prǽmium.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 12, 6

Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi,
et psallam nómini Dómini Altíssimi.

Vel: Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummatiónem sǽculi, dicit Dóminus.

Post communionem

Satiáti múnere salutári,
tuam, Dómine, misericórdiam deprecámur,
ut, hoc eódem quo nos temporáliter végetas sacraménto,
perpétuæ vitæ partícipes benígnus effícias.
Per Christum.

DOMINICA IX « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 24, 16. 18

Réspice in me, et miserére mei, Dómine,
quóniam únicus et pauper sum ego.
Vide humilitátem meam et labórem meum,
et dimítte ómnia peccáta mea, Deus meus.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, cuius providéntia
in sui dispositióne non fállitur,
te súpplices exorámus,
ut nóxia cuncta submóveas,
et ómnia nobis profutúra concédas.
Per Dóminum.

Anno A

Lectio prima

En propono in conspectu vestro benedictionem et maledictionem.

Léctio libri Deuteronómii 11, 18. 26-28

Locútus est Móyses pópulo dicens:

« Pónite hæc verba mea in córdibus et in ánimis vestris, et suspéndite ea pro signo in mánibus, et inter óculos vestros collocáte.

En propóno in conspéctu vestro hódie benedictiónem et maledictiónem; benedictiónem, si obœdiéritis mandátis Dómini Dei vestri, quæ ego hódie præcípio vobis; maledictiónem, si non obœdiéritis mandátis Dómini Dei vestri, sed recesséritis de via, quam ego nunc

osténdo vobis, et ambulavéritis post deos aliénos quos ignorátis ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 30, 2-3 ab. 3 c-4. 17 et 25 (℟.: 3 b)

℟. Esto mihi, Dómine, in rupem præsídii.

2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum;
in iustítia tua líbera me.
3 Inclína ad me aurem tuam,
accélera, ut éruas me. ℟.

Esto mihi in rupem præsídii.
4 Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dedúces me et pasces me. ℟.

17 Illústra fáciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericórdia tua.
25 Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum,
omnes qui sperátis in Dómino. ℟.

Lectio secunda

Homo iustificatur per fidem sine operibus Legis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 3, 21-25 a. 28

Fratres:

Nunc sine Lege iustítia Dei manifestáta est, testificáta a Lege et Prophétis, iustítia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes qui credunt; non enim est distínctio; omnes enim peccavérunt et egent glória Dei, iustificáti gratis per grátiam ipsíus per redemptiónem quæ est in Christo Iesu; quem propósuit Deus propitiatórium per fidem in sánguine ipsíus.

Arbitrámur enim iustificári hóminem per fidem sine opéribus Legis. — Verbum Dómini.

Alleluia Io 15, 5

℟. Allelúia. ℣. Ego sum vitis, vos pálmites, dicit Dóminus.
Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.
℟. Allelúia.

Evangelium

Domus supra petram et domus supra arenam ædificata.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum 7, 21-27

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Non omnis qui dicit mihi: " Dómine Dómine ", intrábit in Regnum cælórum, sed qui facit voluntátem Patris mei qui in cælis est. Multi dicent mihi in illa die: " Dómine Dómine, nonne in tuo nómine prophetávimus, et in tuo nómine dæmónia eiécimus, et in tuo nómine virtútes multas fécimus? " Et tunc confitébor illis: " Numquam novi vos; discédite a me qui operámini iniquitátem ".

Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilábitur viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. Et descéndit plúvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et non cécidit; fundáta enim erat supra petram.

Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, símilis erit viro stulto, qui ædificávit domum suam supra arénam. Et descéndit plúvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et cécidit, et fuit ruína eius magna ».

Verbum Dómini.

Anno B

Lectio prima

Memento quod et ipse servieris in Ægypto.

Léctio libri Deuteronómii 5, 12-15

Hæc dicit Dóminus:

« Obsérva diem sábbati ut sanctífices eum, sicut præcépit tibi Dóminus Deus tuus. Sex diébus operáberis et fácies ómnia ópera tua. Séptimus dies sábbati est, id est réquies Dómini Dei tui.

Non fácies in eo quidquam óperis tu, et fílius tuus, et fília, servus, et ancílla, et bos, et ásinus, et omne iuméntum tuum, et peregrínus qui est intra portas tuas; ut requiéscat servus tuus et ancílla tua sicut et tu.

Meménto quod et ipse servíeris in Ægýpto, et edúxerit te inde Dóminus Deus tuus in manu forti et brácchio exténto. Idcírco præcépit tibi ut observáres diem sábbati ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 80, 3-4. 5-6 ab. 6 c-8 a. 10-11 ab (℟.: 2 a)

℟. Exsultáte Deo adiutóri nostro.

3 Súmite psalmum et date týmpanum,
psaltérium iucúndum cum cíthara.
4 Bucináte in neoménia tuba,
in die plenæ lunæ, in sollemnitáte nostra. ℟.

5 Quia præcéptum in Israel est,
et iudícium Deo Iacob.
6 Testimónium in Ioseph pósuit illud,
cum exíret de terra Ægýpti. ℟.

Sermónem quem non nóveram, audívi.
7 Divérti ab onéribus dorsum eius,

manus eius a cóphino recessérunt.
8 In tribulatióne invocásti me et liberávi te. ℟.
10 Non erit in te deus aliénus
neque adorábis deum extráneum.
11 Ego enim sum Dóminus Deus tuus
qui edúxi te de terra Ægýpti. ℟.

Lectio secunda

Vita Iesu in corpore nostro manifestatur.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 4, 6-11

Fratres:

Deus qui dixit: « De ténebris lux splendéscat », ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ glóriæ Dei in fácie Iesu Christi.

Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis; in ómnibus tribulatiónem pátimur sed non angustiámur, aporiámur sed non destitúimur, persecutiónem pátimur sed non derelínquimur, deícimur sed non perímus, semper mortificatiónem Iesu in córpore circumferéntes, ut et vita Iesu in córpore nostro manifestétur.

Semper enim nos qui vívimus in mortem trádimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestétur in carne nostra mortáli.

Verbum Dómini.

Alleluia Io 17, 17 b. a

℟. Allelúia. ℣. Sermo tuus, Dómine, véritas est;
sanctífica nos in veritáte.
℟. Allelúia.

Evangelium*

Dominus est Filius hominis etiam sabbati.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum
2, 23 — 3, 6

Factum est cum Dóminus sábbatis ambuláret per sata, discípuli eius cœpérunt prǽgredi velléntes spicas. Pharisǽi autem dicébant ei: « Ecce, quid fáciunt sábbatis quod non licet? »

Et ait illis: « Numquam legístis quid fécerit David, quando necessitátem hábuit et esúriit ipse et qui cum eo erant? Quómodo introívit in domum Dei sub Abíathar príncipe sacerdótum et panes propositiónis manducávit, quos non licet manducáre nisi sacerdótibus, et dedit étiam eis qui cum eo erant? »

Et dicébat eis: « Sábbatum propter hóminem factum est, et non homo propter sábbatum; ítaque dóminus est Fílius hóminis étiam sábbati ».

Et introívit íterum in synagógam. Et erat ibi homo habens manum áridam; et observábant eum si sábbatis curáret illum ut accusárent eum.

Et ait hómini habénti manum áridam: « Surge in médium ». Et dicit eis: « Licet sábbatis bene fácere an male? Animam salvam fácere an pérdere? » At illi tacébant. Et circumspíciens eos cum ira, contristátus super cæcitáte cordis eórum, dicit hómini: « Exténde manum ». Et exténdit, et restitúta est manus eius.

Et exeúntes Pharisǽi statim cum Herodiánis consílium faciébant advérsus eum quómodo eum pérderent.

Verbum Dómini.

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 2, 23-28

Factum est cum Dóminus sábbatis ambuláret per sata, discípuli eius cœpérunt prægredi velléntes spicas. Pharisǽi autem dicébant ei: « Ecce, quid fáciunt sábbatis quod non licet? »

Et ait illis: « Numquam legístis quid fécerit David quando necessitátem hábuit et esúriit ipse et qui cum eo erant? Quómodo introívit in domum Dei sub Abíathar príncipe sacerdótum et panes propositiónis manducávit, quos non licet manducáre nisi sacerdótibus, et dedit étiam eis qui cum eo erant? »

Et dicébat eis: « Sábbatum propter hóminem factum est, et non homo propter sábbatum; ítaque dóminus est Fílius hóminis étiam sábbati ». — Verbum Dómini.

Anno C

Lectio prima

Cum venerit alienigena, exaudies eum.

Léctio libri primi Regum 8, 41-43

In diébus illis: Orávit Sálomon in templo dicens:

« Alienígena, qui non est de pópulo tuo Israel, cum vénerit de terra longínqua propter nomen tuum (audiétur enim nomen tuum magnum et manus tua fortis et brácchium tuum exténtum ubíque); cum vénerit ergo, et oráverit in hoc loco, tu exáudies in cælo, in firmaménto habitáculi tui, et fácies ómnia pro quibus invocáverit te alienígena; ut discant univérsi pópuli terrárum nomen tuum timére, sicut pópulus tuus Israel, et probent quia nomen tuum invocátum est super domum hanc quam ædificávi ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 116, 1. 2 (℟.: Mc 16, 15)

℟. Eúntes in mundum univérsum,
prædicáte Evangélium.

vel Allelúia.

1 Laudáte Dóminum, omnes gentes,
collaudáte eum, omnes pópuli. ℟.
2 Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius,
et véritas Dómini manet in ætérnum. ℟.

Lectio secunda

Si adhuc hominibus placerem,
Christi servus non essem.

Inítium Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas
1, 1-2. 6-10

Paulus apóstolus, non ab homínibus neque per hóminem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem qui suscitávit eum a mórtuis, et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclésiis Galátiæ.

Miror quod tam cito transferímini ab eo qui vos vocávit in grátia Christi in áliud Evangélium, quod non est áliud; nisi sunt áliqui qui vos contúrbant et volunt convértere Evangélium Christi.

Sed licet nos aut ángelus de cælo evangelízet vobis prætérquam quod evangelizávimus vobis, anáthema sit! Sicut prædíximus, et nunc íterum dico, si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepístis, anáthema sit!

Modo enim homínibus suádeo aut Deo? Aut quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem, Christi servus non essem.

Verbum Dómini.

Alleluia Io 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret;
omnis qui credit in eum habet vitam ætérnam. ℟. Allelúia.

Evangelium

Nec in Israel tantam fidem inveni.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 7, 1-10

In illo témpore:

Cum implésset Iesus ómnia verba sua in aures plebis, intrávit Caphárnaum. Centuriónis autem cuiúsdam servus male habens erat moritúrus, qui illi erat pretiósus. Et cum audísset de Iesu, misit ad eum senióres Iudæórum, rogans eum ut veníret et salváret servum eius.

At illi cum veníssent ad Iesum, rogábant eum sollícite dicéntes: « Dignus est ut hoc illi præstes, díligit enim gentem nostram et synagógam ipse ædificávit nobis ».

Iesus autem ibat cum illis. At cum iam non longe esset a domo, misit centúrio amícos dicens ei: « Dómine, noli vexári; non enim dignus sum ut sub tectum meum intres, propter quod et me ipsum non sum dignum arbitrátus ut venírem ad te: sed dic verbo, et sanétur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites; et dico huic: " Vade ", et vadit; et álio: " Veni ", et venit; et servo meo: " Fac hoc ", et facit ».

Quo audíto, Iesus mirátus est eum, et convérsus, sequéntibus se turbis dixit: « Dico vobis, nec in Israel tantam fidem invéni ». Et revérsi qui missi fúerant domum, invenérunt servum sanum. — Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

In tua pietáte confidéntes, Dómine,
cum munéribus ad altária veneránda concúrrimus,
ut, tua purificánte nos grátia,
iísdem quibus famulámur mystériis emundémur.
Per Christum.

Præfatio de dominicis « per annum », pp. 752-759.

Ant. ad communionem — Ps 16, 6

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus;
inclína aurem tuam, et exáudi verba mea.

Vel: — Mc 11, 23. 24

Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis,
crédite quia accipiétis, et fiet vobis, dicit Dóminus.

Post communionem

Rege nos Spíritu tuo, quǽsumus, Dómine,
quos pascis Fílii tui Córpore et Sánguine,
ut te, non solum verbo neque lingua,
sed ópere et veritáte confiténtes,
intráre mereámur in regnum cælórum. Per Christum.

Feria secunda

Ant. ad introitum — Ps 24, 16. 18

Réspice in me, et miserére mei, Dómine,
quóniam únicus et pauper sum ego.
Vide humilitátem meam et labórem meum,
et dimítte ómnia peccáta mea, Deus meus.

Collecta

Deus, cuius providéntia in sui dispositióne non fállitur,
te súpplices exorámus,

ut nóxia cuncta submóveas,
et ómnia nobis profutúra concédas.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Tobias plus timens Deum quam regem.

Inítium libri Tobíæ 1, 1 a. 2; 2, 1-9

Tobías, ex tribu et civitáte Néphthali, cum captus esset in diébus Salmánasar, regis Assyriórum, in captivitáte tamen pósitus, viam veritátis non deséruit.

Cum vero esset dies festus Dómini, et factum esset prándium bonum in domo Tobíæ, dixit fílio suo: « Vade et adduc áliquos de tribu nostra timéntes Deum, ut epuléntur nobíscum ». Cumque abiísset, revérsus nuntiávit ei unum ex fíliis Israel iugulátum iacére in platéa. Statímque exsíliens de accúbitu suo, relínquens prándium, ieiúnus pervénit ad corpus. Tollénsque illud portávit ad domum suam occúlte, ut, dum sol occubuísset, caute sepelíret eum. Cumque occultásset corpus, manducávit panem cum luctu et tremóre, mémorans illum sermónem, quem dixit Dóminus per Amos prophétam: « Dies festi vestri converténtur in lamentatiónem et luctum ».

Cum vero sol occubuísset, ábiit et sepelívit eum. Arguébant autem eum omnes próximi eius, dicéntes: « Iam huius rei causa intérfici iussus es, et vix effugísti mortis impérium; et íterum sépelis mórtuos? » Sed Tobías, plus timens Deum quam regem, rapiébat córpora occisórum, et occultábat in domo sua, et médiis nóctibus sepeliébat ea.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 111, 1-2. 3-4. 5-6 (℟.: 1 a)

℟. Beátus vir qui timet Dóminum.
vel Allelúia.

1 Beátus vir qui timet Dóminum,
in mandátis eius cupit nimis.
2 Potens in terra erit semen eius,
generátio rectórum benedicétur. ℟.

3 Glória et divítiæ in domo eius,
et iustítia eius manet in sǽculum sǽculi.
4 Exórtum est in ténebris lumen rectis,
miséricors et miserátor et iustus. ℟.

5 Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat,
dispónet res suas in iudício,
6 quia in ætérnum non commovébitur.
In memória ætérna erit iustus. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Pretiosa nobis promissa donata sunt
ut efficiamini divinæ consortes naturæ.

Inítium Epístolæ secúndæ beáti Petri apóstoli 1, 1-7

Simon Petrus servus et apóstolus Iesu Christi his qui coæquálem nobis sortíti sunt fidem in iustítia Dei nostri et Salvatóris Iesu Christi: grátia vobis et pax multiplicétur in cognitióne Dei et Iesu Dómini nostri.

Quómodo ómnia nobis divínæ virtútis suæ ad vitam et pietátem donátæ per cognitiónem eius qui vocávit nos própria glória et virtúte, per quæ pretiósa et máxima nobis promíssa donáta sunt ut per hæc efficiámini divínæ consórtes natúræ, fugiéntes eam, quæ in mundo est in concupiscéntia, corruptiónem, et propter hoc ipsum curam omnem subinferéntes ministráte in fide vestra

virtútem, in virtúte autem sciéntiam, in sciéntia autem continéntiam, in continéntia autem patiéntiam, in patiéntia autem pietátem, in pietáte autem amórem fraternitátis, in amóre autem fraternitátis caritátem.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 90, 1-2. 14-15 ab. 15 c-16 (℟.: cf. 2 b)

℟. Deus meus, sperábo in te.

1 Qui hábitat in protectióne Altíssimi,
sub umbra Omnipoténtis commorábitur.
2 Dicet Dómino: « Refúgium meum
et fortitúdo mea, Deus meus, sperábo in eum ». ℟.

14 Quóniam mihi adhǽsit, liberábo eum;
suscípiam eum, quóniam cognóvit nomen meum.
15 Clamábit ad me, et ego exáudiam eum;
cum ipso sum in tribulatióne. ℟.

Erípiam eum et glorificábo eum.
16 Longitúdine diérum replébo eum,
et osténdam illi salutáre meum. ℟.

Alleluia

Ap 1, 5 ab

℟. Allelúia. ℣. Iesu Christe, testis es fidélis, Primogénitus mortuórum:
dilexísti nos, et lavásti peccáta nostra in sánguine tuo. ℟. Allelúia.

Evangelium

Apprehendentes filium dilectum occiderunt, et eiecerunt extra vineam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 12, 1-12

In illo témpore: Cœpit Iesus summis sacerdótibus et scribis et senióribus in parábolis loqui:

« Víneam pastinávit homo, et circúmdedit sepem et fodit lacum et ædificávit turrim, et locávit eam agrícolis, et péregre proféctus est.

Et misit ad agrícolas in témpore servum, ut ab agrícolis accíperet de fructu víneæ; qui apprehénsum eum cecidérunt et dimisérunt vácuum. Et íterum misit ad illos álium servum; et illum in cápite vulneravérunt et contuméliis affecérunt. Et álium misit, et illum occidérunt, et plures álios, quosdam cædéntes, álios vero occidéntes.

Adhuc unum habébat, fílium diléctum: misit illum ad eos novíssimum dicens: " Reverebúntur fílium meum ". Colóni autem illi dixérunt ad ínvicem: " Hic est heres: veníte, occidámus eum, et nostra erit heréditas ". Et apprehendéntes eum occidérunt, et eiecérunt extra víneam.

Quid ergo fáciet dóminus víneæ? Véniet et perdet colónos, et dabit víneam áliis.

Nec Scriptúram hanc legístis:

" Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli: a Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris "? »

Et quærébant eum tenére, et timuérunt turbam, cognovérunt enim quóniam ad eos parábolam hanc díxerit. Et relícto eo abiérunt. — Verbum Dómini.

Super oblata

In tua pietáte confidéntes, Dómine,
cum munéribus ad altária veneránda concúrrimus,
ut, tua purificánte nos grátia,
iísdem quibus famulámur mystériis emundémur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 16, 6

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus;
inclína aurem tuam, et exáudi verba mea.

Vel: Mc 11, 23. 24

Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis,
crédite quia accipiétis, et fiet vobis, dicit Dóminus.

Post communionem

Rege nos Spíritu tuo, quǽsumus, Dómine,
quos pascis Fílii tui Córpore et Sánguine,
ut te, non solum verbo neque lingua,
sed ópere et veritáte confiténtes,
intráre mereámur in regnum cælórum.
Per Christum.

Feria tertia

Ant. ad introitum Ps 24, 16. 18

Réspice in me, et miserére mei, Dómine,
quóniam únicus et pauper sum ego.
Vide humilitátem meam et labórem meum,
et dimítte ómnia peccáta mea, Deus meus.

Collecta

Deus, cuius providéntia in sui dispositióne non fállitur,
te súpplices exorámus,
ut nóxia cuncta submóveas,
et ómnia nobis profutúra concédas.
Per Dóminum.

Anno primo

Lectio prior

Non est contristatus contra Deum,
quod plaga cæcitatis evenerit illi.

Léctio libri Tobíæ 2, 10-23

Cóntigit quadam die ut Tobías fatigátus a sepultúra, véniens in domum suam, iactásset se iuxta paríetem et

obdormísset; et ex nido hirúndinum dormiénti illi cálida stércora incíderent super óculos eius, fierétque cæcus.

Hanc autem tentatiónem ídeo permísit Dóminus eveníre illi, ut pósteris darétur exémplum patiéntiæ eius, sicut et sancti Iob. Nam, cum ab infántia sua semper Deum timúerit et mandáta eius custodíerit, non est contristátus contra Deum, quod plaga cæcitátis evénerit ei; sed immóbilis in Dei timóre permánsit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ.

Nam sicut beáto Iob insultábant reges, ita isti paréntes et cognáti eius irridébant vitam eius, dicéntes: « Ubi est spes tua, pro qua eleemósynas et sepultúras faciébas? » Tobías vero increpábat eos, dicens: « Nolíte ita loqui; quóniam fílii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo ».

Anna vero, uxor eius, ibat ad opus textrínum cotídie, et de labóre mánuum suárum victum, quem cónsequi póterat, deferébat. Unde factum est ut hædum caprárum accípiens, detulísset domi; cuius cum vocem balántis vir eius audísset dixit: « Vidéte, ne forte furtívus sit: réddite eum dóminis suis, quia non licet nobis aut édere ex furto áliquid aut contíngere ». Ad hæc uxor eius iráta respóndit: « Maniféste vana facta est spes tua, et eleemósynæ tuæ modo apparuérunt ». Atque his et áliis huiuscémodi verbis exprobrábat ei.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 111, 1-2. 7 bc-8. 9 (℟.: cf. 7 c)

℟. Parátum cor iusti, sperans in Dómino.
vel Allelúia.

1 Beátus vir qui timet Dóminum,
in mandátis eius cupit nimis.

2 Potens in terra erit semen eius,
generátio rectórum benedicétur. ℟.
7 Ad auditióne mala non timébit.
Parátum cor eius, sperans in Dómino,
8 confirmátum est cor eius, non timébit,
donec despíciat inimícos suos. ℟.
9 Distríbuit, dedit paupéribus;
iustítia eius manet in sǽculum sǽculi,
cornu eius exaltábitur in glória. ℟.

Anno secundo

Lectio prior

Novos cælos et terram novam exspectamus.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Petri apóstoli
3, 12-15 a. 17-18

Caríssimi:

Exspectáte et properáte advéntum diéi Dei, propter quam cæli ardéntes solvéntur et eleménta ignis ardóre tabéscent. Novos vero cælos et terram novam secúndum promíssum ipsíus exspectámus, in quibus iustítia hábitat.

Propter quod, caríssimi, hæc exspectántes satágite immaculáti et invioláti ei inveníri in pace, et Dómini nostri longanimitátem salútem arbitrámini.

Vos ígitur, fratres, præsciéntes custodíte ne iniquórum erróre simul abdúcti excidátis a própria firmitáte, créscite vero in grátia et in cognitióne Dómini nostri et Salvatóris Iesu Christi. Ipsi glória et nunc et in diem æternitátis. Amen! — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 89, 2. 3-4. 10. 14 et 16 (℟.: 1)

℟. Dómine, refúgium factus es nobis,
a generatióne in generatiónem.

2 Priúsquam montes nasceréntur
aut gignerétur terra et orbis,
a sǽculo et usque in sǽculum tu es Deus. ℟.
3 Redúcis hóminem in púlverem;
et dixísti: « Revertímini, fílii hóminum ».
4 Quóniam mille anni ante óculos tuos
tamquam dies hestérna quæ prætériit,
et custódia in nocte. ℟.
10 Dies annórum nostrórum sunt septuagínta anni,
aut in valéntibus octogínta anni,
et maior pars eórum labor et dolor,
quóniam cito tránseunt, et avolámus. ℟.
14 Reple nos mane misericórdia tua,
et exsultábimus et delectábimur ómnibus diébus nostris.
16 Appáreat servis tuis opus tuum,
et decor tuus fíliis eórum. ℟.

Alleluia — Cf. Eph 1, 17-18

℟. Allelúia. ℣. Pater Dómini nostri Iesu Christi illúminet
óculos cordis nostri,
ut sciámus quæ sit spes vocatiónis nostræ.
℟. Allelúia.

Evangelium

Quæ sunt Cæsaris reddite Cæsari,
et quæ sunt Dei Deo.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 12, 13-17

In illo témpore:

Mittunt ad Iesum quosdam ex Pharisǽis et Herodiánis ut eum cáperent in verbo. Qui veniéntes dicunt ei: « Magíster, scimus quia verax es et non curas quemquam, nec enim vides in fáciem hóminum, sed in veri-

táte viam Dei doces. Licet dare tribútum Cǽsari an non? Dábimus an non dábimus? »

Qui sciens versútiam eórum ait illis: « Quid me tentátis? Afférte mihi denárium ut vídeam ». At illi attulérunt. Et ait illis: « Cuius est imágo hæc et inscríptio? »

Illi autem dixérunt ei: « Cǽsaris ».

Iesus autem dixit illis: « Quæ sunt Cǽsaris réddite Cǽsari et quæ sunt Dei Deo ». Et mirabántur super eo.

Verbum Dómini.

Super oblata

In tua pietáte confidéntes, Dómine,
cum munéribus ad altária veneránda concúrrimus,
ut, tua purificánte nos grátia,
iísdem quibus famulámur mystériis emundémur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 16, 6

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus;
inclína aurem tuam, et exáudi verba mea.

Vel: — Mc 11, 23. 24

Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis,
crédite quia accipiétis, et fiet vobis, dicit Dóminus.

Post communionem

Rege nos Spíritu tuo, quǽsumus, Dómine,
quos pascis Fílii tui Córpore et Sánguine,
ut te, non solum verbo neque lingua,
sed ópere et veritáte confiténtes,
intráre mereámur in regnum cælórum.
Per Christum.

DOMINICA X « PER ANNUM »

Ant. ad introitum — Ps 26, 1-2

Dóminus illuminátio mea, et salus mea, quem timébo?
Dóminus defénsor vitæ meæ, a quo trepidábo?
Qui tríbulant me inimíci mei, ipsi infirmáti sunt.

Collecta

Deus, a quo bona cuncta procédunt,
tuis largíre supplícibus,
ut cogitémus, te inspiránte, quæ recta sunt,
et, te gubernánte, éadem faciámus.
Per Dóminum.

Super oblata

Réspice, Dómine, quǽsumus,
nostram propítius servitútem,
ut quod offérimus sit tibi munus accéptum,
et nostræ caritátis augméntum.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 17, 3

Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum,
et liberátor meus. Deus meus adiútor meus.

Vel: — 1 Io 4, 16

Deus cáritas est, et qui manet in caritáte
in Deo manet et Deus in eo.

Post communionem

Tua nos, Dómine, medicinális operátio,
et a nostris perversitátibus cleménter expédiat,
et ad ea quæ sunt recta perdúcat.
Per Christum.

DOMINICA XI « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 26, 7. 9

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te.
Adiútor meus esto, ne derelínquas me,
neque despícias me, Deus salutáris meus.

Collecta

Deus, in te sperántium fortitúdo,
invocatiónibus nostris adésto propítius,
et, quia sine te nihil potest mortális infírmitas,
grátiæ tuæ præsta semper auxílium,
ut, in exsequéndis mandátis tuis,
et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum.

Super oblata

Deus, qui humáni géneris utrámque substántiam
præséntium múnerum et aliménto végetas
et rénovas sacraménto, tríbue, quǽsumus,
ut eórum et corpóribus nostris subsídium non desit
et méntibus. Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 26, 4

Unum pétii a Dómino, hoc requíram,
ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Vel: Io 17, 11

Pater sancte, serva eos in nómine tuo, quos dedísti mihi,
ut sint unum sicut et nos, dicit Dóminus.

Post communionem

Hæc tua, Dómine, sumpta sacra commúnio,
sicut fidélium in te uniónem præsígnat,
sic in Ecclésia tua unitátis operétur efféctum.
Per Christum.

DOMINICA XII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 27, 8-9

Dóminus fortitúdo plebis suæ,
et protéctor salutárium Christi sui est.
Salvum fac pópulum tuum, Dómine,
et bénedic hereditáti tuæ, et rege eos usque in sæculum.

Collecta

Sancti nóminis tui, Dómine,
timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum,
quia numquam tua gubernatióne destítuis,
quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis.
Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, sacrifícium placatiónis et laudis,
et præsta, ut, huius operatióne mundáti,
beneplácitum tibi nostræ mentis offerámus afféctum.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 144, 15

Oculi ómnium in te sperant, Dómine,
et tu das illis escam in témpore opportúno.

Vel: Io 10, 11. 15

Ego sum pastor bonus,
et ánimam meam pono pro óvibus meis, dicit Dóminus.

Post communionem

Sacri Córporis et Sánguinis pretiósi alimónia renováti,
quæsumus, Dómine, cleméntiam tuam,
ut, quod gérimus devotióne frequénti,
certa redemptióne capiámus. Per Christum.

DOMINICA XIII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 46, 2

Omnes gentes, pláudite mánibus,
iubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Collecta

Deus, qui, per adoptiónem grátiæ,
lucis nos esse fílios voluísti,
præsta, quǽsumus, ut errórum non involvámur ténebris,
sed in splendóre veritátis semper maneámus conspícui.
Per Dóminum.

Super oblata

Deus, qui mysteriórum tuórum
dignánter operáris effééctus,
præsta, quǽsumus,
ut sacris apta munéribus fiant nostra servítia.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 102, 1

Bénedic, ánima mea, Dómino,
et ea quæ intra me sunt nómini sancto eius.

Vel: Io 17, 20-21

Pater, pro eis rogo, ut ipsi in nobis unum sint,
ut credat mundus quia tu me misísti, dicit Dóminus.

Post communionem

Vivíficet nos, quǽsumus, Dómine,
divína quam obtúlimus et súmpsimus hóstia,
ut, perpétua tibi caritáte coniúncti,
fructum qui semper máneat afferámus.
Per Christum.

DOMINICA XIV « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 47, 10-11

Suscépimus, Deus,
misericórdiam tuam in médio templi tui.
Secúndum nomen tuum, Deus,
ita et laus tua in fines terræ;
iustítia plena est déxtera tua.

Collecta

Deus, qui in Fílii tui humilitáte
iacéntem mundum erexísti,
fidélibus tuis sanctam concéde lætítiam,
ut, quos eripuísti a servitúte peccáti,
gáudiis fácias pérfrui sempitérnis. Per Dóminum.

Super oblata

Oblátio nos, Dómine, tuo nómini dicáta puríficet,
et de die in diem ad cæléstis vitæ tránsferat actiónem.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 33, 9

Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo.

Vel: Mt 11, 28

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis,
et ego refíciam vos, dicit Dóminus.

Post communionem

Tantis, Dómine, repléti munéribus,
præsta, quǽsumus, ut et salutária dona capiámus,
et a tua numquam laude cessémus. Per Christum.

DOMINICA XV « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 16, 15

Ego autem cum iustítia apparébo in conspéctu tuo; satiábor dum manifestábitur glória tua.

Collecta

Deus, qui errántibus, ut in viam possint redíre,
veritátis tuæ lumen osténdis,
da cunctis qui christiána professióne censéntur,
et illa respúere, quæ huic inimíca sunt nómini,
et ea quæ sunt apta sectári. Per Dóminum.

Super oblata

Réspice, Dómine, múnera supplicántis Ecclésiæ,
et pro credéntium sanctificatiónis increménto
suménda concéde. Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 83, 4-5

Passer invénit sibi domum
et turtur nidum, ubi repónat pullos suos.
Altária tua, Dómine virtútum,
Rex meus, et Deus meus!
Beáti qui hábitant in domo tua,
in sǽculum sǽculi laudábunt te.

Vel: Io 6, 57

Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, in me manet et ego in eo, dicit Dóminus.

Post communionem

Sumptis munéribus, quǽsumus, Dómine,
ut, cum frequentatióne mystérii,
crescat nostræ salútis efféctus. Per Christum.

DOMINICA XVI « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 53, 6. 8

Ecce Deus ádiuvat me,
et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.
Voluntárie sacrificábo tibi,
et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est.

Collecta

Propitiáre, Dómine, fámulis tuis,
et cleménter grátiæ tuæ super eos dona multíplica,
ut, spe, fide et caritáte fervéntes,
semper in mandátis tuis vígili custódia persevérent.
Per Dóminum.

Super oblata

Deus, qui legálium differéntiam hostiárum
unius sacrifícii perfectióne sanxísti,
áccipe sacrifícium a devótis tibi fámulis,
et pari benedictióne, sicut múnera Abel, sanctífica,
ut, quod sínguli obtulérunt ad maiestátis tuæ honórem,
cunctis profíciat ad salútem. Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 110, 4-5

Memóriam fecit mirabílium suórum
miséricors et miserátor Dóminus;
escam dedit timéntibus se.

Vel: Ap 3, 20

Ecce sto ad óstium et pulso, dicit Dóminus:
si quis audíerit vocem meam, et aperúerit mihi iánuam,
intrábo ad illum, et cenábo cum illo, et ipse mecum.

Post communionem

Pópulo tuo, quæsumus, Dómine, adésto propítius,
et, quem mystériis cæléstibus imbuísti,
fac ad novitátem vitæ de vetustáte transíre. Per Christum.

DOMINICA XVII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 67, 6-7. 36

Deus in loco sancto suo;
Deus qui inhabitáre facit unánimes in domo,
ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ.

Collecta

Protéctor in te sperántium, Deus,
sine quo nihil est válidum, nihil sanctum,
multíplica super nos misericórdiam tuam,
ut, te rectóre, te duce,
sic bonis transeúntibus nunc utámur,
ut iam possímus inhærére mansúris. Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera,
quæ tibi de tua largitáte deférimus,
ut hæc sacrosáncta mystéria, grátiæ tuæ operánte virtúte,
et præséntis vitæ nos conversatióne sanctíficent,
et ad gáudia sempitérna perdúcant. Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 102, 2

Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius.

Vel: Mt 5, 7-8

Beáti misericórdes,
quóniam ipsi misericórdiam consequéntur.
Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

Post communionem

Súmpsimus, Dómine, divínum sacraméntum,
passiónis Fílii tui memoriále perpétuum;
tríbue, quǽsumus,
ut ad nostram salútem hoc munus profíciat,
quod ineffábili nobis caritáte ipse donávit. Qui vivit.

DOMINICA XVIII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 69, 2. 6

Deus, in adiutórium meum inténde;
Dómine, ad adiuvándum me festína.
Adiútor meus et liberátor meus es tu;
Dómine, ne moréris.

Collecta

Adésto, Dómine, fámulis tuis,
et perpétuam benignitátem largíre poscéntibus,
ut his, qui te auctórem et gubernatórem gloriántur habére,
et grata restáures, et restauráta consérves.
Per Dóminum.

Super oblata

Propítius, Dómine, quǽsumus, hæc dona sanctífica,
et, hóstiæ spiritális oblatióne suscépta,
nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum. Per Christum.

Ant. ad communionem Sap 16, 20

Panem de cælo dedísti nobis, Dómine,
habéntem omne delectaméntum,
et omnem sapórem suavitátis.

Vel: Io 6, 35

Ego sum panis vitæ, dicit Dóminus.
Qui venit ad me non esúriet,
et qui credit in me non sítiet.

Post communionem

Quos cælésti récreas múnere,
perpétuo, Dómine, comitáre præsídio,
et, quos fovére non désinis,
dignos fíeri sempitérna redemptióne concéde.
Per Christum.

DOMINICA XIX « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 73, 20. 19. 22. 23

Réspice, Dómine, in testaméntum tuum,
et ánimas páuperum tuórum ne derelínquas in finem.
Exsúrge, Dómine, et iúdica causam tuam,
et ne obliviscáris voces quæréntium te.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
quem patérno nómine invocáre præsúmimus,
pérfice in córdibus nostris spíritum adoptiónis filiórum,
ut promíssam hereditátem íngredi mereámur.
Per Dóminum.

Super oblata

Ecclésiæ tuæ, Dómine, múnera placátus assúme,
quæ et miséricors offerénda tribuísti,
et in nostræ salútis poténter éfficis transíre mystérium.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 147, 12. 14

Lauda, Ierúsalem, Dóminum,
qui ádipe fruménti sátiat te.

Vel: Io 6, 52

Panis, quem ego dédero, caro mea est pro sæculi vita,
dicit Dóminus.

Post communionem

Sacramentórum tuórum, Dómine,
commúnio sumpta nos salvet,
et in tuæ veritátis luce confírmet.
Per Christum.

DOMINICA XX « PER ANNUM »

Ant. ad introitum — Ps 83, 10-11

Protéctor noster, áspice, Deus,
et réspice in fáciem Christi tui,
quia mélior est dies una in átriis tuis super mília.

Collecta

Deus, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti,
infúnde córdibus nostris tui amóris afféctum,
ut, te in ómnibus et super ómnia diligéntes,
promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant,
consequámur. Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera nostra,
quibus exercéntur commércia gloriósa,
ut, offeréntes quæ dedísti,
teípsum mereámur accípere. Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 129, 7

Apud Dóminum misericórdia,
et copiósa apud eum redémptio.

Vel: — Io 6, 51-52

Ego sum panis vivus,
qui de cælo descéndi, dicit Dóminus:
si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum.

Post communionem

Per hæc sacraménta, Dómine, Christi partícipes effécti,
cleméntiam tuam humíliter implorámus,
ut, eius imáginis confórmes in terris,
et eius consórtes in cælis fíeri mereámur. Per Christum.

DOMINICA XXI « PER ANNUM »

Ant. ad introitum — Ps 85, 1-3

Inclína, Dómine, aurem tuam ad me, et exáudi me. Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te. Miserére mihi, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die.

Collecta

Deus, qui fidélium mentes unius éfficis voluntátis,
da pópulis tuis id amáre quod præcipis,
id desideráre quod promíttis,
ut, inter mundánas varietátes,
ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia.
Per Dóminum.

Super oblata

Qui una semel hóstia, Dómine,
adoptiónis tibi pópulum acquisísti,
unitátis et pacis in Ecclésia tua
propítius nobis dona concédas.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 103, 13-15

De fructu óperum tuórum, Dómine, satiábitur terra, ut edúcas panem de terra, et vinum lætíficet cor hóminis.

Vel: — Io 6, 55

Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, habet vitam ætérnam, dicit Dóminus;
et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Post communionem

Plenum, quǽsumus, Dómine,
in nobis remédium tuæ miseratiónis operáre,
ac tales nos esse pérfice propítius et sic fovéri,
ut tibi in ómnibus placére valeámus.
Per Christum.

DOMINICA XXII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 85, 3. 5

Miserére mihi, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die;
quia tu, Dómine, suávis ac mitis es,
et copiósus in misericórdia ómnibus invocántibus te.

Collecta

Deus virtútum, cuius est totum quod est óptimum,
ínsere pectóribus nostris tui nóminis amórem, et præsta,
ut in nobis, religiónis augménto, quæ sunt bona nútrias,
ac, vigilánti stúdio, quæ sunt nutríta custódias.
Per Dóminum.

Super oblata

Benedictiónem nobis, Dómine, cónferat salutárem
sacra semper oblátio,
ut, quod agit mystério, virtúte perfíciat.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 30, 20

Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine,
quam abscondísti timéntibus te.

Vel: Mt 5, 9-10

Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.
Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Post communionem

Pane mensæ cæléstis refécti, te, Dómine, deprecámur,
ut hoc nutriméntum caritátis corda nostra confírmet,
quátenus ad tibi ministrándum in frátribus excitémur.
Per Christum.

DOMINICA XXIII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 118, 137. 124

Iustus es, Dómine, et rectum iudícium tuum;
fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam.

Collecta

Deus, per quem nobis et redémptio venit
et præstátur adóptio,
fílios dilectiónis tuæ benígnus inténde,
ut in Christo credéntibus
et vera tribuátur libértas, et heréditas ætérna. Per Dñum.

Super oblata

Deus, auctor sincéræ devotiónis et pacis, da, quǽsumus,
ut et maiestátem tuam
conveniénter hoc múnere venerémur,
et sacri participatióne mystérii fidéliter sénsibus uniámur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 41, 2-3

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum,
ita desíderat ánima mea ad te, Deus;
sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum.

Vel: Io 8, 12

Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, non ámbulat in ténebris,
sed habébit lumen vitæ.

Post communionem

Da fidélibus tuis, Dómine,
quos et verbi tui et cælésti sacraménti pábulo
nutris et vivíficas,
ita dilécti Fílii tui tantis munéribus profícere,
ut eius vitæ semper consórtes éffici mereámur.
Per Christum.

DOMINICA XXIV « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Cf. Sir 36, 18

Da pacem, Dómine, sustinéntibus te,
ut prophétæ tui fidéles inveniántur;
exáudi preces servi tui, et plebis tuæ Israel.

Collecta

Réspice nos, rerum ómnium Deus creátor et rector,
et, ut tuæ propitiatiónis sentiámus effectum,
toto nos tríbue tibi corde servíre. Per Dóminum.

Super oblata

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et has oblatiónes famulórum tuórum benígnus assúme,
ut, quod sínguli ad honórem tui nóminis obtulérunt,
cunctis profíciat ad salútem. Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 35, 8

Quam pretiósa est misericórdia tua, Deus!
Fílii hóminum sub umbra alárum tuárum confúgient.

Vel: Cf. 1 Cor 10, 16

Calix benedictiónis, cui benedícimus,
communicátio Sánguinis Christi est;
et panis, quem frángimus,
participátio Córporis Dómini est.

Post communionem

Mentes nostras et córpora possídeat,
quǽsumus, Dómine, doni cæléstis operátio,
ut non noster sensus in nobis,
sed eius prævéniat semper effectus. Per Christum.

DOMINICA XXV « PER ANNUM »

Ant. ad introitum

Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus.
De quacúmque tribulatióne clamáverint ad me,
exáudiam eos, et ero illórum Dóminus in perpétuum.

Collecta

Deus, qui sacræ legis ómnia constitúta
in tua et próximi dilectióne posuísti,
da nobis, ut, tua præcépta servántes,
ad vitam mereámur perveníre perpétuam.
Per Dóminum.

Super oblata

Múnera, quǽsumus, Dómine,
tuæ plebis propitiátus assúme,
ut, quæ fídei pietáte profiténtur,
sacraméntis cæléstibus apprehéndant. Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 118, 4-5

Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis;
útinam dirigántur viæ meæ
ad custodiéndas iustificatiónes tuas.

Vel: Io 10, 14

Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ.

Post communionem

Quos tuis, Dómine, réficis sacraméntis,
contínuis attólle benígnus auxíliis,
ut redemptiónis efféctum
et mystériis capiámus et móribus. Per Christum.

DOMINICA XXVI « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Dan 3, 31. 29. 30. 43. 42

Omnia, quæ fecísti nobis, Dómine, in vero iudício fecísti,
quia peccávimus tibi, et mandátis tuis non obœdívimus;
sed da glóriam nómini tuo, et fac nobíscum
secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ.

Collecta

Deus, qui omnipoténtiam tuam
parcéndo máxime et miserándo maniféstas,
grátiam tuam super nos indesinénter infúnde,
ut, ad tua promíssa curréntes,
cæléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum.

Super oblata

Concéde nobis, miséricors Deus,
ut hæc nostra tibi oblátio sit accépta,
et per eam nobis fons omnis benedictiónis aperiátur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 118, 49-50

Meménto verbi tui servo tuo, Dómine,
in quo mihi spem dedísti;
hæc me consoláta est in humilitáte mea.

Vel: 1 Io 3, 16

In hoc cognóvimus caritátem Dei:
quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit;
et nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

Post communionem

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis
cæléste mystérium,
ut simus eius in glória coherédes,
cui, mortem ipsíus annuntiándo, compátimur. Qui vivit.

DOMINICA XXVII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Est 13, 9. 10-11

In voluntáte tua, Dómine, univérsa sunt pósita,
et non est qui possit resístere voluntáti tuæ.
Tu enim fecísti ómnia, cælum et terram,
et univérsa quæ cæli ámbitu continéntur;
Dóminus universórum tu es.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui abundántia pietátis tuæ
et mérita súpplicum excédis et vota,
effúnde super nos misericórdiam tuam,
ut dimíttas quæ consciéntia métuit,
et adícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine,
sacrifícia tuis institúta præcéptis,
et sacris mystériis,
quæ débitæ servitútis celebrámus offício,
sanctificatiónem tuæ nobis redemptiónis
dignánter adímple. Per Christum.

Ant. ad communionem Lam 3, 25

Bonus est Dóminus sperántibus in eum,
ánimæ quæréenti illum.

Vel: Cf. 1 Cor 10, 17

Unus panis et unum corpus multi sumus,
omnes qui de uno pane et de uno cálice participámus.

Post communionem

Concéde nobis, omnípotens Deus,
ut de percéptis sacraméntis inebriémur atque pascámur,
quátenus in id quod súmimus transeámus. Per Christum.

DOMINICA XXVIII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 129, 3-4

Si iniquitátes observáveris, Dómine,
Dómine, quis sustinébit?
Quia apud te propitiátio est, Deus Israel.

Collecta

Tua nos, quǽsumus, Dómine, grátia
semper et prævéniat et sequátur,
ac bonis opéribus iúgiter præstet esse inténtos.
Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, fidélium preces
cum oblatiónibus hostiárum,
ut, per hæc piæ devotiónis offícia,
ad cæléstem glóriam transeámus.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 33, 11

Dívites eguérunt et esuriérunt;
quæréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Vel: 1 Io 3, 2

Cum apparúerit Dóminus, símiles ei érimus,
quóniam vidébimus eum sícuti est.

Post communionem

Maiestátem tuam, Dómine, supplíciter deprecámur,
ut, sicut nos Córporis et Sánguinis sacrosáncti
pascis aliménto,
ita divínæ natúræ fácias esse consórtes.
Per Christum.

DOMINICA XXIX « PER ANNUM »

Ant. ad introitum Ps 16, 6. 8

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus;
inclína aurem tuam, et exáudi verba mea.
Custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi;
sub umbra alárum tuárum prótege me.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
fac nos tibi semper et devótam gérere voluntátem,
et maiestáti tuæ sincéro corde servíre.
Per Dóminum.

Super oblata

Tríbue nos, Dómine, quæsumus,
donis tuis líbera mente servíre,
ut, tua purificánte nos grátia,
iísdem quibus famulámur mystériis emundémur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 32, 18-19

Ecce óculi Dómini super timéntes eum,
et in eis qui sperant super misericórdia eius;
ut éruat a morte ánimas eórum, et alat eos in fame.

Vel: Mc 10, 45

Fílius hóminis venit,
ut daret ánimam suam redemptiónem pro multis.

Post communionem

Fac nos, quæsumus, Dómine,
cæléstium rerum frequentatióne profícere,
ut et temporálibus benefíciis adiuvémur,
et erudiámur ætérnis.
Per Christum.

DOMINICA XXX « PER ANNUM »

Ant. ad introitum — Ps 104, 3-4

Lætétur cor quæréntium Dóminum.
Quǽrite Dóminum, et confirmámini,
quǽrite fáciem eius semper.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
da nobis fídei, spei et caritátis augméntum,
et, ut mereámur ássequi quod promíttis,
fac nos amáre quod prǽcipis.
Per Dóminum.

Super oblata

Réspice, quǽsumus, Dómine,
múnera quæ tuæ offérimus maiestáti,
ut, quod nostro servítio géritur,
ad tuam glóriam pótius dirigátur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 19, 6

Lætábimur in salutári tuo,
et in nómine Dómini Dei nostri magnificábimur.

Vel: — Eph 5, 2

Christus diléxit nos, et trádidit semetípsum pro nobis,
oblatiónem Deo in odórem suavitátis.

Post communionem

Perfíciant in nobis, Dómine, quǽsumus,
tua sacraménta quod cóntinent,
ut, quæ nunc spécie gérimus,
rerum veritáte capiámus.
Per Christum.

DOMINICA XXXI « PER ANNUM »

Ant. ad introitum — Ps 37, 22-23

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus,
ne discédas a me; inténde in adiutórium meum,
Dómine, virtus salútis meæ.

Collecta

Omnípotens et misericors Deus, de cuius múnere venit,
ut tibi a fidélibus tuis digne et laudabíliter serviátur,
tríbue, quǽsumus, nobis,
ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus.
Per Dóminum.

Super oblata

Fiat hoc sacrifícium, Dómine, oblátio tibi munda,
et nobis misericórdiæ tuæ sancta largítio.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 15, 11

Notas mihi fecísti vias vitæ,
adimplébis me lætítia cum vultu tuo, Dómine.

Vel: — Io 6, 58

Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem,
et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me,
dicit Dóminus.

Post communionem

Augeátur in nobis, quǽsumus, Dómine,
tuæ virtútis operátio,
ut, refécti cæléstibus sacraméntis,
ad eórum promíssa capiénda tuo múnere præparémur.
Per Christum.

DOMINICA XXXII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum — Ps 87, 3

Intret orátio mea in conspéctu tuo;
inclína aurem tuam ad precem meam, Dómine.

Collecta

Omnípotens et miséricors Deus,
univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde,
ut, mente et córpore páriter expedíti,
quæ tua sunt líberis méntibus exsequámur.
Per Dóminum.

Super oblata

Sacrifíciis præséntibus, Dómine,
quǽsumus, inténde placátus,
ut, quod passiónis Fílii tui mystério gérimus,
pio consequámur afféctu. Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 22, 1-2

Dóminus regit me, et nihil mihi déerit;
in loco páscuæ ibi me collocávit,
super aquam refectiónis educávit me.

Vel: — Lc 24, 35

Cognovérunt discípuli Dóminum Iesum
in fractióne panis.

Post communionem

Grátias tibi, Dómine, reférimus sacro múnere vegetáti,
tuam cleméntiam implorántes,
ut, per infusiónem Spíritus tui,
in quibus cæléstis virtus introívit,
sinceritátis grátia persevéret.
Per Christum.

DOMINICA XXXIII « PER ANNUM »

Ant. ad introitum — Ier 29, 11. 12. 14

Dicit Dóminus:
Ego cógito cogitatiónes pacis, et non afflictiónis;
invocábitis me, et ego exáudiam vos,
et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis.

Collecta

Da nobis, quǽsumus, Dómine Deus noster,
in tua semper devotióne gaudére,
quia perpétua est et plena felícitas,
si bonórum ómnium iúgiter serviámus auctóri.
Per Dóminum.

Super oblata

Concéde, quǽsumus, Dómine,
ut óculis tuæ maiestátis munus oblátum
et grátiam nobis devotiónis obtíneat,
et efféctum beátæ perennitátis acquírat. Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 72, 28

Mihi autem adhærére Deo bonum est,
pónere in Dómino Deo spem meam.

Vel: — Mc 11, 23. 24

Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis,
crédite quia accipiétis, et fiet vobis, dicit Dóminus.

Post communionem

Súmpsimus, Dómine, sacri dona mystérii,
humíliter deprecántes,
ut, quæ in sui commemoratiónem
nos Fílius tuus fácere præcépit,
in nostræ profíciant caritátis augméntum. Per Christum.

HEBDOMADA XXXIV « PER ANNUM »

Ant. ad introitum — Ps 84, 9

Loquétur Dóminus pacem in plebem suam,
et super sanctos suos,
et in eos qui convertúntur ad ipsum.

Collecta

Excita, quǽsumus, Dómine, tuórum fidélium voluntátes,
ut, divíni óperis fructum propénsius exsequéntes,
pietátis tuæ remédia maióra percípiant.
Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, sacra múnera,
quæ tuo nómini iussísti dicánda,
et, ut per ea tuæ pietáti reddámur accépti,
fac nos tuis semper obœdíre mandátis.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 116, 1-2

Laudáte Dóminum, omnes gentes,
quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius.

Vel: — Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummatiónem sǽculi, dicit Dóminus.

Post communionem

Quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, quos divína tríbuis participatióne gaudére,
a te numquam separári permíttas.
Per Christum.

ALLELUIA CUM VERSU ANTE EVANGELIUM

quæ adhiberi possunt loco textuum
qui singulis Missis proponuntur

Feriis Adventus usque ad diem 16 decembris

1. Cf. Ps 79, 4

℟. Allelúia. ℣. Veni ad liberándum nos, Dómine,
Deus noster;
illústra fáciem tuam, et salvi érimus.
℟. Allelúia.

2. Ps 84, 8

℟. Allelúia. ℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam
tuam,
et salutáre tuum da nobis. ℟. Allelúia.

3. Is 33, 22

℟. Allelúia. ℣. Dóminus iudex noster, légifer noster,
rex noster:
ipse salvábit nos. ℟. Allelúia.

4. Is 40, 9-10

℟. Allelúia. ℣. Exálta in fortitúdine vocem tuam,
tu qui evangelízas;
ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet.
℟. Allelúia.

5. Is 45, 8

℟. Allelúia. ℣. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant
iustum;
aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.
℟. Allelúia.

6. Is 55, 6

℟. Allelúia. ℣. Quǽrite Dóminum, dum inveníri potest,
invocáte eum, dum prope est. ℟. Allelúia.

7. Lc 3, 4. 6

℟. Allelúia. ℣. Paráte viam Dómini,
rectas fácite sémitas eius;
vidébit omnis caro salutáre Dei. ℟. Allelúia.

8.

℟. Allelúia. ℣. Veni, Dómine, et noli tardáre;
reláxa facínora plebis tuæ. ℟. Allelúia.

9.

℟. Allelúia. ℣. Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum.
℟. Allelúia.

10.

℟. Allelúia. ℣. Veni, Dómine, visitáre nos in pace,
ut lætémur coram te corde perfécto.
℟. Allelúia.

11.

℟. Allelúia. ℣. Ecce véniet Rex, Dóminus terræ,
et ipse áuferet iugum captivitátis nostræ.
℟. Allelúia.

12.

℟. Allelúia. ℣. Prope est dies Dómini;
ecce véniet ad salvándum nos. ℟. Allelúia.

13.

℟. Allelúia. ℣. Dóminus véniet, occúrrite illi;
ipse est princeps pacis. ℟. Allelúia.

14.

℟. Allelúia. ℣. Ecce véniet Dóminus,
ut salvet pópulum suum;
beáti qui paráti sunt occúrrere illi.
℟. Allelúia.

Feriis Adventus a die 17 usque ad diem 24 decembris

1.
℟. Allelúia. ℣. Sapiéntia Altíssimi,
fórtiter suavitérque dispónens ómnia:
veni ad docéndum nos viam prudéntiæ.
℟. Allelúia.

2.
℟. Allelúia. ℣. Dux domus Israel,
qui Móysi in Sina legem dedísti:
veni ad rediméndum nos in brácchio exténto.
℟. Allelúia.

3.
℟. Allelúia. ℣. Radix Iesse, stans in signum populórum:
veni ad liberándum nos, iam noli tardáre.
℟. Allelúia.

4.
℟. Allelúia. ℣. Clavis David, qui áperis portas ætérni Regni:
veni, et educ vinctum de domo cárceris sedéntem in ténebris. ℟. Allelúia.

5.
℟. Allelúia. ℣. Oriens, splendor lucis ætérnæ et sol iustítiæ:
veni, et illúmina sedéntes in ténebris et umbra mortis. ℟. Allelúia.

6.
℟. Allelúia. ℣. Rex géntium et lapis anguláris Ecclésiæ:
veni, et salva hóminem quem de limo formásti. ℟. Allelúia.

7.
℟. Allelúia. ℣. Emmánuel, rex et légifer noster:
veni ad salvándum nos, Dómine, Deus noster. ℟. Allelúia.

Feriis ante Epiphaniam

1. Io 1, 14. 12 b

℟. Allelúia. ℣. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis.
Quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri. ℟. Allelúia.

2. Hebr 1, 1-2

℟. Allelúia. ℣. Multifárie olim Deus loquens pátribus in prophétis,
novíssime diebus istis locútus est nobis in Fílio. ℟. Allelúia.

3.

℟. Allelúia. ℣. Dies sanctificátus illúxit nobis:
veníte, gentes, et adoráte Dóminum;
quia hódie descéndit lux magna super terram. ℟. Allelúia.

Feriis post Epiphaniam

1. Mt 4, 16

℟. Allelúia. ℣. Pópulus qui sedébat in ténebris vidit lucem magnam,
et sedéntibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. ℟. Allelúia.

2. Mt 4, 23

℟. Allelúia. ℣. Prædicábat Iesus Evangélium Regni,
et sanábat omnem infirmitátem in pópulo.
℟. Allelúia.

3. Lc 4, 18-19

℟. Allelúia. ℣. Evangelizáre paupéribus misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem. ℟. Allelúia.

4. Lc 7, 16

℟. Allelúia. ℣. Prophéta magnus surréxit in nobis,
et Deus visitávit plebem suam. ℟. Allelúia.

5. Cf. 1 Tim 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Glória tibi, Christe, prædicáto géntibus;
glória tibi, Christe, crédito in mundo.
℟. Allelúia.

Dominicis et feriis per annum

1. 1 Sam 3, 9; Io 6, 69 b

℟. Allelúia. ℣. Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus;
verba vitæ ætérnæ habes. ℟. Allelúia.

2. Ps 18, 9

℟. Allelúia. ℣. Verba tua, Dómine, lætificántes corda,
sermo tuus illúminans óculos. ℟. Allelúia.

3. Ps 24, 4 c. 5

℟. Allelúia. ℣. Sémitas tuas, Deus meus, édoce me,
dírige me in veritáte tua. ℟. Allelúia.

4. Ps 26, 11

℟. Allelúia. ℣. Legem pone mihi, Dómine, in via tua,
et dírige me in sémitam rectam. ℟. Allelúia.

5. Ps 94, 8 ab

℟. Allelúia. ℣. Hódie nolíte obduráre corda vestra,
sed vocem Dómini audíte. ℟. Allelúia.

6. Ps 110, 8 ab

℟. Allelúia. ℣. Fidélia ómnia mandáta tua, Dómine,
confirmáta in sǽculum sǽculi. ℟. Allelúia.

7. Ps 118, 18

℟. Allelúia. ℣. Revéla óculos meos, Dómine,
et considerábo mirabília de lege tua.
℟. Allelúia.

8. Ps 118, 27

℟. Allelúia. ℣. Viam iustificatiónum tuárum ínstrue me,
et exercébor in mirabílibus tuis.
℟. Allelúia.

9. Ps 118, 34

℟. Allelúia. ℣. Da mihi intelléctum et scrutábor legem tuam, Dómine,
et custódiam illam in toto corde meo.
℟. Allelúia.

10. Ps 118, 36 a. 29 b

℟. Allelúia. ℣. Inclína cor meum, Deus, in testimónia tua;
et legem tuam da mihi benígne. ℟. Allelúia.

11. Ps 118, 88

℟. Allelúia. ℣. Secúndum misericórdiam tuam vivífica me,
et custódiam testimónia oris tui. ℟. Allelúia.

12. Ps 118, 105

℟. Allelúia. ℣. Lucérna pédibus meis verbum tuum,
et lumen sémitis meis. ℟. Allelúia.

13. Ps 118, 135

℟. Allelúia. ℣. Fáciem tuam illúmina super servum tuum,
et doce me iustificatiónes tuas. ℟. Allelúia.

14. Ps 129, 5

℟. Allelúia. ℣. Spero in Dóminum,
spero in verbum eius. ℟. Allelúia.

15. Ps 144, 13 cd

℟. Allelúia. ℣. Fidélis Dóminus in verbis suis,
et sanctus in ómnibus opéribus suis.
℟. Allelúia.

16. Ps 147, 12 a. 15 a

℟. Allelúia. ℣. Lauda, Ierúsalem, Dóminum,
qui emíttit elóquium suum in terra.
℟. Allelúia.

17. Mt 4, 4 b

℟. Allelúia. ℣. Non in solo pane vivit homo,
sed in omni verbo quod procédit de ore Dei.
℟. Allelúia.

18. Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

19. Cf. Lc 8, 15

℟. Allelúia. ℣. Beáti qui in corde bono et óptimo verbum Dei rétinent,
et fructum áfferunt in patiéntia, ℟. Allelúia.

20. Io 6, 64 b. 69 b

℟. Allelúia. ℣. Verba tua, Dómine, spíritus et vita;
verba vitæ ætérnæ habes. ℟. Allelúia.

21. Io 8, 12

℟. Allelúia. ℣. Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me habébit lumen vitæ.
℟. Allelúia.

22. Io 10, 27

℟. Allelúia. ℣. Oves meæ vocem meam áudiunt, dicit Dóminus;
et ego cognósco eas, et sequúntur me.
℟. Allelúia.

23. Io 14, 6

℟. Allelúia. ℣. Ego sum via, véritas et vita, dicit Dóminus;
nemo venit ad Patrem, nisi per me.
℟. Allelúia.

24. Io 14, 23

℟. Allelúia. ℣. Si quis díligit me, sermónem meum servábit, dicit Dóminus;
et Pater meus díliget eum et ad eum veniémus. ℟. Allelúia.

25. Io 15, 15 b

℟. Allelúia. ℣. Vos dixi amícos, dicit Dóminus,
quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis. ℟. Allelúia.

26. Io 17, 17 b. a

℟. Allelúia. ℣. Sermo tuus, Dómine, véritas est;
sanctífica nos in veritáte. ℟. Allelúia.

27. Cf. Act 16, 14 b

℟. Allelúia. ℣. Aperi, Dómine, cor nostrum,
ut intendámus verbis Fílii tui. ℟. Allelúia.

28. 2 Cor 5, 19

℟. Allelúia. ℣. Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi,
et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis.
℟. Allelúia.

29. Cf. Eph 1, 17-18

℟. Allelúia. ℣. Pater Dómini nostri Iesu Christi
illúminet óculos cordis nostri,
ut sciámus quæ sit spes vocatiónis nostræ.
℟. Allelúia.

30. Phil 2, 15-16

℟. Allelúia. ℣. Lucétis sicut luminária in mundo,
verbum vitæ continéntes. ℟. Allelúia.

31. Col 3, 16 a. 17 c

℟. Allelúia. ℣. Verbum Christi hábitet in vobis
abundánter;
grátias ágite Deo et Patri per Christum.
℟. Allelúia.

32. 1 Th 2, 13

℟. Allelúia. ℣. Accípite verbum Dei, non ut verbum hóminum,
sed, sicut est vere, verbum Dei. ℟. Allelúia.

33. 2 Th 2, 14

℟. Allelúia. ℣ Deus vocávit nos per Evangélium,
in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Iesu
Christi. ℟. Allelúia.

34. 2 Tim 1, 10 b

℟. Allelúia. ℣. Salvátor noster Iesus Christus destrúxit
mortem,
et illuminávit vitam per Evangélium.
℟. Allelúia.

35. Hebr 4, 12

℟. Allelúia. ℣. Vivus est sermo Dei et éfficax,
et discrétor cogitatiónum et intentiónum
cordis. ℟. Allelúia.

36. Iac 1, 18

℟. Allelúia. ℣. Voluntárie génuit nos Pater verbo
veritátis,
ut simus inítium áliquod creatúræ eius.
℟. Allelúia.

37. Iac 1, 21

℟. Allelúia. ℣. In mansuetúdine suscípite ínsitum
verbum,
quod potest salváre ánimas vestras.
℟. Allelúia.

38. 1 Petr 1, 25

℟. Allelúia. ℣. Verbum Dómini manet in ætérnum;
hoc est autem verbum quod evangelizátum
est in vos. ℟. Allelúia.

39. 1 Io 2, 5

℟. Allelúia. ℣. Qui servat verbum Christi,
vere in hoc cáritas Dei perfécta est.
℟. Allelúia.

TEXTUS COMMUNES

pro cantu psalmi responsorii

« Psalmus de more sumitur e Lectionario, eo quod singuli textus directo conectuntur cum singulis lectionibus: electio igitur psalmi e lectionibus pendet.

Attamen, ut populus responsum psalmodicum facilius proferre valeat, textus aliqui responsorum et psalmorum pro diversis temporibus anni aut pro diversis ordinibus Sanctorum selecti sunt, qui adhiberi valent, loco textus lectioni respondentis, quoties psalmus cantu profertur » (Institutio generalis Missalis Romani, n. 36).

Responsa

Tempore Adventus

Veni, Dómine, ad liberándum nos.

Tempore Nativitatis

Hódie vídimus glóriam tuam, Dómine.

Per annum

a) cum psalmo laudativo:

Confitémini Dómino, quóniam bonus.

vel

Confitébimur tibi, Dómine,
quia mirabília sunt ópera tua.

vel

Cantáte Dómino cánticum novum.

b) cum psalmo deprecativo:

Prope est Dóminus invocántibus eum.

vel

Exáudi nos, Dómine, et salva nos.

vel

Miserátor et miséricors Dóminus.

Psalmi

Tempore Adventus

Ps 24, 4 bc-5 ab. 8-9. 10 et 14 (℟.: 1 b)

℟. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam.

4 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi,
et sémitas tuas édoce me.
5 Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus salútis meæ. ℟.

8 Dulcis et rectus Dóminus,
propter hoc peccatóres viam docébit;
9 díriget mansuétos in iudício,
docébit mites vias suas. ℟.

10 Univérsæ viæ Dómini misericórdia et véritas
custodiéntibus testaméntum eius et testimónia eius.
14 Familiáriter aget Dóminus cum timéntibus eum,
ut testaméntum suum maniféstet illis. ℟.

vel

Ps 84, 9 ab-10. 11-12. 13-14 (℟.: 8)

℟. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam,
et salutáre tuum da nobis.

9 Audiam quid loquátur Dóminus Deus,
quóniam loquétur pacem ad plebem suam et sanctos suos.
10 Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus,
ut inhábitet glória in terra nostra. ℟.

11 Misericórdia et véritas obviavérunt sibi,
iustítia et pax osculátæ sunt.
12 Véritas de terra orta est,
et iustítia de cælo prospéxit. ℟.

13 Etenim Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.
14 Iustítia ante eum ambulábit,
et ponet in via gressus suos. ℟.

Tempore Nativitatis

97, 1. 2-3 ab. 3 cd-4. 5-6 (℟.: 3 c)

℟. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
Salvávit sibi déxtera eius,
et brácchium sanctum eius. ℟.

2 Notum fecit Dóminus salutáre suum,
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
3 Recordátus est misericórdiæ suæ
et veritátis suæ dómui Israel. ℟.

Vidérunt omnes términi terræ
salutáre Dei nostri.
4 Iubiláte Deo, omnis terra,
erúmpite, exsultáte et psállite. ℟.

5 Psállite Dómino in cíthara,
in cíthara et voce psalmi;
6 in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ,
iubiláte in conspéctu regis Dómini. ℟.

In Epiphania

Ps 71, 2. 7-8. 10-11. 12-13 (℟.: cf. 11)

℟. Adorábunt te, Dómine, omnes gentes terræ.

1 Deus, iudícium tuum regi da,
et iustítiam tuam fílio regis;
2 iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare,
et a flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

10 Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent,
reges Arabum et Saba dona addúcent.

11 Et adorábunt eum omnes reges,
omnes gentes sérvient ei. ℟.
12 Quia liberábit ínopem clamántem,
et páuperem cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi,
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

Tempus per annum

Ps 18, 8. 9. 10. 15 (℟.: Io 6, 64 b)

℟. Verba tua, Dómine, spíritus et vita sunt.

8 Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam,
testimónium Dómini fidéle,
sapiéntiam præstans párvulis. ℟.
9 Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda,
præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. ℟.
10 Timor Dómini mundus, pérmanens in sæculum sæculi,
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul. ℟.
15 Sint, ut compláceant elóquia oris mei,
et meditátio cordis mei in conspéctu tuo,
Dómine, adiútor meus et redémptor meus. ℟.

vel

Ps 26, 1. 4. 13-14 (℟.: 1 a)

℟. Dóminus illuminátio mea et salus mea.

1 Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo? ℟.
4 Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ,
ut vídeam voluptátem Dómini,
et vísitem templum eius. ℟.
13 Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.
14 Exspécta Dóminum, viríliter age,
et confortétur cor tuum et sústine Dóminum. ℟.

vel

Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9 (℟.: 9 a)

℟. Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.

2 Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.
3 In Dómino gloriábitur ánima mea,
áudiant mansuéti et lætántur. ℟.

4 Magnificáte Dóminum mecum,
et exaltémus nomen eius in idípsum.
5 Exquisívi Dóminum, et exaudívit me,
et ex ómnibus terróribus meis erípuit me. ℟.

6 Respícite ad eum, et illumináimini,
et fácies vestræ non confundéntur.
7 Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum,
et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum. ℟.

8 Vallábit Angelus Dómini in circúitu timéntes eum,
et erípiet eos.
9 Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir qui sperat in eo. ℟.

vel

Ps 62, 2. 3-4. 5-6. 8-9 (℟.: 2 b)

℟. Sitívit in te ánima mea, Dómine, Deus meus.

2 Deus, Deus meus es tu, ad te de luce vígilo.
Sitívit in te ánima mea,
te desiderávit caro mea.
In terra desérta et árida et inaquósa. ℟.

3 Sic in sancto appárui tibi,
ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.
4 Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas,
lábia mea laudábunt te. ℟.

5 Sic benedícam te in vita mea,
et in nómine tuo levábo manus meas.
6 Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea,
et lábiis exsultatiónis laudábit os meum. ℟.
8 Quia fuísti adiútor meus,
et in velaménto alárum tuárum exsultábo.
9 Adhǽsit ánima mea post te,
me suscépit déxtera tua. ℟.

vel

Ps 94, 1-2. 6-7. 8-9 (℟.: 8)

℟. Utinam hódie vocem Dómini audiátis:
« Nolíte obduráre corda vestra ».

1 Veníte, exsultémus Dómino;
iubilémus Deo salutári nostro.
2 Præoccupémus fáciem eius in confessióne,
et in psalmis iubilémus ei. ℟.
6 Veníte, adorémus et procidámus,
et génua flectámus ante Dóminum qui fecit nos,
7 quia ipse est Deus noster,
et nos pópulus páscuæ eius et oves manus eius. ℟.
8 Utinam hódie vocem eius audiátis:
« Nolíte obduráre corda vestra,
9 sicut in Meríba secúndum diem Massa in desérto,
ubi tentavérunt me patres vestri:
probavérunt me, etsi vidérunt ópera mea ». ℟.

vel

Ps 99, 2. 3. 5 (℟.: 3 c)

℟. Nos pópulus eius et oves páscuæ eius.

2 Iubiláte Dómino, omnis terra,
servíte Dómino in lætítia;
introíte in conspéctu eius in exsultatióne. ℟.

3 Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus;
ipse fecit nos, et ipsíus sumus,
pópulus eius et oves páscuæ eius. ℟.
5 Quóniam suávis est Dóminus;
in ætérnum misericórdia eius,
et usque in generatiónem et generatiónem véritas eius. ℟.

vel

Ps 102, 1-2. 3-4. 8 et 10. 12-13 (℟.: 8 a)

℟. Miserátor et miséricors Dóminus.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.
3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.
8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
10 Non secúndum peccáta nostra fecit nobis,
neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis. ℟
12 Quantum distat ortus ab occidénte,
longe fecit a nobis iniquitátes nostras.
13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se. ℟.

vel

Ps 144, 1-2, 8-9. 10-11. 13 cd-14 (℟.: cf. 1)

℟. Benedícam nómini tuo in sǽculum, Deus meus rex.
vel Allelúia.

1 Exaltábo te, Deus meus rex,
et benedícam nómini tuo
in sǽculum et in sǽculum sǽculi.

2 Per síngulos dies benedícam tibi,
et laudábo nomen tuum
in sæculum et in sæculum sæculi. ℟.

8 Miserátor et misericors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Suávis Dóminus univérsis,
et miseratiónes eius super ómnia ópera eius. ℟.

10 Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;
et sancti tui benedícant tibi.
11 Glóriam regni tui dicant,
et poténtiam tuam loquántur. ℟.

13 Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis,
et sanctus in ómnibus opéribus suis.
14 Allevat Dóminus omnes qui córruunt,
et érigit omnes depréssos. ℟.

ORDO MISSÆ CUM POPULO

2 Per síngulos dies benedícam tibi,
et laudábo nomen tuum
in sǽculum et in sǽculum sǽculi. ℟.
8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Suávis Dóminus univérsis,
et miseratiónes eius super ómnia ópera eius. ℟.
10 Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;
et sancti tui benedícant tibi.
11 Glóriam regni tui dicant,
et poténtiam tuam loquántur. ℟.
13 Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis,
et sanctus in ómnibus opéribus suis.
14 Allevat Dóminus omnes qui córruunt,
et érigit omnes depréssos. ℟.

ORDO MISSÆ CUM POPULO

ORDO MISSÆ CUM POPULO

Ritus initiales

1. Populo congregato, sacerdos cum ministris ad altare accedit, dum cantus ad introitum peragitur.

2. Cum ad altare pervenerit, facta cum ministris debita reverentia, osculo altare veneratur et, pro opportunitate, illud incensat. Postea cum ministris sedem petit.

Cantu ad introitum absoluto, sacerdos et fideles, stantes, signant se, dum sacerdos, ad populum conversus, dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Populus respondet:

Amen.

Deinde sacerdos, manus extendens, populum salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi, et cáritas Dei,
et communicátio Sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis.

vel:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Episcopus, loco Dóminus vobíscum, in hac prima salutatione dicit: Pax vobis.

Vel:

℣. Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo.

℟. Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi.

Vel:

℟. Et cum spíritu tuo.

---

3. Sacerdos, vel diaconus vel alius minister idoneus, potest brevissimis verbis introducere fideles in Missam illius diei.

Deinde sequitur actus pænitentialis. Sacerdos fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra,
ut apti simus ad sacra mystéria celebránda.

Fit brevis pausa silentii. Postea omnes simul faciunt confessionem:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et, percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos,
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Populus respondet:

Amen.

Loco præcedentis actus pænitentialis unus e sequentibus adhiberi potest:

I. Sacerdos fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra,
ut apti simus ad sacra mystéria celebránda.

Fit brevis pausa silentii.
Postea sacerdos dicit:

Miserére nostri, Dómine.

Populus respondet:

Quia peccávimus tibi.

Sacerdos:

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

Populus:

Et salutáre tuum da nobis.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Populus respondet:

Amen.

II. Sacerdos fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra,
ut apti simus ad sacra mystéria celebránda.

Fit brevis pausa silentii.

Deinde sacerdos, vel alius minister idoneus, sequentes, vel alias, invocationes cum Kýrie, eléison profert:

Qui missus es sanáre contrítos corde: Kýrie, eléison.

Populus respondet:

Kýrie, eléison.

Sacerdos:

Qui peccatóres vocáre venísti: Christe, eléison.

Populus:

Christe, eléison.

Sacerdos:

Qui ad déxteram Patris sedes, ad interpellándum pro nobis: Kýrie, eléison.

Populus:

Kýrie, eléison.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Populus respondet:

Amen.

---

4. Sequuntur invocationes **Kýrie, eléison,** nisi iam præcesserint in aliqua formula actus pænitentialis.

℣. Kýrie, eléison. ℟. Kýrie, eléison.
℣. Christe, eléison. ℟. Christe, eléison.
℣. Kýrie, eléison. ℟. Kýrie, eléison.

5. Deinde, quando præscribitur, cantatur vel dicitur hymnus:

Glória in excélsis Deo
et in terra pax homínibus bonæ voluntátis.
Laudámus te,
benedícimus te,
adorámus te,
glorificámus te,
grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam,
Dómine Deus, Rex cæléstis,
Deus Pater omnípotens.
Dómine Fili unigénite, Iesu Christe,
Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris,
qui tollis peccáta mundi, miserére nobis;
qui tollis peccáta mundi, súscipe deprecatiónem nostram.
Qui sedes ad déxteram Patris, miserére nobis.
Quóniam tu solus Sanctus, tu solus Dóminus,
tu solus Altíssimus,
Iesu Christe, cum Sancto Spíritu: in glória Dei Patris.
Amen.

6. Quo hymno finito, sacerdos, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et omnes una cum sacerdote per aliquod temporis spatium in silentio orant.

Tunc sacerdos, manibus extensis, dicit orationem; qua finita, populus acclamat:

Amen.

Liturgia verbi

7. Deinde lector ad ambonem pergit, et legit primam lectionem, quam omnes sedentes auscultant.

Ad finem lectionis significandam, lector subdit:

Verbum Dómini.

Omnes acclamant:

Deo grátias.

8. Psalmista, seu cantor, psalmum dicit, populo responsum proferente.

9. Postea, si habenda sit secunda lectio, lector eam in ambone legit, ut supra.

Ad finem lectionis significandam, lector subdit:

Verbum Dómini.

Omnes acclamant:

Deo grátias.

10. Sequitur Allelúia, vel alter cantus.

11. Interim sacerdos incensum, si adhibetur, imponit. Postea diaconus, Evangelium prolaturus, ante sacerdotem inclinatus, benedictionem petit, submissa voce dicens:

Iube, domne, benedícere.

Sacerdos submissa voce dicit:

Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis:
ut digne et competénter annúnties Evangélium suum:
in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

Diaconus respondet:

Amen.

Si vero non adest diaconus, sacerdos ante altare inclinatus secreto dicit:

Munda cor meum ac lábia mea, omnípotens Deus,
ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre.

12. Postea diaconus, vel sacerdos, ad ambonem pergit, ministris pro opportunitate cum incenso et cereis eum comitantibus, et dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Diaconus, vel sacerdos:

Léctio sancti Evangélii secúndum N.,

et interim signat librum et seipsum in fronte, ore et pectore.

Populus acclamat:

Glória tibi, Dómine.

Deinde diaconus, vel sacerdos, librum, si incensum adhibetur, turificat, et Evangelium proclamat.

13. Finito Evangelio, diaconus vel sacerdos dicit:

Verbum Dómini,

omnibus acclamantibus:

Laus tibi, Christe.

Deinde librum osculatur dicens secreto:

Per evangélica dicta deleántur nostra delícta.

14. Deinde fit homilia, quæ habenda est omnibus diebus dominicis et festis de præcepto; aliis diebus commendatur.

15. Homilia expleta, fit, quando præscribitur, prófessio fidei:

Credo in unum Deum,
Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ,
visibílium ómnium et invisibílium.
Et in unum Dóminum Iesum Christum,
Fílium Dei unigénitum,
et ex Patre natum ante ómnia sæcula.
Deum de Deo, lumen de lúmine,
Deum verum de Deo vero,
génitum, non factum, consubstantiálem Patri:
per quem ómnia facta sunt.
Qui propter nos hómines et propter nostram salútem
descéndit de cælis.

Ad verba quæ sequuntur, usque ad factus est, omnes se inclinant.

Et incarnátus est de Spíritu Sancto
ex María Vírgine, et homo factus est.
Crucifíxus étiam pro nobis sub Póntio Piláto;
passus et sepúltus est,
et resurréxit tértia die, secúndum Scriptúras,
et ascéndit in cælum, sedet ad déxteram Patris.
Et íterum ventúrus est cum glória,
iudicáre vivos et mórtuos,
cuius regni non erit finis.
Et in Spíritum Sanctum, Dóminum et vivificántem:
qui ex Patre Filióque procédit.
Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur:
qui locútus est per prophétas.
Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiam.
Confíteor unum baptísma in remissiónem peccatórum.
Et exspécto resurrectiónem mortuórum,
et vitam ventúri sæculi. Amen.

16. Deinde fit oratio universalis, seu oratio fidelium.

Liturgia eucharistica

17. His absolutis, incipit cantus ad offertorium. Interim ministri corporale, purificatorium, calicem et missale in altari collocant.

18. Expedit ut fideles participationem suam oblatione manifestent, afferendo sive panem et vinum ad Eucharistiæ celebrationem, sive alia dona, quibus necessitatibus Ecclesiæ et pauperum subveniatur.

19. Sacerdos, stans ad altare, accipit patenam cum pane, eamque aliquantulum elevatam super altare tenet, secreto dicens:

Benedíctus es, Dómine, Deus univérsi,
quia de tua largitáte accépimus panem,
quem tibi offérimus,
fructum terræ et óperis mánuum hóminum:
ex quo nobis fiet panis vitæ.

Deinde deponit patenam cum pane super corporale.

Si vero cantus ad offertorium non peragitur, sacerdoti licet hæc verba elata voce proferre; in fine populus acclamare potest:

Benedíctus Deus in sǽcula.

20. Diaconus, vel sacerdos, infundit vinum et parum aquæ in calicem, dicens secreto:

Per huius aquæ et vini mystérium
eius efficiámur divinitátis consórtes,
qui humanitátis nostræ fíeri dignátus est párticeps.

21. Postea sacerdos accipit calicem, eumque aliquantulum elevatum super altare tenet, secreto dicens:

Benedíctus es, Dómine, Deus univérsi,
quia de tua largitáte accépimus vinum,
quod tibi offérimus,
fructum vitis et óperis mánuum hóminum,
ex quo nobis fiet potus spiritális.

Deinde calicem super corporale deponit.

Si vero cantus ad offertorium non peragitur, sacerdoti licet hæc verba elata voce proferre; in fine populus acclamare potest:

Benedíctus Deus in sǽcula.

22. Postea sacerdos, inclinatus, dicit secreto:

In spíritu humilitátis et in ánimo contríto
suscipiámur a te, Dómine;
et sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie,
ut pláceat tibi, Dómine Deus.

23. Et, pro opportunitate, incensat oblata et altare. Postea vero diaconus vel minister incensat sacerdotem et populum.

24. Deinde sacerdos, stans ad latus altaris, lavat manus, dicens secreto:

Lava me, Dómine, ab iniquitáte mea,
et a peccáto meo munda me.

25. Stans postea in medio altaris, versus ad populum, extendens et iungens manus, dicit:

Oráte, fratres:
ut meum ac vestrum sacrifícium
acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipoténtem.

Populus respondet:

Suscípiat Dóminus sacrifícium de mánibus tuis
ad laudem et glóriam nóminis sui,
ad utilitátem quoque nostram
totiúsque Ecclésiæ suæ sanctæ.

26. *Deinde, manibus extensis, sacerdos dicit orationem super oblata; qua finita, populus acclamat:* **Amen.**

PREX EUCHARISTICA

27. Tunc sacerdos incipit Precem eucharisticam.

Manus extendens, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Sacerdos, manus elevans, prosequitur:

Sursum corda.

Populus:

Habémus ad Dóminum.

Sacerdos, manibus extensis, subdit:

Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Populus:

Dignum et iustum est.

Sacerdos prosequitur præfationem manibus extensis.

In fine autem præfationis iungit manus et, una cum populo, ipsam præfationem concludit, cantans vel clara voce dicens:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

28. In omnibus Missis licet sacerdoti celebranti illas partes Precis eucharisticæ cantare, quæ in Missis concelebratis cantari possunt, prout in fine Missalis notatur.

In Prece eucharistica prima, seu Canone Romano, ea quæ inter parentheses includuntur omitti possunt.

PRÆFATIO I DE ADVENTU

De duobus adventibus Christi

29. Sequens præfatio dicitur: in Missis de tempore a prima dominica Adventus usque ad diem 16 decembris; in ceteris Missis, quæ celebrantur eodem tempore et præfatione propria carent.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, primo advéntu in humilitáte carnis assúmptæ,
dispositiónis antíquæ munus implévit,
nobísque salútis perpétuæ trámitem reserávit:
ut, cum secúndo vénerit in suæ glória maiestátis,
manifésto demum múnere capiámus,
quod vigilántes nunc audémus exspectáre promíssum.

Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO II DE ADVENTU

De duplici expectatione Christi

30. Sequens præfatio dicitur: in Missis de tempore a die 17 ad diem 24 decembris; in ceteris Missis, quæ celebrantur eodem tempore et præfatione propria carent.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Quem prædixérunt cunctórum præcónia prophetárum,
Virgo Mater ineffábili dilectióne sustínuit,
Ioánnes cécinit affutúrum et adésse monstrávit.
Qui suæ nativitátis mystérium
tríbuit nos præveníre gaudéntes,
ut et in oratióne pervígiles
et in suis invéniat láudibus exsultántes.

Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO I DE NATIVITATE DOMINI

De Christo luce

31. Sequens præfatio dicitur: in Missis de Nativitate Domini et de eiusdem octava; infra octavam Nativitatis Domini, etiam in Missis, quæ secus præfationem propriam haberent, exceptis iis Missis quæ præfationem propriam de divinis mysteriis vel Personis habent; et in feriis temporis Nativitatis.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Quia per incarnáti Verbi mystérium
nova mentis nostræ óculis lux tuæ claritátis infúlsit:
ut, dum visibíliter Deum cognóscimus,
per hunc in invisibílium amórem rapiámur.
Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium, ut infra, p. 789.

In Missa quæ celebratur in Vigilia et in nocte Nativitatis Domini dicitur: et noctem sacratíssimam celebrántes, qua, etc.; deinde semper dicitur: et diem sacratíssimum celebrántes, quo, etc., usque ad octavam Nativitatis Domini inclusive.

PRÆFATIO II DE NATIVITATE DOMINI

De restauratione universa in Incarnatione

32. Sequens præfatio dicitur in Missis de Nativitate Domini et de eiusdem octava; infra octavam Nativitatis Domini, etiam in Missis, quæ secus præfationem propriam haberent, exceptis iis Missis quæ præfationem propriam de divinis mysteriis vel Personis habent; et in feriis temporis Nativitatis.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
Qui, in huius venerándi festivitáte mystérii,
invisíbilis in suis, visíbilis in nostris appáruit,
et ante témpora génitus esse cœpit in témpore;
ut, in se érigens cuncta deiécta,
in íntegrum restitúeret univérsa,
et hóminem pérditum ad cæléstia regna revocáret.
Unde et nos, cum ómnibus Angelis, te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium, ut infra, p. 789.

In Missa quæ celebratur in Vigilia et in nocte Nativitatis Domini dicitur: et noctem sacratíssimam celebrántes, qua, etc.; deinde semper dicitur: et diem sacratíssimum celebrántes, quo, etc., usque ad octavam Nativitatis Domini inclusive.

PRÆFATIO III DE NATIVITATE DOMINI

De commercio in Incarnatione Verbi

33. Sequens præfatio dicitur in Missis de Nativitate Domini et de eiusdem octava; infra octavam Nativitatis Domini, etiam in Missis, quæ secus præfationem propriam haberent, exceptis iis Missis quæ præfationem propriam de divinis mysteriis vel Personis habent; et in feriis temporis Nativitatis.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
Per quem hódie commércium nostræ reparatiónis effúlsit,
quia, dum nostra fragílitas a tuo Verbo suscípitur,
humána mortálitas non solum in perpétuum
transit honórem,
sed nos quoque, mirándo consórtio, reddit ætérnos.
Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur **Communicántes** proprium, ut infra, p. 789.

In Missa quæ celebratur in Vigilia et in nocte Nativitatis Domini dicitur: et noctem sacratíssimam celebrántes, qua, etc.; deinde semper dicitur: et diem sacratíssimum celebrántes, quo, etc., usque ad octavam Nativitatis Domini inclusive.

PRÆFATIO DE EPIPHANIA DOMINI

De Christo lumine gentium

34. Sequens præfatio dicitur in Missis de sollemnitate Epiphaniæ. Dici potest, una cum præfationibus de Nativitate, etiam diebus post Epiphaniam usque ad sabbatum, quod præcedit festum Baptismi Domini.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Quia ipsum in Christo salútis nostræ mystérium
hódie ad lumen géntium revelásti,
et, cum in substántia nostræ mortalitátis appáruit,
nova nos immortalitátis eius glória reparásti.

Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

In sollemnitate Epiphaniæ, quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium, ut infra, p. 789.

PRÆFATIO I DE PASSIONE DOMINI

De virtute Crucis

39. Sequens præfatio dicitur in Missis de mysteriis Crucis et Passionis Domini.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Quia per Fílii tui salutíferam passiónem
totus mundus sensum confiténdæ tuæ maiestátis accépit,
dum ineffábili crucis poténtia
iudícium mundi et potéstas émicat Crucifíxi.
Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis,
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO I DE DOMINICIS « PER ANNUM »

De mysterio paschali et de populo Dei

48. Sequens præfatio dicitur in dominicis « per annum ».

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius hoc miríficum fuit opus per paschále mystérium,
ut de peccáto et mortis iugo ad hanc glóriam vocarémur,
qua nunc genus eléctum, regále sacerdótium,
gens sancta et acquisitiónis pópulus dicerémur,
et tuas annuntiarémus ubíque virtútes,
qui nos de ténebris ad tuum admirábile lumen vocásti.

Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO II DE DOMINICIS « PER ANNUM »

De mysterio salutis

49. Sequens præfatio dicitur in dominicis « per annum ».

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, humánis miserátus erróribus,
de Vírgine nasci dignátus est.
Qui, crucem passus, a perpétua morte nos liberávit
et, a mórtuis resúrgens, vitam nobis donávit ætérnam.

Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO III DE DOMINICIS « PER ANNUM »

De salvatione hominis per hominem

50. Sequens præfatio dicitur in dominicis « per annum ».

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Ad cuius imménsam glóriam pertinére cognóscimus
ut mortálibus tua deitáte succúrreres;
sed et nobis providéres
de ipsa mortalitáte nostra remédium,
et pérditos quosque unde períerant, inde salváres,
per Christum Dóminum nostrum.
Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas,
deprecámur, sócia exsultatióne dicéntes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO IV DE DOMINICIS « PER ANNUM »

De historia salutis

51. Sequens præfatio dicitur in dominicis « per annum ».

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim nascéndo vetustátem hóminum renovávit,
patiéndo delévit nostra peccáta,
ætérnæ vitæ áditum præstitit a mórtuis resurgéndo,
ad te Patrem ascendéndo cæléstes iánuas reserávit.

Et ídeo, cum Angelórum atque Sanctórum turba,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO V DE DOMINICIS « PER ANNUM »
De creatione

52. Sequens præfatio dicitur in dominicis « per annum ».

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Qui ómnia mundi eleménta fecísti,
et vices disposuísti témporum variári;
hóminem vero formásti ad imáginem tuam,
et rerum ei subiecísti univérsa mirácula,
ut vicário múnere dominarétur ómnibus quæ creásti,
et in óperum tuórum magnálibus iúgiter te laudáret,
per Christum Dóminum nostrum.
Unde et nos cum ómnibus Angelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO VI DE DOMINICIS « PER ANNUM »

De pignore æterni Paschatis

53. Sequens præfatio dicitur in dominicis « per annum ».

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

In quo vívimus, movémur et sumus,
atque in hoc córpore constitúti
non solum pietátis tuæ cotidiános experímur efféctus,
sed æternitátis étiam pígnora iam tenémus.
Primítias enim Spíritus habéntes,
per quem suscitásti Iesum a mórtuis,
paschále mystérium sperámus nobis esse perpétuum.

Unde et nos cum ómnibus Angelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO VII DE DOMINICIS « PER ANNUM »

De salute per obœdientiam Christi

54. Sequens præfatio dicitur in dominicis « per annum ».

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Quia sic mundum misericórditer dilexísti,
ut ipsum nobis mítteres Redemptórem,
quem absque peccáto
in nostra voluísti similitúdine conversári,
ut amáres in nobis quod diligébas in Fílio,
cuius obœdiéntia sumus ad tua dona reparáti,
quæ per inobœdiéntiam amiserámus peccándo.
Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO VIII DE DOMINICIS « PER ANNUM »

De Ecclesia adunata ex unitate Trinitatis

55. Sequens præfatio dicitur in dominicis « per annum ».

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Quia fílios, quos longe peccáti crimen abstúlerat,
per sánguinem Fílii tui Spiritúsque virtúte,
in unum ad te dénuo congregáre voluísti:
ut plebs, de unitáte Trinitátis adunáta,
in tuæ laudem sapiéntiæ multifórmis
Christi corpus templúmque Spíritus noscerétur Ecclésia.
Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO I DE SS.MA EUCHARISTIA

De sacrificio et de sacramento Christi

56. Sequens præfatio dici potest etiam in Missis votivis de Ss.ma Eucharistia.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, verus æternúsque Sacérdos,
formam sacrifícii perénnis instítuens,
hóstiam tibi se primus óbtulit salutárem,
et nos, in sui memóriam, præcépit offérre.
Cuius carnem pro nobis immolátam
dum súmimus, roborámur,
et fusum pro nobis sánguinem dum potámus, ablúimur.

Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO II DE SS.MA EUCHARISTIA

De fructibus sanctissimæ Eucharistiæ

57. Sequens præfatio dicitur in Missis votivis de Ss.ma Eucharistia.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
Qui cum Apóstolis suis in novíssima cena convéscens,
salutíferam crucis memóriam prosecutúrus in sǽcula,
Agnum sine mácula se tibi óbtulit,
perféctæ laudis munus accéptum.
Quo venerábili mystério fidéles tuos aléndo sanctíficas,
ut humánum genus, quod cóntinet unus orbis,
una fides illúminet, cáritas una coniúngat.
Ad mensam ígitur accédimus tam mirábilis sacraménti,
ut, grátiæ tuæ suavitáte perfúsi,
ad cæléstis formæ imáginem transeámus.
Propter quod cæléstia tibi atque terréstria
cánticum novum cóncinunt adorándo,
et nos cum omni exércitu Angelórum
proclamámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

PRÆFATIO I DE BEATA MARIA VIRGINE

De maternitate B. Mariæ V.

58. Sequens præfatio dicitur in Missis de B. Maria V., addita suo loco mentione celebrationis diei, prout in singulis Missis indicatur.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Et te in . . . beátæ Maríæ semper Vírginis collaudáre,
benedícere et prædicáre.
Quæ et Unigénitum tuum
Sancti Spíritus obumbratióne concépit,
et, virginitátis glória permanénte,
lumen ætérnum mundo effúdit,
Iesum Christum Dóminum nostrum.
Per quem maiestátem tuam laudant Angeli,
adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes.
Cæli cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim,
sócia exsultatióne concélebrant.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas,
deprecámur, súpplici confessióne dicéntes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO II DE BEATA MARIA VIRGINE

Ecclesia, verbis Mariæ, laudes Deo persolvit

59. Sequens præfatio dicitur in Missis de B. Maria V.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
in ómnium Sanctórum provéctu te mirábilem confitéri,
et potíssimum,
beátæ Vírginis Maríæ memóriam recoléntes,
cleméntiam tuam ipsíus grato magnificáre præcónio.

Vere namque in omnes terræ fines magna fecísti,
ac tuam in sǽcula prorogásti misericórdiæ largitátem,
cum, ancíllæ tuæ humilitátem aspíciens,
per eam dedísti humánæ salútis auctórem,
Fílium tuum, Iesum Christum, Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas,
deprecámur, sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO DE ANGELIS

De gloria Dei per Angelos

60. Sequens præfatio dicitur in Missis de Ss. Angelis.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Et in Archángelis Angelísque tuis
tua præcónia non tacére,
quia ad excelléntiam tuam recúrrit et glóriam
quod angélica creatúra tibi probábilis honorétur:
et, cum illa sit amplo decóre digníssima,
tu quam sis imménsus
et super ómnia præferéndus osténderis,
per Christum Dóminum nostrum.
Per quem multitúdo Angelórum
tuam célebrat maiestátem,
quibus adorántes in exsultatióne coniúngimur,
una cum eis laudis voce clamántes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO DE S. IOSEPH, SPONSO B. M. V.

De missione S. Ioseph

61. Sequens præfatio dicitur in Missis de S. Ioseph, addita suo loco mentione celebrationis diei, prout in singulis Missis indicatur.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Et te in . . . beáti Ioseph
débitis magnificáre præcóniis, benedícere et prædicáre.
Qui et vir iustus, a te Deíparæ Vírgini Sponsus est datus,
et fidélis servus ac prudens,
super Famíliam tuam est constitútus,
ut Unigénitum tuum,
Sancti Spíritus obumbratióne concéptum,
patérna vice custodíret,
Iesum Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam laudant Angeli,
adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes.
Cæli cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim,
sócia exsultatióne concélebrant.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas,
deprecámur, súpplici confessióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

PRÆFATIO I DE APOSTOLIS

De Apostolis pastoribus populi Dei

62. Sequens præfatio dicitur in Missis Apostolorum, præsertim sanctorum Petri et Pauli.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui gregem tuum, Pastor ætérne, non déseris,
sed per beátos Apóstolos contínua protectióne custódis,
ut iísdem rectóribus gubernétur,
quos Fílii tui vicários eídem contulísti præésse pastóres.

Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO II DE APOSTOLIS

De apostolico fundamento et testimonio

63. Sequens præfatio dicitur in Missis Apostolorum et Evangelistarum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Quóniam Ecclésiam tuam
in apostólicis tribuísti consístere fundaméntis,
ut signum sanctitátis tuæ
in terris manéret ipsa perpétuum,
et cæléstia præbéret cunctis homínibus documénta.

Quaprópter nunc et usque in sǽculum
cum omni milítia Angelórum
devóta tibi mente concínimus,
clamántes atque dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO I DE SANCTIS

De gloria Sanctorum

64. Sequens præfatio dicitur in Missis « de Omnibus Sanctis », de Sanctis Patronis et Titularibus ecclesiæ, et in sollemnitatibus et festis Sanctorum, nisi præfatio magis propria sit dicenda. Dici potest in memoriis Sanctorum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Qui in Sanctórum concílio celebráris,
et, eórum coronándo mérita, tua dona corónas.
Qui nobis eórum conversatióne largíris exémplum,
et communióne consórtium, et intercessióne subsídium;
ut, tantis téstibus confirmáti,
ad propósitum certámen currámus invícti
et immarcescíbilem cum eis corónam glóriæ consequámur,
per Christum Dóminum nostrum.
Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cumque multíplici congregatióne Sanctórum,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO II DE SANCTIS

De actione Sanctorum

65. Sequens præfatio dicitur in Missis « de Omnibus Sanctis », de Sanctis Patronis et Titularibus ecclesiæ, et in sollemnitatibus et festis Sanctorum, nisi præfatio magis propria sit dicenda. Dici potest in memoriis Sanctorum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
Tu enim Sanctórum tuórum confessióne mirábili
Ecclésiam tuam nova semper virtúte fecúndas,
nobísque certíssima præbes tuæ dilectiónis indícia.
Sed étiam, ad mystéria salútis implénda,
et ipsórum insígni incitámur exémplo
et pia intercessióne perpétuo commendámur.
Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO DE SANCTIS MARTYRIBUS
De signo et exemplo martyrii

66. Sequens præfatio dicitur in sollemnitatibus et festis Ss. Martyrum. Dici potest in memoriis ipsorum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Quóniam beáti mártyris N. pro confessióne nóminis tui,
ad imitatiónem Christi,
sanguis effúsus tua mirabília maniféstat,
quibus pérficis in fragilitáte virtútem,
et vires infírmas ad testimónium róboras,
per Christum Dóminum nostrum.
Et ídeo, cum cælórum Virtútibus,
in terris te iúgiter celebrámus,
maiestáti tuæ sine fine clamántes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO DE SANCTIS PASTORIBUS

De præsentia sanctorum Pastorum in Ecclesia

67. Sequens præfatio dicitur in sollemnitatibus et festis Ss. Pastorum. Dici potest in memoriis ipsorum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
Quia sic tríbuis Ecclésiam tuam
sancti N. festivitáte gaudére,
ut eam exémplo piæ conversatiónis corróbores,
verbo prædicatiónis erúdias,
gratáque tibi supplicatióne tueáris.
Et ídeo, cum Angelórum atque Sanctórum turba,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO DE SANCTIS VIRGINIBUS ET RELIGIOSIS

De signo vitæ Deo consecratæ

68. Sequens præfatio dicitur in sollemnitatibus et festis Ss. Virginum et Ss. Religiosorum. Dici potest in memoriis ipsorum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
In Sanctis enim, qui Christo se dedicavérunt
propter regnum cælórum,
tuam decet providéntiam celebráre mirábilem,
qua humánam substántiam
et ad primæ oríginis révocas sanctitátem,
et ad experiénda dona,
quæ in novo sæculo sunt habénda, perdúcis.
Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO COMMUNIS I

De universali restauratione in Christo

69. Sequens præfatio dicitur in Missis, quæ præfatione propria carent, nec sumere debent præfationem de tempore.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
In quo ómnia instauráre tibi complácuit,
et de plenitúdine eius nos omnes accípere tribuísti.
Cum enim in forma Dei esset, exinanívit semetípsum,
ac per sánguinem crucis suæ pacificávit univérsa;
unde exaltátus est super ómnia
et ómnibus obtemperántibus sibi
factus est causa salútis ætérnæ.
Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus,
sine fine dicéntes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO COMMUNIS II

De salute per Christum

70. Sequens præfatio dicitur in Missis, quæ præfatione propria carent, nec sumere debent præfationem de tempore.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Qui bonitáte hóminem condidísti,
ac iustítia damnátum misericórdia redemísti:
per Christum Dóminum nostrum.
Per quem maiestátem tuam laudant Angeli,
adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes.
Cæli cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim,
sócia exsultatióne concélebrant.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas,
deprecámur, súpplici confessióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO COMMUNIS III

Laudes Deo pro creatione et reformatione hominis

71. Sequens præfatio dicitur in Missis, quæ præfatione propria carent, nec sumere debent præfationem de tempore.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Qui per Fílium dilectiónis tuæ,
sicut cónditor géneris es humáni,
ita benigníssimus reformátor.
Unde mérito tibi cunctæ sérviunt creatúræ,
te redémpti rite colláudant univérsi,
et uno Sancti tui te corde benedícunt.
Quaprópter et nos cum ómnibus te Angelis celebrámus,
iucúnda semper confessióne dicéntes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO COMMUNIS IV
De laude, dono Dei

72. Sequens præfatio dicitur in Missis, quæ præfatione propria carent, nec sumere debent præfationem de tempore.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Quia, cum nostra laude non égeas,
tuum tamen est donum quod tibi grates rependámus,
nam te non augent nostra præcónia,
sed nobis profíciunt ad salútem,
per Christum Dóminum nostrum.
Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO COMMUNIS V

Proclamatio mysterii Christi

73. Sequens præfatio dicitur in Missis, quæ præfatione propria carent, nec sumere debent præfationem de tempore.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius mortem in caritáte celebrámus,
resurrectiónem fide vívida confitémur,
adventum in glória spe firmíssima præstolámur.

Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO COMMUNIS VI
De mysterio salutis in Christo

74. Sequens præfatio, e Prece eucharistica II (p. 795) deprompta, dicitur in Missis, quæ præfatione propria carent, nec sumere debent præfationem de tempore.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere
per Fílium dilectiónis tuæ Iesum Christum,
Verbum tuum per quod cuncta fecísti:
quem misísti nobis Salvatórem et Redemptórem,
incarnátum de Spíritu Sancto et ex Vírgine natum.
Qui voluntátem tuam adímplens
et pópulum tibi sanctum acquírens
exténdit manus cum paterétur,
ut mortem sólveret et resurrectiónem manifestáret.
Et ídeo cum Angelis et ómnibus Sanctis
glóriam tuam prædicámus, una voce dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO I DE DEFUNCTIS

De spe resurrectionis in Christo

75. Sequens præfatio dicitur in Missis defunctorum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
In quo nobis spes beátæ resurrectiónis effúlsit,
ut, quos contrístat certa moriéndi condício,
eósdem consolétur futúræ immortalitátis promíssio.
Tuis enim fidélibus, Dómine, vita mutátur, non tóllitur,
et, dissolúta terréstris huius incolátus domo,
ætérna in cælis habitátio comparátur.
Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatiónibus,
cumque omni milítia cæléstis exércitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO II DE DEFUNCTIS

Christus mortuus est pro vita nostra

76. Sequens præfatio dicitur in Missis defunctorum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Ipse enim mortem unus accépit,
ne omnes nos morerémur;
immo unus mori dignátus est,
ut omnes tibi perpétuo viverémus.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO III DE DEFUNCTIS

Christus, salus et vita

77. Sequens præfatio dicitur in Missis defunctorum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum:
Qui est salus mundi, vita hóminum,
resurréctio mortuórum.
Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas,
deprecámur, sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO IV DE DEFUNCTIS

De vita terrena ad gloriam cælestem

78. Sequens præfatio dicitur in Missis defunctorum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Cuius império náscimur, cuius arbítrio régimur,
cuius præcépto in terra, de qua sumpti sumus,
peccáti lege absólvimur.
Et, qui per mortem Fílii tui redémpti sumus,
ad ipsíus resurrectiónis glóriam
tuo nutu excitámur.
Et ídeo, cum Angelórum atque Sanctórum turba,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO V DE DEFUNCTIS
De resurrectione nostra per victoriam Christi

79. Sequens præfatio dicitur in Missis defunctorum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Quia, etsi nostri est mériti quod perímus,
tuæ tamen est pietátis et grátiæ
quod, pro peccáto morte consúmpti,
per Christi victóriam redémpti,
cum ipso revocámur ad vitam.

Et ídeo, cum cælórum Virtútibus,
in terris te iúgiter celebrámus,
maiestáti tuæ sine fine clamántes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

Aliæ formulæ breviores introductionis et conclusionis pro præfationibus, quæ ad libitum adhiberi possunt, præsertim a Conferentiis Episcopalibus in apparandis popularibus interpretationibus, inveniuntur in Appendice (pp. 829-831).

PRECES EUCHARISTICÆ

PREX EUCHARISTICA I
SEU CANON ROMANUS

80. Sacerdos, manibus extensis, dicit:

Te ígitur, clementíssime Pater,
per Iesum Christum, Fílium tuum,
Dóminum nostrum,
súpplices rogámus ac pétimus,
iungit manus et dicit:
uti accépta hábeas
signat semel super panem et calicem simul, dicens:
et benedícas ✠ hæc dona, hæc múnera,
hæc sancta sacrifícia illibáta,
extensis manibus prosequitur:
in primis, quæ tibi offérimus
pro Ecclésia tua sancta cathólica:
quam pacificáre, custodíre, adunáre
et régere dignéris toto orbe terrárum:
una cum fámulo tuo Papa nostro N.
et Antístite nostro N. *
et ómnibus orthodóxis
atque cathólicæ et apostólicæ fídei cultóribus.

81. Commemoratio pro vivis.

Meménto, Dómine, famulórum
famularúmque tuárum N. et N.

Iungit manus et orat aliquantulum pro quibus orare intendit.

Deinde, manibus extensis, prosequitur:

---

* Hic fieri potest mentio de Episcopis Coadiutoribus vel Auxiliariis, ut in « Institutione generali Missalis Romani », n. 109, notatur.

et ómnium circumstántium,
quorum tibi fides cógnita est et nota devótio,
pro quibus tibi offérimus:
vel qui tibi ófferunt hoc sacrifícium laudis,
pro se suísque ómnibus:
pro redemptióne animárum suárum,
pro spe salútis et incolumitátis suæ:
tibíque reddunt vota sua
ætérno Deo, vivo et vero.

82. Infra Actionem.

Communicántes,
et memóriam venerántes,
in primis gloriósæ semper Vírginis Maríæ,
Genetrícis Dei et Dómini nostri Iesu Christi:
† sed et beáti Ioseph, eiúsdem Vírginis Sponsi,
et beatórum Apostolórum ac Mártyrum tuórum,
Petri et Pauli, Andréæ,
(Iacóbi, Ioánnis,
Thomæ, Iacóbi, Philíppi,
Bartholomǽi, Matthǽi,
Simónis et Thaddǽi:
Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti,
Cornélii, Cypriáni,
Lauréntii, Chrysógoni,
Ioánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni)
et ómnium Sanctórum tuórum;
quorum méritis precibúsque concédas,
ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

COMMUNICANTES PROPRIA

In Nativitate Domini et per octavam

83. Communicántes,
et (noctem sacratíssimam)
diem sacratíssimum celebrántes,
(qua) quo beátæ Maríæ intemeráta virgínitas
huic mundo édidit Salvatórem:
sed et memóriam venerántes,
in primis eiúsdem gloriósæ semper Vírginis Maríæ,
Genetrícis eiúsdem Dei et Dómini nostri Iesu Christi: †

In Epiphania Domini

84. Communicántes,
et diem sacratíssimum celebrántes,
quo Unigénitus tuus,
in tua tecum glória coætérnus,
in veritáte carnis nostræ visibíliter corporális appáruit:
sed et memóriam venerántes,
in primis gloriósæ semper Vírginis Maríæ,
Genetrícis eiúsdem Dei et Dómini nostri Iesu Christi: †

---

88. Manibus extensis, prosequitur:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias:
diésque nostros in tua pace dispónas,
atque ab ætérna damnatióne nos éripi
et in electórum tuórum iúbeas grege numerári.
Iungit manus.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

90. Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, quǽsumus,
benedíctam, adscríptam, ratam,
rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris:
ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectíssimi Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi.

Iungit manus.

91. In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Qui, prídie quam paterétur,
accipit panem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:
accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas,
elevat oculos,
et elevátis óculis in cælum
ad te Deum Patrem suum omnipoténtem,
tibi grátias agens benedíxit,
fregit,
dedítque discípulis suis, dicens:
parum se inclinat

Accípite et manducáte ex hoc omnes:

hoc est enim Corpus meum,

quod pro vobis tradétur.

Hostiam consecratam ostendit populo, reponit super patenam, et genuflexus adorat.

92. Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est,
accipit calicem,

eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:
accípiens et hunc præclárum cálicem
in sanctas ac venerábiles manus suas,
item tibi grátias agens benedíxit,
dedítque discípulis suis, dicens:
parum se inclinat

Accípite et bíbite ex eo omnes:

hic est enim calix Sánguinis mei
novi et ætérni testaménti,
qui pro vobis et pro multis effundétur
in remissiónem peccatórum.

Hoc fácite in meam commemoratiónem.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

93. Deinde dicit:

Mystérium fídei.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur, donec vénias.

Vel:

Quotiescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

Vel:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam liberásti nos.

94. Postea, extensis manibus, sacerdos dicit:

Unde et mémores, Dómine,
nos servi tui,
sed et plebs tua sancta,
eiúsdem Christi, Fílii tui, Dómini nostri,
tam beátæ passiónis,
necnon et ab ínferis resurrectiónis,
sed et in cælos gloriósæ ascensiónis:
offérimus præcláræ maiestáti tuæ
de tuis donis ac datis
hóstiam puram,
hóstiam sanctam,
hóstiam immaculátam,
Panem sanctum vitæ ætérnæ
et Cálicem salútis perpétuæ.

95. Supra quæ propítio ac seréno vultu
respícere dignéris:
et accépta habére,
sícuti accépta habére dignátus es
múnera púeri tui iusti Abel,
et sacrifícium Patriárchæ nostri Abrahæ,
et quod tibi óbtulit
summus sacérdos tuus Melchísedech,
sanctum sacrifícium,
immaculátam hóstiam.

96. Inclinatus, iunctis manibus, prosequitur:

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus:
iube hæc perférri per manus sancti Angeli tui
in sublíme altáre tuum,

in conspéctu divínæ maiestátis tuæ;
ut, quotquot ex hac altáris participatióne
sacrosánctum Fílii tui Corpus et Sánguinem
sumpsérimus,
erigit se atque seipsum signat, dicens:
omni benedictióne cælésti et grátia repleámur.

Iungit manus.

(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

97. Commemoratio pro defunctis.

Manibus extensis, dicit:

Meménto étiam, Dómine, famulórum
famularúmque tuárum N. et N.,
qui nos præcessérunt cum signo fídei,
et dórmiunt in somno pacis.

Iungit manus et orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit.

Deinde, extensis manibus, prosequitur:

Ipsis, Dómine,
et ómnibus in Christo quiescéntibus,
locum refrigérii, lucis et pacis,
ut indúlgeas, deprecámur.

Iungit manus.

(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

98. Manu dextera percutit sibi pectus, dicens:

Nobis quoque peccatóribus fámulis tuis,
et extensis manibus prosequitur:
de multitúdine miseratiónum tuárum sperántibus,
partem áliquam et societátem donáre dignéris
cum tuis sanctis Apóstolis et Martýribus:

cum Ioánne, Stéphano,
Matthía, Bárnaba,
(Ignátio, Alexándro,
Marcellíno, Petro,
Felicitáte, Perpétua,
Agatha, Lúcia,
Agnéte, Cæcília, Anastásia)
et ómnibus Sanctis tuis:
intra quorum nos consórtium,
non æstimátor mériti, sed véniæ,
quǽsumus, largítor admítte.

Iungit manus.

Per Christum Dóminum nostrum.

99. Et prosequitur:

Per quem hæc ómnia, Dómine,
semper bona creas, sanctíficas, vivíficas, benedícis,
et præstas nobis.

100. Accipit patenam cum hostia et calicem, et, utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat: Amen.

Deinde sequitur ritus communionis, p. 811.

PREX EUCHARISTICA II

101. ℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater,
semper et ubíque grátias ágere
per Fílium dilectiónis tuæ Iesum Christum,
Verbum tuum per quod cuncta fecísti:
quem misísti nobis Salvatórem et Redemptórem,
incarnátum de Spíritu Sancto et ex Vírgine natum.
Qui voluntátem tuam adímplens
et pópulum tibi sanctum acquírens
exténdit manus cum paterétur,
ut mortem sólveret
et resurrectiónem manifestáret.
Et ídeo cum Angelis et ómnibus Sanctis
glóriam tuam prædicámus, una voce dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

102. Sacerdos, manibus extensis, dicit:

Vere Sanctus es, Dómine, fons omnis sanctitátis.

103. Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:

Hæc ergo dona, quǽsumus,
Spíritus tui rore sanctífica,
iungit manus
et signat semel super panem et calicem simul, dicens:
ut nobis Corpus et ✠ Sanguis fiant
Dómini nostri Iesu Christi.
Iungit manus.

104. In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Qui cum Passióni voluntárie traderétur,
accipit panem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:
accépit panem et grátias agens fregit,
dedítque discípulis suis, dicens:
parum se inclinat

Accípite et manducáte ex hoc omnes:

hoc est enim Corpus meum,

quod pro vobis tradétur.

Hostiam consecratam ostendit populo, reponit super patenam, et genuflexus adorat.

105. Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est,
accipit calicem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:

accípiens et cálicem,
íterum grátias agens dedit discípulis suis, dicens:
parum se inclinat

Accípite et bíbite ex eo omnes:

hic est enim calix Sánguinis mei

novi et ætérni testaménti,

qui pro vobis et pro multis effundétur

in remissiónem peccatórum.

Hoc fácite in meam commemoratiónem.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

106. Deinde dicit:

Mystérium fídei:

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur,
donec vénias.

Vel:

Quotiescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine,
donec vénias.

Vel:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam
liberásti nos.

107. Deinde sacerdos, extensis manibus, dicit:

Mémores ígitur mortis et resurrectiónis eius,
tibi, Dómine, panem vitæ
et cálicem salútis offérimus,
grátias agéntes quia nos dignos habuísti
astáre coram te et tibi ministráre.

Et súpplices deprecámur
ut Córporis et Sánguinis Christi partícipes
a Spíritu Sancto congregémur in unum.

Recordáre, Dómine,
Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
ut eam in caritáte perfícias
una cum Papa nostro N.
et Epíscopo nostro N. *
et univérso clero.

In Missis pro defunctis addi potest:

Meménto fámuli tui (fámulæ tuæ) N.,
quem (quam) (hódie)
ad te ex hoc mundo vocásti.
Concéde, ut, qui (quæ) complantátus
(complantáta) fuit similitúdini mortis Fílii tui,
simul fiat et resurrectiónis ipsíus.

Meménto étiam fratrum nostrórum,
qui in spe resurrectiónis dormiérunt,
omniúmque in tua miseratióne defunctórum,
et eos in lumen vultus tui admítte.

---

* Hic fieri potest mentio de Episcopis Coadiutoribus vel Auxiliariis, ut in « Institutione generali Missalis Romani », n. 109, notatur.

Omnium nostrum, quǽsumus, miserére,
ut cum beáta Dei Genetríce Vírgine María,
beátis Apóstolis et ómnibus Sanctis,
qui tibi a sǽculo placuérunt,
ætérnæ vitæ mereámur esse consórtes,
et te laudémus et glorificémus
iungit manus
per Fílium tuum Iesum Christum.

108. Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat: Amen.

Deinde sequitur ritus communionis, p. 811.

PREX EUCHARISTICA III

109. *Sacerdos, manibus extensis, dicit:*

Vere Sanctus es, Dómine,
et mérito te laudat omnis a te cóndita creatúra,
quia per Fílium tuum,
Dóminum nostrum Iesum Christum,
Spíritus Sancti operánte virtúte,
vivíficas et sanctíficas univérsa,
et pópulum tibi congregáre non désinis,
ut a solis ortu usque ad occásum
oblátio munda offerátur nómini tuo.

110. *Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:*

Súpplices ergo te, Dómine, deprecámur,
ut hæc múnera, quæ tibi sacránda detúlimus,
eódem Spíritu sanctificáre dignéris,
iungit manus
et signat semel super panem et calicem simul, dicens:
ut Corpus et ✠ Sanguis fiant
Fílii tui, Dómini nostri Iesu Christi,
iungit manus
cuius mandáto hæc mystéria celebrámus.

111. *In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit:*

Ipse enim in qua nocte tradebátur
accipit panem
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:

accépit panem
et tibi grátias agens benedíxit,
fregit, dedítque discípulis suis, dicens:
parum se inclinat

Accípite et manducáte ex hoc omnes:

hoc est enim Corpus meum,

quod pro vobis tradétur.

Hostiam consecratam ostendit populo, deponit super patenam, et genuflexus adorat.

112. Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est,
accipit calicem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:
accípiens cálicem,
et tibi grátias agens benedíxit,
dedítque discípulis suis, dicens:
parum se inclinat

Accípite et bíbite ex eo omnes:

hic est enim calix Sánguinis mei

novi et ætérni testaménti,

qui pro vobis et pro multis effundétur

in remissiónem peccatórum.

Hoc fácite in meam commemoratiónem.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

113. Deinde dicit:

Mystérium fídei:

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur,
donec vénias.

Vel:

Quotiescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Domine,
donec vénias.

Vel:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam
liberásti nos.

114. Deinde sacerdos, extensis manibus, dicit:

Mémores ígitur, Dómine,
eiúsdem Fílii tui salutíferæ passiónis
necnon mirábilis resurrectiónis
et ascensiónis in cælum,
sed et præstolántes álterum eius advéntum,
offérimus tibi, grátias referéntes,
hoc sacrifícium vivum et sanctum.

Réspice, quǽsumus, in oblatiónem Ecclésiæ tuæ
et, agnóscens Hóstiam,
cuius voluísti immolatióne placári, concéde,
ut qui Córpore et Sánguine Fílii tui refícimur,
Spíritu eius Sancto repléti,
unum corpus et unus spíritus inveniámur in Christo.

Ipse nos tibi perfíciat munus ætérnum,
ut cum eléctis tuis hereditátem cónsequi valeámus,

in primis cum beatíssima Vírgine,
Dei Genetríce, María,
cum beátis Apóstolis tuis et gloriósis Martýribus
(cum Sancto N.: Sancto diei vel patrono)
et ómnibus Sanctis, quorum intercessióne
perpétuo apud te confídimus adiuvári.

Hæc Hóstia nostræ reconciliatiónis profíciat,
quǽsumus, Dómine,
ad totíus mundi pacem atque salútem.
Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo Papa nostro N.
et Epíscopo nostro N. *,
cum episcopáli órdine et univérso clero
et omni pópulo acquisitiónis tuæ.
Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius.
Omnes fílios tuos ubíque dispérsos
tibi, clemens Pater, miserátus coniúnge.

† Fratres nostros defúnctos
et omnes qui, tibi placéntes,
ex hoc sǽculo transiérunt,
in regnum tuum benígnus admítte,
ubi fore sperámus,
ut simul glória tua perénniter satiémur,
iungit manus
per Christum Dóminum nostrum,
per quem mundo bona cuncta largíris. †

---

* Hic fieri potest mentio de Episcopis Coadiutoribus vel Auxiliariis, ut in « Institutione generali Missalis Romani », n. 109, notatur.

115. Accipit patenam cum hostia et calicem, et, utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat: Amen.

Deinde sequitur ritus communionis, p. 811.

---

116. Quando hæc prex eucharistica in Missis pro defunctis adhibetur, dici potest:

† Meménto fámuli tui (fámulæ tuæ) N.,
quem (quam) (hódie) ad te ex hoc mundo vocásti.
Concéde, ut, qui (quæ) complantátus
(complantáta) fuit similitúdini mortis Fílii tui,
simul fiat et resurrectiónis ipsíus,
quando mórtuos suscitábit in carne de terra
et corpus humilitátis nostræ
configurábit córpori claritátis suæ.
Sed et fratres nostros defúnctos,
et omnes qui, tibi placéntes,
ex hoc sǽculo transiérunt,
in regnum tuum benígnus admítte, ubi fore sperámus,
ut simul glória tua perénniter satiémur,
quando omnem lácrimam abstérges ab óculis nostris,
quia te, sícuti es, Deum nostrum vidéntes,
tibi símiles érimus cuncta per sǽcula,
et te sine fine laudábimus,
iungit manus
per Christum Dóminum nostrum,
per quem mundo bona cuncta largíris. †

PREX EUCHARISTICA IV

117. ℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum est tibi grátias ágere,
vere iustum est te glorificáre, Pater sancte,
quia unus es Deus vivus et verus,
qui es ante sǽcula et pérmanes in ætérnum,
inaccessíbilem lucem inhábitans;
sed et qui unus bonus atque fons vitæ cuncta fecísti,
ut creatúras tuas benedictiónibus adimpléres
multásque lætificáres tui lúminis claritáte.
Et ídeo coram te innúmeræ astant turbæ angelórum,
qui die ac nocte sérviunt tibi
et, vultus tui glóriam contemplántes,
te incessánter glorífícant.
Cum quibus et nos et, per nostram vocem,
omnis quæ sub cælo est creatúra
nomen tuum in exsultatióne confitémur, canéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

118. Sacerdos, manibus extensis, dicit:

Confitémur tibi, Pater sancte,
quia magnus es et ómnia ópera tua
in sapiéntia et caritáte fecísti.
Hóminem ad tuam imáginem condidísti,
eíque commisísti mundi curam univérsi,
ut, tibi soli Creatóri sérviens,
creatúris ómnibus imperáret.
Et cum amicítiam tuam, non obœ́diens, amisísset,
non eum dereliquísti in mortis império.
Omnibus enim misericórditer subvenísti,
ut te quæréntes invenírent.
Sed et fœ́dera plúries homínibus obtulísti
eósque per prophétas erudísti
in exspectatióne salútis.
Et sic, Pater sancte, mundum dilexísti,
ut, compléta plenitúdine témporum,
Unigénitum tuum nobis mítteres Salvatórem.
Qui, incarnátus de Spíritu Sancto
et natus ex María Vírgine,
in nostra condiciónis forma est conversátus
per ómnia absque peccáto;
salútem evangelizávit paupéribus,
redemptiónem captívis, mæstis corde lætítiam.
Ut tuam vero dispensatiónem impléret,
in mortem trádidit semetípsum
ac, resúrgens a mórtuis,
mortem destrúxit vitámque renovávit.
Et, ut non ámplius nobismetípsis viverémus,
sed sibi qui pro nobis mórtuus est atque surréxit,
a te, Pater, misit Spíritum Sanctum

primítias credéntibus,
qui, opus suum in mundo perfíciens,
omnem sanctificatiónem compléret.

119. Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:

Quǽsumus ígitur, Dómine,
ut idem Spíritus Sanctus
hæc múnera sanctificáre dignétur,
iungit manus
et signat semel super panem et calicem simul, dicens:
ut Corpus et ✠ Sanguis fiant
Dómini nostri Iesu Christi
iungit manus
ad hoc magnum mystérium celebrándum,
quod ipse nobis relíquit in fœdus ætérnum.

120. In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Ipse enim, cum hora venísset
ut glorificarétur a te, Pater sancte,
ac dilexísset suos qui erant in mundo,
in finem diléxit eos:
et cenántibus illis
accipit panem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:
accépit panem, benedíxit ac fregit,
dedítque discípulis suis, dicens:
parum se inclinat

Accípite et manducáte ex hoc omnes:
hoc est enim Corpus meum,
quod pro vobis tradétur.

Hostiam consecratam ostendit populo, deponit super patenam, et genuflexus adorat.

121. Postea prosequitur:

Símili modo
accipit calicem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:
accípiens cálicem, ex genímine vitis replétum,
grátias egit, dedítque discípulis suis, dicens:
parum se inclinat

Accípite et bíbite ex eo omnes:

hic est enim calix Sánguinis mei
novi et ætérni testaménti,
qui pro vobis et pro multis effundétur
in remissiónem peccatórum.

Hoc fácite in meam commemoratiónem.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

122. Deinde dicit:

Mystérium fídei:

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur, donec vénias.

Vel:

Quotiescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

Vel:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam
liberásti nos.

123. Deinde sacerdos, extensis manibus, dicit:

Unde et nos, Dómine,
redemptiónis nostræ memoriále nunc celebrántes,
mortem Christi
eiúsque descénsum ad ínferos recólimus,
eius resurrectiónem
et ascensiónem ad tuam déxteram profitémur,
et, exspectántes ipsíus advéntum in glória,
offérimus tibi eius Corpus et Sánguinem,
sacrifícium tibi acceptábile
et toti mundo salutáre.

Réspice, Dómine, in Hóstiam,
quam Ecclésiæ tuæ ipse parásti,
et concéde benígnus ómnibus
qui ex hoc uno pane participábunt et cálice,
ut, in unum corpus a Sancto Spíritu congregáti,
in Christo hóstia viva perficiántur,
ad laudem glóriæ tuæ.

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus tibi hanc oblatiónem offérimus:
in primis fámuli tui, Papæ nostri N.,
Epíscopi nostri N. *,
et Episcopórum órdinis univérsi,

---

* Hic fieri potest mentio de Episcopis Coadiutoribus vel Auxiliariis, ut in « Institutione generali Missalis Romani », n. 109, notatur.

sed et totíus cleri, et offeréntium,
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.

Meménto étiam illórum,
qui obiérunt in pace Christi tui,
et ómnium defunctórum,
quorum fidem tu solus cognovísti.

Nobis ómnibus, fíliis tuis, clemens Pater, concéde,
ut cæléstem hereditátem cónsequi valeámus
cum beáta Vírgine, Dei Genetríce, María,
cum Apóstolis et Sanctis tuis
in regno tuo, ubi cum univérsa creatúra,
a corruptióne peccáti et mortis liberáta,
te glorificémus per Christum Dóminum nostrum,
iungit manus,
per quem mundo bona cuncta largíris.

124. Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat: Amen.

RITUS COMMUNIONIS

125. Calice et patena depositis, sacerdos, iunctis manibus, dicit:

Præcéptis salutáribus móniti,
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:

Extendit manus et, una cum populo, pergit:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

126. Manibus extensis, sacerdos solus prosequitur, dicens:

Líbera nos, quǽsumus, Dómine, ab ómnibus malis,
da propítius pacem in diébus nostris,
ut, ope misericórdiæ tuæ adiúti,
et a peccáto simus semper líberi
et ab omni perturbatióne secúri:
exspectántes beátam spem
et advéntum Salvatóris nostri Iesu Christi.

Iungit manus.

Populus orationem concludit, acclamans:

Quia tuum est regnum,
et potéstas, et glória
in sǽcula.

127. Deinde sacerdos, manibus extensis, clara voce dicit:

Dómine Iesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis:
Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis:
ne respícias peccáta nostra,
sed fidem Ecclésiæ tuæ;
eámque secúndum voluntátem tuam
pacificáre et coadunáre dignéris.
Iungit manus.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
Populus respondet: Amen.

128. Sacerdos, ad populum conversus, extendens et iungens manus, subdit:

Pax Dómini sit semper vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

129. Deinde, pro opportunitate, diaconus vel sacerdos subiungit:

Offérte vobis pacem.

Et omnes, iuxta locorum consuetudines, pacem et caritatem sibi invicem significant; sacerdos pacem dat diacono vel ministro.

130. Deinde accipit hostiam eamque super patenam frangit, et particulam immittit in calicem, dicens secreto:

Hæc commíxtio Córporis et Sánguinis Dómini nostri Iesu Christi fiat accipiéntibus nobis in vitam ætérnam.

131. Interim cantatur vel dicitur:

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: dona nobis pacem.

Quod etiam pluries repeti potest, si fractio panis protrahitur. Ultima tamen vice dicitur: dona nobis pacem.

132. Sacerdos deinde, manibus iunctis, dicit secreto:

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi,
qui ex voluntáte Patris,
cooperánte Spíritu Sancto,
per mortem tuam mundum vivificásti:
líbera me
per hoc sacrosánctum Corpus et Sánguinem tuum
ab ómnibus iniquitátibus meis et univérsis malis:
et fac me tuis semper inhærére mandátis,
et a te numquam separári permíttas.

Vel:

Percéptio Córporis et Sánguinis tui,
Dómine Iesu Christe,
non mihi provéniat in iudícium et condemnatiónem:
sed pro tua pietáte
prosit mihi ad tutaméntum mentis et córporis,
et ad medélam percipiéndam.

133. Sacerdos genuflectit, accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, ad populum versus, clara voce dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Et una cum populo semel subdit:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

134. Et sacerdos, ad altare versus, secreto dicit:

Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Corpus Christi.
Deinde accipit calicem et secreto dicit:

Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Sanguinem Christi.

135. Postea accipit patenam vel pyxidem, accedit ad communicandos, et hostiam parum elevatam unicuique eorum ostendit, dicens:

Corpus Christi.

Communicandus respondet:

Amen.

Et communicatur.

Eo modo agit et diaconus, si sacram Communionem distribuit.

136. Si adsint sub utraque specie communicandi, servetur ritus suo loco descriptus.

137. Dum sacerdos sumit Corpus Christi, incipit cantus ad Communionem.

138. Distributione Communionis expleta, sacerdos vel diaconus vel acolythus purificat patenam super calicem et ipsum calicem.

Dum purificationem peragit, sacerdos dicit secreto:

Quod ore súmpsimus, Dómine, pura mente capiámus, et de múnere temporáli fiat nobis remédium sempitérnum.

139. Tunc sacerdos ad sedem redire potest. Pro opportunitate sacrum silentium, per aliquod temporis spatium, servari, vel psalmus aut canticum laudis proferri potest.

140. Deinde, stans ad sedem vel ad altare, sacerdos dicit:

Orémus.

Et omnes una cum sacerdote per aliquod temporis spatium in silentio orant, nisi silentium iam præcesserit. Deinde sacerdos, manibus extensis, dicit orationem post Communionem. Populus in fine acclamat:

Amen.

Ritus conclusionis

141. Sequuntur, si habendæ sint, breves annuntiationes ad populum.

142. Deinde fit dimissio. Sacerdos, versus ad populum, extendens manus, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Sacerdos benedicit populum, dicens:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Populus respondet:

Amen.

Quibusdam diebus vel occasionibus, huic formulæ benedictionis præmittitur, iuxta rubricas, alia formula benedictionis sollemnior, vel oratio super populum (cf. pp. 832-845).

143. Deinde diaconus, vel ipse sacerdos, manibus iunctis, ad populum versus dicit:

Ite, missa est.

Populus respondet:

Deo grátias.

144. Deinde sacerdos altare osculo de more veneratur, ut initio. Facta denique debita reverentia cum ministris, recedit.

145. Si qua actio liturgica immediate sequatur, ritus dimissionis omittuntur.

ORDO MISSÆ SINE POPULO

ORDO MISSÆ SINE POPULO

Ritus initiales

1. Sacerdos, facta cum ministro debita reverentia, signat se, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Minister respondet:

Amen.

2. Tunc sacerdos, ad ministrum conversus et manus extendens, eum salutat, dicens:

Dóminus vobíscum.

Minister respondet:

Et cum spíritu tuo.

Adhiberi possunt etiam sequentes formulæ salutationis:

℣. Grátia Dómini nostri Iesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio Sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis.

℟. Et cum spíritu tuo.

Vel:

℣. Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo.

℟. Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi.

Vel:

℟. Et cum spíritu tuo.

3. Postea sacerdos et minister faciunt confessionem:

Confíteor Deo omnipoténti et tibi, frater,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et, percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos,
et te, frater, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Minister respondet:

Amen.

4. Tunc sacerdos ascendit ad altare, illud veneratur osculo, et accedit ad missale in sinistro latere altaris collocato, et legit antiphonam ad introitum.

5. Sequuntur invocationes Kýrie, eléison, quas sacerdos dicit alternatim cum ministro.

Sac.: Kýrie, eléison. Min.: Kýrie, eléison.
Sac.: Christe, eléison. Min.: Christe, eléison.
Sac.: Kýrie, eléison. Min.: Kýrie, eléison.

6. Deinde, quando præscribitur, sacerdos et minister simul dicunt hymnum Glória in excélsis Deo.

7. Quo finito, sacerdos, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et, facta aliqua pausa silentii, extendit manus et dicit orationem; qua expleta, minister acclamat:

Amen.

Liturgia verbi

8. Tunc minister vel ipse sacerdos legit primam lectionem, psalmum et, si habenda est, secundam lectionem necnon alterum cantum.

9. Deinde sacerdos, inclinatus, secreto dicit:

Munda cor meum ac lábia mea, omnípotens Deus,
ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre.

10. Postea, iunctis manibus, dicit:

Dóminus vobíscum.

Minister respondet:

Et cum spíritu tuo.

Sacerdos:

Léctio sancti Evangélii secúndum N.,

et interim signat librum et seipsum in fronte, ore et pectore.

Minister acclamat:

Glória tibi, Dómine.

Deinde sacerdos Evangelium legit. Quo finito, librum osculatur, dicens secreto: Per evangélica dicta deleántur nostra delícta.

Minister autem acclamat:

Laus tibi, Christe.

11. Quando dicendum est, sacerdos et minister simul dicunt symbolum.

12. Postea fieri potest oratio universalis seu oratio fidelium, in qua ipse sacerdos etiam intentiones profert, ministro respondente.

Liturgia eucharistica

13. Minister corporale, purificatorium et calicem super altare deponit, nisi iam initio Missæ ibidem sint posita. Sacerdos ad medium altaris accedit.

14. Tunc minister affert patenam cum pane, quam sacerdos accipit et aliquantulum elevatam super altare tenet, dicens:

Benedíctus es, Dómine, Deus univérsi,
quia de tua largitáte accépimus panem,
quem tibi offérimus,
fructum terræ et óperis mánuum hóminum,
ex quo nobis fiet panis vitæ.

Deponit deinde patenam cum pane super corporale.

15. Postea sacerdos infundit vinum et parum aquæ in calicem, dicens secreto:

Per huius aquæ et vini mystérium
eius efficiámur divinitátis consórtes,
qui humanitátis nostræ fíeri dignátus est párticeps.

16. Postea accipit calicem, eumque aliquantulum elevatum super altare tenet, dicens:

Benedíctus es, Dómine, Deus univérsi,
quia de tua largitáte accépimus vinum,
quod tibi offérimus,
fructum vitis et óperis mánuum hóminum,
ex quo nobis fiet potus spiritális.

Deinde calicem super corporale deponit.

17. Postea, inclinatus, dicit secreto:

In spíritu humilitátis et in ánimo contríto
suscipiámur a te, Dómine,
et sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie,
ut pláceat tibi, Dómine Deus.

18. Deinde, stans ad latus altaris, lavat manus, dicens secreto:

Lava me, Dómine, ab iniquitáte mea,
et a peccáto meo munda me.

19. Stans postea in medio altaris, versus ad ministrum, extendens et iungens manus, dicit:

Oráte, fratres,
ut meum ac vestrum sacrifícium
acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipoténtem.

Minister respondet:

Suscípiat Dóminus sacrifícium de mánibus tuis
ad laudem et glóriam nóminis sui,
ad utilitátem quoque nostram
totiúsque Ecclésiæ suæ sanctæ.

Deinde, manibus extensis, sacerdos dicit orationem super oblata; qua finita, minister acclamat: Amen.

20. Tunc sacerdos dicit Precem eucharisticam, iuxta normas, quæ in singulis Precibus eucharisticis (pp. 787-810) indicantur.

21. Post doxologiam in fine Precis eucharisticæ, iunctis manibus, sacerdos dicit:

Præcéptis salutáribus móniti,
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:

Extendit manus et, una cum ministro, pergit:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

22. Manibus extensis, sacerdos solus prosequitur, dicens:

Líbera nos, quǽsumus, Dómine, ab ómnibus malis,
da propítius pacem in diébus nostris,

ut, ope misericórdiæ tuæ adiúti,
et a peccáto simus semper líberi
et ab omni perturbatióne secúri:
exspectántes beátam spem
et advéntum Salvatóris nostri Iesu Christi.

Iungit manus. Minister orationem concludit, acclamans:

Quia tuum est regnum,
et potéstas, et glória
in sǽcula.

23. Tunc sacerdos, manibus extensis, clara voce dicit:

Dómine Iesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis:
Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis:
ne respícias peccáta nostra,
sed fidem Ecclésiæ tuæ;
eámque secúndum voluntátem tuam
pacificáre et coadunáre dignéris.
Iungit manus.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.
Minister respondet: Amen.

24. Sacerdos, ad ministrum conversus, extendens et iungens manus, subdit:

Pax Dómini sit semper vobíscum.

Minister respondet:

Et cum spíritu tuo.

Et sacerdos, pro opportunitate, pacem dat ministro.

25. Postea accipit hostiam, eamque super patenam frangit, interim cum ministro dicens:

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: dona nobis pacem.

His dictis, particulam immittit in calicem, dicens secreto:

Hæc commíxtio Córporis et Sánguinis Dómini nostri Iesu Christi fiat accipiéntibus nobis in vitam ætérnam.

26. Sacerdos deinde, manibus iunctis, dicit secreto:

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi,
qui ex voluntáte Patris,
cooperánte Spíritu Sancto,
per mortem tuam mundum vivificásti:
líbera me
per hoc sacrosánctum Corpus et Sánguinem tuum
ab ómnibus iniquitátibus meis et univérsis malis:
et fac me tuis semper inhærére mandátis,
et a te numquam separári permíttas.

Vel:

Percéptio Córporis et Sánguinis tui,
Dómine Iesu Christe,
non mihi provéniat in iudícium et condemnatiónem:
sed pro tua pietáte
prosit mihi ad tutaméntum mentis et córporis,
et ad medélam percipiéndam.

27. Sacerdos genuflectit, accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, ad ministrum versus, clara voce dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Et una cum ministro semel subdit:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

Si minister non est communicandus, sacerdos, accepta hostia, et stans ad altare conversus, statim dicit: Dómine, non sum dignus, etc.

28. Et deinde, ad altare versus, secreto dicit:

Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Corpus Christi.
Deinde accipit calicem et secreto dicit:

Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Sanguinem Christi.

29. Quo facto, sacerdos dicit antiphonam ad Communionem.

30. Postea accipit patenam, accedit ad ministrum, si communicandus est, et hostiam parum elevatam ei ostendit, dicens:

Corpus Christi.

Minister respondet:

Amen.

Et communicatur.

31. Deinde sacerdos purificat patenam super calicem et ipsum calicem. Calix, patena, corporale et purificatorium a ministro ad abacum deferuntur, vel super altare relinquuntur.
Dum purificationem peragit, sacerdos dicit secreto:

Quod ore súmpsimus, Dómine, pura mente capiámus,
et de múnere temporáli fiat nobis remédium sempitérnum.

32. Sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari potest.

33. Postea sacerdos, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et facta aliqua pausa silentii, nisi iam præcesserit, extendit manus et dicit orationem post Communionem. Minister in fine acclamat:

Amen.

Ritus conclusionis

34. Deinde sacerdos, versus ad ministrum, extendens manus, dicit:

Dóminus vobíscum.

Minister respondet:

Et cum spíritu tuo.

Sacerdos benedicit ministrum, dicens:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Minister respondet:

Amen.

35. Denique sacerdos altare osculo veneratur et, facta cum ministro debita reverentia, recedit.

APPENDIX

INTRODUCTIONES ET CONCLUSIONES BREVES PRO PRÆFATIONIBUS

Quæ ad libitum, pro opportunitate, adhiberi possunt, præsertim a Conferentiis Episcopalibus in apparandis popularibus interpretationibus.

I

1. Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere:
(per Iesum Christum Dóminum nostrum:)

2. Vere dignum est tibi grátias ágere,
vere iustum est te glorificáre, Pater sancte:
(per Iesum Christum Dóminum nostrum:)

3. Vere dignum et iustum est nos tibi grátias ágere,
et semper benedícere, teque laudáre,
omnípotens ætérne Deus:
(per Iesum Christum Dóminum nostrum:)

4. Vere dignum et iustum est, omnípotens ætérne Deus,
tibi in ómnibus et pro ómnibus semper grátias ágere,
tuásque prædicáre virtútes:
(per Iesum Christum Dóminum nostrum:)

5. Vere dignum et iustum est nos tibi semper,
Pater omnípotens,
offérre hymnum et laudatiónis prómere cánticum:
(per Iesum Christum Dóminum nostrum:)

6. Vere dignum et iustum est,
vere salutáre nobis atque convéniens,
tibi grátias ágere atque laudes impéndere,
Dómine, Pater cæléstis,
omnípotens et miséricors Deus:
(per Iesum Christum Dóminum nostrum:)

7. Vere dignum et iustum est, ut te, Deus,
et cæléstia et terréna colláudent:
(per Iesum Christum Dóminum nostrum:)

8. Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tuæ pietáti semper grátias ágere, misericors Pater,
omnípotens Deus, Rex ætérnæ glóriæ:
(per Iesum Christum Dóminum nostrum:)

9. Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
te, ætérnum et omnipoténtem Deum,
incessánter prædicáre,
tibíque in ómnibus grátias ágere:
(per Iesum Christum Dóminum nostrum:)

II

1. Unde et nos cum ómnibus Angelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

2. Unde et nos tibi grátias ágimus,
et tuas virtútes cum Angelis prædicámus, dicéntes:

3. Unde et nos, Dómine,
cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:

4. Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

5. Et ídeo, cum innúmeris Angelis,
una te magnificámus laudis voce, dicéntes:

6. Et ídeo, cum Angelórum atque Sanctórum turba,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

7. Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

8. Et ídeo, cum cælórum Virtútibus,
in terris te iúgiter celebrámus,
maiestáti tuæ sine fine clamántes:

9. Propter quod cæléstia tibi atque terréstria
cánticum novum cóncinunt adorándo,
et nos cum omni exércitu Angelórum
proclamámus, sine fine dicéntes:

10. Quaprópter nunc et usque in sæculum,
cum omni milítia Angelórum,
devóta tibi mente concínimus,
clamántes atque dicéntes:

11. Sed et angélici chori atque ágmina beatórum
hymnum glóriæ tuæ cóncinunt, sine fine dicéntes:

12. Per quem maiestátem tuam
adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas,
deprecámur, sócia exsultatióne dicéntes:

BENEDICTIONES SOLLEMNES

Benedictiones sequentes adhiberi possunt, ad libitum sacerdotis, in fine celebrationis Missæ, aut liturgiæ verbi, aut Officii, aut Sacramentorum.

Diaconus vel, eo deficiente, ipse sacerdos dicere potest invitatorium: Inclináte vos ad benedictiónem, vel aliis verbis expressum. Deinde sacerdos, manibus super populum extensis, dicit benedictionem, omnibus respondentibus: Amen.

I. In celebrationibus de tempore

1. In Adventu

Omnípotens et miséricors Deus,
cuius Unigéniti advéntum
et prætéritum créditis,
et futúrum exspectátis,
eiúsdem advéntus vos illustratióne sanctíficet
et sua benedictióne locuplétet.

℟. Amen.

In præséntis vitæ stádio
reddat vos in fide stábiles,
spe gaudéntes,
et in caritáte efficáces.

℟. Amen.

Ut, qui de advéntu Redemptóris nostri
secúndum carnem devóta mente lætámini,
in secúndo, cum in maiestáte sua vénerit,
præmiis ætérnæ vitæ ditémini.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

2. In Nativitate Domini

Deus infinítæ bonitátis,
qui incarnatióne Fílii sui mundi ténebras effugávit,
et eius gloriósa nativitáte
hanc noctem (diem) sacratíssimam illustrávit,
effúget a vobis ténebras vitiórum,
et irrádiet corda vestra luce virtútum.

℟. Amen.

Quique eius salutíferæ nativitátis gáudium magnum
pastóribus ab Angelo vóluit nuntiári,
ipse mentes vestras suo gáudio ímpleat,
et vos Evangélii sui núntios effíciat.

℟. Amen.

Et, qui per eius incarnatiónem
terréna cæléstibus sociávit,
dono vos suæ pacis et bonærépleat voluntátis,
et vos fáciat Ecclésiæ consórtes esse cæléstis.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

3. Initio anni

Deus, fons et orígo totíus benedictiónis,
grátiam vobis concédat,
benedictiónis suæ largitátem infúndat,
atque per totum annum
vos salvos et incólumes prótegat.

℟. Amen.

Custódiat fídei vobis integritátem,
tríbuat spei longanimitátem,
perseverántem usque ad finem
cum sancta patiéntia caritátem.

℟. Amen.

Dies et actus vestros in sua pace dispónat,
preces hic et ubíque exáudiat,
et ad vitam ætérnam felíciter vos perdúcat.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

4. In Epiphania Domini

Deus, qui vos de ténebris
vocávit in admirábile lumen suum,
suam vobis benedictiónem benígnus infúndat,
et corda vestra fide, spe et caritáte stabíliat.

℟. Amen.

Et quia Christum sequímini confidénter,
qui hódie mundo appáruit lux relúcens in ténebris,
fáciat et vos lucem esse frátribus vestris.

℟. Amen.

Quátenus, peregrinatióne perácta,
perveniátis ad eum,
quem magi stella prævia quæsiérunt,
et gáudio magno, lucem de luce,
Christum Dóminum invenérunt.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

10. Per annum, I
(Benedictio aaronitica: Num 6, 24-26)

Benedícat vobis Dóminus, et custódiat vos.
℟. Amen.

Illúminet fáciem suam super vos, et misereátur vestri.
℟. Amen.

Convértat vultum suum ad vos,
et donet vobis suam pacem.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

11. Per annum, II (Phil 4, 7)

Pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum,
custódiat corda vestra et intellegéntias vestras
in sciéntia et caritáte Dei, et Fílii sui,
Dómini nostri Iesu Christi.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

12. Per annum, III

Omnípotens Deus sua vos cleméntia benedícat,
et sensum in vobis sapiéntiæ salutáris infúndat.
℟. Amen.

Fídei documéntis vos semper enútriat,
et in sanctis opéribus, ut perseverétis, effíciat.
℟. Amen.

Gressus vestros ad se convértat,
et viam vobis pacis et caritátis osténdat.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

13. Per annum, IV

Deus totíus consolatiónis
dies vestros in sua pace dispónat,
et suæ vobis benedictiónis dona concédat.
℟. Amen.

Ab omni semper perturbatióne vos líberet,
et corda vestra in suo amóre confírmet.
℟. Amen.

Quátenus donis spei, fídei et caritátis dívites,
et præséntem vitam transigátis in ópere efficáces,
et possítis ad ætérnam perveníre felíces.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

14. Per annum, V

Omnípotens Deus
univérsa a vobis advérsa semper exclúdat,
et suæ super vos benedictiónis dona propitiátus infúndat.
℟. Amen.

Corda vestra effíciat divínis inténta elóquiis,
ut repléri possint gáudiis sempitérnis.
℟. Amen.

Quátenus, quæ bona et recta intellegéntes,
viam mandatórum Dei inveniámini semper curréntes,
et cívium supernórum efficiámini coherédes.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

II. In celebrationibus de Sanctis

15. De beata Maria Virgine

Deus, qui per beátæ Maríæ Vírginis partum
genus humánum sua vóluit benignitáte redímere,
sua vos dignétur benedictióne ditáre.
℟. Amen.

Eiúsque semper et ubíque patrocínia sentiátis,
per quam auctórem vitæ suscípere meruístis.
℟. Amen.

Et qui ad eius celebrándam sollemnitátem
hodiérna die devótis méntibus convenístis,
spiritálium gaudiórum cælestiúmque præmiórum
vobíscum múnera reportétis.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

16. De sanctis Petro et Paulo

Benedícat vos omnípotens Deus,
qui in beáti Petri confessióne vos salubérrima stabilívit,
et per eam in Ecclésiæ soliditáte fídei fundávit.

℟. Amen.

Et quos beáti Pauli instrúxit indeféssa prædicatióne,
suo semper exémplo dóceat Christo fratres lucrifácere.

℟. Amen.

Ut Petrus clave, Paulus verbo,
ope intercessiónis utérque
in illam pátriam nos certent indúcere,
ad quam meruérunt illi, alter cruce, alter gládio,
felíciter perveníre.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

17. De Apostolis

Deus, qui vos
in apostólicis tríbuit consístere fundaméntis,
benedícere vobis dignétur,
beatórum Apostolórum N. et N. (beáti Apóstoli N.)
méritis intercedéntibus gloriósis.

℟. Amen.

Et apostólicis præsídiis
vos pro cunctis fáciat testes veritátis,
qui vos eórum muneréri documéntis vóluit et exémplis.

℟. Amen.

Ut eórum intercessióne ad ætérnæ pátriæ hereditátem perveníre possítis,
per quorum doctrínam fídei firmitátem possidétis.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

18. De omnibus Sanctis

Deus, glória et exsultátio Sanctórum,
benedícat vos benedictióne perpétua,
qui vobis hodiérna tríbuit celebráre sollémnia.
℟. Amen.

Eórum intercessióne a præséntibus malis liberáti,
et exémplis sanctæ conversatiónis instrúcti,
in servítio Dei fratrúmque inveniámini semper inténti.
℟. Amen.

Quátenus cum iis ómnibus
valeátis illíus pátriæ possidére vos gáudia,
in qua fílios suos supérnis coniúngi cívibus
in pace perpétua sancta lætátur Ecclésia.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

III. Aliæ benedictiones

19. In Dedicatione ecclesiæ

Deus, Dóminus cæli et terræ,
qui vos hódie ad huius domus dedicatiónem

(dedicatiónis memóriam) adunávit,
ipse vos cæléstí benedictióne fáciat abundáre.
℟. Amen.

Concedátque vobis fíeri templum suum
et habitáculum Spíritus Sancti,
qui omnes fílios dispérsos vóluit in Fílio suo congregári.
℟. Amen.

Quátenus, felíciter emundáti,
habitatórem Deum in vobismetípsis possítis habére,
et ætérnæ beatitúdinis hereditátem
cum ómnibus Sanctis possidére.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

20. In celebrationibus pro defunctis

Benedícat vos Deus totíus consolatiónis,
qui hóminem ineffábili bonitáte creávit,
et in resurrectióne Unigéniti sui
spem credéntibus resurgéndi concéssit.
℟. Amen.

Nobis, qui vívimus, véniam tríbuat pro peccátis,
et ómnibus defúnctis locum concédat lucis et pacis.
℟. Amen.

Ut omnes cum Christo sine fine felíciter vivámus,
quem resurrexísse a mórtuis veráciter crédimus.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

ORATIONES SUPER POPULUM

Orationes sequentes adhiberi possunt, ad libitum sacerdotis, in fine celebrationis Missæ, aut liturgiæ verbi, aut Officii, aut Sacramentorum.

Diaconus vel, eo deficiente, ipse sacerdos dicere potest invitatorium: Inclináte vos ad benedictiónem, vel aliis verbis expressum. Deinde sacerdos, manibus super populum extensis, dicit orationem, omnibus respondentibus: Amen.

Post orationem, sacerdos semper subdit: **Benedícat vos omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.**

1. Esto, Dómine, propítius plebi tuæ,
et temporáli consolatióne non déseras,
quam vis ad ætérna conténdere.
Per Christum.

2. Præsta fámulis tuis, Dómine,
abundántiam protectiónis et grátiæ;
da salútem mentis et córporis;
da plenitúdinem fratérnæ caritátis,
et eos tibi semper fac esse devótos.
Per Christum.

3. Da, quǽsumus, Dómine, pópulis christiánis,
et quæ profiténtur agnóscere,
et cæléste munus dilígere, quod frequéntant.
Per Christum.

4. Plebs tua, Dómine, quǽsumus,
benedictiónis sanctæ munus accípiat,
per quod et nóxia quæque declínet,
et optáta repériat.
Per Christum.

5. Fidéles tuos, Dómine,
benedíctio desideráta confírmet,
quæ eos et a tua voluntáte
numquam fáciat discrepáre,
et tuis semper indúlgeat benefíciis gratulári.
Per Christum.

6. Pópulum tuum, Dómine, quǽsumus,
ad te toto corde convérte,
quia, quos deféndis étiam delinquéntes,
maióre pietáte tuéris sincéra mente devótos.
Per Christum.

7. Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
propitiátus illústra,
ut, beneplácitis inhæréndo,
cuncta quæ bona sunt mereátur exercére.
Per Christum.

8. Adésto, Dómine, fámulis tuis,
et opem tuam largíre poscéntibus,
ut iis, qui te auctóre et gubernatóre
felíciter gloriántur,
et creáta restáures, et restauráta consérves.
Per Christum.

9. Implorántes, Dómine, misericórdiam tuam,
fidéles pópulos propítius intuére,
ut, qui de tua pietáte confídunt,
tuæ caritátis dona ubíque diffúndere váleant.
Per Christum.

10. Bénedic, Dómine, plebem tuam,
quæ munus tuæ miseratiónis exspéctat,
et concéde, ut, quod, te inspiránte, desíderat,
te largiénte percípiat.
Per Christum.

11. Subiéctum tibi pópulum,
quǽsumus, Dómine,
propitiátio cæléstis amplíficet,
et tuis semper fáciat servíre mandátis.
Per Christum.

12. Propitiáre pópulo tuo, Deus,
ut, ab omni malo liberátus,
et toto tibi corde desérviat,
et sub tua semper protectióne consístat.
Per Christum.

13. Præténde, Dómine, fidélibus tuis
déxteram cæléstis auxílii,
ut te toto corde perquírant,
et quæ digne póstulant cónsequi mereántur.
Per Christum.

14. Família tua, Deus,
et de celebrátis mystériis suæ redemptiónis
iúgiter collætétur,
et eius dona perseveránter acquírat.
Per Christum.

15. Esto, quǽsumus, Dómine, propítius plebi tuæ,
ut, de die in diem quæ tibi displicent respuéntes,
tuórum pótius repleántur
delectatiónibus mandatórum.
Per Christum.

16. Tueátur, quǽsumus, Dómine,
déxtera tua pópulum deprecántem,
et purificátum dignánter erúdiat,
ut consolatióne præsénti
ad futúra bona profíciat.
Per Christum.

17. Réspice, quǽsumus, Dómine,
super hanc famíliam tuam,
pro qua Dóminus noster Iesus Christus
non dubitávit mánibus tradi nocéntium,
et crucis subíre torméntum.
Qui vivit.

18. Da, quǽsumus, Dómine, fidélibus tuis
et sine cessatióne cápere paschália sacraménta,
et desideránter exspectáre dona ventúra,
ut, mystériis quibus renáti sunt permanéntes,
ad novam vitam his opéribus perducántur.
Per Christum.

19. Dómine Deus,
de abundántia misericordiárum tuárum
fámulos præsta locuplétes, præsta secúros,
ut, confirmáti benedictiónibus tuis,
in omni gratiárum actióne semper abúndent,
teque perpétua exsultatióne benedícant.
Per Christum.

20. Benedícat vos Deus omni benedictióne cæléstí,
sanctósque vos et puros
in conspéctu suo semper effíciat;
divítias glóriæ suæ in vos abundánter effúndat,
verbis veritátis ínstruat, evangélio salútis erúdiat,
et caritáte fratérna semper locuplétet.
Per Christum.

21. Fidéles tuos, quǽsumus, Dómine,
córpore páriter et mente purífica,
ut, tua inspiratióne compúncti,
nóxias delectatiónes vitáre præváleant,
atque tua semper suavitáte pascántur.
Per Christum.

22. Adsit, Dómine, fidélibus tuis
sacræ benedictiónis efféctus,
qui mentes ómnium spirituáli vegetatióne dispónat,
ut ad ópera sua exercénda
virtúte caritátis tuæ roboréntur.
Per Christum.

23. Confírma, Dómine, quǽsumus,
tuórum corda fidélium,
et grátiæ tuæ virtúte corróbora,
ut et in tua sint supplicatióne devóti,
et mútua dilectióne sincéri.
Per Christum.

24. Protéctor in te sperántium, Deus,
bénedic pópulum tuum,
salva, tuére, dispóne,
ut, a peccátis liber, ab hoste secúrus,
in tuo semper amóre persevéret.
Per Christum.

In festis Sanctorum

25. Exsúltet, Dómine, pópulus christiánus
de magnórum Fílii tui glorificatióne membrórum,
et in quorum est celebritáte tibi devótus,
partem acquírat in eórum sorte perpétua,
atque de tua glória semper congáudeat.
Per Christum.

26. Plebis tuæ, quǽsumus, Dómine,
ad te semper corda convérte,
et quam tantis facis patrocíniis adiuvári,
perpétuis non désinas gubernáre præsídiis.
Per Christum.

PROPRIUM DE SANCTIS

Elenchus lectionum, quæ magis conveniunt aliquibus Missis sanctorum (pro papa, pro missionariis, pro religiosis, pro educatoribus, pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, pro viduis) in Indicibus exstat.

1. Gradus celebrationum, nempe sollemnitas, festum aut memoria singulis diebus indicatur. Quando nulla adest indicatio, agitur de memoria ad libitum.

2. Pro singulis sollemnitatibus et festis integra Missa propria ponitur, quæ proinde dicitur prouti iacet.

3. Ad memorias quod attinet, hæc serventur:

a) Textus proprii, qui nonnullis diebus apponuntur, semper adhibeantur.

b) Quoties remittitur ad aliquod Commune definitum, textus aptiores seligantur, iuxta principia, quæ initio Communium exponuntur. Pagina, quæ singulis vicibus indicatur, innuit tantum initium Communis ad quod remittitur.

c) Si vero ad plura Communia remittitur, unum vel aliud adhiberi potest, attenta utilitate pastorali, et facta semper facultate textus e pluribus Missis eiusdem Communis inter se commutandi.

Ex. gr., si quis Sanctus simul est martyr et episcopus, adhiberi poterit aut Commune martyrum aut Commune pastorum (pro episcopis).

d) Insuper, præter Communia, quæ peculiarem notam sanctitatis illustrant (ex. gr. martyrum, virginum, pastorum, etc.) semper adhiberi possunt etiam Communia Sanctorum et Sanctarum, quæ de sanctitate in genere agunt.

Ex. gr., pro Sancta virgine et martyre, præter Commune martyrum aut Commune virginum, adhiberi possunt etiam textus e Communi Sanctorum et Sanctarum.

e) Orationes super oblata et post communionem, nisi sint propriæ, sumuntur aut e Communi aut e currenti tempore liturgico.

4. Missæ quæ in hoc Proprio habentur, exceptis tamen Missis de mysteriis vitæ Domini et B. Mariæ Virginis necnon de quibusdam Sanctis, pro quibus peculiaris prævidetur Missa votiva, dicuntur etiam ut votivæ. In orationibus, hoc in casu, omittuntur verba quæ innuant diem natalem, vel sollemnitatem vel festum, et eis substituitur verbum memória vel commemorátio. Item, sicubi occurrat antiphona ad introitum Gaudeámus, huic substituitur alia antiphona e respectivo Communi.

5. De lectionibus hæc insuper attendenda sunt:

a) In sollemnitatibus et festis semper adhibendæ sunt lectiones quæ in Proprio vel Communi ponuntur; celebrationibus calendarii generalis semper lectiones propriæ assignantur.

b) In memoriis vero lectiones feriales de more adhibeantur.

Attamen aliquando lectiones « propriæ » assignantur, id est quæ de ipsa persona Sancti agunt vel de mysterio de quo Missa celebratur; hæ lectiones dicendæ sunt loco lectionum ferialium occurrentium, ut expresse suo loco indicatur.

Pro ceteris autem casibus, lectiones de memoria adhibeantur tantum si peculiares rationes, præsertim indolis pastoralis, id suadeant. Nonnunquam ponuntur lectiones « appropriatæ », quæ, scilicet peculiarem aspectum vitæ spiritalis vel actuositatis Sancti in lucem produnt. Plerumque vero indicantur lectiones in Communibus exstantes, ut electio facilior evadat. Agitur tamen de suggestionibus: loco enim lectionis appropriatæ vel simpliciter propositæ, quævis alia lectio seligi potest e Communibus indicatis.

c) Cum in calendariis particularibus gradus celebrationis mutatur, attendatur sollemnitates tres lectiones habere, quarum prima ex Vetere Testamento (tempore autem paschali ex Actibus Apostolorum vel Apocalypsi) cum psalmo responsorio, secunda vero ex Novo Testamento, tertia denique ex Evangelio.

NOVEMBER

Die 30 novembris
S. ANDREÆ, APOSTOLI
Festum

Ant. ad introitum Cf. Mt 4, 18-19

Dóminus secus mare Galilǽæ vidit duos fratres,
Petrum et Andréam, et vocávit eos:
Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.

Collecta

Maiestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut, sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas apóstolus
éxstitit prædicátor et rector,
ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor.
Per Dóminum.

Dicitur Glória in excélsis.

Lectio prior

Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
10, 9-18

Si confiteáris in ore tuo « Dóminum Iesum » et in corde tuo credíderis quod Deus illum excitávit ex mórtuis, salvus eris. Corde enim créditur ad iustítiam, ore autem conféssio fit in salútem.

Dicit enim Scriptúra: « Omnis qui credit in illo, non confundétur ».

Non enim est distínctio Iudǽi et Græci, nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. « Omnis enim quicúmque invocáverit Nomen Dómini, salvus erit ».

Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidé-

runt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? Sicut scriptum est: « Quam speciósi pedes evangelizántium bona! »

Sed non omnes obœdiérunt Evangélio; Isaías enim dicit: « Dómine, quis crédidit audítui nostro? » Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi.

Sed dico: « Numquid non audiérunt? » Quin immo: « In omnem terram éxiit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 18, 2-3. 4-5. (℟.: 5 a)

℟. In omnem terram exívit sonus eórum.

2 Cæli enárrant glóriam Dei,
et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.
3 Dies diéi erúctat verbum,
et nox nocti índicat sciéntiam. ℟.

4 Non sunt loquélæ neque sermónes,
quorum non intellegántur voces.
5 In omnem terram exívit sonus eórum,
et in fines orbis terræ verba eórum. ℟.

Alleluia Mt 4, 19

℟. Allelúia. ℣. Veníte post me, dicit Dóminus,
et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.
℟. Allelúia.

Evangelium

Illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 4, 18-22

In illo témpore:

Ambulans Iesus iuxta mare Galilǽæ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam, fratrem eius, mitténtes rete in mare; erant enim piscatóres.

Et ait illis: « Veníte post me, et fáciam vos piscatóres hóminum ».

At illi contínuo, relíctis rétibus, secúti sunt eum. Et procédens inde vidit álios duos fratres, Iacóbum Zebedǽi et Ioánnem fratrem eius, in navi cum Zebedǽo patre eórum reficiéntes rétia sua, et vocávit eos.

Illi autem statim, relícta navi et patre suo, secúti sunt eum. — Verbum Dómini.

Super oblata

Concéde nobis, omnípotens Deus,
ut his munéribus,
quæ in beáti Andréæ festivitáte deférimus,
et tibi placeámus exhíbitis, et vivificémur accéptis.
Per Christum.

Præfatio de Apostolis, pp. 766-767.

Ant. ad communionem — Io 1, 41-42

Dixit Andréas Simóni fratri suo:
Invénimus Messíam, qui dícitur Christus.
Et addúxit eum ad Iesum.

Post communionem

Róboret nos, Dómine, sacraménti tui commúnio,
ut, exémplo beáti Andréæ apóstoli,
Christi mortificatiónem feréntes,
cum ipso vívere mereámur in glória.
Per Christum.

Die 3 decembris

S. Francisci Xavier, presbyteri

Memoria

De Communi pastorum (pro missionariis), p. 1017.

Collecta

Deus, qui beáti Francísci prædicatióne
multos tibi pópulos acquisísti,
da ut fidélium ánimi eódem fídei zelo férveant,
et ubérrima ubíque prole Ecclésia sancta lætétur.
Per Dóminum.

Lectio prior

Væ mihi, si non evangelizavero!

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 9, 16-19. 22-23

Fratres:

Si evangelizávero, non est mihi glória, necéssitas enim mihi incúmbit; væ enim mihi est, si non evangelizávero! Si enim volens hoc ago, mercédem hábeo; si autem invítus, dispensátio mihi crédita est.

Quæ est ergo merces mea? Ut Evangélium prædicans sine sumptu ponam Evangélium, ut non abútar potestáte mea in Evangélio.

Nam, cum liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucri fácerem.

Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucri fácerem; ómnibus ómnia factus sum, ut áliquos útique fácerem salvos. Omnia autem fácio propter Evangélium, ut compárticeps eius effíciar. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 95, 1-2 a. 2 b-3. 7-8 a. 10 (℟.: 3)

℟. Annuntiáte in ómnibus pópulis mirabília Dómini.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
2 Cantáte Dómino, benedícite nómini eius. ℟.

Annuntiáte de die in diem salutáre eius.
3 Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius. ℟.

7 Afférte Dómino, famíliæ populórum,
afférte Dómino glóriam et poténtiam,
8 afférte Dómino glóriam nóminis eius. ℟.

10 Dícite in géntibus: « Dóminus regnávit ».
Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur;
iudicábit pópulos in æquitáte. ℟.

Alleluia

Mt 28, 19 a. 20 b

℟. Allelúia. ℣. Eúntes docéte omnes gentes,
dicit Dóminus;
ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi.
℟. Allelúia.

Evangelium

Euntes in mundum universum,
prædicate Evangelium.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 16, 15-20

In illo témpore:

Appárens Iesus Undecim dixit eis: « Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit salvus erit; qui vero non credíderit condemnábitur.

Signa autem eos qui credíderint hæc sequéntur: in Nómine meo dæmónia eícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et, si mortíferum quid bíberint, non eos nocébit, super ægrótos manus impónent, et bene habébunt ».

Et Dóminus quidem Iesus, postquam locútus est eis, assúmptus est in cælum, et sedit a dextris Dei. Illi autem profécti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte, sequéntibus signis.

Verbum Dómini.

Super oblata,

Súscipe, Dómine, múnera,
quæ tibi in beáti Francísci commemoratióne deférimus,
et præsta ut, sicut ille desidério salútis hóminum
ad terras longínquas est progréssus,
ita et nos, testimónium Evangélio efficáciter perhibéntes,
ad te cum frátribus properáre festinémus.
Per Christum.

Post communionem

Mystéria tua, Deus,
eum in nobis accéndant caritátis ardórem,
quo beátus Franciscus pro animárum salúte flagrávit,
ut, vocatióne nostra dígnius ambulántes,
promíssum bonis operáriis præmium
cum eo consequámur.
Per Christum.

Die 4 decembris

S. Ioannis Damasceni,
presbyteri et Ecclesiæ doctoris

De Communi pastorum, p. 1011.
Vel de Communi doctorum Ecclesiæ, p. 1052.

Collecta

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine,
sancti Ioánnis presbýteri précibus adiuvári,
ut vera fides, quam ille excellénter dócuit,
sit semper lux et fortitúdo nostra.
Per Dóminum.

Lectio prior

Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli
ad Timótheum 1, 13-14. 2, 1-3

Caríssime:

Formam habe sanórum verbórum, quæ a me audísti, in fide et in dilectióne quæ sunt in Christo Iesu. Bonum depósitum custódi per Spíritum Sanctum, qui hábitat in nobis.

Tu ergo, fili mi, confortáre in grátia, quæ est in Christo Iesu; et quæ audísti a me per multos testes, hæc comménda fidélibus homínibus, qui idónei erunt et álios docére.

Collabóra sicut bonus miles Christi Iesu.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 18, 8. 9. 10. 11 (℟.: Io 6, 64 b)

℟. Verba tua, Dómine, spíritus et vita sunt.

8 Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam,
testimónium Dómini fidéle,
sapiéntiam præstans párvulis. ℟.

9 Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda,
præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. ℟.

10 Timor Dómini mundus, pérmanens in sǽculum sǽculi,
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul. ℟.
11 Desiderabília super aurum
et lápidem pretiósum multum,
et dulcióra super mel et favum stillántem. ℟.

Evangelium, p. 1137, n. 9.

Die 6 decembris

S. Nicolai, episcopi

De Communi pastorum (pro episcopo), p. 1009.

Collecta

Misericórdiam tuam, Dómine, súpplices implorámus,
et, beáti Nicolái epíscopi interveniénte suffrágio,
nos in ómnibus custódi perículis,
ut via salútis nobis páteat expedíta.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1025, n. 4.
Psalmus responsorius, p. 1026.
Evangelium, p. 1047, n. 7.

Die 7 decembris

S. Ambrosii, episcopi et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De Communi pastorum (pro episcopo), p. 1009.
Vel de Communi doctorum Ecclesiæ, p. 1052.

Collecta

Deus, qui beátum Ambrósium epíscopum
cathólicæ fídei doctórem
et apostólicæ fortitúdinis exémplum effecísti,

éxcita in Ecclésia tua viros secúndum cor tuum,
qui eam fórtiter et sapiénter gubérnent.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1061, n. 4.
Psalmus responsorius p. 1024.
Evangelium, p. 1049, n. 9.

Super oblata

Illa nos, quǽsumus, Dómine, divína tractántes,
Spíritus Sanctus fídei luce perfúndat,
qua beátum Ambrósium
ad glóriæ tuæ propagatiónem iúgiter collustrávit.
Per Christum.

Post communionem

Huius sacraménti, Dómine, virtúte roborátos,
fac nos beáti Ambrósii documéntis ita profícere,
ut, viríliter per tuas sémitas festinántes,
ad ætérni suavitátem convívii præparémur.
Per Christum.

Die 8 decembris

IN CONCEPTIONE IMMACULATA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Sollemnitas

Ant. ad introitum Is 61, 10

Gaudens gaudébo in Dómino,
et exsultábit ánima mea in Deo meo;
quia índuit me vestiméntis salútis,
et induménto iustítiæ circúmdedit me,
quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem
dignum Fílio tuo habitáculum præparásti,
quǽsumus, ut, qui ex morte eiúsdem Fílii tui prævísa,
eam ab omni labe præservásti,
nos quoque mundos, eius intercessióne,
ad te perveníre concédas. Per Dóminum.

Lectio prima

Inimicitias ponam inter semen tuum et semen mulieris.

Léctio libri Génesis 3, 9-15. 20

Postquam comédit Adam de ligno, vocávit eum Dóminus Deus et dixit ei: « Ubi es? »

Qui ait: « Vocem tuam audívi in paradíso, et tímui eo quod nudus essem, et abscóndi me ».

Cui dixit: « Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedísti? »

Dixítque Adam: « Múlier, quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, et comédi ».

Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: « Quare hoc fecísti? »

Quæ respóndit: « Serpens decépit me, et comédi ».

Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: « Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia et béstias terræ: super pectus tuum gradiéris, et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus; ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo eius ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 97, 1. 2-3 ab. 3 c-4 (℟.: 1 a)

℟. Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
Salvávit sibi déxtera eius,
et brácchium sanctum eius. ℟.

2 Notum fecit Dóminus salutáre suum,
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
3 Recordátus est misericórdiæ suæ
et veritátis suæ dómui Israel. ℟.

Vidérunt omnes términi terræ
salutáre Dei nostri.
4 Iubiláte Deo, omnis terra,
erúmpite, exsultáte et psállite. ℟.

Lectio secunda

Elegit nos Deus in Christo
ante mundi constitutionem.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
1, 3-6. 11-12

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spiritáli in cælé-

stibus in Christo; sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritáte; qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Iesum Christum in ipsum, secúndum beneplácitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in Diléctο.

In quo étiam sorte vocáti sumus, prædestináti secúndum propósitum eius, qui ómnia operátur secúndum consílium voluntátis suæ, ut simus in laudem glóriæ eius qui ante sperávimus in Christo.

Verbum Dómini.

Alleluia — Lc 1, 28

℟. Allelúia. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus. ℟. Allelúia.

Evangelium

Ave, gratia plena, Dominus tecum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In illo témpore:

Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen vírginis María.

Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus tecum ».

Ipsa autem turbáta est in sermóne eius, et cogitábat qualis esset ista salutátio.

Et ait Angelus ei: « Ne tímeas, María; invenísti enim grátiam apud Deum; et ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dó-

minus Deus sedem David patris eius, et regnábit super domum Iacob in ætérnum, et Regni eius non erit finis ».

Dixit autem María ad Angelum: « Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? »

Et respóndens Angelus dixit ei: « Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur Sanctum vocábitur, Fílius Dei. Et ecce Elísabeth, cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senécta sua; et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur stérilis; quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini; fiat mihi secúndum verbum tuum ». Et discéssit ab illa Angelus.

Verbum Dómini.

Dicitur Credo.

Super oblata

Salutárem hóstiam,
quam in sollemnitáte
immaculátæ Conceptiónis beátæ Vírginis Maríæ
tibi, Dómine, offérimus,
súscipe dignánter, et præsta,
ut, sicut illam tua grátia præveniénte
ab omni labe profitémur immúnem,
ita, eius intercessióne, a culpis ómnibus liberémur.
Per Christum.

Præfatio: De mysterio Mariæ et Ecclesiæ.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Qui beatíssimam Vírginem Maríam
ab omni originális culpæ labe præservásti,
ut in ea, grátiæ tuæ plenitúdine ditáta,
dignam Fílio tuo Genetrícem præparáres,
et Sponsæ eius Ecclésiæ
sine ruga vel mácula formósæ signáres exórdium.
Fílium enim erat puríssima Virgo datúra,
qui crímina nostra Agnus ínnocens aboléret;
et ipsam præ ómnibus tuo pópulo disponébas
advocátam grátiæ et sanctitátis exémplar.
Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Ant. ad communionem
Gloriósa dicta sunt de te, María,
quia ex te ortus est sol iustítiæ, Christus Deus noster.

Post communionem
Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
illíus in nobis culpæ vúlnera réparent,
a qua immaculátam beátæ Maríæ Conceptiónem
singuláriter præservásti. Per Christum.

Die 11 decembris
S. Damasi I, papæ

De Communi pastorum (pro papa), p. 1007.

Collecta
Præsta, quǽsumus, Dómine,
ut mártyrum tuórum iúgiter mérita celebrémus,

quorum éxstitit beátus Dámasus papa
cultor et amátor. Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1030, n. 9.
Psalmus responsorius, p. 1031.
Evangelium, p. 1152, n. 21.

Die 12 decembris

S. Ioannæ Franciscæ de Chantal, religiosæ

De Communi sanctarum (pro religiosis), p. 1087.

Collecta

Deus, qui beátam Ioánnam Francíscam
per várias vitæ sémitas præcláris méritis illustrásti,
ipsíus nobis intercessióne concéde,
ut, in vocatióne nostra fidéliter ambulántes,
lucis exémpla iúgiter ostendámus. Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1106, n. 11.
Psalmus responsorius, p. 1107.
Evangelium, p. 1141, n. 11.

Die 13 decembris

S. Luciæ, virginis et martyris

Memoria

De Communi martyrum, p. 981.
Vel de Communi virginum, p. 1070.

Collecta

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine,
sanctæ Lúciæ vírginis et mártyris gloriósa confóveat,
ut eius natalícia et temporáliter frequentémus,
et conspiciámus ætérna. Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1077, n. 2.
Psalmus responsorius, p. 987.
Evangelium, p. 1079, n. 2.

Die 14 decembris

S. Ioannis a Cruce, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De Communi doctorum Ecclesiæ, p. 1052.
Vel de Communi sanctorum (pro religiosis), p. 1087.

Ant. ad introitum — Gal 6, 14

Mihi autem absit gloriári,
nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi,
per quem mihi mundus crucifíxus est,
et ego mundo.

Collecta

Deus, qui sanctum Ioánnem presbýterum
perféctæ sui abnegatiónis
et crucis amatórem exímium effecísti,
concéde ut, eius imitatióni iúgiter inhæréntes,
ad contemplatiónem glóriæ tuæ
perveniámus ætérnam.
Per Dóminum.

Lectio prior

Loquimur Dei sapientiam in mysterio.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios — 2, 1-10 a

Ego, cum veníssem ad vos, fratres, veni non per sublimitátem sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis mystérium Dei.

Non enim iudicávi scire me áliquid inter vos, nisi Iesum Christum et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte et timóre et tremóre multo fui apud vos; et sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne Spíritus et virtútis, ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos, sapiéntiam vero non huius sǽculi neque príncipum huius sǽculi, qui destruúntur; sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sǽcula in glóriam nostram; quam nemo príncipum huius sǽculi cognóvit; si enim cognovíssent, numquam Dóminum glóriæ crucifixíssent; sed, sicut scriptum est, « quod óculus non vidit nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus his qui díligunt illum »; nobis autem revelávit Deus per Spíritum.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 36, 3-4. 5-6. 30-31 (℟.: 30 a)

℟. Os iusti meditábitur sapiéntiam.

3 Spera in Dómino et fac bonitátem,
et inhabitábis terram et pascéris in fide.
4 Delectáre in Dómino,
et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℟.

5 Commítte Dómino viam tuam et spera in eo,
et ipse fáciet;
6 et edúcet quasi lumen iustítiam tuam,
et iudícium tuum tamquam merídiem. ℟.

30 Os iusti meditábitur sapiéntiam,
et lingua eius loquétur iudícium;
31 lex Dei eius in corde ipsíus,
et non vacillábunt gressus eius. ℟.

Evangelium, p. 1150, n. 19.

Super oblata

Réspice quas offérimus hóstias, omnípotens Deus,
in commemoratióne beáti Ioánnis, et præsta,
ut, qui domínicæ passiónis mystéria celebrámus,
imitémur quod ágimus.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mt 16, 24

Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum,
et tollat crucem suam, et sequátur me, dicit Dóminus.

Post communionem

Deus, qui crucis mystérium
in beáto Ioánne mirabíliter illustrásti,
concéde propítius,
ut, ex hoc sacrifício roboráti,
Christo fidéles hæreámus,
et in Ecclésia ad salútem ómnium operémur.
Per Christum.

Die 21 decembris

S. Petri Canisii, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

De Communi pastorum, p. 1011.
Vel de Communi doctorum Ecclesiæ, p. 1052.

Collecta

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem
virtúte et doctrína
beátum Petrum presbýterum roborásti,
eius intercessióne concéde,
ut, qui veritátem quærunt, te Deum gaudénter invéniant,

et in tua confessióne pópulus credéntium persevéret.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1040, n. 12.
Psalmus responsorius, p. 1026.
Evangelium, p. 1063, n. 1.

Die 23 decembris

S. Ioannis de Kęty, presbyteri

De Communi pastorum, p. 1011.
Vel de Communi sanctorum (pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt), p. 1089.

Collecta

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, exémplo sancti Ioánnis presbýteri,
in sanctórum sciéntia procedámus,
atque, misericórdiam ómnibus exhibéntes,
apud te indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1124, n. 12.
Psalmus responsorius, p. 1112.
Evangelium, p. 1146, n. 14 a.

Die 26 decembris

S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS

Festum

Ant. ad introitum

Apértæ sunt iánuæ cæli beáto Stéphano,
qui in número Mártyrum invéntus est primus,
et ídeo triúmphat in cælis coronátus.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Da nobis, quǽsumus, Dómine, imitári quod cólimus,
ut discámus et inimícos dilígere,
quia eius natalícia celebrámus,
qui novit étiam pro persecutóribus exoráre.
Per Dóminum.

Lectio prior

Ecce video cælos apertos.

Léctio Actuum Apostolórum 6, 8-10; 7, 54-59

In diébus illis:

Stéphanus, plenus grátia et virtúte, faciébat prodígia et signa magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de synagóga, quæ appellátur Libertinórum et Cyrenénsium et Alexandrinórum et eórum qui erant a Cilícia et Asia, disputántes cum Stéphano; et non póterant resístere sapiéntiæ et Spirítui quo loquebátur.

Audiéntes autem hæc, dissecabántur córdibus suis, et stridébant déntibus in eum.

Cum autem esset plenus Spíritu Sancto, inténdens in cælum vidit glóriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei et ait: « Ecce vídeo cælos apértos, et Fílium hóminis a dextris stantem Dei ».

Exclamántes autem voce magna, continuérunt aures suas et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et eiciéntes eum extra civitátem lapidábant. Et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adulescéntis, qui vocabátur Saulus.

Et lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem: « Dómine Iesu, súscipe spíritum meum ». Pósitis autem génibus, clamávit voce magna: « Dómine, ne státuas illis hoc peccátum ».

Et cum hoc dixísset, obdormívit.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 30, 3 cd-4. 6 et 8 ab. 16 bc-17 (℟.: 6 a)

℟. In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum.

3 Esto mihi in rupem præsídii et in domum munítam,
ut salvum me fácias.
4 Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dedúces me et pasces me. ℟.

6 In manus tuas comméndo spíritum meum;
redemísti me, Dómine, Deus veritátis.
8 Exsultábo et lætábor in misericórdia tua,
quóniam respexísti humilitátem meam. ℟.

16 Eripe me de manu inimicórum meórum
et a persequéntibus me;
17 illústra fáciem tuam super servum tuum.
Salvum me fac in misericórdia tua. ℟.

Alleluia

Ps 117, 26 a et 27 a

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini;
Deus Dóminus, et illúxit nobis. ℟. Allelúia.

Evangelium

Non vos estis qui loquimini,
sed Spiritus Patris vestri.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

10, 17-22

In illo témpore: Dixit Iesus Apóstolis suis:

« Cavéte ab homínibus; tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos; et ad prǽsides et ad reges ducémini propter me, in testimónium illis et géntibus. Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini; dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini.

Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium; et insúrgent fílii in paréntes et morte eos affícient. Et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit in finem, hic salvus erit ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Múnera, quǽsumus, Dómine,
tibi sint hodiérnæ devotiónis accépta,
quæ beáti Stéphani mártyris
commemorátio gloriósa deprómit.
Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.

Ant. ad communionem Act 7, 58

Lapidábant Stéphanum, invocántem et dicéntem:
Dómine Iesu, súscipe spíritum meum.

Post communionem

Grátias ágimus, Dómine,
multiplicátis circa nos miseratiónibus tuis,
qui et Fílii tui nativitáte nos salvas,
et beáti mártyris Stéphani celebratióne lætíficas.
Per Christum.

Die 27 decembris

S. IOANNIS, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

Festum

Ant. ad introitum

Iste est Ioánnes,
qui supra pectus Dómini in cena recúbuit:
beátus Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia,
et verba vitæ in toto terrárum orbe diffúdit.

Vel: Sir 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os eius,
et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus;
stolam glóriæ índuit eum.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, qui per beátum apóstolum Ioánnem
Verbi tui nobis arcána reserásti,
præsta, quǽsumus,
ut, quod ille nostris áuribus excellénter infúdit,
intellegéntiæ competéntis eruditióne capiámus.
Per Dóminum.

Lectio prior

Quod vidimus et audivimus, annuntiamus et vobis.

Inítium Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 1, 1-4

Caríssimi:

Quod fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod perspéximus, et manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ. Et vita appáruit, et vídimus et testámur et annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat coram Patre et appáruit nobis. Quod vídimus et audívimus, annuntiámus et vobis, ut et vos communiónem habeátis nobíscum. Commúnio autem nostra est cum Patre et cum Fílio eius Iesu Christo.

Et hæc scríbimus nos, ut gáudium nostrum sit plenum. — Verbum Dómini.

Psalmus resp. Ps 96, 1-2. 5-6. 11-12 (℟.: 12 a)

℟. Lætámini, iusti, in Dómino.

Dóminus regnávit, exsúltet terra,
læténtur ínsulæ multæ.

2 Nubes et calígo in circúitu eius,
iustítia et iudícium firmaméntum sedis eius. ℟.
5 Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini,
a fácie Dómini omnis terra.
6 Annuntiavérunt cæli iustítiam eius,
et vidérunt omnes pópuli glóriam eius. ℟.
11 Lux orta est iusto,
et rectis corde lætítia.
12 Lætámini, iusti, in Dómino,
et confitémini memóriæ sanctitátis eius. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Te Deum laudámus,
te Dóminum confitémur;
te gloriósus Apostolórum chorus laudat,
Dómine. ℟. Allelúia.

Evangelium

Ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 20, 2-8

Prima sabbatórum currit María Magdaléne, et venit ad Simónem Petrum et ad álium discípulum, quem amábat Iesus, et dicit illis: « Tulérunt Dóminum de monuménto, et nescímus ubi posuérunt eum ».

Exiit ergo Petrus et ille álius discípulus, et veniébant ad monuméntum. Currébant autem duo simul, et ille álius discípulus præcucúrrit cítius Petro, et venit primus ad monuméntum. Et, cum se inclinásset, videt pósita linteámina; non tamen introívit. Venit ergo et Simon Petrus sequens eum, et introívit in monuméntum; et videt linteámina pósita et sudárium, quod fúe-

rat super caput eius, non cum linteamínibus pósitum, sed separátim involútum in unum locum.

Tunc ergo introívit et alter discípulus, qui vénerat primus ad monuméntum, et vidit et crédidit.

Verbum Dómini.

Super oblata

Múnera, quǽsumus, Dómine, obláta sanctífica, et præsta,
ut ex huius cenæ convívio
ætérni Verbi secréta hauriámus,
quæ ex eódem fonte apóstolo tuo Ioánni revelásti.
Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.

Ant. ad communionem Io 1, 14. 16

Verbum caro factum est, et habitávit in nobis.
Et de plenitúdine eius nos omnes accépimus.

Post communionem

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut Verbum caro factum,
quod beátus Ioánnes apóstolus prædicávit,
per hoc mystérium quod celebrávimus
hábitet semper in nobis. Per Christum.

Die 28 decembris
SS. INNOCENTIUM, MARTYRUM
Festum

Ant. ad introitum

Innocéntes pro Christo infántes occísi sunt,
ipsum sequúntur Agnum sine mácula,
et dicunt semper: Glória tibi, Dómine.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, cuius hodiérna die præcónium
Innocéntes mártyres non loquéndo
sed moriéndo conféssi sunt,
da, quǽsumus,
ut fidem tuam, quam lingua nostra lóquitur,
étiam móribus vita fateátur.
Per Dóminum.

Lectio prior

Sanguis Iesu mundat nos ab omni peccato.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 1, 5 — 2, 2

Caríssimi:

Hæc est annuntiátio, quam audívimus a Iesu Christo et annuntiámus vobis: quóniam Deus lux est, et ténebræ in eo non sunt ullæ. Si dixérimus quóniam communiónem habémus cum eo, et in ténebris ambulámus, mentímur et non fácimus veritátem; si autem in luce ambulémus, sicut ipse est in luce, communiónem habémus ad ínvicem, et sanguis Iesu Fílii eius mundat nos ab omni peccáto.

Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus, et véritas in nobis non est. Si confiteámur peccáta nostra, fidélis est et iustus, ut remíttat nobis peccáta et emúndet nos ab omni iniustítia. Si dixérimus quóniam non peccávimus, mendácem fácimus eum, et verbum eius non est in nobis

Filíoli mei, hæc scribo vobis ut non peccétis; sed si quis peccáverit, advocátum habémus ad Patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est propitiátio pro peccátis nostris; non pro nostris autem tantum, sed étiam pro totíus mundi. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 123, 2-3. 4-5. 7 b-8 (℟.: 7 a)

℟. Anima nostra sicut passer erépta est
de láqueo venántium.

2 Nisi quia Dóminus erat in nobis,
cum exsúrgerent hómines in nos.
3 Forte vivos deglutíssent nos,
cum irascerétur furor eórum in nos. ℟.

4 Fórsitan aqua absorbuísset nos,
torrens pertransísset ánimam nostram,
5 fórsitan pertransíssent ánimam nostram
aquæ intumescéntes. ℟.

7 Láqueus contrítus est,
et nos erépti sumus.
8 Adiutórium nostrum in nómine Dómini,
qui fecit cælum et terram. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Te Deum laudámus,
te Dóminum confitémur;
te mártyrum candidátus laudat exércitus,
Dómine. ℟. Allelúia.

Evangelium

Occidit Herodes omnes pueros,
qui erant in Bethleem.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
2, 13-18

Cum recessíssent Magi, ecce ángelus Dómini appáret in somnis Ioseph, dicens: « Surge, et áccipe púerum et matrem eius, et fuge in Ægýptum, et esto ibi usque dum dicam tibi; futúrum est enim ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum ».

Qui consúrgens accépit púerum et matrem eius nocte, et recéssit in Ægýptum. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis, ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: « Ex Ægýpto vocávi fílium meum ».

Tunc Heródes, videns quóniam illúsus esset a Magis, irátus est valde; et mittens occídit omnes púeros, qui erant in Béthleem et in ómnibus fínibus eius, a bimátu et infra, secúndum tempus quod exquisíerat a Magis.

Tunc adimplétum est quod dictum est per Ieremíam prophétam dicéntem: « Vox in Rama audíta est, plorátus et ululátus multus: Rachel plorans fílios suos, et nóluit consolári, quia non sunt ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, Dómine, quǽsumus,
devotórum múnera famulórum,
et eos tuis purífica serviéntes pietáte mystériis,
quibus étiam iustíficas ignorántes.
Per Christum.

Præfatio de Nativitate, pp. 747-749.

Ant. ad communionem — Ap 14, 4

Hi empti sunt ex homínibus, primítiæ Deo et Agno;
hi sequúntur Agnum quocúmque íerit.

Post communionem

Salvatiónis abundántiam tríbue, Dómine, fidélibus
in eórum festivitáte tua sancta suméntibus,
qui, Fílium tuum humána necdum voce profiténtes,
cæléсti sunt grátia pro eius nativitáte coronáti.
Per Christum.

Die 29 decembris
S. Thomæ Becket, episcopi et martyris

De Communi martyrum, p. 981.
Vel de Communi pastorum (pro episcopo), p. 1009.

Collecta

Deus, qui beáto Thomæ mártyri
pro iustítia magno ánimo vitam profúndere tribuísti,
da nobis, eius intercessióne,
nostram pro Christo vitam in hoc sǽculo abnegáre,
ut eam in cælo inveníre possímus.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 997, n. 5.
Psalmus responsorius, p. 988.
Evangelium, p. 1132, n. 5.

Die 31 decembris
S. Silvestri I, papæ

De Communi pastorum (pro papa), p. 1007.

Collecta

Auxiliáre, Dómine, pópulo tuo,
beáti Silvéstri papæ intercessióne suffúlto,
ut, præséntem vitam sub tua gubernatióne transcúrrens,
mereátur felíciter inveníre perpétuam.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1030, n. 9.
Psalmus responsorius, p. 1031.
Evangelium, p. 1041, n. 1 a.

IANUARIUS

Die 2 ianuarii

Ss. Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni, episcoporum et Ecclesiæ doctorum

Memoria

De Communi pastorum (pro episcopis), p. 1009.
Vel de Communi doctorum Ecclesiæ, p. 1052.

Collecta

Deus, qui Ecclésiam tuam
beatórum Basilíi et Gregórii exémplis et doctrínis
dignátus es illustráre, concéde, quǽsumus,
ut tuam discámus in humilitáte veritátem
et eam in caritáte fidéliter operémur. Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1037, n. 8.
Psalmus responsorius, p. 1031.
Evangelium, p. 1042, n. 2.

Die 7 ianuarii

S. Raimundi de Penyafort, presbyteri

De Communi pastorum, p. 1011.
Vel de Communi sanctorum (pro religiosis), p. 1087.

Collecta

Deus, qui beátum Raimúndum presbýterum
insígnis in peccatóres misericórdiæ virtúte decorásti,
eius nobis intercessióne concéde,
ut, a peccáti servitúte solúti,
quæ tibi sunt plácita líberis méntibus exsequámur.
Per Dóminum.

Lectio prior

Dedit nobis ministerium reconciliationis

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 5, 14-20

Fratres:

Cáritas Christi urget nos; æstimántes hoc, quóniam, si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt; et pro ómnibus mórtuus est, ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit.

Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem; et si cognóvimus secúndum carnem Christum, sed nunc iam non nóvimus.

Si quis ergo in Christo nova creatúra; vétera transiérunt: ecce facta sunt nova; ómnia autem ex Deo, qui reconciliávit nos sibi per Christum et dedit nobis ministérium reconciliatiónis.

Quóniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis.

Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo: Reconciliámini Deo.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 1-2. 3-4. 8-9. 13-14. 17-18 a (℟.: 1 a)

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt,
nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia
et miseratiónibus. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Non in perpétuum conténdet,
neque in ætérnum irascétur. ℟.

13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se.
14 Quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum,
recordátus est quóniam pulvis sumus. ℟.

17 Misericórdia autem Dómini ab ætérno
et usque in ætérnum super timéntes eum,
et iustítia illíus in fílios filiórum;
18 in eos qui servant testaméntum eius. ℟.

Evangelium, p. 1149, n. 18.

Die 13 ianuarii

S. Hilarii, episcopi et Ecclesiæ doctoris

De Communi pastorum (pro episcopo), p. 1009.
Vel de Communi doctorum Ecclesiæ, p. 1052.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut divinitátem Fílii tui,
quam beátus Hilárius epíscopus constánter asséruit,
et conveniénter intellégere valeámus,
et veráciter profitéri.
Per Dóminum.

Lectio prior

Qui confitetur Filium, et Patrem habet.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 2, 18-25

Filíoli, novíssima hora est, et sicut audístis quia Antichrístus venit, ita nunc antichrísti multi adsunt; unde cognóscimus quóniam novíssima hora est. Ex nobis prodiérunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuíssent ex nobis, permansíssent nobíscum; sed ut manifestarétur quóniam illi omnes non sunt ex nobis.

Sed vos unctiónem habétis a Sancto, et scitis omnes. Non scripsi vobis quasi nesciéntibus veritátem, sed quasi sciéntibus eam, et quóniam omne mendácium ex veritáte non est.

Quis est mendax, nisi is qui negat quóniam Iesus est Christus? Hic est antichrístus, qui negat Patrem et Fílium. Omnis qui negat Fílium, nec Patrem habet; qui confitétur Fílium, et Patrem habet.

Vos, quod audístis ab inítio in vobis permáneat. Si in vobis permánserit quod ab inítio audístis, et vos in Fílio et in Patre manébitis. Et hæc est repromíssio, quam ipse pollícitus est nobis, vitam ætérnam.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 109, 1. 2. 3. 4 (℟.: 4 bc)

℟. Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órdinem Melchísedech.

1 Dixit Dóminus Dómino meo:
« Sede a dextris meis,
donec ponam inimícos tuos
scabéllum pedum tuórum. ℟.

2 Virgam poténtiæ tuæ emíttet Dóminus ex Sion:
domináre in médio inimicórum tuórum. ℟.

3 Tecum principátus in die virtútis tuæ,
in splendóribus sanctis,
ex útero matutíni velut rorem génui te. ℟.
4 Iurávit Dóminus et non pænitébit eum:
« Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órdinem Melchísedech ». ℟.

Evangelium, p. 1063, n. 1.

Die 17 ianuarii
S. Antonii, abbatis
Memoria

Ant. ad introitum — Ps 91, 13-14

Iustus ut palma florébit,
sicut cedrus Líbani multiplicábitur,
plantátus in domo Dómini,
in átriis domus Dei nostri.

Collecta

Deus, qui beáto António abbáti tribuísti
mira tibi in desérto conversatióne servíre,
eius nobis interventióne concéde,
ut, abnegántes nosmetípsos,
te iúgiter super ómnia diligámus.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1121, n. 8.
Psalmus responsorius, p. 1023.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Si mansériti s in sermóne meo,
vere discípuli mei éritis
et cognoscétis veritátem, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Evangelium

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

19, 16-21

In illo témpore:

Ecce unus accédens, ait ad Iesum: « Magíster, quid boni fáciam ut hábeam vitam ætérnam? »

Qui dixit ei: « Quid me intérrogas de bono? Unus est bonus. Si autem vis ad vitam íngredi, serva mandáta ».

Dicit illi: « Quæ? »

Iesus autem dixit: « Non homicídium fácies, non adulterábis, non fácies furtum, non falsum testimónium dices, honóra patrem et matrem, et díliges próximum tuum sicut teípsum ».

Dicit illi adoléscens: « Omnia hæc custodívi: quid adhuc mihi deest? »

Ait illi Iesus: « Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo; et veni, séquere me ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Accépta tibi sint, Dómine, quæsumus,
múnera nostræ servitútis,
pro beáti Antónii commemoratióne altári tuo propósita,
et concéde, ut, a terrénis impediméntis absolúti,
te solo dívites efficiámur.
Per Christum.

Ant. ad communionem

Mt 19, 21

Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes,
et da paupéribus, et séquere me, dicit Dóminus.

Post communionem

Sacraméntis tuis, Dómine, salúbriter enutrítos,
cunctas fac nos semper insídias inimici superáre,
qui beáto António dedísti
contra potestátes tenebrárum claras reférre victórias.
Per Christum.

Die 20 ianuarii

S. Fabiani, papæ et martyris

De Communi martyrum, p. 981.
Vel de Communi pastorum (pro papa), p. 1007.

Collecta

Deus, tuórum glória sacerdótum, præsta, quǽsumus,
ut, beáti Fabiáni mártyris tui interveniénte suffrágio,
eiúsdem proficiámus fídei consórtio dignóque servítio.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1040, n. 13.
Psalmus responsorius, p. 1026.
Evangelium, p. 1050, n. 11.

Eodem die 20 ianuarii

S. Sebastiani, martyris

De Communi martyrum, p. 981.

Collecta

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine, spíritum fortitúdinis,
ut, glorióso exémplo beáti Sebastiáni mártyris tui edócti,
tibi magis quam homínibus obœdíre discámus.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 999, n. 8.
Psalmus responsorius, p. 988.
Evangelium, p. 1002, n. 2.

Die 21 ianuarii

S. Agnetis, virginis et martyris

Memoria

De Communi martyrum, p. 981.
Vel de Communi virginum, p. 1070.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui infírma mundi éligis ut fórtia quæque confúndas,
concéde propítius,
ut, qui beátæ Agnétis mártyris tuæ natalícia celebrámus,
eius in fide constántiam subsequámur.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1116, n. 2.
Psalmus responsorius, p. 1031.
Evangelium, p. 1131, n. 4.

Die 22 ianuarii

S. Vincentii, diaconi et martyris

De Communi martyrum, p. 981.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
tuum in nobis Spíritum cleménter infúnde,
ut corda nostra ea dilectióne válida potiántur,
per quam sanctus martyr Vincéntius
ómnia córporis torménta devícit.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 996, n. 3.
Psalmus responsorius, p. 988.
Evangelium, p. 1001, n. 1.

Die 24 ianuarii

S. Francisci de Sales, episcopi et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De Communi pastorum (pro episcopo), p. 1009.
Vel de Communi doctorum Ecclesiæ, p. 1052.

Collecta

Deus, qui ad animárum salútem
beátum Francíscum epíscopum
ómnibus ómnia factum esse voluísti,
concéde propítius, ut, eius exémplo,
tuæ mansuetúdinem caritátis
in fratrum servítio semper ostendámus.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1061, n. 4.
Psalmus responsorius, p. 1055.
Evangelium, p. 1152, n. 21.

Super oblata

Per hanc salutárem hóstiam quam offérimus tibi, Dómine,
cor nostrum divíno illo Sancti Spíritus igne succénde,
quo mitíssimum beáti Francísci ánimum
mirabíliter inflammásti.
Per Christum.

Post communionem

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, per sacraménta quæ súmpsimus,
beáti Francísci caritátem et mansuetúdinem
imitántes in terris,
glóriam quoque consequámur in cælis.
Per Christum.

Die 25 ianuarii

IN CONVERSIONE S. PAULI, APOSTOLI

Festum

Ant. ad introitum 2 Tim 1, 12; 4, 8

Scio cui crédidi,
et certus sum quia potens est
depósitum meum serváre in illum diem,
iustus iudex.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Deus, qui univérsum mundum
beáti Pauli apóstoli prædicatióne docuísti,
da nobis, quǽsumus,
ut, cuius conversiónem hódie celebrámus,
per eius ad te exémpla gradiéntes,
tuæ simus mundo testes veritátis. Per Dóminum.

Lectio prior*

Exsurgens baptizare, et ablue peccata tua, invocato Nomine Iesu.

Léctio Actuum Apostolórum 22, 3-16

In diébus illis: Dixit Paulus ad pópulum:

« Ego sum vir Iudǽus, natus in Tarso Cilíciæ, enutrítus autem in ista civitáte, secus pedes Gamáliel, erudítus iuxta veritátem patérnæ Legis, æmulátor Dei, sicut et vos omnes estis hódie; qui hanc viam persecútus sum usque ad mortem, álligans et tradens in custódias viros ac mulíeres, sicut et princeps sacerdótum testimónium mihi reddit et omne concílium; a quibus et epístolas accípiens ad fratres, Damáscum pergébam, ut addú-

cerem et eos qui ibi essent, vinctos in Ierúsalem, uti puniréntur.

Factum est autem, eúnte me et appropinquánte Damásco, circa médiam diem súbito de cælo circumfúlsit me lux copiósa, et décidi in terram et audívi vocem dicéntem mihi: " Saul, Saul, quid me perséqueris? "

Ego autem respóndi: " Quis es, Dómine? "

Dixítque ad me: " Ego sum Iesus Nazarénus, quem tu perséqueris ".

Et qui mecum erant lumen quidem vidérunt, vocem autem non audiérunt eius qui loquebátur mecum.

Et dixi: " Quid fáciam, Dómine? "

Dóminus autem dixit ad me: " Surgens vade Damáscum, et ibi tibi dicétur de ómnibus quæ statútum est tibi ut fáceres ".

Et, cum non vidérem præ claritáte lúminis illíus, ad manum dedúctus a comítibus veni Damáscum.

Ananías autem quidam, vir religiósus secúndum Legem, testimónium habens ab ómnibus habitántibus Iudǽis, véniens ad me et astans dixit mihi: " Saul frater, réspice ". Et ego eádem hora respéxi in eum.

At ille dixit: " Deus patrum nostrórum præordinávit te, ut cognósceres voluntátem eius, et vidéres Iustum, et audíres vocem ex ore eius; quia eris testis illi ad omnes hómines eórum quæ vidísti et audísti. Et nunc quid moráris? Exsúrgens baptizáre, et áblue peccáta tua, invocáto Nómine ipsíus " ». — Verbum Dómini.

Vel

Ego sum Iesus, quem tu persequeris.

Léctio Actuum Apostolórum 9, 1-22

In diébus illis:

Saulus, adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum, et pétiit

ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas, ut, si quos invenísset huius viæ, viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Ierúsalem.

Et, cum iter fáceret, cóntigit ut appropinquáret Damásco; et súbito circumfúlsit eum lux de cælo, et cadens in terram audívit vocem dicéntem sibi: « Saul, Saul, quid me perséqueris? »

Qui dixit: « Quis es, Dómine? »

Et ille: « Ego sum Iesus, quem tu perséqueris: sed surge et ingrédere civitátem, et dicétur tibi quid te opórteat fácere ».

Viri autem illi qui comitabántur cum eo stabant stupefácti, audiéntes quidem vocem, néminem autem vidéntes. Surréxit autem Saulus de terra; apertísque óculis, nihil vidébat. Ad manus autem illum trahéntes, introduxérunt Damáscum; et erat tribus diébus non videns, et non manducávit neque bibit.

Erat autem quidam discípulus Damásci nómine Ananías; et dixit ad illum in visu Dóminus: « Ananía! »

At ille ait: « Ecce ego, Dómine ».

Et Dóminus ad illum: « Surgens vade in vicum qui vocátur Rectus, et quære in domo Iudæ Saulum nómine Tarsénsem; ecce enim orat ». (Et vidit virum Ananíam nómine introeúntem et imponéntem sibi manus ut visum recípiat.)

Respóndit autem Ananías: « Dómine, audívi a multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fécerit in Ierúsalem; et hic habet potestátem a princípibus sacerdótum alligándi omnes qui ínvocant Nomen tuum ».

Dixit autem ad eum Dóminus: « Vade, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet Nomen meum coram géntibus et régibus et fíliis Israel; ego enim osténdam illi, quanta opórteat eum pro Nómine meo pati ».

Et ábiit Ananías, et introívit in domum, et impónens

ei manus dixit: « Saul frater, Dóminus misit me, Iesus qui appáruit tibi in via qua veniébas, ut vídeas et impleáris Spíritu Sancto ». Et conféstim cecidérunt ab óculis eius tamquam squamæ, et visum recépit, et surgens baptizátus est. Et cum accepísset cibum confortátus est.

Fuit autem cum discípulis, qui erant Damásci, per dies áliquot. Et contínuo in synagógis prædicábat Iesum, quóniam hic est Fílius Dei.

Stupébant autem omnes qui audiébant, et dicébant: « Nonne hic est qui expugnábat in Ierúsalem eos qui invocábant nomen istud, et huc ad hoc vénerat ut vinctos illos dúceret ad príncipes sacerdótum? » Saulus autem magis convalescébat et confundébat Iudǽos, qui habitábant Damásci, affírmans quóniam hic est Christus.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 116, 1. 2 (℟.: Mc 16, 15)

℟. Eúntes in mundum univérsum,
prædicáte Evangélium.

vel Allelúia.

1 Laudáte Dóminum, omnes gentes,
collaudáte eum, omnes pópuli, ℟.

2 quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius,
et véritas Dómini manet in ætérnum. ℟.

Alleluia — Io 15, 16

℟. Allelúia. ℣. Ego vos elégi de mundo,
ut eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Evangelium

Euntes in mundum universum,
prædicate Evangelium.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 16, 15-18

In illo témpore: Appárens Iesus Undecim, dixit eis:

« Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur.

Signa autem eos qui credíderint hæc sequéntur: in Nómine meo dæmónia eícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et, si mortíferum quid bíberint, non eos nocébit; super ægrótos manus impónent, et bene habébunt ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Illo nos, quǽsumus, Dómine,
divína tractántes,
fídei lúmine Spíritus perfúndat,
quo beátum Paulum apóstolum
ad glóriæ tuæ propagatiónem iúgiter collustrávit.
Per Christum.

Præfatio I de Apostolis, p. 766.

Ant. ad communionem Gal 2, 20

In fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me,
et trádidit semetípsum pro me.

Post communionem

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
in nobis fóveant caritátis ardórem,
quo beátus apóstolus Paulus veheménter accénsus,
ómnium pértulit sollicitúdinem Ecclesiárum.
Per Christum.

Die 26 ianuarii

Ss. Timothei et Titi, episcoporum

Memoria

¶ Lectio prior huius memoriæ est propria.

De Communi pastorum (pro episcopis), p. 1009.

Collecta

Deus, qui beátos Timótheum et Titum
apostólicis virtútibus decorásti,
utriúsque intercessióne concéde,
ut, iuste et pie vivéntes in hoc sǽculo,
ad cæléstem mereámur pátriam perveníre.
Per Dóminum.

Lectio prior*

Recordationem accipiens eius fidei,
quæ est in te non ficta.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli
ad Timótheum 1, 1-8

Paulus, apóstolus Christi Iesu per voluntátem Dei secúndum promissiónem vitæ, quæ est in Christo Iesu, Timótheo caríssimo fílio: grátia, misericórdia, pax a Deo Patre et Christo Iesu Dómino nostro.

Grátias ago Deo, cui sérvio a progenitóribus in consciéntia pura, quod sine intermissióne hábeo tui memóriam in oratiónibus meis nocte ac die, desíderans te vidére, memor lacrimárum tuárum, ut gáudio ímplear, recordatiónem accípiens eius fídei, quæ est in te non ficta, quæ et habitávit primum in ávia tua Lóide et matre tua Euníce, certus sum autem quod et in te.

Propter quam causam admóneo te ut resúscites dona-

tiónem Dei, quæ est in te per impositiónem mánuum meárum. Non enim dedit nobis Deus Spíritum timóris, sed virtútis et dilectiónis et sobrietátis. Noli ítaque erubéscere testimónium Dómini nostri, neque me vinctum eius; sed collabóra Evangélio secúndum virtútem Dei.
Verbum Dómini.

Vel

Tito germano filio secundum communem fidem.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Titum 1, 1-5

Paulus, servus Dei, apóstolus autem Iesu Christi secúndum fidem electórum Dei et agnitiónem veritátis, quæ secúndum pietátem est, in spem vitæ ætérnæ, quam promísit qui non mentítur Deus ante témpora sæculária; manifestávit autem tempóribus suis verbum suum in prædicatióne, quæ crédita est mihi secúndum præcéptum Salvatóris nostri Dei, Tito germáno fílio secúndum commúnem fidem: grátia et pax a Deo Patre et Christo Iesu Salvatóre nostro.

Huius rei grátia relíqui te Cretæ, ut ea quæ desunt córrigas, et constítuas per civitátes presbýteros, sicut ego tibi dispósui. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 95, 1-2 a. 2 b-3. 7-8 a. 10 (℟.: 3)

℟. Annuntiáte in ómnibus pópulis mirabília Dómini.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
2 Cantáte Dómino, benedícite nómini eius. ℟.

Annuntiáte de die in diem salutáre eius.
3 Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius. ℟.

7 Afférte Dómino, famíliæ populórum,
afférte Dómino glóriam et poténtiam,
8 afférte Dómino glóriam nóminis eius. ℟.

10 Dícite in géntibus: « Dóminus regnávit ».
Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur;
iudicábit pópulos in æquitáte. ℟.

Evangelium, p. 1047, n. 7.

Die 27 ianuarii

S. Angelæ Merici, virginis

De Communi virginum, p. 1070.
Vel de Communi sanctarum (pro educatoribus), p. 1091.

Collecta

Pietáti tuæ, quǽsumus, Dómine,
nos beáta virgo Angela commendáre non désinat,
ut, eius caritátis et prudéntiæ documénta sectántes,
tuam valeámus doctrínam custodíre
et móribus profitéri.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1125, n. 14.
Psalmus responsorius, p. 1075.
Evangelium, p. 1142, n. 12.

Die 28 ianuarii

S. Thomæ de Aquino, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

Memoria

De Communi doctorum Ecclesiæ, p. 1052.
Vel de Communi pastorum, p. 1011.
Vel de Communi sanctorum (pro religiosis), p. 1087.

Collecta

Deus, qui beátum Thomam
sanctitátis zelo ac sacræ doctrínæ stúdio
conspícuum effecísti,
da nobis, quǽsumus,
et quæ dócuit intelléctu conspícere,
et quæ gessit imitatióne complére.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1055, n. 2.
Psalmus responsorius, p. 1057.
Evangelium, p. 1066, n. 2.

Die 31 ianuarii

S. Ioannis Bosco, presbyteri

Memoria

De Communi pastorum, p. 1011.
Vel de Communi sanctorum (pro educatoribus), p. 1091.

Collecta

Deus, qui beátum Ioánnem presbýterum
adulescéntium patrem et magístrum excitásti,
concéde, quǽsumus, ut, eódem caritátis igne succénsi,
ánimas quǽrere tibíque soli servíre valeámus.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1122, n. 10.
Psalmus responsorius, p. 1097.
Evangelium, p. 1132, n. 6.

FEBRUARIUS

Die 2 februarii

IN PRÆSENTATIONE DOMINI

Festum

De benedictione et processione candelarum

Forma prima: Processio

1. Hora competenti fit collecta in ecclesia minore vel in alio loco apto extra ecclesiam, ad quam processio tendit. Fideles tenent in manibus candelas non accensas.

2. Accedit sacerdos cum ministris, indutus paramentis albis sicut ad Missam; sed pro casula sacerdos sumere potest pluviale, quod dimittit, expleta processione.

3. Dum accenduntur candelæ, cantatur antiphona

Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet,
et illuminábit óculos servórum suórum, allelúia;

vel alius cantus aptus.

4. Sacerdos populum de more salutat, ac deinde fit brevis monitio, qua fideles ad celebrandum ritum huius festi actuose et conscie invitantur, his vel similibus verbis:

Fratres caríssimi: Ante dies quadragínta celebrávimus cum gáudio festum Nativitátis Dómini. Hódie vero occúrrit dies ille beátus, quo Iesus a María et Ioseph præsentátus est in templo, extérius quidem legem implens, rerum veritáte autem occúrrens pópulo suo credénti. Spíritu Sancto impúlsi, in templum venérunt beáti illi senes et cognovérunt Dóminum eódem Spíritu illumináti, et conféssi sunt eum in exsultatióne. Ita et nos, congregáti in unum per Spíritum Sanctum, procedámus ad domum

Dei óbviam Christo. Inveniémus eum et cognoscémus in fractióne panis, donec véniat maniféstus in glória.

5. Post monitionem sacerdos benedicit candelas, iunctis manibus dicens:

Orémus.

Deus, omnis lúminis fons et orígo,
qui iusto Simeóni Lumen ad revelatiónem géntium
hódie demonstrásti,
te súpplices deprecámur,
ut hos céreos sanctificáre
tua ✠ benedictióne dignéris,
tuæ plebis vota suscípiens,
quæ ad tui nóminis laudem eos gestatúra concúrrit,
quátenus per virtútum sémitam
ad lucem indeficiéntem perveníre mereátur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Vel:

Orémus.

Deus, lumen verum,
ætérnæ lucis propagátor et auctor,
córdibus infúnde fidélium perpétui lúminis claritátem,
ut, quicúmque in templo sancto tuo
splendóre præséntium lúminum adornántur,
ad lumen glóriæ tuæ felíciter váleant perveníre.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et aspergit candelas aqua benedicta, nihil dicens.

6. Tunc sacerdos accipit ipse candelam sibi præparatam et incipit processio, clamante sacerdote:

Procedámus in pace ad occurréndum Dómino.

7. In processione cantatur antiphona quæ sequitur cum cantico, vel alius cantus aptus:

Ant. Lumen ad revelatiónem géntium,
et glóriam plebis tuæ Israel.

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine,
secúndum verbum tuum in pace.

Ant. Lumen ad revelatiónem géntium,
et glóriam plebis tuæ Israel.

Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

Ant. Lumen ad revelatiónem géntium,
et glóriam plebis tuæ Israel.

Quod parásti
ante fáciem ómnium populórum.

Ant. Lumen ad revelatiónem géntium,
et glóriam plebis tuæ Israel.

8. Ingrediente processione in ecclesiam, cantatur introitus Missæ. Sacerdos, cum ad altare pervenerit, illud veneratur et, pro opportunitate, incensat. Deinde pergit ad sedem, ubi, deposito pluviali, si illud adhibuit in processione, et assumpta casula, post cantatum hymnum Glória in excélsis, dicit de more collectam. Missa prosequitur modo consueto.

Forma altera: Introitus sollemnis

9. Fideles congregantur in ecclesia, candelas in manibus tenentes. Sacerdos, indutus sacris vestibus coloris albi, cum ministris et aliqua deputatione fidelium accedit ad locum aptum, vel ante portam vel in ipsa ecclesia, ubi saltem magna pars fidelium ritum eo mode participare possit.

10. Cum sacerdos ad locum pro benedictione candelarum statutum pervenerit, accenduntur candelæ, dum canitur antiphona Ecce Dóminus, vel alius cantus aptus.

11. Deinde sacerdos, post salutationem et monitionem, benedicit candelas, ut supra nn. 4-5; et fit processio ad altare, cum cantu (nn. 6-7). Ad Missam ea servantur quæ supra n. 8 indicantur.

Ad Missam

Ant. ad introitum Ps 47, 10-11

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam
in médio templi tui.
Secúndum nomen tuum, Deus,
ita et laus tua in fines terræ;
iustítia plena est déxtera tua.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
maiestátem tuam súpplices exorámus,
ut, sicut unigénitus Fílius tuus
hodiérna die cum nostræ carnis substántia
in templo est præsentátus,
ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári.
Per Dóminum.

Quando hoc festum extra dominicam occurrit, ante Evangelium una tantum ex sequentibus lectionibus eligitur.

Lectio prima

Veniet ad templum suum Dominator,
quem vos quæritis.

Léctio libri Malachíæ prophétæ 3, 1-4

Hæc dicit Dóminus Deus:

« Ecce ego mitto ángelum meum, et præparábit viam ante fáciem meam; et statim véniet ad templum suum Dominátor, quem vos quǽritis, et ángelus testaménti, quem vos vultis ».

« Ecce venit », dicit Dóminus exercítuum. « Et quis póterit cogitáre diem advéntus eius? et quis stabit ad vidéndum eum?

Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullónum, et sedébit conflans et emúndans argéntum, et purgábit fílios Levi et colábit eos quasi aurum et quasi argéntum, et erunt Dómino offeréntes sacrifícia in iustítia.

Et placébit Dómino sacrifícium Iuda et Ierúsalem, sicut dies sǽculi et sicut anni antíqui ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 23, 7. 8. 9. 10 (℟.: 10 b)

℟. Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

7 Attóllite, portæ, cápita vestra,
et elevámini, portæ æternáles,
et introíbit rex glóriæ. ℟.

8 Quis est iste rex glóriæ?
Dóminus fortis et potens,
Dóminus potens in prœlio. ℟.

9 Attóllite, portæ, cápita vestra,
et elevámini, portæ æternáles,
et introíbit rex glóriæ. ℟.

10 Quis est iste rex glóriæ?
Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ. ℟.

Lectio secunda

Debuit per omnia fratribus similari.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 2, 14-18

Quia púeri communicavérunt sánguini et carni, et ipse Iesus simíliter participávit iísdem, ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est diábolum; et liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. Nusquam enim ángelos apprehéndit, sed semen Abrahæ apprehéndit.

Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fíeret et fidélis Póntifex in iis quæ sunt ad Deum,

ut repropitiáret delícta pópuli. In quo enim passus est ipse tentátus, potens est eis qui tentántur auxiliári.

Verbum Dómini.

Alleluia Lc 2, 32

℟. Allelúia. ℣. Lumen ad revelatiónem géntium,
et glóriam plebis tuæ Israel. ℟. Allelúia.

Evangelium*

Viderunt oculi mei salutare tuum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 22-40

Postquam impléti sunt dies purgatiónis eórum secúndum legem Móysis, tulérunt Iesum paréntes eius in Hierosólymam ut sísterent Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini: « Omne masculínum adapériens vulvam sanctum Dómino vocábitur »; et ut darent hóstiam, secúndum quod dictum est in lege Dómini, « par túrturum aut duos pullos columbárum ».

Et ecce homo erat in Ierúsalem, cui nomen Sýmeon, et homo iste iustus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israel, et Spíritus Sanctus erat super eum. Et respónsum accéperat a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini.

Et venit in Spíritu in templum, et, cum indúcerent púerum Iesum paréntes eius, ut fácerent secúndum consuetúdinem Legis pro eo, et ipse accépit eum in ulnas suas et benedíxit Deum et dixit:

« Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace; quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, quod parásti ante fáciem ómnium populórum: lumen ad revelatiónem géntium et glóriam plebis tuæ Israel ».

Et erat pater eius et mater mirántes super his, quæ dicebántur de illo.

Et benedíxit illis Sýmeon et dixit ad Maríam matrem eius: « Ecce pósitus est hic in ruínam et resurrectiónem multórum in Israel, et in signum cui contradicétur (et tuam ipsíus ánimam pertránsiet gládius), ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes ».

Et erat Anna prophetíssa, fília Phánuel, de tribu Aser: hæc procésserat in diébus multis, et víxerat cum viro suo annis septem a virginitáte sua. Et hæc vídua usque ad annos octogínta quáttuor; quæ non discedébat de templo, ieiúniis et obsecratiónibus sérviens nocte ac die. Et hæc ipsa hora supervéniens confitebátur Deo, et loquebátur de illo ómnibus qui exspectábant redemptiónem Ierúsalem.

Et, ut perfecérunt ómnia secúndum legem Dómini, revérsi sunt in Galilǽam in civitátem suam Názareth.

Puer autem crescébat et confortabátur, plenus sapiéntia, et grátia Dei erat super illum. — Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 22-32

Postquam impléti sunt dies purgatiónis eórum secúndum legem Móysis, tulérunt Iesum paréntes eius in Hierosólymam ut sísterent Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini: « Omne masculínum adapériens vulvam sanctum Dómino vocábitur »; et ut darent hóstiam, secúndum quod dictum est in lege Dómini, « par túrturum aut duos pullos columbárum ».

Et ecce homo erat in Ierúsalem, cui nomen Sýmeon, et homo iste iustus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israel, et Spíritus Sanctus erat super eum. Et respónsum accéperat a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini.

Et venit in Spíritu in templum, et, cum indúcerent púerum Iesum paréntes eius, ut fácerent secúndum con-

suetúdinem Legis pro eo, et ipse accépit eum in ulnas suas et benedíxit Deum et dixit:

« Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace; quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, quod parásti ante fáciem ómnium populórum: lumen ad revelatiónem géntium et glóriam plebis tuæ Israel ». — Verbum Dómini.

Quando hoc festum celebratur die dominica, dicitur Credo.

Super oblata

Gratum tibi sit, Dómine, quǽsumus,
exsultántis Ecclésiæ munus oblátum,
qui unigénitum Fílium tuum voluísti
Agnum immaculátum tibi offérri pro sǽculi vita.
Per Christum.

Præfatio: De mysterio Præsentationis Domini

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Quia coætérnus hódie in templo tuus Fílius præsentátus glória Israel et lumen géntium a Spíritu declarátur.

Unde et nos, Salutári tuo in gáudiis occurréntes,
cum Angelis et Sanctis te laudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Ant. ad communionem Lc 2, 30-31

Vidérunt óculi mei salutáre tuum,
quod parásti ante fáciem ómnium populórum.

Post communionem

Per hæc sancta quæ súmpsimus, Dómine,
pérfice in nobis grátiam tuam,
qui exspectatiónem Simeónis implésti,
ut, sicut ille mortem non vidit
nisi prius Christum suscípere mererétur,
ita et nos, in occúrsum Dómini procedéntes,
vitam obtineámus ætérnam. Per Christum.

Die 3 februarii

S. Blasii, episcopi et martyris

De Communi martyrum, p. 981.
Vel de Communi pastorum (pro episcopo), p. 1009.

Collecta

Exáudi, Dómine, pópulum tuum,
cum beáti Blásii mártyris patrocínio supplicántem,
ut et temporális vitæ nos tríbuas pace gaudére,
et ætérnæ reperíre subsídium. Per Dóminum.

Lectio prior, p. 995, n. 1.
Psalmus responsorius, p. 1030.
Evangelium, p. 1045, n. 5.

Eodem die 3 februarii

S. Ansgarii, episcopi

De Communi pastorum (pro missionariis vel pro episcopo), p. 1017 vel p. 1009.

Collecta

Deus, qui ad multas illuminándas gentes
beátum Ansgárium epíscopum míttere voluísti,
eius nobis intercessióne concéde,
ut in tuæ veritátis luce iúgiter ambulémus.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1026, n. 5.
Psalmus responsorius, p. 1027.
Evangelium, p. 1044, n. 4.

Die 5 februarii

S. Agathæ, virginis et martyris

Memoria

De Communi martyrum, p. 981.
Vel de Communi virginum, p. 1070.

Collecta

Indulgéntiam nobis, quǽsumus, Dómine,
beáta Agatha virgo et martyr implóret,
quæ tibi grata semper éxstitit
et virtúte martýrii et mérito castitátis.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1116, n. 2.
Psalmus responsorius, p. 987.
Evangelium, p. 1003, n. 4.

Die 6 februarii

Ss. Pauli Miki et sociorum, martyrum

Memoria

De Communi martyrum, p. 976.

Collecta

Deus, ómnium fortitúdo sanctórum,
qui beátos mártyres Paulum eiúsque sócios

per crucem ad vitam vocáre dignátus es,
præsta, quǽsumus, ut, eórum intercessióne,
fidem quam profitémur
usque ad mortem fórtiter teneámus.
Per Dóminum.

Lectio prior

Vivo autem, iam non ego;
vivit vero in me Christus

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas

2, 19-20

Fratres:

Ego per Legem Legi mórtuus sum, ut Deo vivam; Christo confíxus sum cruci.

Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus.

Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me et trádidit seípsum pro me.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 125, 1-2 ab. 2 cd-3. 4-5. 6 (℟.: 5)

℟. Qui séminant in lácrimis,
in exsultatióne metent.

1 In converténdo Dóminus captivitátem Sion,
facti sumus quasi somniántes.
2 Tunc replétum est gáudio os nostrum,
et lingua nostra exsultatióne. ℟.

Tunc dicébant inter gentes:
« Magnificávit Dóminus fácere cum eis ».
3 Magnificávit Dóminus fácere nobíscum;
facti sumus lætántes. ℟.

4 Convérte, Dómine, captivitátem nostram,
sicut torréntes in Austro.
5 Qui séminant in lácrimis,
in exsultatióne metent. ℟.

6 Eúntes ibant et flebant,
semen spargéndum portántes;
veniéntes autem vénient in exsultatióne,
portántes manípulos suos. ℟.

Alleluia Mt 28, 19 a. 20 b

℟. Allelúia. ℣. Eúntes docéte omnes gentes,
dicit Dóminus;
ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi.
℟. Allelúia.

Evangelium

Euntes docete omnes gentes.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
28, 16-20

In illo témpore:

Undecim discípuli abiérunt in Galilǽam, in montem ubi constitúerat illis Iesus; et vidéntes eum adoravérunt, quidam autem dubitavérunt.

Et accédens Iesus locútus est eis dicens: « Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in Nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti, docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis.

Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sǽculi ».

Verbum Dómini.

Die 8 februarii
S. Hieronymi Emiliani

De Communi sanctorum (pro educatoribus), p. 1091.

Collecta

Deus, Pater misericordiárum,
qui beátum Hierónymum
adiutórem et patrem órphanis providísti,
eius nobis intercessióne concéde,
ut spíritum adoptiónis,
quo fílii tui nominámur et sumus,
fidéliter custodiámus.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1102, n. 8.
Psalmus responsorius, p. 1103.
Evangelium, p. 1143, n. 14.

Die 10 februarii
S. Scholasticæ, virginis
Memoria

De Communi virginum, p. 1070.
Vel de Communi sanctarum (pro religiosis), p. 1087.

Collecta

Beátæ Scholásticæ vírginis memóriam recoléntes,
quǽsumus, Dómine,
ut, eius exémplo, tibi intemeráta caritáte serviámus
et felíces obtineámus tuæ dilectiónis efféctus.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1074, n. 1.
Psalmus responsorius, p. 1075.
Evangelium, p. 1080, n. 3.

Die 11 februarii
Beatæ Mariæ Virginis de Lourdes

De Communi beatæ Mariæ Virginis, p. 940.

Collecta

Concéde, miséricors Deus,
fragilitáti nostræ præsídium,
ut, qui immaculátæ Dei Genetrícis memóriam ágimus,
intercessiónis eius auxílio,
a nostris iniquitátibus resurgámus.
Per Dóminum.

Lectio prior

Ecce ego declinabo super eam
quasi fluvium pacis.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 66, 10-14 c

Lætámini cum Ierúsalem et exsultáte in ea, omnes qui dilígitis eam; gaudéte cum ea gáudio, univérsi qui lugétis super eam, ut sugátis et repleámini ab úbere consolatiónis eius, ut mulgeátis et delíciis affluátis ab omnímoda glória eius.

Quia hæc dicit Dóminus: « Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis et quasi torréntem inundántem glóriam géntium, quam sugétis; ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis. Quómodo, si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos, et in Ierúsalem consolabímini ».

Vidébitis, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt, et cognoscétur manus Dómini servis eius. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Iudt 13, 23 bc-24 a. 25 abc (℟.: 15, 10 d)

℟. Tu honorificéntia pópuli nostri.

23 Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso,
præ ómnibus muliéribus super terram.
24 Benedíctus Dóminus,
qui creávit cælum et terram. ℟.

25 Quia hódie nomen tuum ita magnificávit,
ut non recédat laus tua de ore hóminum,
qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum. ℟.

Evangelium, p. 974, n. 10.

Die 14 februarii

Ss. Cyrilli, monachi, et Methodii, episcopi

Memoria

De Communi pastorum (pro fundatoribus Ecclesiarum vel pro missionariis), p. 1014 vel p. 1017.
Vel de Communi sanctorum, p. 1081.

Collecta

Deus, qui per beátos fratres Cyríllum et Methódium
Slavóniæ gentes illuminásti,
da córdibus nostris tuæ doctrínæ verba percípere,
nosque pérfice pópulum
in vera fide et recta confessióne concórdem.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1026, n. 5.
Psalmus responsorius, p. 1027.
Evangelium, p. 1047, n. 7.

Die 17 februarii

Ss. septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V.

De Communi sanctorum (pro religiosis), p. 1087.

Collecta

Beatórum fratrum, Dómine,
pietátem nobis benígnus infúnde,
qua et Dei Genetrícem sunt devotíssime veneráti,
et tuum ad te pópulum provexérunt.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1116, n. 1.
Psalmus responsorius, p. 1115.
Evangelium, p. 1134, n. 7 a.

Die 21 februarii

S. Petri Damiani, episcopi et Ecclesiæ doctoris

De Communi pastorum (pro episcopo), p. 1009.
Vel de Communi doctorum Ecclesiæ, p. 1052.
Vel de Communi sanctorum (pro religiosis), p. 1087.

Collecta

Concéde nos, quǽsumus, omnípotens Deus,
beáti Petri epíscopi mónita et exémpla sectári,
ut, Christo nihil præponéntes
et Ecclésiæ tuæ servítio semper inténti,
ad ætérnæ lucis gáudia perducámur.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1063, n. 7.
Psalmus responsorius, p. 1095.
Evangelium, p. 1151, n. 20.

Die 22 februarii

CATHEDRÆ S. PETRI, APOSTOLI

Festum

Ant. ad introitum — Lc 22, 32

Dicit Dóminus Simóni Petro:
Ego rogávi pro te,
ut non defíciat fides tua,
et tu aliquándo convérsus
confírma fratres tuos.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut nullis nos permíttas perturbatiónibus cóncuti,
quos in apostólicæ confessiónis petra solidásti.
Per Dóminum.

Lectio prior

Consenior et testis Christi passionum.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli — 5, 1-4

Caríssimi:

Senióres, qui in vobis sunt, óbsecro consénior et testis Christi passiónum, qui et eius, quæ in futúro revelánda est, glóriæ communicátor: páscite qui est in vobis gregem Dei, providéntes non coácto, sed spontánee secúndum Deum, neque turpis lucri grátia, sed voluntárie; neque ut dominántes in cleris, sed formæ facti gregis.

Et, cum apparúerit Princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3. 4. 5. 6 (℟.: 1)

℟. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit.
Dedúxit me super sémitas iustítiæ
propter nomen suum. ℟.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

Alleluia Mt 16, 18

℟. Allelúia. ℣. Tu es Petrus, et super hanc petram
ædificábo Ecclésiam meam,
et portæ ínferi non prævalébunt advérsus
eam.
℟. Allelúia.

Evangelium

Tu es Petrus, et tibi dabo claves regni cælorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 16, 13-19

In illo témpore:

Venit Iesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos dicens: « Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? »

At illi dixérunt: « Alii Ioánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii vero Ieremíam aut unum ex prophétis ».

Dicit illis Iesus: « Vos autem quem me esse dícitis? »

Respóndens Simon Petrus, dixit: « Tu es Christus, Fílius Dei vivi ».

Respóndens autem Iesus, dixit ei: « Beátus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsum eam. Tibi dabo claves Regni cælórum, et quodcúmque ligáveris super terram erit ligátum in cælis, et quodcúmque sólveris super terram erit solútum in cælis ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine,
preces et hóstias benígnus admítte,
ut, beáto Petro pastóre,
ad ætérnam pervéniat hereditátem,
quo docénte fídei tenet integritátem.
Per Christum.

Præfatio I de Apostolis, p. 766.

Ant. ad communionem Mt 16, 16. 18

Dixit Petrus ad Iesum:
Tu es Christus, Fílius Dei vivi.
Respóndit Iesus:
Tu es Petrus,
et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Post communionem

Deus, qui nos,
beáti Petri apóstoli festivitátem celebrántes,
Christi Córporis et Sánguinis communióne vegetásti,
præsta, quǽsumus,
ut hoc redemptiónis commércium
sit sacraméntum nobis unitátis et pacis.
Per Christum.

Die 23 februarii

S. Polycarpi, episcopi et martyris

Memoria

De Communi martyrum, p. 981.
Vel de Communi pastorum (pro episcopo), p. 1009.

Collecta

Deus univérsæ creatúræ,
qui beátum Polycárpum epíscopum
in número mártyrum dignátus es aggregáre,
eius nobis intercessióne concéde,
ut, cum illo partem cálicis Christi capiéntes,
in vitam resurgámus ætérnam.
Per Dóminum.

Lectio prior

Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Ioánnis apóstoli 2, 8-11

Ego Ioánnes audívi Dóminum dicéntem mihi:

« Angelo Ecclésiæ quæ est Smyrnæ scribe: " Hæc dicit Primus et Novíssimus, qui fuit mórtuus et vixit: Scio tribulatiónem tuam et paupertátem tuam — sed dives es — et blasphémiam ab his qui se dicunt Iudǽos esse et non sunt, sed sunt synagóga Sátanæ. Nihil horum tímeas quæ passúrus es. Ecce missúrus est diábolus ex vobis in cárcerem, ut tentémini; et habébitis tribulatiónem diébus decem. Esto fidélis usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ.

Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis: Qui vícerit, non lædétur a morte secúnda " ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 30, 3 cd-4. 6 a et 8 ab. 16 bc-17 (℟.: 6 a)

℟. In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum.

3 Esto mihi in rupem præsídii et in domum munítam,
ut salvum me fácias.
4 Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dedúces me et pasces me. ℟.

6 In manus tuas comméndo spíritum meum.
8 Exsultábo et lætábor in misericórdia tua,
quóniam respexísti humilitátem meam. ℟.

16 Eripe me de manu inimicórum meórum
et a persequéntibus me;
17 illústra fáciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericórdia tua. ℟.

Evangelium, p. 1005, n. 6.

MARTIUS

Die 4 martii
S. Casimiri

De Communi sanctorum, p. 1081.

Collecta

Deus omnípotens, cui servíre regnáre est,
concéde nobis, beáti Casimíri intercedénte suffrágio,
tibi in sanctitáte et iustítia perpétuo famulári.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1121, n. 9.
Psalmus responsorius, p. 1096.
Evangelium, p. 1152, n. 21.

Die 7 martii
Ss. Perpetuæ et Felicitatis, martyrum
Memoria

De Communi martyrum, p. 976.
Vel de Communi sanctarum (pro sanctis mulieribus), p. 1092.

Collecta

Deus, cuius urgénte caritáte
beátæ mártyres Perpétua et Felícitas
torméntum mortis, contémpto persecutóre, vicérunt,
da nobis, quǽsumus, eárum précibus,
ut in tua semper dilectióne crescámus.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 995, n. 2.
Psalmus responsorius, p. 990.
Evangelium, p. 1002, n. 3.

Die 8 martii

S. Ioannis a Deo, religiosi

De Communi sanctorum (pro religiosis vel pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt), p. 1087 vel 1089.

Collecta

Deus, qui beátum Ioánnem
misericórdiæ spíritu perfudísti,
da, quǽsumus, ut, caritátis ópera exercéntes,
inter eléctos in regno tuo inveníri mereámur.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1126, n. 15.
Psalmus responsorius, p. 1097.

Alleluia Mt 11, 8

℟. Allelúia. ℣. Mandátum novum do vobis, dicit Dóminus,
ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos.
℟. Allelúia.

Evangelium

Forma longior, p. 1139.
Forma brevior:

Quamdiu fecistis fratribus meis minimis, mihi fecistis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 25, 31-40

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Cum vénerit Fílius hóminis in glória sua, et omnes ángeli cum eo, tunc sedébit super thronum glóriæ suæ: et congregabúntur an-

te eum omnes gentes, et separábit eos ab ínvicem, sicut pastor ségregat oves ab hædis: et státuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinístris.

Tunc dicet Rex his qui a dextris eius erunt: " Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis Regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre; sitívi, et dedístis mihi bíbere; hospes eram, et collegístis me; nudus, et operuístis me; infírmus, et visitástis me; in cárcere eram et venístis ad me ".

Tunc respondébunt ei iusti dicéntes: " Dómine, quando te vídimus esuriéntem et pávimus, aut sitiéntem et dedimus tibi potum? quando autem te vídimus hóspitem et collégimus, aut nudum et cooperúimus? quando autem te vídimus infírmum aut in cárcere et vénimus ad te? "

Et respóndens Rex dicet illis: " Amen dico vobis: Quámdiu fecístis uni de his frátribus meis mínimis, mihi fecístis " ». — Verbum Dómini.

Die 9 martii

S. Franciscæ Romanæ, religiosæ

De Communi sanctarum (pro religiosis), p. 1087.

Collecta

Deus, qui nobis in beáta Francísca singuláre dedísti
coniugális et monásticæ conversatiónis exémplar,
fac nos tibi perseveránter deservíre,
ut in ómnibus vitæ adiúnctis
te conspícere et sequi valeámus.
Per Dóminum.

Lectio prior, p. 1106, n. 11.
Psalmus responsorius, p. 1106.
Evangelium, p. 1135, n. 7 b.

COMMUNIA

1. Commoditatis causa, in singulis Communibus, plures ponuntur Missæ cum omnibus elementis, nempe antiphonis, orationibus et lectionibus.

Attamen sacerdoti licet, pro opportunitate, antiphonas et orationes ex eodem Communi inter se commutare, eligendo ex ipsis textus, qui, sub respectu pastorali, aptiores videntur.

Insuper, in Missis de memoriis, orationes super oblata et post communionem, præter quam ex ipsis Communibus, sumi possunt etiam e feriis respectivi temporis liturgici.

2. In Communi martyrum et in Communi sanctorum et sanctarum, omnes orationes, quæ ponuntur pro viris, adhiberi possunt etiam pro mulieribus, mutato genere.

3. In singulis Communibus, textus forma singulari expressi semper adhiberi possunt pro pluribus, mutato numero. Item, textus forma plurali positi pro uno assumi possunt, mutato numero.

4. Quædam Missæ pro determinatis temporibus et circumstantiis positæ, pro iisdem temporibus et circumstantiis adhibeantur.

5. In sollemnitatibus et festis, dici potest una ex antiphonis ad libitum quæ infra, p. 1154, indicantur.

6. In omnibus Communibus, primæ lectioni psalmus responsorius assignatur, Evangelio autem Allelúia et versus, qui aptiores videntur. Pro iis tamen etiam alii sumi possunt ex eadem serie.

Post secundam lectionem nihil habetur. Attamen quando ante Evangelium una tantum lectio profertur, e serie secundæ lectionis deprompta, aptus psalmus responsorius seligatur, inter eos qui ponuntur post unamquamque primam lectionem.

Elenchus lectionum, quæ magis conveniunt aliquibus Missis sanctorum (pro papa, pro missionariis, pro religiosis, pro educatoribus, pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt, pro viduis) in Indicibus exstat.

COMMUNE DEDICATIONIS ECCLESIÆ

IN DIE DEDICATIONIS

Textus Missarum « in dedicatione ecclesiæ » necnon « in dedicatione altaris » inveniuntur inter Missas rituales, pp. 1373 et 1379.

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS

A. In ipsa ecclesia dedicata

Ant. ad introitum — Ps 67, 36

Mirábilis, Deus, de sanctuário tuo;
Deus Israel ipse tríbuet
virtútem et fortitúdinem plebi suæ; benedíctus Deus.

Collecta

Deus, qui nobis per síngulos annos
huius sancti templi tui consecratiónis réparas diem,
exáudi preces pópuli tui, et præsta,
ut fiat hic tibi semper purum servítium
et nobis plena redémptio. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 929-939.

Super oblata

Mémores diéi quo domum tuam, Dómine,
glória dignátus es ac sanctitáte replére,
nosmetípsos, quǽsumus, fac hóstias tibi semper accéptas.
Per Christum.

Præfatio: De mysterio templi Dei, quod est Ecclesia.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Quia in domo visíbili, quam nobis exstrúere concessísti,
ubi famíliæ in hoc loco
ad te peregrinánti favére non désinis,
mystérium tuæ nobíscum communiónis
mire figúras et operáris:
hic enim tibi templum illud quod nos sumus ædíficas,
et Ecclésiam per orbem diffúsam
in domínici compágem córporis facis augéri,
in pacis visióne compléndam, cælésti civitáte Ierúsalem.

Et ídeo, cum multitúdine órdinum beatórum,
in templo glóriæ tuæ, te collaudámus,
benedícimus et magnificámus, dicéntes: Sanctus ...

Ant. ad communionem 1 Cor 3, 16-17

Templum Dei estis, et Spíritus Dei hábitat in vobis.
Templum Dei sanctum est, quod estis vos.

Post communionem

Benedictiónis tuæ, quǽsumus, Dómine,
plebs tibi sacra fructus repórtet et gáudium,
ut, quod in huius festivitátis die
corporáli servítio exhíbuit,
spirituáliter se retulísse cognóscat. Per Christum.

Benedictio in fine Missæ.

Dici potest textus benedictionis sollemnis n. 19, p. 839, cum verbis ad huius domus dedicatiónis memóriam.

B. Extra ipsam ecclesiam dedicatam

Ant. ad introitum — Ap 21, 2

Vidi civitátem sanctam, Ierúsalem novam,
descendéntem de cælo a Deo,
parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Collecta

Deus, qui de vivis et eléctis lapídibus
ætérnum habitáculum tuæ præparas maiestáti,
multíplica in Ecclésia tua spíritum grátiæ quem dedísti,
ut fidélis tibi pópulus
in cæléstis ædificatiónem Ierúsalem semper accréscat.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui pópulum tuum Ecclésiam vocáre dignátus es,
da, ut plebs in nómine tuo congregáta
te tímeat, te díligat, te sequátur,
et ad cæléstia promíssa, te ducénte, pervéniat.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 929-939.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, munus oblátum,
et poscéntibus concéde, ut hic sacramentórum virtus
et votórum obtineátur efféctus. Per Christum.

Præfatio: De mysterio Ecclesiæ,
quæ est sponsa Christi templumque Spiritus.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui domum oratiónis muníficus inhabitáre dignáris,
ut, grátia tua perpétuis fovénte subsídiis,
templum Spíritus Sancti ipse nos perfícias,
acceptábilis vitæ splendóre corúscans.
Sed et visibílibus ædifíciis adumbrátam,
Christi sponsam Ecclésiam perénni operatióne sanctíficas,
ut, innumerábili prole mater exsúltans,
in glóriam tuam collocétur in cælis.

Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes: Sanctus ...

Ant. ad communionem 1 Petr 2, 5

Tamquam lápides vivi superædificámini,
domus spiritális, sacerdótium sanctum.

Post communionem

Deus, qui nobis supérnam Ierúsalem
per temporále Ecclésiæ tuæ signum adumbráre voluísti,
da, quǽsumus, ut, huius participatióne sacraménti,
nos tuæ grátiæ templum effícias,
et habitatiónem glóriæ tuæ íngredi concédas.
Per Christum.

Lectio prima

1

Sint oculi tui aperti super domum hanc.

Léctio libri primi Regum 8, 22-23. 27-30

In diébus illis:

Stetit Sálomon ante altáre Dómini in conspéctu ecclésiæ Israel, et expándit manus suas in cælum et ait: « Dómine, Deus Israel, non est símilis tui Deus in cælo désuper et super terram deórsum, qui custódis pactum et misericórdiam servis tuis qui ámbulant coram te in toto corde suo.

Ergóne putándum est quod vere Deus hábitet super terram? Si enim cælum et cæli cælórum te cápere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificávi.

Sed réspice ad oratiónem servi tui et ad preces eius, Dómine Deus meus; audi hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie, ut sint óculi tui apérti super domum hanc nocte ac die, super domum de qua dixísti: " Erit nomen meum ibi "; ut exáudias oratiónem quam orat in loco isto ad te servus tuus; ut exáudias deprecatiónem servi tui et pópuli tui Israel, quodcúmque oráverint in loco isto; et exáudies in loco habitáculi tui in cælo et, cum exaudíeris, propítius eris ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 83, 3. 4. 5 et 10. 11 (℟.: 2)

℟. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum.

3 Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. ℟.

4 Etenim passer invénit sibi domum,
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos:
altária tua, Dómine virtútum, rex meus et Deus meus. ℟.

5 Beáti qui hábitant in domo tua,
in perpétuum laudábunt te.
10 Protéctor noster, áspice, Deus,
et réspice in fáciem Christi tui. ℟.

11 Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília,
elégi ad limen esse in domo Dei mei,
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. ℟.

2

Ædificavi domum nomini eius, ut habitaret ibi in perpetuum.

Léctio libri secúndi Chronicórum
5, 6-8. 9 b. 13 — 6, 2

In diébus illis:

Rex Sálomon et univérsus cœtus Israel, et omnes qui fuérunt congregáti ante arcam, immolábant aríetes et boves absque ullo número: tanta enim erat multitúdo victimárum.

Et intulérunt sacerdótes arcam fœderis Dómini in locum suum, id est ad oráculum templi, in sancta sanctórum subter alas chérubim, ita ut chérubim expánderent alas suas super locum, in quo pósita erat arca, et ipsam arcam tégerent cum véctibus suis. Fuit ítaque arca ibi usque in præséntem diem. Nihílque erat áliud in arca, nisi duæ tábulæ, quas posúerat Móyses in Horeb, quando legem dedit Dóminus fíliis Israel egrediéntibus ex Ægýpto.

Igitur, cunctis páriter et tubis et voce et cýmbalis et órganis et divérsi géneris musicórum concinéntibus et vocem in sublíme tolléntibus, longe sónitus audiebátur; ita ut, cum Dóminum laudáre cœpíssent et dícere: « Confitémini Dómino quóniam bonus, quóniam in ætérnum misericórdia eius », implerétur domus Dei nube, nec pos-

sent sacerdótes stare et ministráre propter calíginem; compléverat enim glória Dómini domum Dei.

Tunc Sálomon ait: « Dóminus pollícitus est ut habitáret in calígine; ego autem ædificávi domum nómini eius, ut habitáret ibi in perpétuum ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius 1 Chr 29, 10. 11. 12 (℟.: 13 b)

℟. Laudámus nomen tuum ínclitum, Dómine.

10 Benedíctus es, Dómine Deus Israel patris nostri,
ab ætérno in ætérnum. ℟.

11 Tua est, Dómine, magnificéntia et poténtia
et glória atque victória,
et tibi laus;
cuncta enim, quæ in cælo sunt et in terra, tua sunt.
Tuum, Dómine, regnum,
et tu es super omnes príncipes. ℟.

12 Tuæ divítiæ et tua est glória;
tu domináris ómnium, in manu tua virtus et poténtia,
in manu tua magnitúdo et impérium ómnium. ℟.

3

Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 56, 1. 6-7

Hæc dicit Dóminus:

« Custodíte iudícium et fácite iustítiam, quia iuxta est salus mea ut véniat, et iustítia mea ut revelétur.

Et fílios ádvenæ, qui adhærent Dómino, ut colant eum et díligant nomen eius, ut sint ei in servos; omnem custodiéntem sábbatum ne pólluat illud et tenéntem fœdus meum, addúcam eos in montem sanctum meum,

et lætificábo eos in domo oratiónis meæ; holocáusta eórum et víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo, quia domus mea domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 83, 3. 4. 5 et 10. 11 (℟.: Ap 21, 3 b)

℟. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus.

3 Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. ℟.

4 Etenim passer invénit sibi domum,
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos:
altária tua, Dómine virtútum, rex meus et Deus meus. ℟.

5 Beáti qui hábitant in domo tua,
in perpétuum laudábunt te.
10 Protéctor noster, áspice, Deus,
et réspice in fáciem Christi tui. ℟.

11 Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília,
elégi ad limen esse in domo Dei mei,
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. ℟.

4

Repleta est gloria Domini domus.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 43, 1-2. 4-7 a

In diébus illis:

Duxit me ángelus ad portam, quæ respiciébat ad viam orientálem, et ecce glória Dei Israel ingrediebátur per viam orientálem, et vox erat ei quasi vox aquárum multárum, et terra splendébat a maiestáte eius.

Et maiéstas Dómini ingréssa est templum per viam portæ, quæ respiciébat ad oriéntem; et elevávit me spí-

ritus et introdúxit me in átrium intérius, et ecce repléta erat glória Dómini domus.

Et audívi loquéntem ad me de domo, et vir qui stabat iuxta me dixit ad me: « Fili hóminis, locus sólii mei et locus vestigiórum pedum meórum, ubi hábito in médio filiórum Israel in ætérnum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius 1 Chr 29, 10. 11. 12 (℟.: 13 b)

℟. Laudámus nomen tuum ínclitum, Dómine.

10 Benedíctus es, Dómine, Deus Israel patris nostri,
ab ætérno in ætérnum. ℟.

11 Tua est, Dómine, magnificéntia et poténtia
et glória atque victória,
et tibi laus;
cuncta enim, quæ in cælo sunt et in terra, tua sunt.
Tuum, Dómine, regnum,
et tu es super omnes príncipes. ℟.

12 Tuæ divítiæ et tua est glória;
tu domináris ómnium, in manu tua virtus et poténtia,
in manu tua magnitúdo et impérium ómnium. ℟.

Lectio secunda

1

Templum Dei estis.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 3, 9 b-11. 16-17

Fratres:

Dei ædificátio estis. Secúndum grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architéctus fundaméntum pósui; álius autem superædíficat. Unusquísque autem vídeat

quómodo superædíficet. Fundaméntum enim áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, qui est Iesus Christus.

Nescítis quia templum Dei estis et Spíritus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei evérterit, evértet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. — Verbum Dómini.

2

Omnis ædificatio crescit in templum sanctum in Domino.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 2, 19-22

Fratres:

Iam non estis extránei et ádvenæ, sed estis concíves sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo anguIári lápide Christo Iesu; in quo omnis ædificátio compácta crescit in templum sanctum in Dómino; in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.
Verbum Dómini.

3

Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 12, 18-19. 22-24

Fratres:

Non accessístis ad tractábilem et ardéntem ignem, et túrbinem et calíginem et procéllam, et tubæ sonum

et vocem verbórum, quam qui audiérunt recusavérunt ne ultra eis fíeret verbum.

Sed accessístis ad Sion montem et Civitátem Dei vivéntis, Ierúsalem cæléstem, et multa mília angelórum frequéntiam, et Ecclésiam primogenitórum qui conscrípti sunt in cælis, et iúdicem Deum ómnium, et spíritus iustórum qui consummáti sunt, et Testaménti novi mediatórem Iesum, et sánguinem aspersiónis mélius loquéntem quam Abel. — Verbum Dómini.

4

Tamquam lapides vivi ædificamini, domus spiritalis.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 2, 4-9

Caríssimi:

Ad Dóminum accedéntes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, coram Deo autem eléctum, pretiósum, et ipsi tamquam lápides vivi ædificámini, domus spiritális in sacerdótium sanctum, offérre spiritáles hóstias, acceptábiles Deo per Iesum Christum.

Propter quod cóntinet in Scriptúra: « Ecce pono in Sion lápidem angulárem, eléctum, pretiósum; et qui credit in eo non confundétur ». Vobis ígitur honor credéntibus; non credéntibus autem, « Lapis quem reprobavérunt ædificántes: hic factus est in caput ánguli », et « Lapis offensiónis et petra scándali »; qui offéndunt verbo non credéntes in quod et pósiti sunt.

Vos autem genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus in acquisitiónem, ut virtútes annuntiétis eius, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Mt 16, 18

℟. Allelúia. ℣. Tu es Petrus, et super hanc petram
ædificábo Ecclésiam meam,
et portæ ínferi non prævalébunt advérsus
eam. ℟. Allelúia.

Tu es Petrus, et tibi dabo claves regni cælorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
16, 13-19

In illo témpore:

Venit Iesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: « Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? »

At illi dixérunt: « Alii Ioánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii vero Ieremíam, aut unum ex prophétis ».

Dicit illis: « Vos autem quem me esse dícitis? »

Respóndens Simon Petrus dixit: « Tu es Christus, Fílius Dei vivi ».

Respóndens autem Iesus dixit ei: « Beátus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsum eam. Tibi dabo claves Regni cælórum, et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum in cælis; et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum in cælis ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia Cf. Mt 7, 8

℟. Allelúia. ℣ In domo mea omnis qui petit áccipit,
dicit Dóminus;
qui quærit ínvenit, et pulsánti aperiétur.
℟. Allelúia.

Hodie salus domui huic facta est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 19, 1-10

In illo témpore:

Ingréssus Iesus perambulábat Iéricho. Et ecce vir nómine Zacchǽus, et hic erat princeps publicanórum et ipse dives, et quærébat vidére Iesum quis esset, et non póterat præ turba, quia statúra pusíllus erat. Et præcúrrens ascéndit in árborem sycómorum, ut vidéret illum, quia inde erat transitúrus.

Et, cum venísset ad locum, suspíciens Iesus dixit ad eum: « Zacchǽe, festínans descénde, nam hódie in domo tua opórtet me manére ».

Et festínans descéndit et excépit illum gaudens. Et, cum vidérent omnes, murmurábant dicéntes: « Ad hóminem peccatórem devértit ».

Stans autem Zacchǽus dixit ad Dóminum: « Ecce dimídium bonórum meórum, Dómine, do paupéribus et, si quid áliquem defraudávi, reddo quádruplum ».

Ait autem Iesus ad eum: « Hódie salus dómui huic facta est, eo quod et ipse fílius sit Abrahæ. Venit enim Fílius hóminis quǽrere et salvum fácere quod períerat ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia 2 Chr 7, 16

℟. Allelúia. ℣. Elégi et sanctificávi locum istum,
dicit Dóminus,
ut sit nomen meum ibi in sempitérnum.
℟. Allelúia.

Dicebat de templo corporis sui.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
2, 13-22

Prope erat Pascha Iudæórum, et ascéndit Hierosólymam Iesus; et invénit in templo vendéntes boves et oves et colúmbas, et nummulários sedéntes.

Et, cum fecísset flagéllum de funículis, omnes eiécit de templo, oves quoque et boves, et nummulariórum effúdit æs, et mensas subvértit.

Et his qui colúmbas vendébant dixit: « Auférte ista hinc, nolíte fácere domum Patris mei domum negotiatiónis ». Recordáti sunt discípuli eius quia scriptum est: « Zelus domus tuæ cómedet me ».

Respondérunt ergo Iudǽi et dixérunt ei: « Quod signum osténdis nobis quia hæc facis? »

Respóndit Iesus et dixit eis: « Sólvite templum hoc, et in tribus diébus excitábo illud ».

Dixérunt ergo Iudǽi: « Quadragínta et sex annis ædificátum est templum hoc, et tu tribus diébus excitábis illud? » Ille autem dicébat de templo córporis sui.

Cum ergo resurrexísset a mórtuis, recordáti sunt discípuli eius quia hoc dicébat, et credidérunt Scriptúræ et sermóni quem dixit Iesus. — Verbum Dómini.

4

Alleluia Ap 21, 3

℟. Allelúia. ℣. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. ℟. Allelúia.

Ego vitam æternam do ovibus meis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 10, 22-30

Facta sunt Encǽnia in Hierosólymis, hiems erat, et ambulábat Iesus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Iudǽi et dicébant ei: « Quoúsque ánimam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam ».

Respóndit eis Iesus: « Dixi vobis, et non créditis. Opera, quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me. Sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis.

Oves meæ vocem meam áudiunt, et ego cognósco eas, et sequúntur me; et ego vitam ætérnam do eis, et non períbunt in ætérnum et non rápiet eas quisquam de manu mea.

Pater meus quod dedit mihi, maius ómnibus est; et nemo potest rápere de manu Patris. Ego et Pater unum sumus ». — Verbum Dómini.

COMMUNE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Hæ Missæ adhibentur etiam pro celebranda memoria sanctæ Mariæ in sabbato, et in Missis votivis de beata Maria Virgine.

1

Ant. ad introitum — Sedulius

Salve, sancta parens, eníxa puérpera Regem,
qui cælum terrámque regit in sǽcula sæculórum.

Collecta

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus,
perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére,
et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne,
a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.
Per Dóminum.

Vel:

Famulórum tuórum, quǽsumus, Dómine, delíctis ignósce,
ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus,
Genetrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 947-975.

Super oblata

Unigéniti tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas,
ut, qui natus de Vírgine
Matris integritátem non mínuit sed sacrávit,
a nostris nos piáculis éxuens,
oblatiónem nostram tibi reddat accéptam.
Per Christum.

Præfatio I de B. Maria Virgine (in Missis votivis: Et te in veneratióne), p. 762, vel II, p. 763.

Ant. ad communionem Cf. Lc 11, 27

Beáta víscera Maríæ Vírginis,
quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Post communionem

Suméntes, Dómine, cæléstia sacraménta,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut, qui de beátæ Vírginis Maríæ festivitáte lætámur,
eiúsdem Vírginis imitatióne,
redemptiónis nostræ mystério
digne valeámus famulári.
Per Christum.

2

Ant. ad introitum

Beáta es, Virgo María,
quæ ómnium portásti Creatórem;
genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo.

Collecta

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium,
ut, qui sanctæ Dei Genetrícis memóriam ágimus,
intercessiónis eius auxílio
a nostris iniquitátibus resurgámus.
Per Dóminum.

Vel:

Adiuvet nos, quǽsumus, Dómine,
beátæ Maríæ semper Vírginis intercéssio veneránda,
et a cunctis perículis absolútos
in tua fáciat pace gaudére.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 947-975.

Super oblata

Genetrícis Fílii tui memóriam venerántes,
quǽsumus, Dómine,
ut sacrifícii huius oblátio
nosmetípsos, grátia tua largiénte,
tibi perfíciat munus ætérnum. Per Christum.

Præfatio I de B. Maria Virgine (in Missis votivis: Et te in veneratióne), p. 762, vel II, p. 763.

Ant. ad communionem Lc 1, 49

Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.

Post communionem

Redemptiónis ætérnæ partícipes effécti,
quǽsumus, Dómine,
ut, qui Genetrícis Fílii tui memóriam ágimus,
et de grátiæ tuæ plenitúdine gloriémur,
et salvatiónis contínuum sentiámus augméntum.
Per Christum.

3

Ant. ad introitum Cf. Iudith 13, 23. 25

Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso
præ ómnibus muliéribus super terram;
quia nomen tuum ita magnificávit,
ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Collecta

Sanctíssimæ venerántibus Vírginis Maríæ
memóriam gloriósam,
ipsíus nobis, quǽsumus, Dómine, intercessióne concéde,
ut de plenitúdine grátiæ tuæ
nos quoque mereámur accípere. Per Dóminum.

Vel:

Dómine Iesu, qui virginálem aulam beátæ Maríæ,
in qua habitáres, elígere dignátus es,
da, quǽsumus, ut, sua nos defensióne munítos,
iucúndos fácias suæ interésse festivitáti.
Qui vivis.

Lectiones ut infra, pp. 947-975.

Super oblata

Laudis tibi, Dómine, hóstias offérimus,
de Genetrícis Fílii tui festivitáte lætántes;
præsta, quǽsumus,
ut per hæc sacrosáncta commércia
ad redemptiónis ætérnæ proficiámus augméntum.
Per Christum.

Præfatio I de B. Maria Virgine (in Missis votivis: Et te in veneratióne), p. 762, vel II, p. 763.

Ant. ad communionem — Cf. Lc 1, 48

Beátam me dicent omnes generatiónes,
quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

Post communionem

Sumptis, Dómine, sacraméntis cæléstibus,
te súpplices deprecámur,
ut, qui beátæ Maríæ Vírginis memóriam
venerándo recólimus,
ætérni convívii mereámur esse partícipes.
Per Christum.

4. Tempore Adventus

Ant. ad introitum Is 45, 8

Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant Iustum;
aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Vel: Lc 1, 30-32

Angelus ad Maríam ait: Invenísti grátiam apud Deum.
Ecce concípies et páries fílium,
et vocábitur Altíssimi Fílius.

Collecta

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero
Verbum tuum, Angelo nuntiánte,
carnem suscípere voluísti,
præsta supplícibus tuis,
ut, qui vere eam Dei Genetrícem crédimus,
eius apud te intercessiónibus adiuvémur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 947-975.

Super oblata

Altári tuo, Dómine, superpósita múnera
Spíritus ille sanctíficet,
qui beátæ Maríæ víscera sua virtúte replévit.
Per Christum.

Præfatio I de B. Maria Virgine (in Missis votivis: Et te in veneratióne), p. 762, vel II, p. 763.
Dici potest etiam præfatio II de Adventu, p. 746.

Ant. ad communionem Is 7, 14

Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium,
et vocábitur nomen eius Emmánuel.

Post communionem

Mystéria quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
misericórdiam tuam in nobis semper osténdant,
ut Fílii tui incarnatióne salvémur,
qui Genetrícis eius memóriam fidéli mente celebrámus.
Per Christum.

5. Tempore Nativitatis

Ant. ad introitum

Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum,
et gáudia matris habens cum virginitátis honóre:
nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem.

Vel:

Virgo Dei Génetrix, quem totus non capit orbis,
in tua se clausit víscera factus homo.

Collecta

Deus, qui salútis ætérnæ,
beátæ Maríæ virginitáte fecúnda,
humáno géneri prǽmia præstitísti, tríbue, quǽsumus,
ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus,
per quam merúimus Fílium tuum
auctórem vitæ suscípere. Qui tecum vivit.

Lectiones ut infra, pp. 947-975.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera quæ tibi offérimus, et præsta,
ut corda nostra, Sancti Spíritus luce irradiáta,
exémplo beátæ Vírginis Maríæ
tua semper váleant perquírere et conserváre.
Per Christum.

Præfatio I de B. Maria Virgine (in Missis votivis: Et te in veneratióne), p. 762, vel II, p. 763.

Ant. ad communionem Io 1, 14

Verbum caro factum est
et habitávit in nobis,
plenum grátiæ et veritátis.

Post communionem

Incarnáti Verbi tui Córpore et Sánguine refécti,
quǽsumus, Dómine, ut hæc divína mystéria,
quæ in festivitáte beátæ Vírginis Maríæ
lætánter accépimus,
eiúsdem Fílii tui divinitátis partícipes
nos semper effíciant.
Per Christum.

Aliæ orationes in Missis de B. Maria Virgine

Collecta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut fidéles tui,
qui sub sanctíssimæ Vírginis Maríæ patrocínio lætántur,
eius pia intercessióne
a cunctis malis liberéntur in terris,
et ad gáudia ætérna perveníre mereántur in cælis.
Per Dóminum.

Super oblata

Preces, Dómine, tuórum réspice oblationésque fidélium,
in beátæ Maríæ Dei Genetrícis commemoratióne delátas,
ut tibi gratæ sint,
et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxílium.
Per Christum.

Post communionem

Salutáribus refécti sacraméntis,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, qui festivitátem beátæ Vírginis Dei Genetrícis Maríæ venerándo égimus,
redemptiónis tuæ fructum perpétuo experíri mereámur.
Per Christum.

Lectio prima

1

Inimicitias ponam inter semen tuum et semen mulieris.

Léctio libri Génesis 3, 9-15. 20

Postquam comédit Adam de ligno, vocávit Dóminus Deus eum et dixit ei: « Ubi es? »

Qui ait: « Vocem tuam audívi in paradíso, et tímui eo quod nudus essem, et abscóndi me ».

Cui dixit: « Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedísti? »

Dixítque Adam: « Múlier, quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, et comédi ».

Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: « Quare hoc fecísti? »

Quæ respóndit: « Serpens decépit me, et comédi ».

Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: « Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia et béstias terræ: super pectus tuum gradiéris et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus; ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo eius ».

Et vocávit Adam nomen uxóris suæ Heva, eo quod mater esset cunctórum vivéntium. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Iudt 13, 23 bc-24 a. 25 abc (℟.: 15, 10 d)

℟. Tu honorificéntia pópuli nostri.

23 Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso,
præ ómnibus muliéribus super terram.
24 Benedíctus Dóminus qui creávit cælum et terram. ℟.
25 Quia hódie nomen tuum ita magnificávit,
ut non recédat laus tua de ore hóminum,
qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum. ℟.

2

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini eius in sæcula.

Léctio libri Génesis 12, 1-7

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Abram: « Egrédere de terra tua, et de cognatióne tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam, et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum, erísque benedíctus. Benedícam benedicéntibus tibi et maledícam maledicéntibus tibi, atque in te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ ».

Egréssus est ítaque Abram, sicut præcéperat ei Dóminus, et ivit cum eo Lot. Septuagínta quinque annórum erat Abram cum egrederétur de Haran. Tulítque Sárai uxórem suam, et Lot fílium fratris sui, universámque substántiam quam possíderant, et ánimas quas fé-

cerant in Haran; et egréssi sunt ut irent in terram Chánaan.

Cumque veníssent in eam, pertransívit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convállem Illústrem. Chananǽus autem tunc erat in terra.

Appáruit autem Dóminus Abram et dixit ei: « Sémini tuo dabo terram hanc ». Qui ædificávit ibi altáre Dómino, qui apparúerat ei.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Lc 1, 46-47. 48-49. 50-51. 52-53. 54-55 (℟.: 49)

℟. Fecit mihi magna qui potens est,
et sanctum Nomen eius.

46 Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo Salvatóri meo, ℟.

48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.
Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes:
49 quia fecit mihi magna qui potens est,
et sanctum Nomen eius, ℟.

50 et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum.
51 Fecit poténtiam in brácchio suo,
dispérsit supérbos mente cordis sui; ℟.

52 depósuit poténtes de sede
et exaltávit húmiles,
53 esuriéntes implévit bonis
et dívites dimísit inánes. ℟.

54 Suscépit Israel púerum suum,
memorári misericórdiæ,
55 sicut locútus est ad patres nostros,
Abraham et sémini eius in sǽcula. ℟.

3

Dabit illi Deus sedem David patris eius.

Léctio libri secúndi Samuélis 7, 1-5. 8 b-11. 16

Factum est cum sedísset David rex in domo sua, et Dóminus dedísset ei réquiem úndique ab univérsis inimícis suis, dixit ad Nathan prophétam: « Vidésne quod ego hábitem in domo cédrina, et arca Dei pósita sit in médio péllium? »

Dixítque Nathan ad regem: « Omne, quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dóminus tecum est ».

Factum est autem in illa nocte, et ecce sermo Dómini ad Nathan dicens: « Vade et lóquere ad servum meum David: " Hæc dicit Dóminus: Numquid tu ædificábis mihi domum ad habitándum? Ego tuli te de páscuis sequéntem greges, ut esses dux super pópulum meum Israel, et fui tecum in ómnibus ubicúmque ambulásti, et interféci univérsos inimícos tuos a fácie tua; fecíque tibi nomen grande iuxta nomen magnórum qui sunt in terra.

Et ponam locum pópulo meo Israel et plantábo eum, et habitábit sub eo et non turbábitur ámplius; nec addent fílii iniquitátis ut afflígant eum sicut prius, ex die qua constítui iúdices super pópulum meum Israel. Et réquiem dabo tibi ab ómnibus inimícis tuis, prædicítque tibi Dóminus quod domum fáciat tibi Dóminus.

Et fidélis erit domus tua et regnum tuum usque in ætérnum ante fáciem tuam, et thronus tuus erit firmus iúgiter " ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

1 Sam 2, 1. 4-5. 6-7. 8 abcd (℟.: 1 a)

℟. Exsultávit cor meum in Dómino salvatóre meo.

1 Exsultávit cor meum in Dómino,
et exaltátum est cornu meum in Deo meo;
dilatátum est os meum super inimícos meos,
quia lætáta sum in salutári tuo. ℟.

4 Arcus fórtium superátus est,
et infírmi accíncti sunt róbore;
5 repléti prius pro pánibus se locavérunt,
et famélici saturáti sunt;
donec stérilis péperit plúrimos,
et quæ multos habébat fílios,
infirmáta est. ℟.

6 Dóminus mortíficat et vivíficat,
dedúcit ad ínferos et redúcit;
7 Dóminus páuperem facit et ditat,
humíliat et súblevat. ℟.

8 Súscitat de púlvere egénum,
et de stércore élevat páuperem,
ut sédeat cum princípibus,
et sólium glóriæ téneat. ℟.

4

Attulerunt arcam Dei et constituerunt eam in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David.

Léctio libri primi Chronicórum 15, 3-4. 15-16; 16, 12

In diébus illis:

Congregávit David univérsum Israel in Ierúsalem, ut afferrétur arca Dei in locum suum, quem præparáverat ei; necnon et fílios Aaron et levítas.

Tulérunt autem fílii Levi arcam Dei, sicut præcéperat Móyses iuxta verbum Dómini, húmeris suis in véctibus. Dixítque David princípibus levitárum ut constitúerent de frátribus suis cantóres in órganis musicórum, nablis vidélicet et lyris et cýmbalis, ut resonáret in excélsis sónitus lætítiæ.

Attulérunt ígitur arcam Dei, et constituérunt eam in médio tabernáculi, quod teténderat ei David, et obtulérunt holocáusta et pacífica coram Deo.

Cumque complésset David ófferens holocáusta et pacífica, benedíxit pópulo in nómine Dómini.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 112, 1-2. 3-4. 5-6. 7-8 (℟.: 2)

℟. Sit nomen Dómini benedíctum in sǽcula.

vel Allelúia.

1 Laudáte, púeri Dómini,
laudáte nomen Dómini.
2 Sit nomen Dómini benedíctum
ex hoc nunc et usque in sǽculum. ℟.

3 A solis ortu usque ad occásum
laudábile nomen Dómini.
4 Excélsus super omnes gentes Dóminus,
super cælos glória eius. ℟.

5 Quis sicut Dóminus Deus noster,
qui in altis hábitat,
6 et humília réspicit
in cælo et in terra? ℟.

7 Súscitans de terra ínopem,
de stércore érigens páuperem,
8 ut cóllocet eum cum princípibus,
cum princípibus pópuli sui. ℟.

5

Maria, sedes Sapientiæ.

Léctio libri Proverbiórum 8, 22-31

Hæc lóquitur Sapiéntia Dei:

« Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum et ex antíquis, ántequam terra fíeret.

Nondum erant abýssi, et ego iam concépta eram, necdum fontes aquárum erúperant, necdum montes gravi mole constíterant, ante colles ego parturiébar: adhuc terram non fécerat et flúmina et cárdines orbis terræ.

Quando præparábat cælos áderam, quando certa lege et gyro vallábat abýssos, quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum, quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis ne transírent fines suos, quando appendébat fundaménta terræ, cum eo eram cuncta compónens. Et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore, ludens in orbe terrárum, et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 44, 11-12. 14-15. 16-17 (℟.: 11 a)

℟. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam.

11 Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam,
et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui;
12 et concupíscet rex spéciem tuam.
Quóniam ipse est dóminus tuus, et adóra eum. ℟.

14 Gloriósa nimis fília regis intrínsecus;
textúris áureis circumamícta.
15 In véstibus variegátis adducétur regi;
vírgines post eam, próximæ eius, afferúntur tibi. ℟.

16 Afferúntur in lætítia et exsultatióne,
adducúntur in domum regis.
17 Pro pátribus tuis erunt tibi fílii;
constítues eos príncipes super omnem terram. ℟.

6

Maria, sedes Sapientiæ.

Léctio libri Sirácidæ 24, 1-2. 5-7. 12-16. 26-30

Sapiéntia laudábit ánimam suam, et in Deo honorábitur, et in médio pópuli sui gloriábitur; et in ecclésiis Altíssimi apériet os suum, et in conspéctu virtútis illíus gloriábitur.

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram; ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis.

Præcépit et dixit mihi Creátor ómnium, et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: « In Iacob inhábita, et in Israel hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces ».

Ab inítio et ante sǽcula creáta sum, et usque ad futúrum sǽculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Ierúsalem potéstas mea.

Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini; spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum.

Memória mea in generatiónes sæculórum.

Qui edunt me adhuc esúrient, et qui bibunt me adhuc sítient. Qui audit me non confundétur, et qui operántur in me non peccábunt. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 44, 11-12. 14-15. 16-17 (℟.: 11 a)

℟. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam.

11 Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam,
et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui;
12 et concupíscet rex spéciem tuam.
Quóniam ipse est dóminus tuus, et adóra eum. ℟.

14 Glorióa nimis fília regis intrínsecus,
textúris áureis circumamícta.
15 In véstibus variegátis adducétur regi;
vírgines post eam, próximæ eius,
afferúntur tibi. ℟.

16 Afferúntur in lætítia et exsultatióne,
adducúntur in domum regis.
17 Pro pátribus tuis erunt tibi fílii;
constítues eos príncipes super omnem terram. ℟.

7

Ecce virgo concipiet.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 7, 10-14; 8, 10

In diébus illis:

Locútus est Dóminus ad Achaz dicens: « Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni sive in excélsum supra ».

Et dixit Achaz: « Non petam et non tentábo Dóminum ».

Et dixit: « Audíte ergo, domus David: numquid parum vobis est moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo?

Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel, quia nobíscum Deus ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

1 Sam 2, 1. 4-5. 6-7. 8 abcd (℟.: 1 a)

℟. Exsultávit cor meum in Dómino salvatóre meo.

1 Exsultávit cor meum in Dómino,
et exaltátum est cornu meum in Deo meo;
dilatátum est os meum super inimícos meos,
quia lætáta sum in salutári tuo. ℟.

4 Arcus fórtium superátus est,
et infírmi accíncti sunt róbore;
5 repléti prius pro pánibus se locavérunt,
et famélici saturáti sunt;
donec stérilis péperit plúrimos,
et quæ multos habébat fílios, infirmáta est. ℟.

6 Dóminus mortíficat et vivíficat,
dedúcit ad ínferos et redúcit;
7 Dóminus páuperem facit et ditat,
humíliat et súblevat. ℟.

8 Súscitat de púlvere egénum,
et de stércore élevat páuperem,
ut sédeat cum princípibus,
et sólium glóriæ téneat. ℟.

8

Filius datus est nobis.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 9, 2-4. 6-7

Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam, habitántibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. Multiplicásti gentem et non magnificásti lætítiam. Lætabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe, sicut exsúltant victóres, capta præda, quando dívidunt spólia. Iugum enim óneris eius, et virgam húmeri eius, et sceptrum exactóris eius superásti, sicut in die Mádian.

Párvulus enim natus est nobis, et fílius datus est nobis, et factus est principátus super húmerum eius: et vocábitur nomen eius « Admirábilis, Consiliárius, Deus fortis, Pater futúri sǽculi, Princeps pacis ».

Multiplicábitur eius impérium, et pacis non erit finis; super sólium David et super regnum eius sedébit, ut confírmet illud et corróboret in iudício et iustítia ámodo et usque in sempitérnum. Zelus Dómini exercítuum fáciet hoc. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 112, 1-2. 3-4. 5-6. 7-8 (℟.: 2)

℟. Sit nomen Dómini benedíctum in sǽcula.
vel Allelúia.

1 Laudáte, púeri Dómini,
laudáte nomen Dómini.
2 Sit nomen Dómini benedíctum
ex hoc nunc et usque in sǽculum. ℟.

3 A solis ortu usque ad occásum
laudábile nomen Dómini.

4 Excélsus super omnes gentes Dóminus,
super cælos glória eius. ℟.

5 Quis sicut Dóminus Deus noster,
qui in altis hábitat,
6 et humília réspicit
in cælo et in terra? ℟.

7 Súscitans de terra ínopem,
de stércore érigens páuperem,
8 ut cóllocet eum cum princípibus,
cum princípibus pópuli sui. ℟.

9

Gaudens gaudebo in Domino.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 61, 9-11

Scient in géntibus semen pópuli mei, et germen eórum in médio populórum. Omnes qui víderint eos cognóscent illos, quia isti sunt semen, cui benedíxit Dóminus.

Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis, et induménto iustítiæ circúmdedit me, quasi sponsum decorátum coróna, et quasi sponsam ornátam monílibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum gérminat, sic Dóminus Deus germinábit iustítiam et laudem coram univérsis géntibus.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

1 Sam 2, 1. 4-5. 6-7. 8 abcd (℟.: 1 a)

℟. Exsultávit cor meum in Dómino salvatóre meo.

1 Exsultávit cor meum in Dómino,
et exaltátum est cornu meum in Deo meo;

dilatátum est os meum super inimícos meos,
quia lætáta sum in salutári tuo. ℟.

4 Arcus fórtium superátus est,
et infírmi accíncti sunt róbore;
5 repléti prius pro pánibus se locavérunt,
et famélici saturáti sunt;
donec stérilis péperit plúrimos,
et quæ multos habébat fílios,
infirmáta est. ℟.

6 Dóminus mortíficat et vivíficat,
dedúcit ad ínferos et redúcit;
7 Dóminus páuperem facit et ditat,
humíliat et súblevat. ℟.

8 Súscitat de púlvere egénum,
et de stércore élevat páuperem,
ut sédeat cum princípibus,
et sólium glóriæ téneat. ℟.

10

Tempus, in quo parturiens pariet.

Léctio libri Michǽæ prophétæ 5, 2-5 a

Hæc dicit Dóminus:

« Et tu, Béthlehem Ephrata, párvulus es in mílibus Iuda: ex te mihi egrediétur qui sit dominátor in Israel, et egréssus eius ab inítio, a diébus æternitátis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo partúriens páriet, et relíquiæ fratrum eius converténtur ad fílios Israel.

Et stabit et pascet in fortitúdine Dómini, in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui; et converténtur, quia nunc

magnificábitur usque ad términos terræ. Et erit iste pax ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 112, 1-2. 3-4. 5-6. 7-8 (℟.: 2)

℟. Sit nomen Dómini benedíctum in sǽcula.
vel Allelúia.

1 Laudáte, púeri Dómini,
laudáte nomen Dómini.
2 Sit nomen Dómini benedíctum
ex hoc nunc et usque in sǽculum. ℟.

3 A solis ortu usque ad occásum
laudábile nomen Dómini.
4 Excélsus super omnes gentes Dóminus,
super cælos glória eius. ℟.

5 Quis sicut Dóminus Deus noster,
qui in altis hábitat,
6 et humília réspicit
in cælo et in terra? ℟.

7 Súscitans de terra ínopem,
de stércore érigens páuperem,
8 ut cóllocet eum cum princípibus,
cum princípibus pópuli sui. ℟.

11

Lætare, filia Sion, ecce ego venio.

Léctio libri Zacharíæ prophétæ 2, 10-13

Lauda et lætáre, fília Sion, quia ecce ego vénio, et habitábo in médio tui, ait Dóminus. Et applicabúntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, et erunt mihi in

pópulum, et habitábo in médio tui, et scies quia Dóminus exercítuum misit me ad te.

Et possidébit Dóminus Iudam partem suam in terra sanctificáta, et éliget adhuc Ierúsalem. Síleat omnis caro a fácie Dómini, quia consurréxit de habitáculo sancto suo. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Lc 1, 46-47. 48-49. 50-51. 52-53. 54-55

℟. Beáta, Virgo María,
quæ portásti ætérni Patris Fílium.

46 Magníficat ánima mea Dóminum,
47 et exsultávit spíritus meus in Deo Salvatóri meo, ℟.

48 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.
Ecce enim ex hoc beátam me dicent
omnes generatiónes:
49 quia fecit mihi magna qui potens est,
et sanctum Nomen eius, ℟.

50 et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum.
51 Fecit poténtiam in brácchio suo,
dispérsit supérbos mente cordis sui; ℟.

52 depósuit poténtes de sede
et exaltávit húmiles,
53 esuriéntes implévit bonis
et dívites dimísit inánes. ℟.

54 Suscépit Israel púerum suum,
memorári misericórdiæ,
55 sicut locútus est ad patres nostros,
Abraham et sémini eius in sǽcula. ℟.

Lectio secunda

1

Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 5, 12. 17-19

Fratres:

Sicut per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, et per peccátum mors; et ita in omnes hómines mors pertránsiit, eo quod omnes peccavérunt.

Si enim uníus delícto mors regnávit per unum, multo magis qui abundántiam grátiæ et donatiónis iustítiæ accípiunt, in vita regnábunt per unum Iesum Christum.

Igitur, sicut per uníus delíctum in omnes hómines in condemnatiónem, sic et per uníus iustítiam in omnes hómines in iustificatiónem vitæ.

Sicut enim per inobœdiéntiam uníus hóminis peccatóres constitúti sunt multi, ita et per uníus obœditiónem iusti constituéntur multi. — Verbum Dómini.

2

Quos Deus præscivit et prædestinavit.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 8, 28-30

Fratres:

Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, his qui secúndum propósitum vocáti sunt. Nam quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii eius, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit; et quos vocávit, hos et iustificávit; quos autem iustificávit, illos et glorificávit. — Verbum Dómini.

3

Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas 4, 4-7

Fratres:

Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

Quóniam autem estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda nostra clamántem: « Abba, Pater! ». Itaque iam non es servus, sed fílius. Quod si fílius, et heres per Deum. — Verbum Dómini.

4

Elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 1, 3-6. 11-12

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spiritáli in cæléstibus in Christo; sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritáte, qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Iesum Christum in ipsum, secúndum beneplácitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in Dilécto.

In quo sorte vocáti sumus, prædestináti secúndum propósitum eius, qui ómnia operátur secúndum consílium voluntátis suæ, ut simus in laudem glóriæ eius, qui ante sperávimus in Christo. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Felix es, sacra Virgo María,
et omni laude digníssima,
quia ex te ortus est sol iustítiæ,
Christus Deus noster.
℟. Allelúia.

* *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
1, 1-16. 18-23

Liber generatiónis Iesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Iacob, Iacob autem génuit Iudam et fratres eius, Iudas autem génuit Phares et Zara de Thamar, Phares autem génuit Esrom, Esrom autem génuit Aram, Aram autem génuit Amínadab, Amínadab autem génuit Naásson, Naásson autem génuit Salmon, Salmon autem génuit Booz de Rahab, Booz autem génuit Iobed ex Ruth, Iobed autem génuit Iesse, Iesse autem génuit David regem.

David autem génuit Salomónem ex ea quæ fuit Uríæ, Sálomon autem génuit Róboam, Róboam autem génuit Abíam, Abía autem génuit Asa, Asa autem génuit Iósaphat, Iósaphat autem génuit Ioram, Ioram autem génuit Ozíam, Ozías autem génuit Ióatham, Ióatham autem génuit Achaz, Achaz autem génuit Ezechíam, Ezechías autem génuit Manássen, Manásses autem génuit Amon, Amon autem génuit Iosíam, Iosías autem génuit Iechoníam et fratres eius in transmigratióne Babylónis.

Et post transmigratiónem Babylónis Iechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel, Zoróbabel

autem génuit Abiud, Abiud autem génuit Elíacim, Elíacim autem génuit Azor, Azor autem génuit Sadoc, Sadoc autem génuit Achim, Achim autem génuit Eliud, Eliud autem génuit Eleázar, Eleázar autem génuit Matthan, Matthan autem génuit Iacob, Iacob autem génuit Ioseph virum Maríæ, de qua natus est Iesus qui vocátur Christus.

Iesu Christi autem generátio sic erat: Cum esset desponsáta mater eius María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto; Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

Hæc autem eo cogitánte, ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens: « Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam; quod enim in ea natum est de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium, et vocábis nomen eius Iesum; ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum ».

Hoc autem totum factum est ut adimplerétur id quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: « Ecce virgo in útero habébit et páriet fílium, et vocábunt nomen eius Emmánuel », quod est interpretátum « Nobíscum-Deus ». — Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

1, 18-23

Generátio Iesu Christi sic erat: Cum esset desponsáta mater eius María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto; Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

Hæc autem eo cogitánte, ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens: « Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam; quod enim in

ea natum est de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium, et vocábis nomen eius Iesum; ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum ».

Hoc autem totum factum est ut adimplerétur id quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: « Ecce virgo in útero habébit et páriet fílium, et vocábunt nomen eius Emmánuel », quod est interpretátum « Nobíscum-Deus ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Lc 1, 45

℟. Allelúia. ℣. Beáta es, Virgo María, quæ credidísti,
quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi
a Dómino. ℟. Allelúia.

Accipe puerum et matrem eius,
et fuge in Ægyptum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
2, 13-15. 19-23

Cum recessíssent Magi, ecce ángelus Dómini appáret in somnis Ioseph dicens: « Surge et áccipe púerum et matrem eius, et fuge in Ægýptum, et esto ibi usque dum dicam tibi; futúrum est enim ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum ».

Qui consúrgens accépit púerum et matrem eius nocte, et recéssit in Ægýptum. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis, ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: « Ex Ægýpto vocávi fílium meum ».

Defúncto autem Heróde, ecce appáret ángelus Dómini in somnis Ioseph in Ægýpto, dicens: « Surge et ác-

cipe púerum et matrem eius, et vade in terram Israel; defúncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri ».

Qui surgens accépit púerum et matrem eius, et venit in terram Israel. Audiens autem quod Archeláus regnáret in Iudǽa pro Heróde patre suo, tímuit illuc ire; et admónitus in somnis, secéssit in partes Galilǽæ. Et véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth, ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas: « Nazarǽus vocábitur ». — Verbum Dómini.

2a

Alleluia Lc 11, 28

℟. Allelúia. ℣. Beáti qui áudiunt verbum Dei
et custódiunt illud. ℟. Allelúia.

Extendens manum in discipulos, dixit:
Ecce mater mea et fratres mei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 12, 46-50

In illo témpore:

Loquénte Iesu ad turbas, ecce mater et fratres eius stabant foris, quæréntes loqui ei. Dixit autem ei quidam: « Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quæréntes loqui tecum ».

At ille respóndens dicénti sibi ait: « Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? »

Et exténdens manum suam in discípulos suos, dixit: « Ecce mater mea et fratres mei. Quicúmque enim fécerit voluntátem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater et soror et mater est ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia Lc 1, 28

℟. Allelúia. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus. ℟. Allelúia.

Ecce concipies in utero et paries filium.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 26-38

In illo témpore:

Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Násareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen vírginis María.

Et ingréssus ad eam dixit: « Ave, grátia plena, Dóminus tecum ».

Ipsa autem turbáta est in sermóne eius et cogitábat qualis esset ista salutátio.

Et ait Angelus ei: « Ne tímeas, María; invenísti enim grátiam apud Deum: et ecce concípies in útero et páries fílium, et vocábis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris eius, et regnábit super domum Iacob in ætérnum, et Regni eius non erit finis ».

Dixit autem María ad Angelum: « Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? »

Et respóndens Angelus dixit ei: « Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur Sanctum vocábitur, Fílius Dei. Et ecce Elísabeth, cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua; et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur stérilis; quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum ».

Dixit autem María: « Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum ». Et discéssit ab illa Angelus. — Verbum Dómini.

4

Alleluia Lc 1, 45

℟. Allelúia. ℣. Beáta es, Virgo María, quæ credidísti,
quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi
a Dómino. ℟. Allelúia.

Beata quæ credidit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 39-47

Exsúrgens María in diébus illis ábiit in montána cum festinatióne, in civitátem Iudæ. Et intrávit in domum Zacharíæ et salutávit Elísabeth.

Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius, et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, et exclamávit voce magna et dixit: « Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo.

Et beáta quæ crédidit, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt ei a Dómino ».

Et ait María: « Magníficat ánima mea Dóminum. Et exsultávit spíritus meus in Deo Salvatóri meo ».

Verbum Dómini.

5

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Felix es, sacra Virgo María,
et omni laude digníssima,
quia ex te ortus est sol iustítiæ,
Christus Deus noster.
℟. Allelúia.

Peperit filium suum primogenitum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 1-14

Factum est in diébus illis, éxiit edíctum a Cǽsare Augústo, ut describerétur univérsus orbis. Hæc descríptio prima facta est prǽside Sýriæ Quiríno. Et ibant omnes, ut profiteréntur sínguli in suam civitátem.

Ascéndit autem et Ioseph a Galilǽa, de civitáte Názareth, in Iudǽam, in civitátem David, quæ vocátur Béthleem; eo quod esset de domo et família David, ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre prægnánte.

Factum est autem, cum essent ibi, impléti sunt dies ut páreret, et péperit fílium suum primogénitum, et pannis eum invólvit et reclinávit eum in præsépio, quia non erat eis locus in diversório.

Et pastóres erant in regióne eádem, vigilántes et custodiéntes vigílias noctis supra gregem suum. Et ángelus Dómini stetit iuxta illos, et glória Dómini circumfúlsit illos, et timuérunt timóre magno.

Et dixit illis ángelus: « Nolíte timére; ecce enim evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo: quia natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David. Et hoc vobis signum: inveniétis infántem pannis involútum et pósitum in præsépio ».

Et súbito facta est cum ángelo multitúdo milítiæ cæléstis, laudántium Deum et dicéntium: « Glória in altíssimis Deo, et super terram pax in homínibus bonæ voluntátis ».

Verbum Dómini.

6

Alleluia Cf. Lc 2, 19

℟. Allelúia. ℣. Beáta Virgo María,
quæ conservábat verbum Dei,
cónferens in corde suo. ℟. Allelúia.

Conservabat omnia verba hæc
conferens in corde suo.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 15 b-19

In illo témpore:

Pastóres loquebántur ad ínvicem: « Transeámus usque Béthleem et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis ».

Et venérunt festinántes; et invenérunt Maríam et Ioseph et infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem notum fecérunt verbum, quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes qui audiérunt miráti sunt de his quæ dicta erant a pastóribus ad ipsos.

María autem conservábat ómnia verba hæc cónferens in corde suo. — Verbum Dómini.

7

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Felix es, sacra Virgo María,
et omni laude digníssima,
quia ex te ortus est sol iustítiæ,
Christus Deus noster. ℟. Allelúia.

Tuam ipsius animam pertransiet gladius.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 27-35

In illo témpore:

Venit Sýmeon in Spíritu in templum; et cum indúcerent púerum Iesum paréntes eius, ut fácerent secún-

dum consuetúdinem Legis pro eo, et ipse accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum et dixit:

« Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace; quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, quod parásti ante fáciem ómnium populórum: lumen ad revelatiónem géntium et glóriam plebis tuæ Israel ».

Et erat pater eius et mater mirántes super his quæ dicebántur de illo.

Et benedíxit illis Sýmeon; et dixit ad Maríam matrem eius: « Ecce pósitus est hic in ruínam et resurrectiónem multórum in Israel et in signum cui contradicétur (et tuam ipsíus ánimam pertránsiet gládius), ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes ». — Verbum Dómini.

8

Alleluia Cf. Lc 2, 19

℟. Allelúia. ℣. Beáta Virgo María,
quæ conservábat verbum Dei,
cónferens in corde suo. ℟. Allelúia.

Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 2, 41-52

Ibant paréntes Iesu per omnes annos in Ierúsalem in die festo Paschæ. Et, cum factus esset annórum duódecim, ascendéntibus illis secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Iesus in Ierúsalem, et non cognovérunt paréntes eius.

Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos. Et non inveniéntes regréssi sunt in Ierúsalem requiréntes eum.

Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogántem eos. Stupébant autem omnes qui eum audiébant super prudéntia et respónsis eius. Et vidéntes eum admiráti sunt.

Et dixit mater eius ad illum: « Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te ».

Et ait ad illos: « Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his quæ Patris mei sunt opórtet me esse? » Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad illos.

Et descéndit cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis.

Et mater eius conservábat ómnia verba in corde suo. Et Iesus proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia apud Deum et hómines. — Verbum Dómini.

9

Alleluia Lc 11, 28

℟. Allelúia. ℣. Beáti qui áudiunt verbum Dei
et custódiunt illud. ℟. Allelúia.

Beatus venter qui te portavit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 11, 27-28

In illo témpore:

Loquénte Iesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi: « Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti ».

At ille dixit: « Quinímmo beáti qui áudiunt verbum Dei et custódiunt ». — Verbum Dómini.

10

Alleluia Lc 1, 45

℟. Allelúia. ℣. Beáta es, Virgo María, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino. ℟. Allelúia.

Et erat mater Iesu ibi.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:

Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Iesu ibi: vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias. Et, deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: « Vinum non habent ».

Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier? nondum venit hora mea ».

Dicit mater eius minístris: « Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex, pósitæ secúndum purificatiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel ternas.

Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et implevérunt eas usque ad summum.

Et dicit eis: « Hauríte nunc et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt.

Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam, et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant qui hauríerant aquam, vocat sponsum architriclínus, et dicit ei: « Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriáti fúerint, id quod detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ; et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius. — Verbum Dómini.

11

Alleluia Cf. Lc 2, 19

℟. Allelúia. ℣. Beáta est María Virgo,
quæ sine morte méruit martýrii palmam
sub cruce Dómini. ℟. Allelúia.

Ecce filius tuus. Ecce mater tua.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
19, 25-27

In illo témpore:

Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius María Cléopæ et María Magdaléne.

Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus »; deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Verbum Dómini.

COMMUNE MARTYRUM

1. Pro pluribus martyribus

Ant. ad introitum

Gaudent in cælis ánimæ Sanctórum,
qui Christi vestígia sunt secúti;
et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt,
ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Collecta

Præsta, Dómine,
précibus nostris cum exsultatióne provéntum,
ut sanctórum mártyrum N. et N.
quorum diem passiónis ánnua devotióne recólimus,
étiam fídei constántiam subsequámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 986-1006.

Super oblata

Súscipe, sancte Pater, múnera
quæ in sanctórum mártyrum commemoratióne deférimus,
et nobis fámulis tuis concéde,
ut in confessióne tui nóminis inveníri stábiles mereámur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Lc 22, 28-30

Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis,
et ego dispóno vobis Regnum, dicit Dóminus,
ut edátis et bibátis super mensam meam in Regno meo.

Post communionem

Deus, qui crucis mystérium
in sanctis martýribus tuis mirabíliter illustrásti,

concéde propítius, ut, ex hoc sacrifício roboráti,
Christo fidéliter hæreámus,
et in Ecclésia ad salútem ómnium operémur.
Per Christum.

2. Pro pluribus martyribus

Ant. ad introitum Ps 33, 20-21

Multæ tribulatiónes iustórum,
et de his ómnibus liberávit eos Dóminus.
Dóminus custódit ómnia ossa eórum,
unum ex his non conterétur.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui sanctis N. et N. pro Christo pati donásti,
nostræ quoque fragilitáti divínum prætende subsídium,
ut, sicut illi pro te mori non dubitárunt,
ita nos fortes in tua confessióne vívere valeámus.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 986-1006.

Super oblata

Fiat tibi, quǽsumus, Dómine,
hóstia sacránda placábilis pretiósi celebritáte martýrii,
quæ et peccáta nostra puríficet,
et tuórum tibi vota concíliet famulórum.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 15, 13

Maiórem dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis,
dicit Dóminus.

Post communionem

Pane cælésti nutrítos et in Christo unum corpus efféctos,
da nos, quǽsumus, Dómine,
ab eius caritáte numquam separári
et, sanctórum mártyrum tuórum N. et N. exémplo,
propter eum qui diléxit nos ómnia fórtiter superáre.
Per Christum.

3. Pro pluribus martyribus

Ant. ad introitum — Ps 36, 39

Salus iustórum a Dómino,
et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis.

Collecta

Fratérna nos, Dómine, mártyrum tuórum coróna lætíficet,
quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum,
et multíplici nos suffrágio consolétur.
Per Dóminum.

Vel:

Beatórum mártyrum N. et N., quǽsumus, Dómine,
tibi nos orátio grata comméndet,
et in tuæ veritátis professióne confírmet.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 986-1006.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera pópuli tui
pro mártyrum tuórum passiónibus dicáta sanctórum,
et, quæ beátis N. et N.
in persecutióne fortitúdinem ministrárunt,
nobis quoque præbeant inter advérsa constántiam.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mc 8, 35

Qui perdíderit ánimam suam propter me et Evangélium, salvam fáciet eam, dicit Dóminus.

Post communionem

Consérva in nobis, Dómine, munus tuum,
et quod, te donánte,
pro festivitáte beatórum mártyrum N. et N. percépimus,
et salútem nobis præstet et pacem.
Per Christum.

4. Pro pluribus martyribus

Ant. ad introitum Ps 33, 18

Clamavérunt iusti, et Dóminus exaudívit eos,
et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Collecta

Deus, qui nos ánnua sanctórum N. et N.
festivitáte lætíficas,
concéde propítius, ut, quorum natalícia cólimus,
virtútem quoque passiónis imitémur.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui sanctis N. et N.
ad hanc glóriam veniéndi copiósam
munus grátiæ contulísti,
da fámulis tuis, mártyrum intercedéntibus méritis,
véniam peccatórum,
et concéde, ut ab ómnibus adversitátibus liberéntur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 986-1006.

Super oblata

Hóstias tibi, Dómine,
pro commemoratióne beatórum N. et N. offérimus,
supplíciter deprecántes,
ut, sicut illis præbuísti sacræ fídei claritátem,
sic nobis indulgéntiam largiáris et pacem.
Per Christum.

Ant. ad communionem 2 Cor 4, 11

In mortem trádimur propter Iesum,
ut et vita Iesu manifestétur in carne nostra mortáli.

Post communionem

Concéde nobis, Dómine, per hæc sacraménta cæléstia,
grátiam in beatórum mártyrum N. et N.
celebritáte multíplicem,
ut de tanti agóne certáminis discámus
et firma solidári patiéntia,
et pia exsultáre victória.
Per Christum.

5. Pro pluribus martyribus

Ant. ad introitum

Sanguis sanctórum mártyrum
pro Christo effúsus est in terris;
ídeo adépti sunt prǽmia sempitérna.

Collecta

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
fídei miserátus augméntum,
ut, quos sanctos mártyres tuos N. et N.
usque ad sánguinem reténta gloríficat,
nos étiam iustíficet, veráciter hanc sequéntes.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 986-1006.

Super oblata

Sacrifíciis præséntibus, Dómine, quǽsumus,
inténde placátus,
ut, quod passiónis Fílii tui mystério gérimus,
beatórum N. et N. exémplis, pio consequámur afféctu.
Per Christum.

Vel:

Hæc hóstia, Dómine,
quam in beatórum N. et N. triúmpho deférimus,
corda nostra tui amóris igne iúgiter inflámmet,
et ad promíssa perseverántibus prǽmia dispónat.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Cf. Rom 8, 38-39

Neque mors, neque vita, neque creatúra áliqua
póterit nos separáre a caritáte Christi.

Post communionem

Pasti, Dómine,
pretióso Córpore et Sánguine unigéniti Fílii tui,
da, quǽsumus,
in commemoratióne beatórum mártyrum tuórum N. et N.
perseveránti caritáte in te manére,
de te vívere, et ad te movéri.
Per Christum.

6. Pro uno martyre

Ant. ad introitum

Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem,
et a verbis impiórum non tímuit;
fundátus enim erat supra firmam petram.

Collecta

Omnípotens et miséricors Deus,
qui mártyrem tuum N.
passiónis suæ torménta superáre fecísti,
concéde, ut, qui eius triúmphi diem celebrámus,
insuperábiles tua protectióne
ab hostis insídiis maneámus.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 986-1006.

Super oblata

Obláta múnera, quǽsumus, Dómine,
tua benedictióne sanctífica,
quæ, te donánte,
nos illa flamma tuæ dilectiónis accéndat,
per quam sanctus N.
torménta sui córporis univérsa devícit.
Per Christum.

Vel:

Accépta tibi sint, quǽsumus, Dómine, múnera,
quæ in commemoratióne beáti mártyris tui N. deférimus,
ut eo maiestáti tuæ sint plácita,
sicut illíus effúsio sánguinis apud te éxstitit pretiósa.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mt 16, 24

Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum,
et tollat crucem suam, et sequátur me, dicit Dóminus.

Post communionem

Præstent nobis, quǽsumus, Dómine,
sacra mystéria quæ súmpsimus
eam ánimi fortitúdinem,

quæ beátum N. mártyrem tuum
réddidit in tuo servítio fidélem et in passióne victórem.
Per Christum.

7. Pro uno martyre

Ant. ad introitum

Hic est vere martyr,
qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit,
qui minas iúdicum non tímuit,
sed ad cæléstia regna pervénit.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui beáto N.
usque ad mortem pro iustítia certáre tribuísti,
fac nos, eius intercessióne,
pro amóre tuo ómnia advérsa toleráre
et ad te, qui solus es vita, tota virtúte properáre.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 986-1006.

Super oblata

Clementíssime Deus,
múnera hæc tua benedictióne perfúnde
et nos in fide confírma,
quam beátus N. effúso sánguine asséruit.
Per Christum.

Vel:

Hóstias tibi, Dómine,
pro commemoratióne beáti mártyris tui N. offérimus,
quem a tui córporis unitáte nulla tentátio separávit.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 15, 5

Ego sum vitis vera et vos pálmites, dicit Dóminus;
qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum.

Post communionem

Sacris, Dómine, recreáti mystériis, quǽsumus,
ut, miram beáti N. constántiam æmulántes,
patiéntiæ prǽmium cónsequi mereámur ætérnum.
Per Christum.

Aliæ orationes pro martyribus

Pro missionariis martyribus

Collecta

Maiestátis tuæ cleméntiam supplíciter deprecámur,
omnípotens et miséricors Deus,
ut, sicut Unigéniti tui agnitiónem
per beatórum mártyrum N. et N. prædicatiónem
populórum córdibus infudísti,
ita, eórum intercessióne, fídei stabilitáte firméntur.
Per Dóminum.

Super oblata

Mártyrum tuórum N. et N. passiónem venerántes,
fac nos, Dómine, hoc sacrifício
mortem Unigéniti tui digne annuntiáre,
cui parum fuit hortári mártyres verbo,
nisi firmáret exémplo. Per Christum.

Post communionem

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis, súpplices te rogámus,
ut, exémplo beatórum N. et N.,
caritátis et passiónis Fílii tui
in méntibus nostris signa ferámus,
et perpétuæ pacis fructu iúgiter perfruámur.
Per Christum.

Pro virgine martyre

Collecta

Deus, qui nos hódie
beátæ N. ánnua commemoratióne lætíficas,
concéde propítius, ut eius adiuvémur méritis,
cuius castitátis et fortitúdinis irradiámur exémplis.
Per Dóminum.

Super oblata

Múnera, quǽsumus, Dómine,
quæ in celebritáte beátæ N. deférimus,
ita grátiæ tuæ efficiántur accépta,
sicut eius tibi plácitum éxstitit passiónis certámen.
Per Christum.

Post communionem

Deus, qui beátam N.
pro gémina virginitátis et martýrii victória
inter Sanctos coronásti,
da, quǽsumus, per huius virtútem sacraménti,
ut, omne malum fórtiter superántes,
cæléstem glóriam consequámur.
Per Christum.

Pro sancta muliere martyre

Collecta

Deus, cuius múnere virtus in infirmitáte perfícitur,
da ómnibus beátæ N. glóriam recoléntibus,
ut, quæ abs te sumpsit robur ut vínceret,
abs te quoque vincéndi nobis grátiam semper obtíneat.
Per Dóminum.

Super oblata

Hodiérnum, Dómine, sacrifícium lætánter offérimus,
quo, beátæ N. cæléstem victóriam recenséntes,

et tua magnália prædicámus,
et nos acquisísse gaudémus suffrágia gloriósa.
Per Christum.

Post communionem

Suméntes, Dómine, gáudia sempitérna
de participatióne sacraménti, et de memória beátæ N.,
supplíciter deprecámur,
ut, quæ sédula servitúte, donánte te, gérimus,
dignis sénsibus tuo múnere capiámus.
Per Christum.

Lectio prima

1

Zacharias, quem occidistis inter templum et altare.

Léctio libri secúndi Chronicórum 24, 18-22

In diébus illis:

Dereliquérunt templum Dómini Dei patrum suórum, servierúntque lucis et sculptílibus, et facta est ira contra Iudam et Ierúsalem propter hoc peccátum. Mittebátque eis prophétas ut reverteréntur ad Dóminum, quos protestántes illi audíre nolébant.

Spíritus ítaque Dei índuit Zacharíam fílium Ióiadæ sacerdótem, et stetit in conspéctu pópuli et dixit eis: « Hæc dicit Dóminus Deus: Quare transgredímini præcéptum Dómini, quod vobis non próderit, et dereliquístis Dóminum, ut derelínqueret vos? »

Qui congregáti advérsus eum, misérunt lápides iuxta regis impérium in átrio domus Dómini. Et non est recordátus Ioas rex misericórdiæ quam fécerat Ióiada pater illíus secum, sed interfécit fílium eius.

Qui, cum morerétur, ait, « Vídeat Dóminus et requírat ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 30, 3 cd-4. 6 et 8 ab. 16 bc-17 (℟.: 6 a)

℟. In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum.

3 Esto mihi in rupem præsídii et in domum munítam,
ut salvum me fácias.
4 Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dedúces me et pasces me. ℟.

6 In manus tuas comméndo spíritum meum;
redemísti me, Dómine, Deus veritátis.
8 Exsultábo et lætábor in misericórdia tua,
quóniam respexísti humilitátem meam. ℟.

16 Eripe me de manu inimicórum meórum
et a persequéntibus me;
17 illústra fáciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericórdia tua. ℟.

2

Propter timorem tuum libenter hæc patior.

Léctio libri secúndi Machabæórum 6, 18. 21. 24-31

In diébus illis:

Eleázarus unus de primóribus scribárum, vir ætáte provéctus et vultu decórus, apérto ore hians compellebátur carnem porcínam manducáre.

Hi autem qui astábant, iníqua miseratióne commóti propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum secréto rogábant afférri carnes, quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducásse, sicut rex imperáverat, de sacrifícii cárnibus.

« Non ætáti nostræ dignum est », inquit, « fíngere, ut multi adulescéntium, arbitrántes Eleázarum nonagínta annórum transísse ad vitam alienigenárum, et ipsi propter meam simulatiónem et propter módicum corruptíbilis vitæ tempus decipiántur, et per hoc máculam atque exsecratiónem meæ senectúti conquíram. Nam, etsi in præsénti témpore supplíciis hóminum erípiar, sed manum Omnipoténtis nec vivus nec defúnctus effúgiam.

Quam ob rem fórtiter vita excedéndo, senectúte quidem dignus apparébo, adulescéntibus autem exémplum forte relínquam, si prompto ánimo ac fórtiter pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honésta morte perfúngar ». His dictis, conféstim ad supplícium trahebátur.

Hi autem, qui eum ducébant et paulo ante fúerant mitióres, in iram convérsi sunt propter sermónes ab eo dictos, quos illi per arrogántiam prolátos arbitrabántur.

Sed, cum plagis perimerétur, ingémuit et dixit: « Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, maniféste tu scis quia, cum a morte possem liberári, duros córporis sustíneo dolóres; secúndum ánimam vero propter timórem tuum libénter hæc pátior ».

Et iste quidem hoc modo vita decéssit, non solum iuvénibus, sed et univérsæ genti memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis et fortitúdinis derelínquens.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9 (℟.: 5 b)

℟. Ex ómnibus terróribus meis erípuit me Dóminus.

2 Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.
3 In Dómino gloriábitur ánima mea,
áudiant mansuéti et læténtur. ℟.

4 Magnificáte Dóminum mecum,
et exaltémus nomen eius in idípsum.
5 Exquisívi Dóminum, et exaudívit me,
et ex ómnibus terróribus meis erípuit me. ℟.
6 Respícite ad eum, et illuminámini,
et fácies vestræ non confundéntur.
7 Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum,
et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum. ℟.
8 Vallábit ángelus Dómini in circúitu timéntes eum,
et erípiet eos.
9 Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir qui sperat in eo. ℟.

3

Parati sumus mori, magis quam patrias Dei leges prævaricari.

Léctio libri secúndi Machabæórum 7, 1-2. 9-14

In diébus illis:

Cóntigit septem fratres, una cum matre sua apprehénsos, compélli a rege édere, contra fas, carnes porcínas, flagris et táureis cruciátos.

Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: « Quid quæris et quid vis díscere a nobis? Paráti sumus mori, magis quam pátrias Dei leges prævaricári ».

Secúndus autem in último spíritu constitútus sic ait: « Tu quidem, scelestíssime, in præsénti vita nos perdis, sed rex mundi defúnctos nos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit ».

Post hunc tértius illúditur, et linguam postulátus cito prótulit et manus constánter exténdit, et cum fidúcia ait: « E cælo ista possídeo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me ea receptúrum spero »; ita ut rex et qui cum ipso erant miraréntur adu-

lescéntis ánimum, quod tamquam níhilum dúceret cruciátus.

Et hoc ita defúncto, quartum vexábant simíliter torquéntes; et, cum iam esset ad mortem, sic ait: « Pótius est ab homínibus morti datos spem exspectáre a Deo, íterum ab ipso resuscitándos; tibi enim resurréctio ad vitam non erit ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 123, 2-3. 4-5. 7 b-8 (℟.: 7 a)

℟. Anima nostra sicut passer erépta est
de láqueo venántium.

2 Nisi quia Dóminus erat in nobis,
cum exsúrgerent hómines in nos.
3 Forte vivos deglutíssent nos,
cum irascerétur furor eórum in nos. ℟.

4 Fórsitan aqua absorbuísset nos,
torrens pertransísset ánimam nostram,
5 fórsitan pertransíssent ánimam nostram
aquæ intumescéntes. ℟.

7 Láqueus contrítus est,
et nos erépti sumus.
8 Adiutórium nostrum in nómine Dómini,
qui fecit cælum et terram. ℟.

4

Mater mirabilis, quæ bono animo ferebat
propter spem quam in Deum habebat.

Léctio libri secúndi Machabæórum
7, 1. 20-23. 27 b-29

In diébus illis:

Cóntigit septem fratres, una cum matre sua apprehénsos, compélli a rege édere, contra fas, carnes porcínas, flagris et táureis cruciátos.

Supra modum autem mater mirábilis et bonórum memória digna, quæ pereúntes septem fílios sub unius diéi témpore conspíciens, bono ánimo ferébat propter spem quam in Deum habébat; síngulos illórum hortabátur voce pátria fórtiter repléta sapiéntia, et, femíneæ cogitatióni masculínum ánimum ínserens, dixit ad eos:

« Néscio quáliter in útero meo apparuístis, neque enim ego spíritum et ánimam donávi vobis et vitam, et singulórum membra non ego ipsa compégi; sed enim mundi creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit oríginem, et spíritum vobis íterum cum misericórdia reddet et vitam, sicut nunc vosmetípsos despícitis propter leges eius ».

Adulescentióri autem dixit:

« Fili mi, miserére mei, quæ te in útero novem ménsibus portávi et lac triénnio dedi et álui, et in ætátem istam perdúxi. Peto, nate, ut aspícias ad cælum et terram et ad ómnia, quæ in eis sunt, et intéllegas quia ex níhilo fecit illa Deus et hóminum genus. Ita fiet, ut non tímeas carníficem istum, sed dignus frátribus tuis efféctus párticeps, súscipe mortem, ut in illa miseratióne cum frátribus tuis te recípiam ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 30, 3 cd-4. 6 et 8 ab. 16 bc-17 (℟.: 6 a)

℟. In manus tuas, Dómine,
commendo spíritum meum.

3 Esto mihi in rupem præsídii et in domum munítam,
ut salvum me fácias.
4 Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu,
et propter nomen tuum dedúces me et pasces me. ℟.

6 In manus tuas comméndo spíritum meum;
redemísti me, Dómine, Deus veritátis.
8 Exsultábo et lætábor in misericórdia tua,
quóniam respexísti humilitátem meam. ℟.

16 Eripe me de manu inimicórum meórum
et a persequéntibus me;
17 illústra fáciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericórdia tua. ℟.

5

Quasi holocausti hostiam accepit illos.

Léctio libri Sapiéntiæ 3, 1-9

Iustórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori, et æstimáta est afflíctio éxitus illórum, et, quod a nobis est iter, extermínium; illi autem sunt in pace; et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est.

In paucis vexáti, in multis bene disponéntur, quóniam Deus tentávit eos et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum.

Fulgébunt iusti, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent; iudicábunt natiónes et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Qui confídunt in illo intéllegent veritátem, et fidéles in dilectióne acquiéscent illi, quóniam donum et pax est eléctis eius.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 125, 1-2 ab. 2 cd-3. 4-5. 6 (℟.: 5)

℟. Qui séminant in lácrimis, in exsultatióne metent

1 In converténdo Dóminus captivitátem Sion,
facti sumus quasi somniántes.
2 Tunc replétum est gáudio os nostrum,
et lingua nostra exsultatióne. ℟.

Tunc dicébant inter gentes:
« Magnificávit Dóminus fácere cum eis ».
3 Magnificávit Dóminus fácere nobíscum;
facti sumus lætántes. ℟.

4 Convérte, Dómine, captivitátem nostram,
sicut torréntes in austro.
5 Qui séminant in lácrimis,
in exsultatióne metent. ℟.

6 Eúntes ibant et flebant,
semen spargéndum portántes;
veniéntes autem vénient in exsultatióne,
portántes manípulos suos. ℟.

6

Liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui.

Léctio libri Sirácidæ 51, 1-12

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adiútor

Et liberásti me, secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me, a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus; de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta et a verbo mendácii, a rege iníquo et a lingua iniústa.

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum.

Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adiuváret; respíciens eram ad adiutórium hóminum, et non erat. Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ quæ a sǽculo sunt, quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 123, 2-3. 4-5. 7 b-8 (℟. 7 a)

℟. Anima nostra sicut passer erépta est
de láqueo venántium.

2 Nisi quia Dóminus erat in nobis,
cum exsúrgerent hómines in nos.
3 Forte vivos deglutíssent nos,
cum irascerétur furor eórum in nos. ℟.

4 Fórsitan aqua absorbuísset nos,
torrens pertransísset ánimam nostram,
5 fórsitan pertransíssent ánimam nostram
aquæ intumescéntes. ℟.

7 Láqueus contrítus est,
et nos erépti sumus.
8 Adiutórium nostrum in nómine Dómini,
qui fecit cælum et terram. ℟.

Lectio secunda

1

Gloriamur in tribulationibus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános

5, 1-5

Fratres:

Iustificáti ex fide, pacem habémus ad Deum per Dóminum nostrum Iesum Christum, per quem et accéssum habémus fide in grátiam istam, in qua stamus et gloriámur in spe glóriæ Dei.

Non solum autem, sed et gloriámur in tribulatiónibus, sciéntes quod tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio vero spem; spes autem non confúndit, quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis. — Verbum Dómini.

2

Neque mors neque vita poterit nos separare a caritate Dei.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános

8, 31 b-39

Fratres:

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donábit? Quis accusábit advérsus eléctos Dei? Deus qui iustíficat. Quis est qui condémnet? Christus Iesus, qui mórtuus est, immo qui suscitátus est, qui et est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

Quis nos separábit a caritáte Christi? tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? sicut scriptum est: « Propter te mortificámur tota die, æstimáti sumus ut oves occisiónis ».

Sed in his ómnibus supervíncimus per eum qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors neque vita, neque ángeli neque principátus neque instántia neque futúra, neque virtútes neque altitúdo neque profúndum, neque ália quælibet creatúra póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Iesu Dómino nostro.

Verbum Dómini.

3

Mortificationem Iesu in corpore ferentes.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 4, 7-15

Fratres:

Habémus thesáurum grátiæ in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur; aporiámur, sed non destitúimur; persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur; deícimur, sed non perímus; semper mortificatiónem Iesu in córpore circumferéntes, ut et vita Iesu in córpore nostro manifestétur.

Semper enim nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis.

Habéntes autem eúndem spíritum fídei, sicut scriptum est: « Crédidi, propter quod locútus sum »; et nos crédimus, propter quod et lóquimur, sciéntes quóniam qui suscitávit Dóminum Iesum, et nos cum Iesu suscitábit, et constítuet vobíscum.

Omnia enim propter vos, ut grátia abúndans per multos gratiárum actiónem abundáre fáciat in glóriam Dei.
Verbum Dómini.

4

Quasi morientes, et ecce vivimus.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 6, 4-10

Fratres:

In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in ieiúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu Sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei; per arma iustítiæ a dextris et sinístris, per glóriam et ignobilitátem, per infámiam et bonam famam; ut seductóres, et veráces; sicut qui ignóti, et cógniti; quasi moriéntes, et ecce vívimus; ut castigáti, et non mortificáti; quasi tristes, semper autem gaudéntes; sicut egéntes, multos autem locupletántes; tamquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes. — Verbum Dómini.

5

Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu persecutionem patientur.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Timótheum 2, 8-13; 3, 10-12

Caríssime:

Memor esto Iesum Christum resuscitátum esse a mórtuis ex sémine David secúndum Evangélium meum,

in quo labóro usque ad víncula quasi male óperans; sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Iesu, cum glória ætérna.

Fidélis sermo: nam, si commórtui sumus, et convivémus; si sustinémus, et conregnábimus; si negábimus, et ille negábit nos; si non crédimus, ille fidélis manet: negáre enim seípsum non potest.

Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes, quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, Lystris, quales persecutiónes sustínui; et ex ómnibus me erípuit Dóminus. Et omnes qui volunt pie vívere in Christo Iesu persecutiónem patiéntur. — Verbum Dómini.

6

Magnum certamen sustinuistis passionum.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 10, 32-36

Fratres:

Rememorámini prístinos dies, in quibus illumináti magnum certámen sustinuístis passiónum; et in áltero quidem oppróbriis et tribulatiónibus spectáculum facti, in áltero autem sócii táliter conversántium effécti.

Nam et vinctis compássi estis, et rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliórem substántiam et manéntem. Nolíte ítaque abícere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est, ut voluntátem Dei faciéntes reportétis promissiónem.

Verbum Dómini.

7

Beatus vir qui suffert tentationem.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 1, 2-4. 12

Omne gáudium existimáte, fratres mei, cum in tentatiónibus váriis incidéritis, sciéntes quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur.

Patiéntia autem opus perféctum hábeat, ut sitis perfécti et íntegri, in nullo deficiéntes.

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quia, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. — Verbum Dómini.

8

Timorem eorum ne timueritis et non conturbemini.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 3, 14-17

Caríssimi:

Si patímini propter iustítiam, beáti. « Timórem autem eórum ne timuéritis et non conturbémini ».

Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris, paráti semper ad defensiónem omni poscénti vos ratiónem de ea, quæ in vobis est, spe; sed cum mansuetúdine et timóre, consciéntiam habéntes bonam, ut in quo de vobis detrectátur confundántur qui calumniántur vestram bonam in Christo conversatiónem.

Mélius est enim benefaciéntes, si velit volúntas Dei, pati quam malefaciéntes. — Verbum Dómini.

9

Communicatis Christi passionibus gaudete.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 4, 12-19

Caríssimi, nolíte mirári in fervóre, qui ad tentatiónem vobis fit, quasi novi áliquid vobis contíngat; sed quemádmodum communicátis Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ eius gaudeátis exsultántes.

Si exprobrámini in nómine Christi, beáti; quóniam Spíritus glóriæ et Dei super vos requiéscit. Nemo enim vestrum patiátur quasi homicída aut fur aut maléficus aut alienórum speculátor. Si autem ut christiánus, non erubéscat, gloríficet autem Deum in isto nómine.

Quóniam tempus est, ut incípiat iudícium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eórum qui non credunt Dei Evangélio? Et, si iustus vix salvátur, ímpius et peccátor ubi parébit? Itaque et hi qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefácto. — Verbum Dómini.

10

Hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides nostra.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 5, 1-5

Caríssimi:

Omnis qui credit quóniam Iesus est Christus, ex Deo natus est; et omnis, qui díligit Deum qui génuit, díligit et eum qui natus est ex eo.

In hoc cognóscimus quóniam dilígimus natos Dei, cum Deum diligámus et mandáta eius faciámus. Hæc est enim cáritas Dei, ut mandáta eius servémus; et mandáta eius grávia non sunt.

Quóniam omne quod natum est ex Deo vincit mundum, et hæc est victória, quæ vicit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Iesus est Fílius Dei? — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Mt 5, 10

℟. Allelúia. ℣. Beáti qui persecutiónem patiúntur
propter iustítiam,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
℟. Allelúia.

Ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
10, 17-22

In illo témpore:

Dixit Iesus Apóstolis suis: « Cavéte ab homínibus; tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ad præsides et ad reges ducémini propter me, in testimónium illis et géntibus.

Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini; dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini.

Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis; tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium, et insúrgent fílii in paréntes et morte eos affícient, et éritis ódio ómnibus propter nomen meum; qui autem perseveráverit in finem, hic salvus erit ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Iac 1, 12

℟. Allelúia. ℣. Beátus vir qui suffert tentatiónem,
quóniam, cum probátus fúerit,
accípiet corónam vitæ. ℟. Allelúia.

Nolite timere eos qui occidunt corpus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
10, 28-33

In illo témpore:

Dixit Iesus Apóstolis suis: « Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; sed pótius eum timéte qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénna.

Nonne duo pásseres asse véneunt? Et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. Vestri autem et capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos.

Omnis ergo qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis. Qui autem negáverit me coram homínibus, negábo et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis ».

Verbum Dómini.

3

Alleluia Mt 5, 10

℟. Allelúia. ℣. Beáti qui persecutiónem patiúntur
propter iustítiam,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum,
℟. Allelúia.

Non veni pacem mittere, sed gladium.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
10, 34-39

In illo témpore:

Dixit Iesus Apóstolis suis: « Nolíte arbitrári quia vénerim míttere pacem in terram: non veni pacem míttere, sed gládium; veni enim " separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam; et inimíci hóminis doméstici eius ".

Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, et qui amat fílium aut fíliam super me, non est me dignus; et qui non áccipit crucem suam et séquitur me, non est me dignus.

Qui invénerit ánimam suam perdet illam, et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam ».

Verbum Dómini.

4

Alleluia 1 Petr 4, 14

℟. Allelúia. ℣. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis,
quóniam Spíritus Dei super vos requiéscit.
℟. Allelúia.

Qui perdiderit animam suam propter me, hic salvam faciet illam

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 9, 23-26

In illo témpore:

Dicébat Iesus ad omnes: « Si quis vult post me veníre, ábneget se ipsum et tollat crucem suam cotídie, et sequátur me.

Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet illam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, hic salvam fáciet illam.

Quid enim próficit homo, si lucrétur univérsum mundum, se autem ipsum perdat et detriméntum sui fáciat?

Nam qui me erubúerit et meos sermónes, hunc Fílius hóminis erubéscet, cum vénerit in glória sua, et Patris et sanctórum angelórum ».

Verbum Dómini.

5

Alleluia Iac 1, 12

℟. Allelúia. ℣. Beátus vir qui suffert tentatiónem,
quóniam, cum probátus fúerit,
accípiet corónam vitæ. ℟. Allelúia.

Si granum frumenti mortuum fuerit,
multum fructum affert.

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 12, 24-26

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Amen, amen dico vobis: Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet; si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert.

Qui amat ánimam suam perdit eam, et qui odit ánimam suam in hoc mundo in vitam ætérnam custódiet eam.

Si quis mihi minístrat, me sequátur; et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater ». — Verbum Dómini.

6

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Te Deum laudámus, te Dóminum confitémur;
te mártyrum candidátus laudat exércitus.
℟. Allelúia.

Si me persecuti sunt, et vos persequentur.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 18-21

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si mundus vos odit, scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Si de mundo essétis, mundus quod suum est dilígeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptérea odit vos mundus.

Mementóte sermónis quem ego dixi vobis: " Non est servus maior dómino suo ".

Si me persecúti sunt, et vos persequéntur; si sermónem meum servavérunt, et vestrum servábunt. Sed hæc ómnia fácient vobis propter Nomen meum, quia nésciunt eum qui misit me ».

Verbum Dómini.

7

Alleluia 2 Cor 1, 3 b-4 a

℟. Allelúia. ℣. Pro eis sanctífico meípsum, dicit Dóminus,
ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte.
℟. Allelúia.

Mundus odio eos habuit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

17, 11 b-19

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, serva eos in Nómine tuo, quod dedísti mihi, ut sint unum sicut nos. Cum essem cum eis, ego servábam eos in Nómine tuo. Quos dedísti mihi et custodívi, et nemo ex his périit, nisi fílius perditiónis, ut Scriptúra impleátur. Nunc autem ad te vénio et hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in semetípsis.

Ego dedi eis sermónem tuum, et mundus ódio eos hábuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo.

Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex Malo. De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo.

Sanctífica eos in veritáte. Sermo tuus véritas est.

Sicut me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctífico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte ». — Verbum Dómini.

COMMUNE PASTORUM

1. Pro papis, vel pro episcopis

Ant. ad introitum

Elégit eum Dóminus sibi
in sacerdótem magnum,
et apériens thesáurum suum
abundáre eum fecit ómnibus bonis.

Collecta (pro papis)

Omnípotens sempitérne Deus,
qui beátum N. cuncto pópulo tuo præésse,
ac verbo et exémplo prodésse voluísti,
eódem intercedénte,
pastóres Ecclésiæ tuæ
cum grégibus sibi commíssis custódi
et dírige in viam salútis ætérnæ.
Per Dóminum.

Vel (pro episcopis):

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in beáto N.
boni pastóris exémplum providére dignátus es,
concéde propítius,
ut, eius intercessióne,
in loco páscuæ tuæ perpétuo collocári mereámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Laudis tibi, Dómine, hóstias offérimus
in tuórum commemoratióne Sanctórum,
quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus,
et futúris. Per Christum.

Ant. ad communionem Cf. Io 10, 11

Pastor bonus ánimam suam pósuit pro óvibus suis.

Post communionem

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
in nobis fóveant caritátis ardórem,
quo beátus N. veheménter accénsus
pro Ecclésia tua se iúgiter impendébat. Per Christum.

2. Pro papis, vel pro episcopis

Ant. ad introitum Cf. Sir 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis,
et príncipem fecit eum,
ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Collecta (pro papis)

Deus, qui beátum N.,
quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem,
miro virtútis et doctrínæ splendóre coruscáre fecísti,
da nobis talis epíscopi mérita venerántibus,
ut per bona ópera lucére coram homínibus
et per amórem ardére coram te valeámus.
Per Dóminum.

Vel (pro episcopis):

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
beáti N. epíscopi digne memóriam veneréri,
et, sicut illum quibus prǽerat,
verbo et exémplo prodésse voluísti,
ita ipsíus apud te
semper intercessiónis suffrágia sentiámus.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Annue nobis, quǽsumus, Dómine,
ut, in hac festivitáte beáti N.,
hæc nobis prosit oblátio,
quam immolándo
totíus mundi tribuísti relaxári delícta.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 21, 17

Dómine, tu ómnia nosti; tu scis quia amo te.

Post communionem

Acceptórum múnerum virtus, Dómine Deus,
in hac festivitáte beáti N. nobis efféctus ímpleat,
ut simul et mortális vitæ subsídium cónferat,
et gáudium perpétuæ felicitátis obtíneat.
Per Christum.

3. Pro episcopis

Ant. ad introitum Ez 34, 11. 23-24

Visitábo oves meas, dicit Dóminus,
et suscitábo pastórem qui pascat eas:
ego autem Dóminus ero eis in Deum.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui beátum N. epíscopum
plebi tuæ sanctæ præésse voluísti,
quǽsumus, ut, eius suffragántibus méritis,
pietátis tuæ grátiam largiáris.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Hóstias, quǽsumus, Dómine, quas in festivitáte beáti N.
sacris altáribus exhibémus, propítius réspice,
ut, nobis indulgéntiam largiéndo,
tuo nómini dent honórem.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 15, 16

Non vos me elegístis, dicit Dóminus;
sed ego elégi vos, et pósui vos ut eátis,
et fructum afferátis, et fructus vester máneat.

Post communionem

Refécti sacris mystériis, Dómine, humíliter deprecámur,
ut, beáti N. exémplo, studeámus confitéri quod crédidit,
et ópere exercére quod dócuit.
Per Christum.

4. Pro episcopis

Ant. ad introitum 1 Sam 2, 35

Suscitábo mihi sacerdótem fidélem,
qui iuxta cor meum et ánimam meam fáciet,
dicit Dóminus.

Collecta

Deus, qui beátum N. divína caritáte flagrántem,
fidéque, quæ vincit mundum, insígnem,
sanctis Pastóribus mirabíliter aggregásti,
præsta, quǽsumus, ut, ipso intercedénte,
nos quoque, in fide et caritáte perseverántes,
eius glóriæ consórtes fíeri mereámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Súscipe, Dómine, hæc múnera pópuli tui,
quæ tibi in beáti N. festivitáte offérimus,
ut per éadem, sicut confídimus,
tuæ pietátis sentiámus auxílium.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 10, 10

Ego veni ut vitam hábeant,
et abundántius hábeant, dicit Dóminus.

Post communionem

Córporis sacri et pretiósi Sánguinis alimónia repléti,
quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut, quod pia devotióne gérimus,
certa redemptióne capiámus.
Per Christum.

5. Pro pastoribus

Ant. ad introitum Lc 4, 18

Spíritus Dómini super me: propter quod unxit me,
evangelizáre paupéribus misit me,
sanáre contrítos corde.

Collecta

Deus, fidélium lumen et pastor animárum,
qui beátum N. (epíscopum) in Ecclésia posuísti,
ut oves tuas verbo pásceret et informáret exémplo,
da nobis, eius intercessióne,
et fidem serváre, quam verbo dócuit,
et viam sequi, quam exémplo monstrávit.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Maiestátem tuam supplíciter implorámus,
omnípotens Deus, ut, sicut glóriam divínæ poténtiæ
múnera pro Sanctis obláta testántur,
sic nobis effféctum tuæ salvatiónis impéndant.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummatiónem sǽculi, dicit Dóminus.

Post communionem

Sumpta mystéria, quǽsumus, Dómine,
ætérnis nos prǽparent gáudiis,
quæ beátus N. fidéli dispensatióne proméruit.
Per Christum.

Vel:

Refectióne sacra enutrítos,
fac nos, omnípotens Deus,
exémpla beáti N. iúgiter sequéntes,
te pérpeti devotióne cólere,
et indeféssa ómnibus caritáte profícere.
Per Christum.

6. Pro pastoribus

Ant. ad introitum — Ier 3, 15

Dabo vobis pastóres iuxta cor meum,
et pascent vos sciéntia et doctrína.

Vel: — Dan 3, 84. 87

Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum;
sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

Collecta

Deus, qui beátos (epíscopos) N. et N.
ad pascéndum pópulum tuum
spíritu veritátis et dilectiónis implevísti,
præsta, ut, quorum festivitátem venerándo ágimus,
eórum imitatióne proficiámus,
et intercessióne sublevémur. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, hoc sacrifícium pópuli tui,
ut, quod tibi in honóre beatórum N. et N.
offértur ad glóriam, nobis tríbuas ad salútem perpétuam.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mt 20, 28

Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre,
et dare ánimam suam redemptiónem pro multis.

Post communionem

Súmpsimus, Dómine, sanctórum tuórum N. et N.
memóriam celebrántes, sacraménta cæléstia;
præsta, quǽsumus, ut, quod temporáliter gérimus,
ætérnis gáudiis consequámur. Per Christum.

7. Pro pastoribus

Ant. ad introitum — Ps 131, 9

Sacerdótes tui, Dómine, índuant iustítiam,
et sancti tui exsúltent.

Collecta

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus,
ut, intercedéntibus sanctis tuis N. et N.,
et tua in nobis dona multíplices,
et témpora nostra in pace dispónas. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Præténde múnera, quǽsumus, Dómine,
altáribus tuis pro beatórum tuórum N. et N.
commemoratióne propósita,
ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti,
ita nobis indulgéntiam largiáris.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 24, 46-47

Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus,
invénerit vigilántem; amen dico vobis,
super ómnia bona sua constítuet eum.

Vel: Lc 12, 42

Fidélis servus et prudens,
quem constítuit Dóminus super famíliam suam,
ut det illis in témpore trítici mensúram.

Post communionem

Mensa cæléstis, omnípotens Deus,
in ómnibus festivitátem beatórum N. et N. celebrántibus
supérnas vires firmet et áugeat,
ut et fídei donum íntegrum custodiámus,
et per osténsum salútis trámitem ambulémus.
Per Christum.

8. Pro fundatoribus Ecclesiarum

Ant. ad introitum Is 59, 21; 56, 7

Dicit Dóminus: Sermónes mei, quos dedi in os tuum,
non defícient de ore tuo,
et múnera tua accépta erunt super altáre meum.

Collecta

Omnípotens et miséricors Deus,
qui beáti N. prædicatióne
patres nostros illumináre dignátus es,
concéde nobis, quǽsumus,
ut, qui christiáno gloriámur nómine,
fidem quam profitémur iúgiter opéribus ostendámus.
Per Dóminum.

Vel:

Réspice, Dómine, famíliam tuam,
quam beátus N. (epíscopus) génuit verbo veritátis,
et vitæ áluit sacraménto,
ut, quos grátia tua fecit illíus ministério fidéles,
fáciat eiúsdem précibus in caritáte fervéntes.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Annue, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut hæc sacrifícia pópuli tui,
quæ tibi in commemoratióne beáti N. offérimus,
donis cæléstibus propitiátus immísceas.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mc 10, 45

Fílius hóminis venit, ut daret ánimam suam
redemptiónem pro multis.

Post communionem

Súmpsimus, Dómine, pignus redemptiónis ætérnæ,
beáti N. festivitáte lætántes,
quod sit nobis, quǽsumus,
vitæ præséntis auxílium páriter et futúræ.
Per Christum.

9. Pro fundatoribus Ecclesiarum

Ant. ad introitum

Isti sunt viri sancti,
quos elégit Dóminus in caritáte non ficta;
et dedit illis glóriam sempitérnam,
quorum doctrína fulget Ecclésia.

Collecta

Réspice, quǽsumus, Dómine,
ad tuam benígnus Ecclésiam N.
et, cui per apostólicam sanctórum N. et N. sollicitúdinem
religiónis exórdium donásti,
per eórum intercessiónem,
tríbue contínuum christiánæ pietátis afféctum.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui beáti N. (epíscopi) prædicatióne
patres nostros vocásti in admirábile Evangélii lumen,
fac, ut, eius intercessióne,
crescámus in grátia
et cognitióne Dómini nostri Iesu Christi, Fílii tui.
Qui tecum vivit.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera pópuli tui,
pro sanctórum tuórum N. et N. festivitáte deláta,
et sincéro nos corde pérfice benígnus accéptos.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Io 15, 15

Iam non dicam vos servos,
quia servus nescit quid fáciat dóminus eius,

dicit Dóminus. Vos autem dixi amícos,
quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo,
nota feci vobis.

Post communionem

Lætíficet nos accéptum de altári salutáre tuum, Dómine,
in sanctórum N. et N. festivitáte,
qua, de tuis benefíciis sollíciti,
pretiósa fídei nostræ inítia venerámur,
et te in Sanctis tuis mirábilem prædicámus.
Per Christum.

10. Pro missionariis

Ant. ad introitum

Isti sunt viri sancti facti amíci Dei,
divínæ veritátis præcónio gloriósi.

Collecta

Deus, qui per beátum N. (epíscopum)
infidéles pópulos
de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti,
da nobis, eius intercessióne,
in fídei stabilitáte consístere,
et in spe Evangélii, quod prædicávit,
constántes permanére. Per Dóminum.

Vel:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui huius diéi lætítiam
in beáti N. glorificatióne consecrásti,
concéde propítius,
ut fidem illam, quam inexplébili stúdio semper asséruit,
iúgiter retinére et ópere complére studeámus.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Réspice quas offérimus hóstias,
omnípotens Deus,
in beáti N. festivitáte, et præsta,
ut, qui domínicæ passiónis mystéria celebrámus,
imitémur quod ágimus.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ez 34, 15

Ego pascam oves meas,
et ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus.

Post communionem

Huius mystérii virtúte,
confírma, Dómine,
fámulos tuos in fide veritátis,
ut eam ubíque ore et ópere confiteántur,
pro qua beátus N. laboráre non déstitit
et vitam suam impéndit.
Per Christum.

11. Pro missionariis

Ant. ad introitum — Is 52, 7

Quam pulchri super montes
pedes annuntiántis et prædicántis pacem,
annuntiántis bonum, prædicántis salútem!

Collecta

Deus, qui Ecclésiam tuam
beáti N. religiónis zelo
et apostólicis curis amplificásti,
eius intercessióne concéde,

ut fídei et sanctitátis nova semper increménta suscípiat. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et ab omni culpa líberos esse concéde,
ut, purificánte nos grátia tua,
iísdem quibus famulámur mystériis emundémur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mc 16, 15; Mt 28, 20

Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium: ego vobíscum sum ómnibus diébus, dicit Dóminus.

Vel: — Io 15, 4-5

Manéte in me, et ego in vobis, dicit Dóminus.
Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum.

Post communionem

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
illam nobis fidem innútriant,
quam et apostólica dócuit prædicátio,
et beáti N. sollicitúdo custodívit.
Per Christum.

12. Pro missionariis

Ant. ad introitum — Ps 95, 3-4

Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius,
quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis.

Collecta

Deus, cuius ineffábili misericórdia
beátus N. evangelizávit investigábiles divítias Christi,
da nos, eius intercessióne, créscere in sciéntia tua,
et, in omni ópere bono fructificántes,
secúndum Evangélii veritátem
coram te fidéliter ambuláre.
Per Dóminum.

Vel, pro martyribus:

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut beatórum N. et N. fidem cóngrua devotióne sectémur,
qui pro eiúsdem dilatatióne
corónam martýrii meruérunt.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1021-1051.

Super oblata

Beáti N. memóriam recenséntes, quǽsumus, Dómine,
ut his munéribus tibi oblátis
benedictiónem effúndas de cælis,
quo, ex eis suméntes, et ómnibus careámus culpis
et cæléstibus repleámur edúliis.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Cf. Lc 10, 1. 9

Misit Dóminus discípulos, qui nuntiárent civitátibus: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Post communionem

Sancta tua nos, Dómine, sumpta vivíficent,
ut, qui beáti N. commemoratióne gaudémus,
eius quoque apostólicæ virtútis proficiámus exémplo.
Per Christum.

Lectio prima

1

Cogitabat disperdere eos, nisi Moyses, electus eius, intercessisset apud eum, ut averteret iram eius.

Léctio libri Exodi 32, 7-14

In diébus illis:

Locútus est Dóminus ad Móysen dicens: « Vade, descénde; peccávit pópulus tuus, quem eduxísti de terra Ægýpti. Recessérunt cito de via, quam ostendísti eis, fecerúntque sibi vítulum conflátilem et adoravérunt; atque immolántes ei hóstias dixérunt: " Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxérunt de terra Ægýpti " ».

Rursúmque ait Dóminus ad Móysen: « Cerno quod pópulus iste duræ cervícis sit; dimítte me, ut irascátur furor meus contra eos et déleam eos, faciámque te in gentem magnam ».

Móyses autem orábat Dóminum Deum suum dicens: « Cur, Dómine, iráscitur furor tuus contra pópulum tuum, quem eduxísti de terra Ægýpti in fortitúdine magna et in manu robústa? Ne, quæso, dicant Ægýptii: " Cállide edúxit eos, ut interfíceret in móntibus et deléret e terra ": quiéscat ira tua et esto placábilis super nequítia pópuli tui.

Recordáre Abraham, Isaac et Israel servórum tuórum, quibus iurásti per temetípsum dicens: " Multiplicábo semen vestrum sicut stellas cæli, et univérsam terram hanc, de qua locútus sum, dabo sémini vestro, et possidébitis eam semper " ».

Placatúsque est Dóminus ne fáceret malum, quod locútus fúerat advérsus pópulum suum.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 105, 19-20. 21-22. 23 (℟.: 4 a)

℟. Meménto nostri, Dómine,
in beneplácito pópuli tui.

19 Fecérunt vítulum in Horeb,
et adoravérunt scúlptile;
20 et mutavérunt glóriam suam
in similitúdinem tauri comedéntis fenum. ℟.

21 Oblíti sunt Deum qui salvávit eos,
qui fecit magnália in Ægýpto,
22 mirabília in terra Cham,
terribília in mari Rubro. ℟.

23 Et dixit quia dispérderet eos,
nisi affuísset Móyses eléctus eius.
Stetit in confractióne in conspéctu eius,
ut avérteret iram eius ne destrúeret eos. ℟.

2

Dominus possessio eius est.

Léctio libri Deuteronómii 10, 8-9

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo dicens: « Separávit Dóminus tribum Levi, ut portáret arcam fœderis Dómini, et staret coram eo in ministério, ac benedíceret in nomine illíus usque in præséntem diem. Quam ob rem non hábuit Levi partem neque possessiónem cum frátribus suis, quia ipse Dóminus posséssio eius est, sicut promísit ei Dóminus Deus tuus ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 15, 1-2 a et 5. 7-8. 11 (℟.: cf. 5 a)

℟. Tu es, Dómine, pars hereditátis meæ.

1 Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.
2 Dixi Dómino: « Dóminus meus es tu.
5 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam ». ℟.

7 Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.
8 Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. ℟.

11 Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua usque in finem. ℟.

3

Surge, unge parvulum; ipse est enim.

Léctio libri primi Samuélis 16, 1 b. 6-13 a

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Samuélem: « Imple cornu tuum óleo et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemítem; provídi enim in fíliis eius mihi regem ».

Cumque ingréssus esset, vidit Eliab et ait: « Num coram Dómino est christus eius? »

Et dixit Dóminus ad Samuélem: « Ne respícias vultum eius neque altitúdinem statúræ eius, quóniam abiéci eum, nec iuxta intúitum hóminis ego iúdico; homo enim videt ea quæ parent, Dóminus autem intuétur cor ». Et vocávit Isai Abínadab et addúxit eum coram Samuéle.

Qui dixit: « Nec hunc elégit Dóminus ».

Addúxit autem Isai Samma, de quo ait: « Etiam hunc non elégit Dóminus ».

Addúxit ítaque Isai septem fílios suos coram Samuéle, et ait Sámuel ad Isai: « Non elégit Dóminus ex istis ».

Dixítque Sámuel ad Isai: « Numquid iam compléti sunt fílii? »

Qui respóndit: « Adhuc réliquus est párvulus et pascit oves ».

Et ait Sámuel ad Isai: « Mitte et adduc eum; nec enim discumbémus priúsquam huc ille véniat ». Misit ergo et addúxit eum. Erat autem rufus et pulcher aspéctu decoráque fácie.

Et ait Dóminus: « Surge, unge eum; ipse est enim ».

Tulit ergo Sámuel cornu ólei, et unxit eum in médio fratrum eius, et diréctus est spíritus Dómini a die illa in David et deínceps. Surgénsque Sámuel ábiit in Rámatha. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 88, 2-3. 4-5. 21-22. 25 et 27 (℟.: cf. 2 a)

℟. Misericórdias tuas, Dómine, in ætérnum cantábo.

2 Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo,
in generatiónem et generatiónem
annuntiábo veritátem tuam in ore meo.
3 Quóniam dixísti:
« In ætérnum misericórdia ædificábitur »,
in cælis firmábitur véritas tua. ℟.

4 « Dispósui testaméntum elécto meo,
iurávi David servo meo:
5 Usque in ætérnum confirmábo semen tuum,
et ædificábo in generatiónem et generatiónem
sedem tuam ». ℟.

21 « Invéni David servum meum;
óleo sancto meo unxi eum.
22 Manus enim mea firma erit cum eo,
et brácchium meum confortábit eum. ℟.
25 Et véritas mea et misericórdia mea cum ipso
et in nómine meo exaltábitur cornu eius.
27 Ipse invocábit me: Pater meus es tu,
Deus meus et refúgium salútis meæ ». ℟.

4

Quem mittam? et quis ibit nobis?

Léctio libri Isaíæ prophétæ 6, 1-8

In anno quo mórtuus est rex Ozías, vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum, et ea, quæ sub ipso erant, replébant templum.

Séraphim stabant super illud: sex alæ uni et sex alæ álteri: duábus velábant fáciem eius, et duábus velábant pedes eius, et duábus volábant; et clamábant alter ad álterum et dicébant: « Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus Deus exercítuum: plena est omnis terra glória eius ». Et commóta sunt superliminária cárdinum a voce clamántis, et domus repléta est fumo.

Et dixi: « Væ mihi, quia tácui, quia vir pollútus lábiis ego sum, et in médio pópuli pollúta lábia habéntis ego hábito, et regem Dóminum exercítuum vidi óculis meis ».

Et volávit ad me unus de séraphim et in manu eius cálculus, quem fórcipe túlerat de altári, et tétigit os meum et dixit: « Ecce tétigit hoc lábia tua, et auferétur iníquitas tua, et peccátum tuum mundábitur ».

Et audívi vocem Dómini dicéntis: « Quem mittam? et quis ibit nobis? »

Et dixi: « Ecce ego, mitte me ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 39, 2 et 4 ab. 7-8 a. 8 b-9. 10 (℟.: 8 a et 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

2 Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi.
4 Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro. ℟.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me
9 fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui,
et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávit iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.

5

Pro missionariis

Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 52, 7-10

Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem, annuntiántis bonum, prædicántis salútem, dicéntis Sion: « Regnábit Deus tuus! »

Vox speculatórum tuórum: levavérunt vocem, simul laudábunt, quia óculo ad óculum vidébunt cum convérterit Dóminus Sion. Gaudéte et laudáte simul, desérta Ierúsalem, quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Ierúsalem.

Parávit Dóminus brácchium sanctum suum in óculis ómnium géntium, et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 95, 1-2 a. 2 b-3. 7-8 a. 10 (℟.: 3)

℟. Annuntiáte in ómnibus pópulis mirabília Dómini.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
2 Cantáte Dómino, benedícite nómini eius. ℟.

Annuntiáte de die in diem salutáre eius.
3 Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius. ℟.

7 Afférte Dómino, famíliæ populórum,
afférte Dómino glóriam et poténtiam,
8 afférte Dómino glóriam nóminis eius. ℟.

10 Dícite in géntibus: « Dóminus regnávit ».
Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur;
iudicábit pópulos in æquitáte. ℟.

6

Unxit me Dominus et evangelizare pauperibus misit me.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 61, 1-3 a

Spíritus Dómini super me, eo quod únxerit Dóminus me; ad annuntiándum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde et prædicárem captívis indulgéntiam et clausis apertiónem; ut prædicárem annum placábilem et diem ultiónis Deo nostro. Ut consolárer omnes lugéntes, ut pónerem lugéntibus Sion, et darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis pro spíritu mæróris: et vocabúntur in ea fortes iustítiæ plantátio Dómini ad glorificándum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 88, 2-3. 4-5. 21-22. 25 et 27 (℟.: cf. 2 a)

℟. Misericórdias tuas, Dómine, in ætérnum cantábo.

2 Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo,
in generatiónem et generatiónem
annuntiábo veritátem tuam in ore meo.
3 Quóniam dixísti:
« In ætérnum misericórdia ædificábitur »,
in cælis firmábitur véritas tua. ℟.

4 « Dispósui testaméntum elécto meo,
iurávi David servo meo:
5 Usque in ætérnum confirmábo semen tuum,
et ædificábo in generatiónem et generatiónem
sedem tuam ». ℟.

21 « Invéni David servum meum;
óleo sancto meo unxi eum.
22 Manus enim mea firma erit cum eo,
et brácchium meum confortábit eum. ℟.

25 Et véritas mea et misericórdia mea cum ipso
et in nómine meo exaltábitur cornu eius.
27 Ipse invocábit me: Pater meus es tu,
Deus meus et refúgium salútis meæ ». ℟.

7

Ad omnia quæ mittam te ibis.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 1, 4-9

Factum est verbum Dómini ad me dicens: « Priúsquam te formárem in útero, novi te; et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te ».

Et dixi: « A a a, Dómine Deus! ecce néscio loqui, quia puer ego sum ».

Et dixit Dóminus ad me: « Noli dícere: " Puer sum ", quóniam ad ómnia quæ mittam te ibis, et univérsa quæcúmque mandávero tibi loquéris. Ne tímeas a fácie eórum, quia tecum ego sum ut éruam te », dicit Dóminus.

Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum, et dixit Dóminus ad me: « Ecce dedi verba mea in ore tuo ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 95, 1-2 a. 2 b-3. 7-8 a. 10 (℟.: 3)

℟. Annuntiáte in ómnibus pópulis mirabília Dómini.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
2 Cantáte Dómino, benedícite nómini eius. ℟.

Annuntiáte de die in diem salutáre eius.
3 Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius. ℟.

7 Afférte Dómino, famíliæ populórum,
afférte Dómino glóriam et poténtiam,
8 afférte Dómino glóriam nóminis eius. ℟.

10 Dícite in géntibus: « Dóminus regnávit ».
Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur;
iudicábit pópulos in æquitáte. ℟.

8

Speculatorem dedi te domui Israel

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 3, 16-21

Factum est verbum Dómini ad me dicens: « Fili hóminis, speculatórem dedi te dómui Israel, et áudies de ore meo verbum et annuntiábis eis ex me.

Si, dicénte me ad ímpium: “ Morte moriéris ”, non annuntiáveris ei neque locútus fúeris, ut avertátur a via sua ímpia et vivat, ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur, sánguinem autem eius de manu tua requíram.

Si autem tu annuntiáveris ímpio, et ille non fúerit convérsus ab impietáte sua et a via sua ímpia, ipse quidem in iniquitáte sua moriétur, tu autem ánimam tuam liberásti.

Sed, et si convérsus iustus a iustítia sua fúerit et fécerit iniquitátem, ponam offendículum coram eo; ipse moriétur, quia non annuntiásti ei; in peccáto suo moriétur, et non erunt in memória iustítiæ eius, quas fecit, sánguinem vero eius de manu tua requíram.

Si autem tu annuntiáveris iusto, ut non peccet iustus et ille non peccáverit, vivens vivet, quia annuntiásti ei, et tu ánimam tuam liberásti ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 116, 1. 2 (℟.: Mc 16, 15)

℟. Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium.
vel Allelúia.

1 Laudáte Dóminum, omnes gentes,
collaudáte eum, omnes pópuli. ℟.

2 Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius,
et véritas Dómini manet in ætérnum. ℟.

9

Sicut visitat pastor gregem suum,
sic visitabo oves meas.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 34, 11-16

Hæc dicit Dóminus: « Ecce ego ipse requíram oves meas et visitábo eas: sicut vísitat pastor gregem suum in die quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum,

sic visitábo oves meas et liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis et calíginis.

Et edúcam eas de pópulis, et congregábo eas de terris, et indúcam eas in terram suam, et pascam eas in móntibus Israel, in rivis et in cunctis sédibus terræ; in páscuis ubérrimis pascam eas, et in móntibus excélsis Israel erunt páscua eárum: ibi requiéscent in herbis viréntibus, et in páscuis pínguibus pascéntur super montes Israel.

Ego pascam oves meas et ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus.

Quod períerat requíram, et quod abiéctum erat redúcam, et quod confráctum fúerat alligábo, et quod infírmum fúerat consolidábo, et quod pingue et forte custódiam, et pascam illas in iudício ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 22, 1-3. 4. 5. 6 (℟.: 1)

℟. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit.
Dedúxit me super sémitas iustítiæ
propter nomen suum. ℟.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

Lectio secunda

1

*Habentes donationes
secundum gratiam differentes.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
12, 3-13

Fratres:

Dico per grátiam quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos: non áltius sápere quam opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem, unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei.

Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúndem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter alteríus membra.

Habéntes autem donatiónes secúndum grátiam, quæ data est nobis, differéntes: sive prophetíam secúndum ratiónem fídei, sive ministérium in ministrándo, sive qui docet in doctrína, sive qui exhortátur in exhortándo, qui tríbuit in simplicitáte, qui præest in sollicitúdine, qui miserétur in hilaritáte.

Diléctio sine simulatióne, odiéntes malum, adhæréntes bono, caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem præveniéntes, sollicitúdine non pigri, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, in tribulatióne

patiéntes, oratióni instántes, necessitátibus sanctórum communicántes, hospitalitátem sectántes.

Verbum Dómini.

2

Pro missionariis

Placuit Deo
per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 1, 18-25

Fratres:

Verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est.

Scriptum est enim: « Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo ». Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam huius mundi?

Nam, quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes.

Quóniam et Iudǽi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt; nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Iudǽis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis, Iudǽis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam.

Quia quod stultum est Dei sapiéntius est homínibus, et quod infírmum est Dei fórtius est homínibus.

Verbum Dómini.

3

*Ut ministri Christi
et dispensatores mysteriorum Dei.*

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Coríntios 4, 1-5

Fratres:

Sic nos exístimet homo ut minístros Christi et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic iam quǽritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur.

Mihi autem pro mínimo est ut a vobis iúdicer aut ab humáno die; sed neque me ipsum iúdico: nihil enim mihi cónscius sum, sed non in hoc iustificátus sum; qui autem iúdicat me Dóminus est.

Itaque nolíte ante tempus quicquam iudicáre, quoadúsque véniat Dóminus, qui et illuminábit abscóndita tenebrárum et manifestábit consília córdium; et tunc laus erit unicuíque a Deo. — Verbum Dómini.

4

Væ mihi, si non evangelizavero!

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Coríntios 9, 16-19. 22-23

Fratres:

Si evangelizávero, non est mihi glória, necéssitas enim mihi incúmbit; væ enim mihi est, si non evangelizávero! Si enim volens hoc ago, mercédem hábeo; si autem invítus, dispensátio mihi crédita est.

Quæ est ergo merces mea? Ut Evangélium prǽdicans sine sumptu ponam Evangélium, ut non abútar potestáte mea in Evangélio.

Nam, cum liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci, ut plures lucri fácerem.

Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucri fácerem; ómnibus ómnia factus sum, ut áliquos útique fácerem salvos. Omnia autem fácio propter Evangélium, ut compárticeps eius effíciar. — Verbum Dómini.

5

Idoneos nos fecit ministros novi testamenti.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 3, 1-6 a

Fratres:

Incípimus íterum nosmetípsos commendáre? aut numquid egémus, sicut quidam, commendatíciis epístolis ad vos aut ex vobis?

Epístola nostra vos estis, scripta in córdibus nostris, quæ scitur et légitur ab ómnibus homínibus; manifestáti quóniam epístola estis Christi ministráta a nobis et scripta non atraménto, sed Spíritu Dei vivi; non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus.

Fidúciam autem talem habémus per Christum ad Deum; non quod sufficiéntes simus cogitáre áliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficiéntia nostra ex Deo est; qui et idóneos nos fecit minístros Novi Testaménti.

Verbum Dómini.

6

Prædicamus Iesum Christum; nos autem servos vestros per Iesum.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 4, 1-2. 5-7

Fratres:

Habéntes hanc ministratiónem, iuxta quod misericórdiam consecúti sumus, non defícimus, sed abdicávimus

occúlta dedécoris non ambulántes in astútia, neque adulterántes verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo.

Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Iesum Christum Dóminum, nos autem servos vestros per Iesum; quóniam Deus, qui dixit: « De ténebris lux splendéscat », ipse illúxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ glóriæ Dei in fácie Iesu Christi.

Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei et non ex nobis.

Verbum Dómini.

7

Dedit nobis ministerium reconciliationis.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 5, 14-20

Fratres:

Cáritas Christi urget nos; æstimántes hoc, quóniam, si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt; et pro ómnibus mórtuus est, ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit.

Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem; et si cognóvimus secúndum carnem Christum, sed nunc iam non nóvimus.

Si quis ergo in Christo nova creatúra; vétera transiérunt: ecce facta sunt nova; ómnia autem ex Deo, qui reconciliávit nos sibi per Christum et dedit nobis ministérium reconciliatiónis.

Quóniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis.

Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo: Reconciliámini Deo. — Verbum Dómini.

8

In opus ministerii,
in ædificationem corporis Christi.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Ephésios 4, 1-7. 11-13

Fratres:

Obsecro vos ego, vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum longanimitáte supportántes ínvicem in caritáte; sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis.

Unum corpus et unus Spíritus, sicut et vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ; unus Dóminus, una fides, unum baptísma; unus Deus et Pater ómnium, qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.

Unicuíque autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Et ipse dedit quosdam quidem apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero evangelístas, álios autem pastóres et doctóres: ad instructiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi, donec occurrámus omnes in unitátem fídei et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

Verbum Dómini.

9

Factus sum minister Ecclesiæ
secundum dispensationem Dei.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Colossénses 1, 24-29

Fratres:

Nunc gáudeo in passiónibus pro vobis et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea, pro córpore eius, quod est Ecclésia; cuius factus sum ego miníster secúndum dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei.

Mystérium, quod abscónditum fuit a sǽculis et generatiónibus, nunc autem manifestátum est sanctis eius, quibus vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ mystérii huius in géntibus, quod est Christus in vobis, spes glóriæ.

Quem nos annuntiámus commonéntes omnem hóminem et docéntes omnem hóminem in omni sapiéntia, ut exhibeámus omnem hóminem perféctum in Christo: ad quod et labóro certándo secúndum operatiónem eius, quæ operátur in me in virtúte. — Verbum Dómini.

10

Volebamus tradere non solum Evangelium,
sed etiam animas nostras.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Thessalonicénses 2, 2 b-8

Fratres:

Fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non ex erróre, neque ex immundítia, neque in

dolo; sed, sicut probáti sumus a Deo ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur; non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra.

Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis, neque sub prætéxtu avarítiæ, Deus testis; nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis.

Cum possímus óneri esse ut Christi apóstoli, sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos.

Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis.

Verbum Dómini.

11

Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli
ad Timótheum 1, 13-14; 2, 1-3

Caríssime:

Formam habe sanórum verbórum, quæ a me audísti, in fide et in dilectióne quæ sunt in Christo Iesu. Bonum depósitum custódi per Spíritum Sanctum, qui hábitat in nobis.

Tu ergo, fili mi, confortáre in grátia, quæ est in Christo Iesu; et quæ audísti a me per multos testes, hæc comménda fidélibus homínibus, qui idónei erunt et álios docére.

Collabóra sicut bonus miles Christi Iesu.

Verbum Dómini.

12

Opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli
ad Timótheum 4, 1-5

Caríssime:

Testíficor coram Deo et Christo Iesu, qui iudicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus et Regnum eius; prǽdica verbum, insta opportúne, importúne, árgue, íncrepa, óbsecra, in omni patiéntia et doctrína.

Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur.

Tu vero vígila in ómnibus, labóra, opus fac evangelístæ, ministérium tuum imple. — Verbum Dómini.

13

Pascite qui est in vobis gregem Dei.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 5, 1-4

Caríssimi:

Senióres, qui in vobis sunt, óbsecro, consénior et testis Christi passiónum, qui et eius, quæ in futúro revelánda est, glóriæ communicátor: páscite qui est in vobis gregem Dei, providéntes, non coácto, sed spontánee secúndum Deum, neque turpis lucri grátia, sed voluntárie; neque ut dominántes in cleris, sed formæ facti gregis.

Et, cum apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Io 10, 14

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus,
dicit Dóminus;
et cognósco oves meas, et cognóscunt me
meæ. ℟. Allelúia.

Messis quidem multa, operarii autem pauci.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
9, 35-38

In illo témpore:

Circumíbat Iesus civitátes omnes et castélla, docens in synagógis eórum, et prǽdicans Evangélium Regni, et curans omnem languórem et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis quia erant vexáti et iacéntes sicut oves non habéntes pastórem.

Tunc dicit discípulis suis: « Messis quidem multa, operárii autem pauci; rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam ».

Verbum Dómini.

1 a

Pro papa

Alleluia Mc 1, 17

℟. Allelúia. ℣ Veníte post me, dicit Dóminus,
et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.
℟. Allelúia.

Tu es Petrus,
et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
16, 13-19

In illo témpore:

Venit Iesus in partes Cæsaréæ Philíppi et interrogábat discípulos suos dicens: « Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? »

At illi dixérunt: « Alii Ioánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii vero Ieremíam aut unum ex prophétis ».

Dicit illis: « Vos autem, quem me esse dícitis? »

Respóndens Simon Petrus dixit: « Tu es Christus, Fílius Dei vivi ».

Respóndens autem Iesus dixit ei: « Beátus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.

Et ego dico tibi: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsum eam. Tibi dabo claves Regni cælórum; et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum in cælis, et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum in cælis ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia Mt 23, 9 a. 10 b

℟. Allelúia. ℣. Unus est Pater vester, qui in cælis est;
et magíster vester unus est, Christus.
℟. Allelúia.

Qui maior est vestrum erit minister vester.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
23, 8-12

In illo témpore:

Dixit Iesus ad discípulos suos: « Vos nolíte vocári Rabbi; unus enim est magíster vester, omnes autem vos fratres estis.

Et patrem nolíte vocáre vobis super terram; unus enim est Pater vester, cæléstis.

Nec vocémini magístri; quia magíster vester unus est, Christus.

Qui maior est vestrum erit minister vester.

Qui autem se exaltáverit humiliábitur, et qui se humiliáverit exaltábitur ». — Verbum Dómini.

3

Pro missionariis

Alleluia Mt 28, 19 a. 20 b

℟. Allelúia. ℣. Eúntes docéte omnes gentes, dicit Dóminus;
ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi.
℟. Allelúia.

Euntes docete omnes gentes.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
28, 16-20

In illo témpore:

Undecim discípuli abiérunt in Galilǽam, in montem ubi constitúerat illis Iesus; et vidéntes eum adoravérunt, quidam autem dubitavérunt.

Et accédens Iesus locútus est eis dicens: « Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in Nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti, docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis.

Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sæculi ».

Verbum Dómini.

4

Alleluia Mc 1, 17

℟. Allelúia. ℣. Veníte post me, dicit Dóminus,
et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.
℟. Allelúia.

Faciam vos fieri piscatores hominum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 14-20

Postquam tráditus est Ioánnes, venit Iesus in Galilǽam prǽdicans Evangélium Dei, et dicens: « Implétum est tempus, et appropinquávit Regnum Dei; pænitémini et crédite Evangélio ».

Et prætériens secus mare Galilǽæ, vidit Simónem et Andréam fratrem Simónis mitténtes in mare; erant enim piscatóres. Et dixit eis Iesus: « Veníte post me, et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum ». Et prótinus, relíctis rétibus, secúti sunt eum.

Et progréssus pusíllum vidit Iacóbum Zebedǽi et Ioánnem fratrem eius, et ipsos in navi componéntes rétia, et statim vocávit illos. Et, relícto patre suo Zebedǽo in navi cum mercenáriis, abiérunt post eum.

Verbum Dómini.

5

Pro missionariis

Alleluia Mt 28, 19 a. 20 b

℟. Allelúia. ℣. Eúntes docéte omnes gentes, dicit Dóminus;
ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi.
℟. Allelúia.

Euntes in mundum universum,
prædicate Evangelium.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 16, 15-20

In illo témpore:

Appárens Iesus Undecim dixit eis: « Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit salvus erit; qui vero non credíderit condemnábitur.

Signa autem eos qui credíderint hæc sequéntur: in nómine meo dæmónia eícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et, si mortíferum quid bíberint, non eos nocébit, super ægrótos manus impónent, et bene habébunt ».

Et Dóminus quidem Iesus, postquam locútus est eis, assúmptus est in cælum, et sedit a dextris Dei. Illi autem profécti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte, sequéntibus signis.

Verbum Dómini.

6

Pro missionariis

Alleluia — Mc 1, 17

℟. Allelúia. ℣. Veníte post me, dicit Dóminus,
et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.
℟. Allelúia.

In verbo tuo laxabo retia.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam — 5, 1-11

In illo témpore:

Cum turba urgéret Iesum et audíret verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genésareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum; piscatóres autem descénderant de illis et lavábant rétia.

Ascéndens autem in unam navem, quæ erat Simónis, rogávit eum a terra redúcere pusíllum. Et sedens docébat de navícula turbas.

Ut cessávit autem loqui, dixit ad Simónem: « Duc in altum, et laxáte rétia vestra in captúram ».

Et respóndens Simon dixit: « Præcéptor, per totam noctem laborántes nihil cépimus; in verbo autem tuo laxábo rétia ».

Et, cum hoc fecíssent, conclusérunt píscium multitúdinem copiósam; rumpebántur autem rétia eórum. Et annuérunt sóciis, qui erant in ália navi, ut venírent et adiuvárent eos. Et venérunt et implevérunt ambas navículas, ita ut mergeréntur.

Quod cum vidéret Simon Petrus, prócidit ad génua Iesu dicens: « Exi a me, quia homo peccátor sum, Dómine ». Stupor enim circumdéderat eum, et omnes qui cum illo erant in captúra píscium, quos céperant; simíli-

ter autem et Iacóbum et Ioánnem, fílios Zebedǽi, qui erant sócii Simónis.

Et ait ad Simónem Iesus: « Noli timére, ex hoc iam hómines eris cápiens ». Et, subdúctis ad terram návibus, relíctis ómnibus, secúti sunt illum.

Verbum Dómini.

7

Alleluia Lc 4, 18-19

℟. Allelúia. ℣. Evangelizáre paupéribus misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem.
℟. Allelúia.

Messis quidem multa, operarii autem pauci.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 1-9

In illo témpore:

Designávit Dóminus álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus.

Et dicébat illis: « Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum neque peram neque calceaménta et néminem per viam salutavéritis.

In quamcúmque domum intravéritis primum dícite: " Pax huic dómui "; et, si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illam pax vestra; sin autem, ad vos revertétur.

In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt; dignus est enim operárius mercéde sua.

Nolíte transíre de domo in domum, et, in quamcúmque civitátem intravéritis et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis, et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: " Appropinquávit in vos Regnum Dei " ». — Verbum Dómini.

8

Alleluia Io 15, 15 b

℟. Allelúia. ℣. Vos dixi amícos, dicit Dóminus,
quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo
nota feci vobis. ℟. Allelúia.

Dispono vobis,
sicut disposuit mihi Pater meus, Regnum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 22, 24-30

In illo témpore:

Facta est conténtio inter Apóstolos, quis eórum viderétur esse maior.

Dixit autem eis Iesus: « Reges géntium dominántur eórum, et qui potestátem habent super eos benéfici vocántur. Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis fiat sicut iúnior, et qui præcéssor est sicut ministrátor. Nam quis maior est, qui recúmbit an qui minístrat? nonne qui recúmbit? Ego autem in médio vestrum sum sicut qui minístrat.

Vos autem estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis; et ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus, Regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in Regno meo, et sedeátis super thronos, iudicántes duódecim tribus Israel ».

Verbum Dómini.

9

Alleluia Io 10, 14

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
et cognósco oves meas, et cognóscunt me
meæ. ℟ Allelúia.

Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
10, 11-16

In illo témpore:

Dixit Iesus: « Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus. Mercenárius et qui non est pastor, cuius non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem et dimíttit oves et fugit (et lupus rapit eas et dispérgit), quia mercenárius est et non pértinet ad eum de óvibus.

Ego sum pastor bonus, et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem; et ánimam meam pono pro óvibus.

Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli, et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fient unus grex et unus pastor ». — Verbum Dómini.

10

Alleluia Io 15, 15 b

℟. Allelúia. ℣. Vos dixi amícos, dicit Dóminus,
quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo
nota feci vobis.
℟. Allelúia.

Posui vos ut vos eatis et fructum afferatis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 9-17

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea; sicut ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Maiórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si faciétis quæ ego præcípio vobis.

Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid fáciat dóminus eius: vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

Non vos me elegístis; sed ego elégi vos et pósui vos ut vos eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat, ut quodcúmque petiéritis Patrem in Nómine meo det vobis.

Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem ».

Verbum Dómini.

11

Pro papa

Alleluia Io 10, 14

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus,
dicit Dóminus;
et cognósco oves meas, et cognóscunt me
meæ. ℟. Allelúia.

Pasce agnos meos, pasce oves meas.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
21, 15-17

Cum manifestásset se Iesus discípulis suis et prandísset cum eis, dicit Simóni Petro Iesus: « Simon Ioánnis, díligis me plus his? »

Dicit ei: « Etiam, Dómine, tu scis quia amo te ».

Dicit ei: « Pasce agnos meos ».

Dicit ei íterum secúndo: « Simon Ioánnis, díligis me? »

Ait illi: « Etiam, Dómine, tu scis quia amo te ».

Dicit ei: « Pasce oves meas ».

Dicit ei tértio: « Simon Ioánnis, amas me? »

Contristátus est Petrus, quia dixit ei tértio: « Amas me? », et dicit ei: « Dómine, tu ómnia scis, tu scis quia amo te ».

Dicit ei: « Pasce oves meas ». — Verbum Dómini.

COMMUNE DOCTORUM ECCLESIÆ

1

Ant. ad introitum — Sir 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os eius,
et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus;
stolam glóriæ índuit eum.

Vel: — Ps 36, 30-31

Os iusti meditábitur sapiéntiam,
et lingua eius loquétur iudícium;
lex Dei eius in corde ipsíus.

Collecta

Omnípotens ætérne Deus,
qui beátum N. (epíscopum)
Ecclésiæ tuæ doctórem dedísti,
præsta, ut, quod ille divíno afflátus Spíritu dócuit,
nostris iúgiter stabiliátur in córdibus,
et quem patrónum, te donánte, ampléctimur,
eum apud tuam misericórdiam defensórem habeámus.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1054-1069.

Super oblata

Sacrifícium tibi pláceat, Deus,
in festivitáte beáti N. libénter exhíbitum,
quo monénte,
nos étiam totos tibi réddimus collaudántes.
Per Christum.

Ant. ad communionem Lc 12, 42

Fidélis servus et prudens,
quem constítuit Dóminus super famíliam suam,
ut det illis in témpore trítici mensúram.

Post communionem

Quos Christo réficis pane vivo,
eósdem édoce, Dómine, Christo magístro,
ut in festivitáte beáti N. tuam discant veritátem,
et eam in caritáte operéntur.
Per Christum.

2

Ant. ad introitum Dan 12, 3

Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti,
et, qui ad iustítiam erúdiunt multos,
quasi stellæ in perpétuas æternitátes.

Vel: Cf. Sir 44, 15. 14

Sapiéntiam Sanctórum narrent pópuli,
et laudes eórum núntiet Ecclésia;
nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi.

Collecta

Dómine Deus, qui beátum N.
cæléstí doctrína imbúere dignátus es,
da nobis, ipsíus intervéntu,
eándem doctrínam fidéliter custodíre,
et móribus profitéri.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1054-1069.

Super oblata

Illa nos, quǽsumus, Dómine, divína tractántes,
Spíritus Sanctus fídei luce perfúndat,
qua beátum N. ad glóriæ tuæ propagatiónem
iúgiter collustrávit.
Per Christum.

Ant. ad communionem 1 Cor 1, 23-24

Nos prædicámus Christum crucifíxum,
Christum, Dei virtútem et Dei sapiéntiam.

Post communionem

Cælésti alimónia reftécti,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, beáti N. mónitis,
de accéptis donis
semper in gratiárum actióne maneámus.
Per Christum.

Lectio prima

1

Dedi tibi cor sapiens et intellegens.

Léctio libri primi Regum 3, 11-14

In diébus illis:

Dixit Dóminus Salomóni: « Quia postulásti verbum hoc, et non petísti tibi dies multos, nec divítias aut ánimas inimicórum tuórum, sed postulásti tibi sapiéntiam ad discernéndum iudícium: ecce feci tibi secúndum sermónes tuos, et dedi tibi cor sápiens et intéllegens, in tantum ut nullus ante te símilis tui fúerit nec post te surrectúrus sit.

Sed et hæc, quæ non postulásti, dedi tibi, divítias scílicet et glóriam, ut nemo fúerit símilis tui in régibus cunctis retro diébus. Si autem ambuláveris in viis meis et custodíeris præcépta mea et mandáta mea, sicut ambulávit pater tuus, longos fáciam dies tuos ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 36, 3-4. 5-6. 30-31 (℟.: 30 a)

℟. Os iusti meditábitur sapiéntiam.

3 Spera in Dómino et fac bonitátem,
et inhabitábis terram et pascéris in fide.
4 Delectáre in Dómino,
et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℟.

5 Commítte Dómino viam tuam et spera in eo,
et ipse fáciet;
6 et edúcet quasi lumen iustítiam tuam,
et iudícium tuum tamquam merídiem. ℟.

30 Os iusti meditábitur sapiéntiam,
et lingua eius loquétur iudícium;
31 lex Dei eius in corde ipsíus,
et non vacillábunt gressus eius. ℟.

2

Super salutem et speciem dilexi sapientiam.

Léctio libri Sapiéntiæ 7, 7-10. 15-16

Optávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ; et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum, quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus.

Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam, quóniam inexstinguíbile est lumen illíus.

Mihi autem dedit Deus dícere ex senténtia, et præsúmere digna horum quæ mihi dantur, quóniam ipse sapiéntiæ dux est et sapiéntium emendátor. In manu enim illíus et nos et sermónes nostri, et omnis sapiéntia et óperum sciéntia et disciplína. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 18, 8. 9. 10. 11 (℟.: 10 b)

℟. Iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul.

8 Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam,
testimónium Dómini fidéle,
sapiéntiam præstans párvulis. ℟.

9 Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda,
præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. ℟.

10 Timor Dómini mundus, pérmanens in sǽculum sǽculi,
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul. ℟.

11 Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum,
et dulcióra super mel et favum stillántem. ℟.

3

Adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectus.

Léctio libri Sirácidæ 15, 1-6

Qui timet Deum fáciet bona, et qui cóntinens est iustítiæ apprehéndet illam; et obviábit illi quasi mater honorificáta, et quasi múlier a virginitáte suscípiet illum.

Cibábit illum pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potábit illum; et firmábitur in illo et non flectétur, et continébit illum et non confundétur; et exaltábit illum apud próximos suos.

Et in médio ecclésiæ apériet os eius, et adimplébit illum spíritu sapiéntiæ et intelléctus, et stola glóriæ véstiet illum; iucunditátem et exsultatiónem thesaurizábit super illum, et nómine ætérno hereditábit illum.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 118, 9. 10. 11. 12. 13. 14 (℟.: 12 b)

℟. Doce me, Dómine, iustificatiónes tuas.

9 In quo mundábit adulescéntior viam suam?
In custodiéndo sermónes tuos. ℟.

10 In toto corde meo exquisívi te,
ne erráre me fácias a præcéptis tuis. ℟.

11 In corde meo abscóndi elóquia tua,
ut non peccem tibi. ℟.

12 Benedíctus es, Dómine;
doce me iustificatiónes tuas. ℟.

13 In lábiis meis numerávi ómnia iudícia oris tui. ℟.

14 In via testimoniórum tuórum delectátus sum
sicut in ómnibus divítiis. ℟.

4

Spiritu intellegentiæ replebit illum.

Léctio libri Sirácidæ 39, 8-14

Si Dóminus magnus volúerit, spíritu intellegéntiæ replébit illum. Et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino, et ipse díriget consílium eius et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur; collaudábunt multi

sapiéntiam eius, et usque in sæculum non delébitur; non recédet memória eius, et nomen eius requirétur a generatióne in generatiónem.

Sapiéntiam eius enarrábunt gentes, et laudem eius enuntiábit ecclésia. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 36, 3-4. 5-6. 30-31 (℟.: 30 a)

℟. Os iusti meditábitur sapiéntiam.

3 Spera in Dómino et fac bonitátem,
et inhabitábis terram et pascéris in fide.
4 Delectáre in Dómino,
et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℟.

5 Commítte Dómino viam tuam et spera in eo,
et ipse fáciet;
6 et edúcet quasi lumen iustítiam tuam,
et iudícium tuum tamquam merídiem. ℟.

30 Os iusti meditábitur sapiéntiam,
et lingua eius loquétur iudícium;
31 lex Dei eius in corde ipsíus,
et non vacillábunt gressus eius. ℟.

Lectio secunda

1

Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 1, 18-25

Fratres:

Verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est.

Scriptum est enim: « Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo ». Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor huius sǽculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam huius mundi?

Nam, quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes.

Quóniam et Iudǽi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt; nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Iudǽis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis, Iudǽis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam.

Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus, et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

Verbum Dómini.

2

Loquimur Dei sapientiam in mysterio.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 2, 1-10 a

Ego, cum veníssem ad vos, fratres, veni non per sublimitátem sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis mystérium Dei.

Non enim iudicávi scire me áliquid inter vos, nisi Iesum Christum et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte et timóre et tremóre multo fui apud vos; et sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne Spíritus et virtútis, ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos, sapiéntiam vero non huius sǽculi neque príncipum huius

sǽculi, qui destruúntur; sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sǽcula in glóriam nostram, quam nemo príncipum huius sǽculi cognóvit; si enim cognovíssent, numquam Dóminum glóriæ crucifixíssent; sed, sicut scriptum est: « Quod óculus non vidit nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus his qui díligunt illum »; nobis autem revelávit Deus per Spíritum. — Verbum Dómini.

3

Nos autem sensum Christi habemus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 2, 10 b-16

Fratres:

Spíritus ómnia scrutátur, étiam profúnda Dei. Quis enim scit hóminum quæ sint hóminis, nisi spíritus hóminis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo cognóvit, nisi Spíritus Dei.

Nos autem non spíritum mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ a Deo donáta sunt nobis: quæ et lóquimur, non in doctis humánæ sapiéntiæ, sed in doctis Spíritus verbis, spiritálibus spiritália comparántes.

Animális autem homo non pércipit quæ sunt Spíritus Dei; stultítia enim sunt illi, et non potest intellégere, quia spirituáliter examinántur. Spiritális autem iúdicat ómnia, et ipse a némine iudicátur. Quis enim cognóvit sensum Dómini, qui ínstruat eum?

Nos autem sensum Christi habémus.

Verbum Dómini.

4

Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 3, 8-12

Fratres:

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes quæ sit dispensátio mystérii abscónditi a sǽculis in Deo, qui ómnia creávit; ut innotéscat nunc principátibus et potestátibus in cæléstibus per Ecclésiam multifórmis sapiéntia Dei; secúndum propósitum sæculórum quod fecit in Christo Iesu Dómino nostro, in quo habémus fidúciam et accéssum in confidéntia per fidem eius.

Verbum Dómini.

5

In opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 4, 1-7. 11-13

Fratres:

Obsecro vos ego, vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum longanimitáte supportántes ínvicem in caritáte; sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis.

Unum corpus et unus Spíritus, sicut et vocáti estis

in una spe vocatiónis vestræ; unus Dóminus, una fides, unum baptísma; unus Deus et Pater ómnium, qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.

Unicuíque autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Et ipse dedit quosdam quidem apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero evangelístas, álios autem pastóres et doctóres: ad instructiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi, donec occurrámus omnes in unitátem fídei et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

Verbum Dómini.

6

Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Timótheum 1, 13-14. 2, 1-3

Caríssime:

Formam habe sanórum verbórum, quæ a me audísti, in fide et dilectióne quæ sunt in Christo Iesu. Bonum depósitum custódi per Spíritum Sanctum, qui hábitat in nobis.

Tu ergo, fili mi, confortáre in grátia, quæ est in Christo Iesu; et quæ audísti a me per multos testes, hæc comménda fidélibus homínibus, qui idónei erunt et álios docére.

Collabóra sicut bonus miles Christi Iesu.

Verbum Dómini.

7

Opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli
ad Timótheum 4, 1-5

Caríssime:

Testíficor coram Deo et Christo Iesu, qui iudicatúrus est vivos ac mórtuos, per advéntum ipsíus et Regnum eius; prǽdica verbum, insta opportúne, importúne, árgue, íncrepa, óbsecra, in omni patiéntia et doctrína.

Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur.

Tu vero vígila in ómnibus, labóra, opus fac evangelístæ, ministérium tuum imple. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Mt 5, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic lúceat lux vestra coram homínibus,
ut vídeant ópera vestra bona
et gloríficent Patrem vestrum.
℟. Allelúia.

Vos estis lux mundi.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
5, 13-19

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Vos estis sal terræ; quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum va-

let ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus.

Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant vestra bona ópera et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est.

Nolíte putáre quóniam veni sólvere Legem aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis: Donec tránseat cælum et terra, iota unum aut unus apex non præteríbit a Lege donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in Regno cælórum; qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in Regno cælórum ».

Verbum Dómini.

1 a

Alleluia — Io 6, 64 b et 69 b

℟. Allelúia. ℣. Verba tua, Dómine, spíritus et vita;
verba vitæ ætérnæ habes. ℟. Allelúia.

Erat Iesus docens eos, sicut potestatem habens.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
7, 21-29

In illo témpore: Dixit Iesus Apóstolis suis:

« Non omnis qui dicit mihi: " Dómine, Dómine ", intrábit in Regnum cælórum; sed qui facit voluntátem Patris mei, qui in cælis est. Multi dicent mihi in illa die: " Dómine, Dómine, nonne in tuo nómine prophetávimus et in tuo nómine dæmónia eiécimus et in tuo

nómine virtútes multas fécimus? ” Et tunc confitébor illis: “ Numquam novi vos: discédite a me qui operámini iniquitátem ”.

Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea assimilábitur viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram; et descéndit plúvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et non cécidit; fundáta enim erat super petram.

Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, símilis erit viro stulto, qui ædificávit domum suam supra arénam; et descéndit plúvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et cécidit, et fuit ruína eius magna ».

Et factum est, cum consummásset Iesus verba hæc, admirabántur turbæ super doctrínam eius; erat enim docens eos, sicut potestátem habens, et non sicut scribæ eórum. — Verbum Dómini.

1 b

Alleluia Cf. Act 16, 14 b

℟. Allelúia. ℣. Aperi, Dómine, cor nostrum,
ut intendámus verbis Fílii tui. ℟. Allelúia.

Nova et vetera.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
13, 47-52

In illo témpore: Dixit Iesus turbis:

« Símile est Regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes secus litus et sedéntes collegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in

consummatióne sǽculi: exíbunt ángeli, et separábunt malos de médio iustórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus et stridor déntium.

Intellexístis hæc ómnia? »

Dicunt ei: « Etiam ».

Ait autem illis: « Ideo omnis scriba doctus in Regno cælórum símilis est hómini patri famílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia — Mt 23, 9 a. 10 b

℟. Allelúia. ℣. Unus est Pater vester, qui in cælis est; et magíster vester unus est, Christus.
℟. Allelúia.

Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 23, 8-12

In illo témpore:

Dixit Iesus ad discípulos suos: « Vos nolíte vocári Rabbi; unus enim est magíster vester, omnes autem vos fratres estis.

Et patrem nolíte vocáre vobis super terram; unus enim est Pater vester, cæléstis.

Nec vocémini magístri; quia magíster vester unus est, Christus.

Qui maior est vestrum erit miníster vester.

Qui autem se exaltáverit humiliábitur, et qui se humiliáverit exaltábitur ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Semen est verbum Dei, sator autem Christus;
omnis qui ínvenit eum,
manébit in ætérnum. ℟. Allelúia.

* *Exiit seminans ad seminandum.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 4, 1-10. 13-20

In illo témpore:

Iterum cœpit Iesus docére ad mare; et congregátur ad eum turba plúrima, ita ut in navem ascéndens sedéret in mari, et omnis turba circa mare super terram erant. Et docébat eos in parábolis multa, et dicébat illis in doctrína sua:

« Audíte: ecce éxiit séminans ad seminándum. Et factum est, dum séminat, áliud cécidit circa viam, et venérunt vólucres et comedérunt illud; áliud cécidit super petrósa, ubi non habébat terram multam, et statim exórtum est, quóniam non habébat altitúdinem terræ; et, quando exórtus est sol, exæstuávit, et eo quod non habéret radícem, exáruit; et áliud cécidit in spinas, et ascendérunt spinæ et suffocavérunt illud, et fructum non dedit; et ália cecidérunt in terram bonam et dabant fructum: ascendébant et crescébant et afferébant unum trigínta et unum sexagínta et unum centum ».

Et dicébat: « Qui habet aures audiéndi áudiat ».

Et, cum esset singuláris, interrogavérunt eum hi qui circa eum erant cum Duódecim parábolas.

Et ait illis: « Nescítis parábolam hanc, et quómodo

omnes parábolas cognoscétis? Qui séminat, verbum séminat.

Hi autem sunt qui circa viam, ubi seminátur verbum: et, cum audíerint, conféstim venit Sátanas et aufert verbum quod seminátum est in eos.

Et hi sunt qui super petrósa seminántur: qui, cum audíerint verbum, statim cum gáudio accípiunt illud et non habent radícem in se, sed temporáles sunt; deínde, orta tribulatióne vel persecutióne propter verbum, conféstim scandalizántur.

Et álii sunt qui in spinis seminántur: hi sunt qui verbum audiérunt, et ærúmnæ sǽculi et decéptio divitiárum et circa réliqua concupiscéntiæ introeúntes suffócant verbum, et sine fructu effícitur.

Et hi sunt, qui super terram bonam semináti sunt: qui áudiunt verbum et suscípiunt et fructíficant unum trigínta et unum sexagínta et unum centum ».

Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 4, 1-9

In illo témpore:

Iterum cœpit Iesus docére ad mare; et congregátur ad eum turba plúrima, ita ut in navem ascéndens sedéret in mari, et omnis turba circa mare super terram erant. Et docébat eos in parábolis multa, et dicébat illis in doctrína sua:

« Audíte: ecce éxiit séminans ad seminándum. Et factum est, dum séminat, áliud cécidit circa viam, et venérunt vólucres et comedérunt illud; áliud cécidit super petrósa, ubi non habébat terram multam, et statim exórtum est, quóniam non habébat altitúdinem terræ; et, quando exórtus est sol, exæstuávit, et eo

quod non habéret radícem, exáruit; et áliud cécidit in spinas, et ascendérunt spinæ et suffocavérunt illud, et fructum non dedit; et ália cecidérunt in terram bonam et dabant fructum: ascendébant et crescébant et afferébant unum trigínta et unum sexagínta et unum centum ». — Verbum Dómini.

---

3 a

Alleluia Io 15, 5

℟. Allelúia. ℣. Ego sum vitis, vos pálmites, dicit Dóminus;
qui manet in me et ego in eo,
hic fert fructum multum. ℟. Allelúia.

Ex abundantia cordis os loquitur.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 6, 43-45

In illo témpore: Dicébat Iesus discípulis suis:

« Non est arbor bona, fáciens fructum malum, neque íterum arbor mala fáciens fructum bonum. Unaquǽque enim arbor de fructu suo cognóscitur. Neque enim de spinis cólligunt ficus, neque de rubo vindémiant uvam.

Bonus homo de bono thesáuro cordis profert bonum, et malus homo de malo profert malum; ex abundántia enim cordis os eius lóquitur ».

Verbum Dómini.

COMMUNE VIRGINUM

1

Ant. ad introitum

Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum,
quæ óbviam Christo cum lámpade accénsa éxiit.

Collecta

Exáudi nos, Deus, salutáris noster,
ut, sicut de beátæ N. vírginis commemoratióne gaudémus,
ita piæ devotiónis erudiámur afféctu.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1074-1080.

Super oblata

In beáta vírgine N. te, Dómine, mirábilem prædicántes,
maiestátem tuam supplíciter exorámus,
ut, sicut eius tibi grata sunt mérita,
sic nostræ servitútis accépta reddántur offícia.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mt 25, 6

Ecce Sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

Post communionem

Divíni múneris participatióne reffécti,
quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut, exémplo beátæ N.,
mortificatiónem Iesu in córpore nostro circumferéntes,
tibi soli adhærére studeámus.
Per Christum.

2

Ant. ad introitum

Gaudeámus et exsultémus,
quia Dóminus ómnium
diléxit vírginem sanctam atque gloriósam.

Collecta

Dómine Deus, qui beátam N. vírginem
cæléstibus donis cumulásti,
tríbue, quǽsumus, ut, eius virtútes æmulántes in terris,
gáudiis cum ipsa perfruámur ætérnis.
Per Dóminum.

Vel, pro virgine fundatrice:

Fac, Dómine Deus noster, ut beáta virgo N.,
sponsa tibi fidélis,
divínæ caritátis flammam éxcitet in córdibus nostris,
quam, ad perénnem Ecclésiæ tuæ glóriam,
áliis virgínibus inséruit. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1074-1080.

Super oblata

Dicátæ, quǽsumus, Dómine,
capiámus oblatiónis efféctum,
ut, beátæ N. exémplo,
terrénæ vetustátis conversatióne mundáti,
cæléstis vitæ proféctibus innovémur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mt 25, 4. 6

Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum
in vasis suis cum lampádibus.
Média autem nocte clamor factus est:
Ecce Sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

Post communionem

Córporis et Sánguinis Unigéniti tui sacra percéptio,
Dómine, ab ómnibus nos cadúcis rebus avértat,
ut exémplo beátæ N. valeámus
tui et sincéra in terris caritáte profícere,
et perpétua in cælis visióne gaudére. Per Christum.

3

Ant. ad introitum

Veni, sponsa Christi, áccipe corónam,
quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Collecta

Deus, qui te in puris manére córdibus ásseris,
da nobis, beátæ N. vírginis intercessióne,
per grátiam tuam tales exsístere,
in quibus habitáre dignéris. Per Dóminum.

Vel:

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras,
ut, qui beátæ N. vírginis virtútem devóte recólimus,
in tui amóre permanére
et usque in finem semper créscere mereámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1074-1080.

Super oblata

Súscipe, Dómine, obséquium humilitátis nostræ,
quod tibi in commemoratióne beátæ N. vírginis exhibémus,
et nos, per immaculátam hóstiam,
da iúgiter in tuo conspéctu pio sanctóque amóre flagráre.
Per Christum.

Ant. ad communionem Cf. Lc 10, 42

Optimam partem elégit sibi virgo prudens,
quæ non auferétur ab ea.

Post communionem

Cæléсti pane refécti,
humíliter deprecámur cleméntiam tuam, Dómine,
ut, qui de beátæ N. commemoratióne gaudémus,
véniam delictórum, sospitátem córporum,
gratiámque et glóriam ætérnam consequámur animárum.
Per Christum.

4

Ant. ad introitum Ps 148, 12-14

Vírgines laudent nomen Dómini,
quia exaltátum est nomen eius solíus;
conféssio eius super cælum et terram.

Collecta

Multíplica super nos,
quǽsumus, Dómine, misericórdiam tuam,
ut, sicut in beatárum vírginum N. et N. festivitáte
pia devotióne lætámur,
in eárum perpétua societáte, te largiénte, fruámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1074-1080.

Super oblata

In sanctárum vírginum N. et N. commemoratióne
te, Dómine, mirábilem prædicántes,
múnera votíva deférimus;
præsta, quǽsumus, ut, sicut eárum tibi grata sunt mérita,
sic nostræ servitútis accépta reddántur offícia.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 25, 10

Venit Sponsus,
et vírgines, quæ parátæ erant,
intravérunt cum eo ad núptias.

Vel: Io 14, 21 et 23

Qui díligit me,
diligétur a Patre meo,
et ad eum veniémus,
et mansiónem apud eum faciémus.

Post communionem

Sumpta mystéria, quǽsumus, Dómine,
in hac festivitáte beatárum vírginum N. et N.
íncitent nos iúgiter et illústrent,
ut digne advéntum Fílii tui præstolémur,
et ad supérnas eius núptias admittámur.
Per Christum.

Lectio prima

1

Fortis est ut mors dilectio.

Léctio Cántici canticórum 8, 6-7

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super brácchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio, lámpades eius lámpades ignis atque flammárum.

Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem

substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 148, 1-2. 11-13 a. 13 c-14 (℟.: 12 a. 13 a)

℟. Iúvenes et vírgines,
laudáte nomen Dómini.

vel Allelúia.

1 Laudáte Dóminum de cælis,
laudáte eum, in excélsis.
2 Laudáte eum, omnes ángeli eius,
laudáte eum, omnes virtútes eius. ℟.

11 Reges terræ et omnes pópuli,
príncipes et omnes iúdices terræ,
12 iúvenes et vírgines,
senes cum iunióribus
13 laudent nomen Dómini. ℟.

Confessio eius super cælum et terram,
14 et exaltávit cornu pópuli sui.
Hymnus ómnibus sanctis eius,
fíliis Israel, pópulo qui propínquus est ei. ℟.

2

Sponsabo te mihi in sempiternum.

Léctio libri Osée prophétæ 2, 14 b. 15 b. 19-20

Hæc dicit Dóminus:

Ecce ego ducam eam in solitúdinem, et loquar ad cor eius; et canet ibi iuxta dies iuventútis suæ, et iuxta dies ascensiónis suæ de terra Ægýpti.

Et sponsábo te mihi in sempitérnum; et sponsábo te mihi in iustítia et iudício, et in misericórdia et in

miseratiónibus, et sponsábo te mihi in fide, et scies quia ego Dóminus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 44, 11-12. 14-15. 16-17 (℟.: cf. Mt 25, 6)

℟. Ecce Sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

11 Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam,
et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui;
12 et concupíscet rex spéciem tuam.
Quóniam ipse est dóminus tuus, et adóra eum. ℟.
14 Gloriósa nimis fília regis intrínsecus,
textúris áureis circumamícta.
15 In véstibus variegátis adducétur regi;
vírgines post eam, próximæ eius, afferúntur tibi. ℟.
16 Afferúntur in lætítia et exsultatióne,
adducúntur in domum regis.
17 Pro pátribus tuis erunt tibi fílii;
constítues eos príncipes super omnem terram. ℟.

Lectio secunda

1

Virgo cogitat quæ Domini sunt.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 7, 25-35

Fratres:

De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse.

Alligátus es uxóri? noli quǽrere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quǽrere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti; et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt huiúsmodi; ego autem vobis parco.

Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breviátum est; réliquum est, ut et qui habent uxóres tamquam non habéntes sint, et qui flent tamquam non flentes, et qui gaudent tamquam non gaudéntes, et qui emunt tamquam non possidéntes, et qui utúntur hoc mundo tamquam non abuténtes; prǽterit enim figúra huius mundi.

Volo autem vos sine sollicitúdine esse.

Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Dómino. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est.

Et múlier innúpta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta et córpore et spíritu; quæ autem nupta est cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro.

Porro hoc ad utilitátem vestram dico, non ut láqueum vobis iníciam, sed ad honéstum et ad adhæréndum Dómino sine distractióne. — Verbum Dómini.

2

Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Coríntios 10, 17 — 11, 2

Fratres:

Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Dóminus comméndat.

Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne; despóndi enim vos uni viro, vírginem castam exhibére Christo. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.
℟. Allelúia.

Propter Regnum cælorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
19, 3-12

In illo témpore:

Accessérunt ad Iesum pharisǽi tentántes eum, et dicéntes: « Licet hómini dimíttere uxórem suam, quacúmque ex causa? »

Qui respóndens ait: « Non legístis quia qui creávit ab inítio, “ másculum et féminam fecit eos ”, et dixit: “ Propter hoc dimíttet homo patrem et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una ”?

Itaque iam non sunt duo, sed una caro.

Quod ergo Deus coniúnxit, homo non séparet ».

Dicunt illi: « Quid ergo Móyses mandávit dari libéllum repúdii et dimíttere? »

Ait illis: « Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras; ab inítio autem non sic fuit. Dico autem vobis, quia quicúmque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, et áliam dúxerit, mœchátur ».

Dicunt ei discípuli eius: « Si ita est causa hóminis cum uxóre, non éxpedit núbere ».

Qui dixit eis: « Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi qui de matris útero sic nati sunt, et sunt eunúchi qui facti sunt ab homínibus, et sunt eunúchi qui se ipsos castravérunt propter Regnum cælórum. Qui potest cápere cápiat ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Hæc est virgo sápiens,
quam Dóminus vigilántem invénit;
veniénte Dómino, intrávit cum eo ad núptias.
℟. Allelúia.

Ecce Sponsus, exite obviam ei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
25, 1-13

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: « Símile erit Regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso. Quinque autem ex eis erant fátuæ et quinque prudéntes; fátuæ enim, accéptis lampádibus suis, non sumpsérunt óleum secum; prudéntes vero accepérunt óleum in vasis cum lampádibus suis. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt.

Média autem nocte, clamor factus est: " Ecce sponsus, exíte óbviam ei ". Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas.

Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: " Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur ".

Respondérunt prudéntes dicéntes: “ Ne forte non suffíciat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes et émite vobis ”. Dum autem irent émere, venit sponsus, et quæ parátæ erant intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est iánua.

Novíssime autem véniunt et réliquæ vírgines dicéntes: “ Dómine, Dómine, áperi nobis ”.

At ille respóndens ait: “ Amen dico vobis, néscio vos ”. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia Io 14, 23

℟. Allelúia. ℣. Si quis díligit me, sermónem meum servábit,
et Pater meus díliget eum,
et ad eum veniémus. ℟. Allelúia.

Martha excepit illum.
Maria optimam partem elegit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 38-42

In illo témpore:

Intrávit Iesus in quoddam castéllum; et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum. Et huic erat soror nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini audiébat verbum illíus.

Martha autem satagébat circa frequens ministérium; quæ stetit et ait: « Dómine, non est tibi curæ, quod soror mea relíquit me solam ministráre? dic ergo illi ut me ádiuvet ».

Et respóndens dixit illi Dóminus: « Martha, Martha, sollícita es et turbáris erga plúrima. Porro unum est necessárium: María enim óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea ». — Verbum Dómini.

COMMUNE SANCTORUM ET SANCTARUM

Missæ quæ sequuntur, si pro determinato Sanctorum ordine inscribuntur, pro eius ordinis Sanctis adhibentur; quæ vero nulla inscriptione signantur, pro omnibus Sanctorum ordinibus adhiberi possunt.

1

Ant. ad introitum — Ps 144, 10-11

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua,
et Sancti tui benedícant tibi:
glóriam regni tui dicent, et poténtiam tuam loquéntur.

Collecta

Omnípotens ætérne Deus,
qui per glorificatiónem Sanctórum
novíssima dilectiónis tuæ nobis arguménta largíris,
concéde propítius,
ut, ad Unigénitum tuum fidéliter imitándum,
et ipsórum intercessióne commendémur,
et incitémur exémplo.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Preces nostras, Dómine, quǽsumus, propitiátus admítte,
et, ut digne tuis famulémur altáribus,
Sanctórum tuórum nos intercessióne custódi.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 67, 4

Iusti epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei,
et delecténtur in lætítia.

Vel: Lc 12, 37

Beáti servi illi, quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes; amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis.

Post communionem

Omnípotens sempitérne Deus,
Pater totíus consolatiónis et pacis,
præsta famíliæ tuæ in celebritáte Sanctórum
ad laudem tui nóminis congregátæ,
ut, per Unigéniti tui sumpta mystéria,
pignus accípiat redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

2

Ant. ad introitum Ps 63, 11

Lætábitur iustus in Dómino, et sperábit in eo;
et laudabúntur omnes recti corde.

Collecta

Deus, qui solus es sanctus, et sine quo nullus est bonus,
intercessióne beáti N. iube nos tales fíeri,
qui non debeámus tua glória privári.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut nostræ humilitátis oblátio
et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum,
et nos córpore páriter et mente puríficet.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 12, 26

Qui mihi minístrat, me sequátur, dicit Dóminus:
et ubi ego sum, illic et miníster meus erit.

Post communionem

In natalíciis Sanctórum quǽsumus, Dómine,
ut, sacraménti múnere vegetáti,
bonis, quibus per tuam grátiam nunc fovémur,
perfruámur ætérnis.
Per Christum.

3

Ant. ad introitum Ps 20, 2-3

In virtúte tua, Dómine, lætábitur iustus,
et super salutáre tuum exsultábit veheménter;
desidérium ánimæ eius tribuísti ei.

Collecta

Deus, qui infirmitáti nostræ, ad teréndam salútis viam,
in Sanctis tuis exémplum et præsídium collocásti,
concéde propítius, ut, qui beáti N. natalícia cólimus,
per eius ad te exémpla gradiámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Præsénti oblatióne, Dómine,
in beáti N. commemoratióne deláta,
fidélibus tuis, quǽsumus, pacis et unitátis dona largíre.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 16, 24

Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum,
et tollat crucem suam, et sequátur me, dicit Dóminus.

Post communionem

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine,
in commemoratióne beáti N.
mentes et corda nostra sanctíficent,
ut divínæ consórtes natúræ éffici mereámur.
Per Christum.

4

Ant. ad introitum — Mal 2, 6

Lex veritátis fuit in ore eius,
et iníquitas non est invénta in lábiis eius;
in pace et in æquitáte ambulávit mecum,
et multos avértit ab iniquitáte.

Collecta

Deus, qui nos cónspicis ex nostra infirmitáte defícere,
ad amórem tuum nos misericórditer
per Sanctórum tuórum exémpla restáura.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Sacrifícia, Dómine,
quæ in hac festivitáte sancti N. tuæ offérimus maiestáti,
nobis sint ad salútem efficácia, et tuæ plácita pietáti.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mt 5, 8-9

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt:
beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur:
beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Post communionem

Sacro múnere satiáti, súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, quod débitæ servitútis celebrámus offício,
salvatiónis tuæ sentiámus augméntum.
Per Christum.

5

Ant. ad introitum — Ps 91, 13-14

Iustus ut palma florébit,
sicut cedrus Líbani multiplicábitur;
plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.

Collecta

Impetret, quǽsumus, Dómine, fidélibus tuis auxílium
orátio iusta Sanctórum,
et, in quorum sunt celebritáte devóti,
fiant in eórum perpétua sorte partícipes.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Hóstias ad altáre tuum offeréntibus, Dómine,
da nobis illum pietátis afféctum, quem beáto N. infudísti,
ut pura mente ac férvido corde rei sacræ attendámus,
et sacrifícium tibi plácitum
nobísque profícuum celebrémus.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mt 11, 28

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis,
et ego refíciam vos, dicit Dóminus.

Post communionem

Sacramentórum tuórum, Dómine,
commúnio sumpta nos salvet,
et in tuæ veritátis luce confírmet.
Per Christum.

6

Ant. ad introitum — Ier 17, 7-8

Benedíctus vir, qui confídit in Dómino,
et erit Dóminus fidúcia eius;
et erit quasi lignum, quod transplantátur super aquas,
quod ad humórem mittit radíces suas;
et non timébit cum vénerit æstus.

Collecta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut ad meliórem vitam
Sanctórum tuórum exémpla nos próvocent,
quátenus beáti N., cuius memóriam celebrámus,
étiam actus incessánter imitémur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Múnera nostra, Dómine, sacris altáribus offeréntes,
in hac festivitáte Sanctórum tuórum,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut éadem et suprémam tibi glóriam operéntur,
et ubérrimam nobis grátiam assequántur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Io 15, 9

Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos, dicit Dóminus;
manéte in dilectióne mea.

Post communionem

Quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut divína mystéria,
quæ in tuórum commemoratióne Sanctórum frequentámus,
salútem et pacem in nobis operéntur ætérnam.
Per Christum.

7. Pro religiosis

Ant. ad introitum Ps 15, 5-6

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei;
tu es qui restítues hereditátem meam mihi.
Funes cecidérunt mihi in præcláris;
étenim heréditas mea præclára est mihi.

Collecta

Deus, cuius múnere beátus N.
Christum páuperem et húmilem perseverávit imitári,
concéde nobis, ipso intercedénte,
ut, in vocatióne nostra fidéliter ambulántes,
ad eam perfectiónem,
quam nobis in Fílio tuo proposuísti,
perveníre valeámus.
Per Dóminum.

Vel, pro abbate:

Da nobis, quǽsumus, Dómine,
inter mundi huius varietátes
toto corde rebus cæléstibus adhærére,
qui per beátum N. abbátem
evangélicæ nobis perfectiónis documénta donásti.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Clementíssime Deus, qui, vétere hómine consúmpto,
novum secúndum te in beáto N. creáre dignátus es,
concéde propítius, ut nos páriter renováti
hanc placatiónis hóstiam tibi acceptábilem offerámus.
Per Christum.

Ant. ad communionem Cf. Mt 19, 27-29

Amen dico vobis quod vos qui reliquístis ómnia,
et secúti estis me, céntuplum accipiétis,
et vitam ætérnam possidébitis.

Post communionem

Quǽsumus, omnípotens Deus,
ut, qui huius sacraménti munímur virtúte,
exémplo beáti N.
discámus te super ómnia semper inquírere,
et novi hóminis formam in hoc sǽculo portáre.
Per Christum.

8. Pro religiosis

Ant. ad introitum Cf. Ps 23, 5-6

Isti sunt sancti, qui accepérunt benedictiónem a Dómino
et misericórdiam a Deo salutári suo,
quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

Collecta

Deus, qui beátum N.
ad tuum regnum in hoc sǽculo perquiréndum
per caritátis perféctæ prosecutiónem vocásti,
concéde, ut, eius intercessióne roboráti,
in dilectiónis via spíritu gaudéntes progrediámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Accépta tibi sint, quǽsumus, Dómine,
múnera nostræ servitútis
pro beáti N. commemoratióne altári tuo propósita,
et concéde, ut, a terrénis impediméntis absolúti,
te solo dívites efficiámur. Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 33, 9

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus:
beátus vir, qui sperat in eo.

Post communionem

Per huius virtútem sacraménti, quǽsumus, Dómine,
beáti N. exémplo, deduc nos iúgiter in tua dilectióne,
et opus bonum quod cœpísti in nobis
pérfice usque in diem Christi Iesu. Qui vivit.

9. Pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt

Ant. ad introitum Mt 25, 34. 36. 40

Veníte, benedícti Patris mei, dicit Dóminus:
infírmus eram, et visitástis me.
Amen dico vobis,
quámdiu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis,
mihi fecístis.

Collecta

Deus, qui Ecclésiam tuam
in dilectióne tuæ divinitátis et próximi
cuncta serváre cæléstia mandáta docuísti,
da nobis, ut, beáti N. exémplo caritátis ópera exercéntes,
inter benedíctos regni tui connumerári mereámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera pópuli tui, et præsta,
ut, qui Fílii tui imménsæ caritátis opus recólimus,
in tui et próximi dilectióne,
Sanctórum tuórum exémplo, confirmémur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Io 15, 13

Maiórem hac dilectiónem nemo habet,
ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Vel: — Io 13, 35

In hoc cognóscent omnes
quia discípuli mei estis,
si dilectiónem habuéritis ad ínvicem,
dicit Dóminus.

Post communionem

Sacris mystériis reféctos,
da nos, quǽsumus, Dómine,
beáti N. exémpla sectári,
qui te indeféssa pietáte cóluit,
et pópulo tuo imménsa prófuit caritáte.
Per Christum.

Vel:

Sacraménti salutáris, Dómine, pasti delíciis,
tuam súpplices deprecámur pietátem,
ut, sancti N. caritátis imitatóres effécti,
consórtes simus et glóriæ.
Per Christum.

10. Pro educatoribus

Ant. ad introitum Mc 10, 14

Sínite párvulos veníre ad me, et ne prohibuéritis eos: tálium est enim regnum Dei, dicit Dóminus.

Vel: Mt 5, 19

Qui fécerit et docúerit,
hic magnus vocábitur in regno cælórum, dicit Dóminus.

Collecta

Deus, qui in Ecclésia tua beátum N. suscitásti,
ut próximis viam salútis monstráret,
da nobis, eius exémplo, Christum magístrum ita sequi,
ut ad te cum frátribus nostris perveníre valeámus.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Accépta tibi sit, quǽsumus, Dómine,
sacrátæ plebis oblátio
pro tuórum commemoratióne Sanctórum,
et præsta, ut, ex huius participatióne mystérii,
exémpla tuæ caritátis referámus.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 18, 3

Nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli,
non intrábitis in regnum cælórum, dicit Dóminus.

Vel: Io 8, 12

Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris,
sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

Post communionem

Tríbuat nobis, omnípotens Deus,
refféctio sancta subsídium,
ut, exémplo Sanctórum tuórum,
et fraternitátis caritátem et lumen veritátis
in corde exhibeámus et ópere. Per Christum.

11. Pro sanctis mulieribus

Ant. ad introitum Cf. Prov 31, 30. 28

Múlier timens Dóminum ipsa laudábitur.
Fílii eius beatíssimam prædicavérunt,
vir eius laudávit eam.

Collecta

Deus, qui nos ánnua beátæ N. festivitáte lætíficas,
da, quǽsumus, ut, quam venerámur offício,
étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo.
Per Dóminum.

Vel (pro pluribus):

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut veneránda nobis beatárum N. et N. intercéssio
tríbuat cæléste subsídium,
quarum vita mirábilis
ómnibus salutáre præstat exémplum. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Hóstias tibi, Dómine,
pro sanctæ N. commemoratióne deférimus,
supplíciter deprecántes,
ut indulgéntiam nobis páriter cónferant et salútem.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 13, 45-46

Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri,
quæréntí bonas margarítas;
invénta autem una pretiósa margaríta,
dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Post communionem

Divíni operátio sacraménti, omnípotens Deus,
in hac festivitáte beátæ N.
illúminet nos páriter et inflámmet,
ut et sanctis iúgiter desidériis ferveámus,
et bonis opéribus abundémus. Per Christum.

12. Pro sanctis mulieribus

Ant. ad introitum Cf. Prov 14, 1-2

Ecce múlier sápiens, quæ ædificávit domum suam,
et timens Dóminum ambulávit recto itínere.

Collecta

Deus, humílium celsitúdo,
qui beátam N. caritátis et patiéntiæ decóre
excéllere disposuísti,
eius méritis et intercessióne concéde,
ut, crucem nostram iúgiter feréntes,
te semper dilígere valeámus. Per Dóminum.

Vel:

Effúnde super nos, Dómine,
spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ,
quo ancíllam tuam N. implevísti,
ut, sédula eius imitatióne tibi sincére obsequéntes,
fide et ópere placeámus. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1094-1153.

Super oblata

Hóstias, Dómine, tuæ plebis inténde,
et, quas in honóre Sanctórum tuórum
devóta mente célebrat,
profícere sibi séntiat ad salútem. Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 12, 50

Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater et soror et mater est, dicit Dóminus.

Post communionem

Repléti sumus, Dómine, munéribus tuis,
quæ in celebritáte beátæ N. percépimus;
tríbue, quǽsumus, ut eórum et mundémur efféctu,
et muniámur auxílio. Per Christum.

Lectio prima

1

Egredere de terra tua
et de cognatione tua, et veni.

Léctio libri Génesis 12, 1-4 a

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Abram: « Egrédere de terra tua et de cognatióne tua et de domo patris tui; et veni in terram quam monstrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam, et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum, erísque benedíctus.

Benedícam benedicéntibus tibi et maledícam maledicéntibus tibi, atque in te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ ».

Egréssus est ítaque Abram, sicut præcéperat ei Dóminus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 15, 1-2 a et 5. 7-8. 11 (℟.: 5 a)

℟. Tu es, Dómine, pars hereditátis meæ.

1 Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.
2 Dixi Dómino: « Dóminus meus es tu.
5 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam ». ℟.

7 Benedícam Dóminum
qui tríbuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.
8 Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. ℟.

11 Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua usque in finem. ℟.

2

Díliges amicum tuum sicut teipsum.

Léctio libri Levítici 19, 1-2. 17-18

In diébus illis:

Locútus est Dóminus ad Móysen dicens: « Lóquere ad omnem cœtum filiórum Israel, et dices ad eos: Sancti estóte, quia ego sanctus sum, Dóminus Deus vester.

Non óderis fratrem tuum in corde tuo, sed públice árgue eum, ne hábeas super illo peccátum. Non quæras ultiónem nec memor eris iniúriæ cívium tuórum. Díliges amícum tuum sicut teípsum. Ego Dóminus. Leges meas custodíte ». — Verbum Dómini.

Psalmus resp. Ps 14, 2-3 ab. 3 cd-4 ab. 5 (℟.: 1 b)

℟. Iustus requiéscet in monte sancto tuo, Dómine.

2 Qui ingréditur sine mácula, et operátur iustítiam;
3 qui lóquitur veritátem in corde suo,
qui non egit dolum in lingua sua. ℟.

Nec fecit próximo suo malum,
et oppróbrium non íntulit próximo suo.
4 Ad níhilum reputátus est in conspéctu eius malígnus,
timéntes autem Dóminum gloríficat. ℟.

5 Qui pecúniam suam non dedit ad usúram,
et múnera super innocéntem non accépit.
Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum. ℟.

3

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Léctio libri Deuteronómii 6, 3-9

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo dicens: « Audi, Israel, et obsérva, ut fácias quæ præcépit tibi Dóminus, et bene sit tibi, et multiplicéris ámplius, sicut pollícitus est Dóminus Deus patrum tuórum tibi terram lacte et melle manántem.

Audi, Israel: Dóminus Deus noster Dóminus unus est. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota ánima tua et ex tota fortitúdine tua.

Erúntque verba hæc, quæ ego præcípio tibi hódie, in corde tuo, et narrábis ea fíliis tuis, et meditáberis in eis sedens in domo tua et ámbulans in itínere, dórmiens atque consúrgens, et ligábis ea quasi signum in manu tua, erúntque et movebúntur inter óculos tuos, scribésque ea in límine et óstiis domus tuæ ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 111, 1-2. 3-4. 5-7 a. 7 b-8. 9 (℟.: 1 a)

℟. Beátus vir qui timet Dóminum.
vel Allelúia.

1 Beátus vir qui timet Dóminum,
in mandátis eius cupit nimis.
2 Potens in terra erit semen eius,
generátio rectórum benedicétur. ℟.

3 Glória et divítiæ in domo eius,
et iustítia eius manet in sæculum sæculi.
4 Exórtum est in ténebris lumen rectis,
miséricors et miserátor et iustus. ℟.

5 Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat,
dispónet res suas in iudício,
6 quia in ætérnum non commovébitur.
In memória ætérna erit iustus,
7 ab auditióne mala non timébit. ℟.

Parátum cor eius, sperans in Dómino,
8 confirmátum est cor eius, non timébit,
donec despíciat inimícos suos. ℟.

9 Distríbuit, dedit paupéribus;
iustítia eius manet in sæculum sæculi,
cornu eius exaltábitur in glória. ℟.

4

Pro religiosis

Dominus possessio eius est.

Léctio libri Deuteronómii 10, 8-9

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo dicens: « Separávit Dóminus tribum Levi, ut portáret arcam fœderis Dómini,

et staret coram eo in ministério, ac benedíceret in nómine illíus usque in præséntem diem. Quam ob rem non hábuit Levi partem neque possessiónem cum frátribus suis, quia ipse Dóminus posséssio eius est, sicut promísit ei Dóminus Deus tuus ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 15, 1-2 a et 5. 7-8. 11 (℟.: 5 a)

℟. Tu es, Dómine, pars hereditátis meæ.

1 Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.
2 Dixi Dómino: « Dóminus meus es tu.
5 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam ». ℟.

7 Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.
8 Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. ℟.

11 Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua usque in finem. ℟.

5

Pro religiosis

Sta in monte coram Domino.

Léctio libri primi Regum 19, 4-9 a. 11-15 a

In diébus illis:

Perréxit Elías in desértum viam uníus diéi. Cúmque venísset et sedéret subter unam iuníperum, petívit ánimæ suæ ut morerétur et ait: « Súfficit mihi, Dómine: tolle ánimam meam, neque enim mélior sum quam patres mei ». Proiecítque se et obdormívit in umbra iuníperi.

Et ecce ángelus Dómini tétigit eum, et dixit illi: « Surge et cómede ». Respéxit, et ecce ad caput suum subcinerícius panis et vas aquæ; comédit ergo et bibit et rursum obdormívit.

Reversúsque est ángelus Dómini secúndo, et tétigit eum dixítque illi: « Surge, cómede, grandis enim tibi restat via ». Qui, cum surrexísset, comédit et bibit et ambulávit in fortitúdine cibi illíus quadragínta diébus et quadragínta nóctibus usque ad montem Dei Horeb. Cumque venísset illuc mansit in spelúnca.

Et ait Dóminus ei: « Egrédere, et sta in monte coram Dómino ». Et ecce Dóminus transit. Et spíritus grandis et fortis subvértens montes et cónterens petras ante Dóminum; non in spíritu Dóminus. Et post spíritum commótio; non in commotióne Dóminus. Et post commotiónem ignis; non in igne Dóminus. Et post ignem síbilus auræ ténuis.

Quod cum audísset Elías, opéruit vultum suum pállio et egréssus stetit in óstio spelúncæ; et ecce vox ad eum dicens: « Quid hic agis, Elía? »

Et ille respóndit: « Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israel, altária tua destruxérunt, prophétas tuos occidérunt gládio: derelíctus sum ego solus, et quærunt ánimam meam ut áuferant eam ».

Et ait Dóminus ad eum: « Vade, et revértere in viam tuam per desértum in Damáscum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 14, 2-3 ab. 3 cd-4 ab. 5 (℟.: 1 b)

℟. Iustus requiéscet in monte sancto tuo, Dómine.

2 Qui ingréditur sine mácula, et operátur iustítiam;
3 qui lóquitur veritátem in corde suo,
qui non egit dolum in lingua sua. ℟.

Nec fecit próximo suo malum,
et oppróbrium non íntulit próximo suo.
Ad níhilum reputátus est
in conspéctu eius malígnus,
timéntes autem Dóminum gloríficat. ℟.

Qui pecúniam suam non dedit ad usúram,
et múnera super innocéntem non accépit.
Qui facit hæc, non movébitur in ætérnum. ℟.

6

Pro religiosis

Consurgens Eliseus abiit et secutus est Eliam.

Léctio libri primi Regum 19, 16 b. 19-21

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Elíam: « Eliséum, fílium Saphat, qui est de Abelméhula, unges prophétam pro te ».

Profectus inde Elías répperit Eliséum, fílium Saphat, arántem in duódecim iugis boum; et ipse in duódecim iugis boum arántibus unus erat; cumque venísset Elías ad eum, misit pállium suum super illum.

Qui statim, relíctis bobus, cucúrrit post Elíam et ait: « Osculer, oro, patrem meum et matrem meam, et sic sequar te ».

Dixítque ei: « Vade et revértere, quod enim meum erat feci tibi ».

Revérsus autem ab eo tulit par boum et mactávit illud, et in arátro boum coxit carnes et dedit pópulo, et comedérunt; consurgénsque ábiit et secútus est Elíam et ministrábat ei. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 15, 1-2 a et 5. 7-8. 11 (℟.: 5 a)

℟. Tu es, Dómine, pars hereditátis meæ.

1 Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.
2 Dixi Dómino: « Dóminus meus es tu.
5 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam ». ℟.

7 Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.
8 Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. ℟.

11 Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua usque in finem. ℟.

7

Consenescamus ambo pariter sani.

Léctio libri Tobíæ 8, 5-10

Sero nuptiárum, Tobías dixit Saræ: « Fílii sanctórum sumus, et non póssumus ita coniúngi sicut gentes quæ ignórant Deum ». Surgéntes autem páriter, instánter orábant ambo simul, ut sánitas darétur eis.

Dixítque Tobías: « Dómine Deus patrum nostrórum, benedícant te cæli et terræ maréque et fontes et flúmina et omnes creatúræ tuæ, quæ in eis sunt. Tu fecísti Adam de limo terræ dedistíque ei adiutórium Evam.

Et nunc, Dómine, tu scis quia non luxúriæ causa accípio sorórem meam cóniugem, sed sola posteritátis dilectióne, in qua benedicátur nomen tuum in sǽcula sæculórum ».

Dixit quoque Sara: « Miserére nobis, Dómine, miserére nobis, et consenescámus ambo páriter sani ».
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 127, 1-2. 3. 4-5 (℟.: 1 a)

℟. Beátus omnis qui timet Dóminum.

1 Beátus omnis qui timet Dóminum,
qui ámbulat in viis eius.
2 Labóres mánuum tuárum manducábis,
beátus es, et bene tibi erit. ℟.

3 Uxor tua sicut vitis fructífera
in latéribus domus tuæ;
fílii tui sicut novéllæ olivárum
in circúitu mensæ tuæ. ℟.

4 Ecce sic benedicétur homo,
qui timet Dóminum.
5 Benedícat tibi Dóminus ex Sion,
et vídeas bona Ierúsalem
ómnibus diébus vitæ tuæ. ℟.

8

Pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt

Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna.

Léctio libri Tobíæ — 12, 6-13

In diébus illis:

Dixit Angelus Tobíæ et fílio eius: « Benedícite Deum cæli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Etenim sacraméntum regis abscóndere bonum est, ópera autem Dei reveláre et confitéri honoríficum est.

Bona est orátio cum ieiúnio, et eleemósyna magis quam thesáuros auri recóndere; quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est quæ purgat peccáta, et facit inveníre misericórdiam et vitam ætérnam; qui autem fáciunt peccátum et iniquitátem hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrimis et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 102, 1-2. 3-4. 8-9. 13-14. 17-18 a (℟.: 1 a)

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Non in perpétuum conténdet,
neque in ætérnum irascétur. ℟.

13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se.
14 Quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum,
recordátus est quóniam pulvis sumus. ℟.

17 Misericórdia autem Dómini ab ætérno
et usque in ætérnum super timéntes eum,
et iustítia illíus in fílios filiórum;
18 in eos qui servant testaméntum eius. ℟.

9

Pro viduis

Timebat Dominum valde.

Léctio libri Iudith 8, 2-8

Vir Iudith fuit Manásses, qui mórtuus est in diébus messis hordeáceæ; instábat enim super alligántes manípulos in campo, et venit æstus super caput eius, et mórtuus est in Bethúlia civitáte sua, et sepúltus est illic cum pátribus suis.

Erat autem Iudith relícta eius vídua iam annis tribus et ménsibus sex. Et in superióribus domus suæ fecit sibi secrétum cubículum, in quo cum puéllis suis clausa morabátur.

Et habens super lumbos suos cilícium, ieiunábat ómnibus diébus vitæ suæ, præter sábbata et neoménias et festa domus Israel. Erat autem elegánti aspéctu nimis; cui vir suus relíquerat divítias multas et famíliam copiósam, ac possessiónes arméntis boum et grégibus óvium plenas.

Et erat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 130, 1. 2. 3

℟. Custódi ánimam meam in pace apud te, Dómine.

1 Dómine, non est exaltátum cor meum,
neque eláti sunt óculi mei;
neque ambulávi in magnis;
neque in mirabílibus super me. ℟.

2 Vere pacátam et quiétam
feci ánimam meam;
sicut ablactátus in sinu matris suæ,
sicut ablactátus, ita in me est ánima mea. ℟.

3 Speret Israel in Dómino,
ex hoc nunc et usque in sæculum. ℟.

10

Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem.

Léctio libri Esther 13, 8-14. 17

In diébus illis:

Mardochǽus deprecátus est Dóminum, memor ómnium óperum eius, et dixit: « Dómine, Dómine rex omnípotens, in dicióne enim tua cuncta sunt pósita, et non est qui possit tuæ resístere voluntáti, si decréveris salváre Israel.

Tu fecísti cælum et terram, et quidquid cæli ámbitu continétur. Dóminus ómnium es, nec est qui resístat maiestáti tuæ.

Cuncta nosti, et scis quia non pro supérbia et contumélia et áliqua glóriæ cupiditáte fécerim hoc, ut non adorárem Aman superbíssimum (libénter enim pro salúte Israel étiam vestígia pedum eius deosculári parátus essem); sed tímui ne honórem Dei mei transférrem ad hóminem, et ne quemquam adorárem, excépto Deo meo.

Exáudi deprecatiónem meam, et propítius esto sorti et funículo tuo; et convérte luctum nostrum in gáudium, ut vivéntes laudémus nomen tuum, Dómine, et ne claudas ora te canéntium ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9. 10-11 (℟.: 2 a)

℟. Benedícam Dóminum in omni témpore.

2 Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.
3 In Dómino gloriábitur ánima mea,
áudiant mansuéti et læténtur. ℟.

4 Magnificáte Dóminum mecum,
et exaltémus nomen eius in idípsum.
5 Exquisívi Dóminum, et exaudívit me,
et ex ómnibus terróribus meis erípuit me. ℟.

6 Respícite ad eum, et illuminámini,
et fácies vestræ non confundéntur.
7 Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum,
et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum. ℟.

8 Vallábit ángelus Dómini in circúitu timéntes eum,
et erípiet eos.
9 Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir qui sperat in eo. ℟.

10 Timéte Dóminum, sancti eius,
quóniam non est inópia timéntibus eum.
11 Dívites eguérunt et esuriérunt,
inquiréntes autem Dóminum
non defícient omni bono. ℟.

11

Mulier timens Dominum ipsa laudabitur.

Léctio libri Proverbiórum 31, 10-13. 19-20. 30-31

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium eius.

Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit; reddet ei bonum et non malum ómnibus diébus vitæ

suæ; quæsívit lanam et linum et operáta est consílio mánuum suárum.

Manum suam misit ad fórtia, et dígiti eius apprehendérunt fusum; manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem.

Fallax grátia et vana est pulchritúdo, múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 130, 1. 2. 3

℟. Custódi ánimam meam in pace apud te, Dómine.

1 Dómine, non est exaltátum cor meum,
neque eláti sunt óculi mei;
neque ambulávi in magnis,
neque in mirabílibus super me. ℟.

2 Vere pacátam et quiétam
feci ánimam meam;
sicut ablactátus in sinu matris suæ,
sicut ablactátus, ita in me est ánima mea. ℟.

3 Speret Israel in Dómino,
ex hoc nunc et usque in sæculum. ℟.

12

Qui timetis Dominum, credite, sperate, diligite.

Léctio libri Sirácidæ — 2, 7-13

Metuéntes Dóminum, sustinéte misericórdiam eius, et non deflectátis ab illo, ne cadátis. Qui timétis Dóminum crédite illi, et non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum speráte in illum, et in oblectatió-

nem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum dilígite illum, et illuminabúntur corda vestra.

Respícite, fílii, natiónes hóminum et scitóte quia nullus sperávit in Dómino et confúsus est. Quis enim permánsit in mandátis eius et derelíctus est? aut quis invocávit eum, et despéxit illum?

Quóniam pius et misericors est Deus, et remíttet in die tribulatiónis peccáta; et protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 111, 1-2. 3-4. 5-7 a. 7 b-8. 9 (℟.: 1 a)

℟. Beátus vir qui timet Dóminum.

vel Allelúia.

1 Beátus vir qui timet Dóminum,
in mandátis eius cupit nimis.
2 Potens in terra erit semen eius,
generátio rectórum benedicétur. ℟.

3 Glória et divítiæ in domo eius,
et iustítia eius manet in sǽculum sǽculi.
4 Exórtum est in ténebris lumen rectis,
miséricors et miserátor et iustus. ℟.

5 Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat,
dispónet res suas in iudício,
6 quia in ætérnum non commovébitur.
In memória ætérna erit iustus,
7 ab auditióne mala non timébit. ℟.

Parátum cor eius, sperans in Dómino,
8 confirmátum est cor eius, non timébit,
donec despíciat inimícos suos. ℟.

9 Distríbuit, dedit paupéribus;
iustítia eius manet in sǽculum sǽculi,
cornu eius exaltábitur in glória. ℟.

13

Humilia te, et coram Deo invenies gratiam.

Léctio libri Sirácidæ 3, 19-26

Fili, in mansuetúdine ópera tua pérfice, et super hóminum glóriam diligéris. Quanto magnus es, humília te in ómnibus, et coram Deo invénies grátiam, quóniam magna poténtia Dei solíus, et ab humílibus honorátur.

Altióra te ne quæsíeris et fortióra te ne scrutátus fúeris; sed, quæ præcépit tibi Deus, illa cógita semper et in plúribus opéribus eius ne fúeris curiósus; non est enim tibi necessárium ea quæ abscóndita sunt vidére óculis tuis.

In supervácuis rebus noli scrutári multiplíciter, et in plúribus opéribus eius non eris curiósus; plúrima enim super sensum hóminum osténsa sunt tibi; multos quoque supplantávit suspício illórum et in vanitáte detínuit sensus illórum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 130, 1. 2. 3

℟. Custódi ánimam meam in pace apud te, Dómine.

1 Dómine, non est exaltátum cor meum,
neque eláti sunt óculi mei;
neque ambulávi in magnis,
neque in mirabílibus super me. ℟.

2 Vere pacátam et quiétam
feci ánimam meam;
sicut ablactátus in sinu matris suæ,
sicut ablactátus, ita in me est ánima mea. ℟.

3 Speret Israel in Dómino,
ex hoc nunc et usque in sæculum. ℟.

14

Sicut sol oriens, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.

Léctio libri Sirácidæ 26, 1-4. 16-21

Mulíeris bonæ beátus vir; númerus enim annórum illíus duplex. Múlier fortis obléctat virum suum et annos vitæ illíus in pace implébit.

Pars bona múlier bona, in parte timéntium Deum dábitur viro pro factis bonis; dívitis autem et páuperis cor bonum, in omni témpore vultus illórum hílaris.

Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et ossa illíus impinguábit disciplína illíus. Datum Dei est múlier sensáta et tácita, non est immutátio erudítæ ánimæ.

Grátia super grátiam múlier sancta et pudoráta. Omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ.

Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus eius.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 127, 1-2. 3. 4-5. (℟.: 1 a)

℟. Beátus omnis qui timet Dóminum.

1 Beátus omnis qui timet Dóminum,
qui ámbulat in viis eius.
2 Labóres mánuum tuárum manducábis,
beátus es, et bene tibi erit. ℟.

3 Uxor tua sicut vitis fructífera
in latéribus domus tuæ;
fílii tui sicut novéllæ olivárum
in circúitu mensæ tuæ. ℟.

4 Ecce sic benedicétur homo,
qui timet Dóminum.
5 Benedícat tibi Dóminus ex Sion,
et vídeas bona Ierúsalem
ómnibus diébus vitæ tuæ. ℟.

15

Pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt.

Frange esurienti panem tuum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 58, 6-11

Hæc dicit Dóminus:

« Dissólve colligatiónes impietátis, solve fascículos depriméntes, dimítte eos qui confrácti sunt líberos, et omne onus dirúmpe. Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam; cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et sánitas tua cítius oriétur, et anteíbit fáciem tuam iustítia tua, et glória Dómini cólliget te. Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet; clamábis, et dicet: " Ecce adsum ".

Si abstúleris de médio tui caténam, et desíeris exténdere dígitum, et loqui quod non prodest; cum effúderis esuriénti ánimam tuam, et ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, et ténebræ tuæ erunt sicut merídies.

Et réquiem tibi dabit Dóminus semper; et implébit splendóribus ánimam tuam, et ossa tua liberábit; et eris quasi hortus irríguus et sicut fons aquárum, cuius non defícient aquæ ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 111, 1-2. 3-4. 5-7 a. 7 b-8. 9 (℟.: 1 a)

℟. Beátus vir qui timet Dóminum.
vel Allelúia.

1 Beátus vir qui timet Dóminum,
in mandátis eius cupit nimis.
2 Potens in terra erit semen eius,
generátio rectórum benedicétur. ℟.

3 Glória et divítiæ in domo eius,
et iustítia eius manet in sæculum sæculi.
4 Exórtum est in ténebris lumen rectis,
misericors et miserátor et iustus. ℟.

5 Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat,
dispónet res suas in iudício,
6 quia in ætérnum non commovébitur.
In memória ætérna erit iustus,
7 ab auditióne mala non timébit. ℟.

Parátum cor eius, sperans in Dómino,
8 confirmátum est cor eius, non timébit,
donec despíciat inimícos suos. ℟.

9 Distríbuit, dedit paupéribus;
iustítia eius manet in sæculum sæculi,
cornu eius exaltábitur in glória. ℟.

16

Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 20, 7-9

Seduxísti me, Dómine, et sedúctus sum; fórtior me fuísti et invaluísti, factus sum in derísum tota die, omnes subsánnant me. Quia iam olim loquor vocíferans,

iniquitátem et vastitátem clámito; et factus est mihi sermo Dómini in oppróbrium et in derísum tota die.

Et dixi: « Non recordábor eius neque loquar ultra in nómine illíus »; et factus est in corde meo quasi ignis exǽstuans clausúsque in óssibus meis, et deféci ferre non sústinens. — Verbum Dómini.

Psalmus resp. Ps 15, 1-2 a et 5. 7-8. 11 (℟.: 5 a)

℟. Tu es, Dómine, pars hereditátis meæ.

1 Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.
2 Dixi Dómino: « Dóminus meus es tu.
5 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam ». ℟.

7 Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.
8 Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. ℟.

11 Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua usque in finem. ℟.

17

Indicabo tibi, o homo, quid Dominus requirat a te.

Léctio libri Michǽæ prophétæ 6, 6-8

Quid dignum ófferam Dómino? Curvábo genu Deo excélso? numquid ófferam ei holocautómata et vítulos annículos?

Numquid placári potest Dóminus in mílibus aríetum, aut in multis mílibus hircórum pínguium? numquid dabo primogénitum meum pro scélere meo, fructum ventris mei pro peccáto ánimæ meæ?

Indicábo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dóminus requírat a te: Utique fácere iudícium, et dilígere misericórdiam, et sollícitum ambuláre cum Deo tuo.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 1, 1-2. 3. 4 et 6 (℟.: 2 a)

℟. In lege Dómini fuit volúntas eius.

1 Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum,
et in via peccatórum non stetit,
et in convéntu derisórum non sedit;
2 sed in lege Dómini volúntas eius,
et in lege eius meditátur die ac nocte. ℟.

3 Et erit tamquam lignum
plantátum secus decúrsus aquárum,
quod fructum suum dabit in témpore suo;
et fólium eius non défluet,
et ómnia quæcúmque fáciet prosperabúntur. ℟.

4 Non sic ímpii, non sic,
sed tamquam pulvis quem próicit ventus.
6 Quóniam novit Dóminus viam iustórum,
et iter impiórum períbit. ℟.

18

Derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum.

Léctio libri Sophoníæ prophétæ 2, 3; 3, 12-13

Quǽrite Dóminum, omnes mansuéti terræ, qui iudícium eius estis operáti; quǽrite iustum, quǽrite mansuétum, si quómodo abscondámini in die furóris Dómini.

Et derelínquam in médio tui pópulum páuperem et egénum, et sperábunt in nómine Dómini. Relíquiæ Israel non fácient iniquitátem nec loquéntur mendácium, et non inveniétur in ore eórum lingua dolósa, quóniam ipsi pascéntur et accubábunt, et non erit qui extérreat. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9. 10-11 (℟.: 9 a)

℟. Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.

2 Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.
3 In Dómino gloriábitur ánima mea,
áudiant mansuéti et læténtur. ℟.

4 Magnificáte Dóminum mecum,
et exaltémus nomen eius in idípsum.
5 Exquisívi Dóminum, et exaudívit me,
et ex ómnibus terróribus meis erípuit me. ℟.

6 Respícite ad eum, et illuminámini,
et fácies vestræ non confundéntur.
7 Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum,
et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum. ℟.

8 Vallábit ángelus Dómini in circúitu timéntes eum,
et erípiet eos.
9 Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir qui sperat in eo. ℟.

10 Timéte Dóminum sancti eius,
quóniam non est inópia timéntibus eum.
11 Dívites eguérunt et esuriérunt,
inquiréntes autem Dóminum
non defícient omni bono. ℟.

Lectio secunda

1

Quos iustificavit, illos et glorificavit.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 8, 26-30

Fratres:

Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram: nam quid orémus sicut opórtet, nescímus; sed ipse Spíritus interpéllat gemítibus inenarrabílibus. Qui autem scrutátur corda scit quid desíderet Spíritus, quia secúndum Deum póstulat pro sanctis.

Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, his qui secúndum propósitum vocáti sunt.

Nam quos præscívit et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii eius, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit; et quos vocávit, hos et iustificávit; quos autem iustificávit, illos et glorificávit. — Verbum Dómini.

2

Infirma mundi elegit Deus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 1, 26-31

Fratres:

Vidéte vocatiónem vestram, fratres; quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles.

Sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes; et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia; et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu Dei.

Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est Sapiéntia nobis a Deo et iustítia et sanctificátio et redémptio; ut, quemádmodum scriptum est: « Qui gloriátur, in Dómino gloriétur ». — Verbum Dómini.

3

* *Caritas numquam excidit.*

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 12, 31 — 13, 13

Fratres:

Æmulámini charísmata maióra. Et adhuc excellentiórem viam vobis demónstro.

Si linguis hóminum loquar et angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans aut cýmbalum tínniens.

Et si habúero prophetíam et nóverim mystéria ómnia et omnem sciéntiam, et si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum.

Et si distribúero in cibos omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum, ut glórier, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest.

Cáritas pátiens est, benígna est cáritas, non æmulátur, non agit supérbe, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitátem, congáudet autem veritáti; ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.

Cáritas numquam éxcidit. Sive prophetíæ, evacuabúntur; sive linguæ, cessábunt; sive sciéntia, destruétur. Ex parte enim cognóscimus et ex parte prophetámus; cum autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est.

Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus; quando factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli.

Vidémus enim nunc per spéculum in ænígmate, tunc autem fácie ad fáciem; nunc cognósco ex parte, tunc autem cognóscam sicut et cógnitus sum.

Nunc autem manet fides, spes, cáritas, tria hæc; maior autem ex his est cáritas.

Verbum Dómini.

---

vel brevior

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 13, 4-13

Fratres:

Cáritas pátiens est, benígna est cáritas; non æmulátur, non agit supérbe, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitátem, congáudet autem veritáti; ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.

Cáritas numquam éxcidit. Sive prophetíæ, evacuabúntur; sive linguæ, cessábunt; sive sciéntia, destruétur. Ex parte enim cognóscimus et ex parte prophetámus; cum autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est.

Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus; quando factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli.

Vidémus enim nunc per spéculum in ænígmate, tunc autem fácie ad fáciem; nunc cognósco ex parte, tunc autem cognóscam sicut et cógnitus sum.

Nunc autem manet fides, spes, cáritas, tria hæc; maior autem ex his est cáritas. — Verbum Dómini.

4

Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 10, 17 — 11, 2

Fratres:

Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui se ipsum comméndat, ille probátus est; sed quem Dóminus comméndat.

Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne; despóndi enim vos uni viro, vírginem castam exhibére Christo. — Verbum Dómini.

5

Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas 2, 19-20

Fratres:

Ego per Legem Legi mórtuus sum, ut Deo vivam; Christo confíxus sum cruci.

Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus.

Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me et trádidit se ipsum pro me.
Verbum Dómini.

6

Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas 6, 14-16

Fratres:

Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. Neque enim circumcísio áliquid est, neque præpútium, sed nova creatúra.

Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israel Dei.

Verbum Dómini.

7

Scire supereminentem scientiæ caritatem Christi.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 3, 14-19

Fratres:

Flecto génua mea ad Patrem, ex quo omnis patérnitas in cælis et in terra nominátur; ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ virtúte corroborári per Spíritum eius in interiórem hóminem; habitáre Christum per fidem in córdibus vestris; in caritáte radicáti et fundáti, ut valeátis comprehéndere cum ómnibus sanctis quæ sit latitúdo et longitúdo et sublímitas et profúndum; scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritá-

tem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. — Verbum Dómini.

8

Accipite armaturam Dei.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Ephésios 6, 10-13. 18

Fratres:

Confortámini in Dómino et in poténtia virtútis eius.

Indúite armatúram Dei, ut possítis stare advérsus insídias diáboli. Quia non est nobis colluctátio advérsus sánguinem et carnem, sed advérsus principátus, advérsus potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spiritália nequítiæ in cæléstibus.

Proptérea accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo et, ómnibus perféctis, stare. Per omnem oratiónem et obsecratiónem orántes omni témpore in Spíritu, et in ipso vigilántes in omni instántia et obsecratióne pro ómnibus sanctis. — Verbum Dómini.

9

Ad destinatum persequor,
ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Philippénses 3, 8-14

Fratres:

Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntiam sciéntiæ Christi Iesu Dómini mei, propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stércora, ut Christum lucri fáciam, et invéniar in illo, non habens meam iustítiam, quæ ex Lege est; sed illam, quæ per fidem est

Christi, quæ ex Deo est iustítia in fide; ad cognoscéndum illum et virtútem resurrectiónis eius et communiónem passiónum illíus, confórmans me morti eius, si quo modo occúrram ad resurrectiónem quæ est ex mórtuis.

Non quod iam accéperim aut iam perféctus sim; pérsequor autem, si umquam comprehéndam, sicut et comprehénsus sum a Christo Iesu.

Fratres, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem: quæ quidem retro sunt oblivíscens, ad ea vero quæ ante sunt exténdens me, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Iesu.

Verbum Dómini.

10

Quæcumque sancta, hæc cogitate.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Philippénses 4, 4-9

Fratres:

Gaudéte in Dómino semper. Iterum dico: Gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus; Dóminus prope.

Nihil sollíciti sitis; sed in ómnibus oratióne et obsecratióne, cum gratiárum actióne, petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intellegéntias vestras in Christo Iesu.

De cétero, fratres, quæcúmque sunt vera, quæcúmque pudíca, quæcúmque iusta, quæcúmque casta, quæcúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus et si qua laus, hæc cogitáte.

Quæ et didicístis et accepístis et audístis et vidístis in me, hæc ágite, et Deus pacis erit vobíscum.

Verbum Dómini.

10a

Super omnia hæc caritatem,
quod est vinculum perfectionis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Colossénses 3, 12-17

Fratres:

Indúite vos, sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis, si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

Super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis. Et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore; et grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo.

Et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Iesu, grátias agéntes Deo Patri per ipsum. — Verbum Dómini.

11

Pro viduis

Quæ vere vidua est et desolata, speravit in Deum.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Timótheum 5, 3-10

Caríssime:

Víduas honóra, quæ vere víduæ sunt. Si qua autem vídua fílios aut nepótes habet, discant primum domum suam pie régere et mútuam vicem réddere paréntibus; hoc enim accéptum est coram Deo.

Quæ autem vere vídua est et desoláta, sperávit in Deum, et instat obsecratiónibus et oratiónibus nocte ac die; nam quæ in delíciis est vivens, mórtua est. Et hæc præcipe, ut irreprehensíbiles sint.

Si quis autem suórum et máxime domesticórum curam non habet, fidem negávit et est infidéli detérior.

Vídua adscribátur non minus sexagínta annórum, quæ fúerit unius viri uxor, in opéribus bonis testimónium habens: si fílios educávit, si hospítio recépit, si sanctórum pedes lavit, si tribulatiónem patiéntibus subministrávit, si omne opus bonum subsecúta est.

Verbum Dómini.

12

Si fides non habeat opera, mortua est in semetipsa.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 2, 14-17

Quid próderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habére, ópera autem non hábeat? Numquid póterit fides salváre eum?

Si frater aut soror nudi sunt et índigent victu cotidiáno, dicat autem áliquis de vobis illis: « Ite in pace, calefacímini et saturámini »; non dedéritis autem eis quæ necessária sunt córporis, quid próderit?

Sic et fides, si non hábeat ópera, mórtua est in semetípsa. — Verbum Dómini.

13

Sanctæ mulieres sperantes in Deo.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 3, 1-9

Caríssimi:

Mulíeres súbditæ sint suis viris, ut et si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo

lucrifíant, considerántes castam in timóre conversatiónem vestram. Quarum sit non extrínsecus capillatúræ aut circumdatiónis auri aut induménti vestimentórum cultus; sed qui abscónditus cordis est homo, in incorruptibilitáte mitis et quiéti spíritus, qui est in conspéctu Dei lócuples.

Sic enim aliquándo et sanctæ mulíeres sperántes in Deo ornábant se, subiéctæ própriis viris, sicut Sara obœdiébat Abrahæ, dóminum eum vocans; cuius estis fíliæ benefaciéntes et non timéntes ullam perturbatiónem.

Viri simíliter cohabitántes secúndum sciéntiam, quasi infirmióri vaso mulíebri impertiéntes honórem, tamquam et coherédibus grátiæ vitæ, uti ne impediántur oratiónes vestræ.

In fine autem omnes unánimes, compatiéntes, fraternitátis amatóres, misericórdes, húmiles; non reddéntes malum pro malo, vel maledíctum pro maledícto, sed e contrário benedicéntes, quia in hoc vocáti estis, ut benedictiónem hereditáte accipiátis. — Verbum Dómini.

14

Unusquisque, sicut accepit donationem,
in alterutrum illam administrantes.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 4, 7 b-11

Caríssimi:

Estóte prudéntes et vigiláte in oratiónibus.

Ante ómnia mútuam in vosmetípsos caritátem contínuam habéntes, quia « cáritas óperit multitúdinem peccatórum ». Hospitáles ínvicem sine murmuratióne; unusquísque, sicut accépit donatiónem, in altérutrum illam administrántes, sicut boni dispensatóres multifórmis grátiæ Dei.

Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei; si quis minístrat, tamquam ex virtúte quam largítur Deus, ut in ómnibus glorificétur Deus per Iesum Christum, cui est glória et impérium in sǽcula sæculórum. Amen.
Verbum Dómini.

15

Pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt

Et nos debemus pro fratribus animas ponere.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 3, 14-18

Caríssimi:

Nos scimus quóniam transívimus de morte in vitam, quóniam dilígimus fratres.

Qui non díligit manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum homicída est, et scitis quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in se manéntem.

In hoc nóvimus caritátem: quóniam ille pro nobis ánimam suam pósuit, et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. Qui habúerit substántiam mundi, et víderit fratrem suum necésse habére, et cláuserit víscera sua ab eo, quómodo cáritas Dei manet in eo?

Filíoli mei, non diligámus verbo nec lingua, sed in ópere et veritáte. — Verbum Dómini.

16

Si diligamus invicem, Deus in nobis manet.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 4, 7-16

Caríssimi, diligámus ínvicem, quóniam cáritas ex Deo est; et omnis qui díligit, ex Deo natus est et cognóscit Deum. Qui non díligit, non cognóvit Deum, quóniam Deus cáritas est.

In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum.

In hoc est cáritas, non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse diléxit nos, et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris.

Caríssimi, si sic Deus diléxit nos, et nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit umquam. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, et cáritas eius in nobis consummáta est.

In hoc cognóscimus quóniam in ipso manémus, et ipse in nobis, quóniam de Spíritu suo dedit nobis. Et nos vídimus et testificámur quóniam Pater misit Fílium salvatórem mundi.

Quisque conféssus fúerit: « Iesus est Fílius Dei », Deus in ipso manet, et ipse in Deo. Et nos cognóvimus et credídimus caritáti, quam habet Deus in nobis.

Deus cáritas est, et qui manet in caritáte in Deo manet, et Deus in eo manet. — Verbum Dómini.

17

Hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides nostra.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 5, 1-5

Caríssimi:

Omnis qui credit quóniam Iesus est Christus, ex Deo natus est; et omnis qui díligit Deum qui génuit, díligit et eum qui natus est ex eo.

In hoc cognóscimus quóniam dilígimus natos Dei, cum Deum diligámus et mandáta eius faciámus. Hæc est enim cáritas Dei, ut mandáta eius servémus; et mandáta eius grávia non sunt.

Quóniam omne quod natum est ex Deo vincit mundum, et hæc est victória, quæ vicit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Iesus est Fílius Dei? — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Mt 5, 3

℟. Allelúia. ℣. Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
℟. Allelúia.

Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum 5, 1-12 a

In illo témpore:

Videns Iesus turbas ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius, et apériens os suum docébat eos dicens:

« Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.

Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur.

Beáti misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.

Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti estis, cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Io 8, 12 b

℟. Allelúia. ℣. Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, habébit lumen vitæ.
℟. Allelúia.

Vos estis lux mundi.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
5, 13-16

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Vos estis sal terræ; quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus.

Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant vestra bona ópera et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est ».

Verbum Dómini.

2a

Alleluia Io 14, 23

℟. Allelúia. ℣. Si quis díligit me, sermónem meum servábit,
et Pater meus díliget eum,
et ad eum veniémus. ℟. Allelúia.

Domus supra petram
et domus supra arenam ædificata.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
7, 21-27

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Non omnis qui dicit mihi: " Dómine, Dómine ", intrábit in Regnum cælórum; sed qui facit voluntátem Patris mei, qui in cælis est. Multi dicent mihi in illa die: " Dómine, Dómine, nonne in tuo nómine prophetávimus et in tuo nómine dæmónia eiécimus et in tuo nómine virtútes multas fécimus? " Et tunc confitébor illis: " Numquam novi vos: discédite a me qui operámini iniquitátem ".

Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilábitur viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. Et descéndit plúvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et non cécidit; fundáta enim erat supra petram.

Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea símilis erit viro stulto, qui ædificávit domum suam supra arénam. Et descéndit plúvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et cécidit, et fuit ruína eius magna ».

Verbum Dómini.

3

Alleluia — Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
11, 25-30

In illo témpore, respóndens Iesus dixit: « Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te.

Omnia mihi trádita sunt a Patre meo, et nemo novit Fílium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Fílius et cui volúerit Fílius reveláre.

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos.

Tóllite iugum meum super vos, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde; et " inveniétis réquiem animábus vestris "; iugum enim meum suáve, et onus meum leve est ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia Io 15, 9 b. 5 b

℟. Allelúia. ℣. Manéte in dilectióne mea, dicit Dóminus;
qui manet in me et ego in eo,
hic fert fructum multum. ℟. Allelúia.

Vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
13, 44-46

In illo témpore:

Dixit Iesus turbis: « Símile est Regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro; quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum.

Iterum símile est Regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas; invénta autem una pretiósa margaríta, abiit, et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam ». — Verbum Dómini.

5

Alleluia — Mt 5, 6

℟. Allelúia. ℣. Beáti qui esúriunt et sitiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur. ℟. Allelúia.

Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 16, 24-27

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis. « Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam.

Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua?

Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis, et tunc " reddet unicuíque secúndum opus eius " ». — Verbum Dómini.

6

Pro educatoribus

Alleluia — Mt 23, 11. 12 b

℟. Allelúia. ℣. Qui maior est vestrum, erit miníster vester, dicit Dóminus;
qui autem se humiliáverit, exaltábitur.
℟. Allelúia.

Qui susceperit parvulum in Nomine meo, me suscipit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
18, 1-5

In illa hora accessérunt discípuli ad Iesus dicéntes: « Quis, putas, maior est in Regno cælórum? » Et ádvocans párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit:

« Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in Regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est maior in Regno cælórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in Nómine meo, me súscipit ».

Verbum Dómini.

7

Pro religiosis

Alleluia Io 8, 31 b-32

℟. Allelúia. ℣. Si manséritis in sermóne meo,
vere discípuli mei éritis
et cognoscétis veritátem, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Propter Regnum cælorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
19, 3-12

In illo témpore:

Accessérunt ad Iesum pharisǽi tentántes eum, et dicéntes: « Licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? »

Qui respóndens ait: « Non legístis quia qui creávit ab inítio, " másculum et féminam fecit eos ", et dixit: " Propter hoc dimíttet homo patrem et matrem, et

adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una "? Itaque iam non sunt duo, sed una caro.

Quod ergo Deus coniúnxit, homo non séparet ».

Dicunt illi: « Quid ergo Móyses mandávit dari libéllum repúdii et dimíttere? »

Ait illis: « Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras; ab inítio autem non sic fuit. Dico autem vobis, quia quicúmque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, et áliam dúxerit, mœchátur ».

Dicunt ei discípuli eius: « Si ita est causa hóminis cum uxóre, non éxpedit núbere ».

Qui dixit eis: « Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi qui de matris útero sic nati sunt, et sunt eunúchi qui facti sunt ab homínibus, et sunt eunúchi qui se ipsos castravérunt propter Regnum cælórum. Qui potest cápere cápiat ».

Verbum Dómini.

7a

Pro religiosis

Alleluia — Mt 5, 3

℟. Allelúia. ℣. Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
℟. Allelúia.

Vos qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis.

✠ Léctio sancti Evangélii secundum Matthǽum 19, 27-29

In illo témpore:

Dixit Petrus ad Iesum: « Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? »

Iesus autem dixit illis: « Amen dico vobis quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in throno glóriæ suæ, sedébitis et vos super thronos duódecim, iudicántes duódecim tribus Israel. Et omnis, qui relíquit domos vel fratres aut soróres aut patrem aut matrem aut fílios aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet et vitam ætérnam possidébit ». — Verbum Dómini.

7b

Alleluia — Io 13, 34

℟. Allelúia. ℣. Mandátum novum do vobis, dicit Dóminus,
ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos.
℟. Allelúia.

Diliges Dominum Deum tuum,
et proximum tuum sicut te ipsum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
22, 34-40

In illo témpore:

Audiéntes pharisǽi quod siléntium imposuísset Iesus sadducǽis, convenérunt in unum. Et interrogávit unus ex eis Legis doctor, tentans eum: « Magíster, quod est mandátum magnum in Lege? »

Ait autem illi: « "Díliges Dóminum Deum tuum in toto corde tuo et in tota ánima tua et in tota mente tua". Hoc est magnum et primum mandátum. Secúndum autem símile est huic: "Díliges próximum tuum sicut te ipsum". In his duóbus mandátis univérsa Lex pendet et prophétæ ».

Verbum Dómini.

8

Alleluia Mt 5, 8

℟. Allelúia. ℣. Beáti mundo corde,
quóniam ipsi Deum vidébunt. ℟. Allelúia.

Ecce Sponsus, exite obviam ei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
25, 1-13

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: « Símile erit Regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso. Quinque autem ex eis erant fátuæ et quinque prudéntes; fátuæ enim, accéptis lampádibus suis, non sumpsérunt óleum secum; prudéntes vero accepérunt óleum in vasis cum lampádibus suis. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt.

Média autem nocte clamor factus est: " Ecce sponsus, exíte óbviam ei ". Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas.

Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: " Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur ".

Respondérunt prudéntes dicéntes: " Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes et émite vobis ". Dum autem irent émere, venit sponsus, et quæ parátæ erant intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est iánua.

Novíssime autem véniunt et réliquæ vírgines dicéntes: " Dómine, Dómine, áperi nobis ".

At ille respóndens ait: " Amen dico vobis, néscio vos ". Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam ». — Verbum Dómini.

9

Alleluia Io 14, 23

℟. Allelúia. ℣. Si quis díligit me, sermónem meum servábit,
et Pater meus díliget eum,
et ad eum veniémus. ℟. Allelúia.

* *Super pauca fuisti fidelis,*
intra in gaudium domini tui.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 25, 14-30

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: « Homo péregre proficíscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est.

Statim ábiit qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque; simíliter qui duo accéperat, lucrátus est ália duo; qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terra, et abscóndit pecúniam dómini sui.

Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et ponit ratiónem cum eis.

Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta dicens: " Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum ".

Ait illi dóminus eius: " Euge, serve bone et fidélis, super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui ".

Accéssit autem et qui duo talénta accéperat et ait: " Dómine, duo talénta tradidísti mihi: ecce ália duo lucrátus sum ".

Ait illi dóminus eius: " Euge, serve bone et fidélis, super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui ".

Accédens autem et qui unum taléntum accéperat ait: " Dómine, novi te quia homo durus es: metis ubi non semináşti et cóngregas ubi non sparsísti; et timens ábii et abscóndi taléntum tuum in terra: ecce habes quod tuum est ".

Respóndens autem dóminus eius dixit ei: " Serve male et piger, sciébas quia meto ubi non seminávi et cóngrego ubi non sparsi; opórtuit ergo te míttere pecúniam meam nummuláriis, et véniens ego recepíssem quod meum est cum usúra.

Tóllite ítaque ab eo taléntum, et date ei qui habet decem talénta; omni enim habénti dábitur, et abundábit; ei autem qui non habet, et quod habet auferétur ab eo. Et inútilem servum eícite in ténebras exterióres: illic erit fletus et stridor déntium " ».

Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

25, 14-23

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: « Homo péregre proficíscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem et proféctus est.

Statim ábiit qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque; simíliter qui duo accéperat, lucrátus est ália duo; qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terra, et abscóndit pecúniam dómini sui.

Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et ponit ratiónem cum eis.

Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta dicens: " Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum ".

Ait illi dóminus eius: " Euge, serve bone et fidélis, super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui ".

Accéssit autem et qui duo talénta accéperat et ait: " Dómine, duo talénta tradidísti mihi: ecce ália duo lucrátus sum ".

Ait illi dóminus eius: " Euge, serve bone et fidélis, super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui " ». — Verbum Dómini.

10

Pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt

Alleluia — Io 13, 34

℟. Allelúia. ℣. Mandátum novum do vobis, dicit Dóminus,
ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos.
℟. Allelúia.

* *Quamdiu fecistis fratribus meis minimis mihi fecistis.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
25, 31-46

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Cum vénerit Fílius hóminis in glória sua, et omnes ángeli cum eo, tunc se-

débit super thronum glóriæ suæ: et congregabúntur ante eum omnes gentes, et separábit eos ab ínvicem, sicut pastor ségregat oves ab hædis: et státuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinístris.

Tunc dicet Rex his qui a dextris eius erunt: " Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis Regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre; sitívi et dedístis mihi bíbere; hospes eram, et collegístis me; nudus, et operuístis me; infírmus et visitástis me; in cárcere eram et venístis ad me ".

Tunc respondébunt ei iusti dicéntes: " Dómine, quando te vídimus esuriéntem et pávimus, aut sitiéntem et dédimus tibi potum? quando autem te vídimus hóspitem et collégimus, aut nudum et cooperúimus? quando autem te vídimus infírmum aut in cárcere et vénimus ad te? "

Et respóndens Rex dicet illis: " Amen dico vobis, quámdiu fecístis uni de his frátribus meis mínimis, mihi fecístis ".

Tunc dicet et his qui a sinístris erunt: " Discédite a me, maledícti, in ignem ætérnum, qui præparátus est diábolo et ángelis eius. Esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre; sitívi, et non dedístis mihi potum; hospes eram, et non collegístis me; nudus, et non operuístis me; infírmus et in cárcere, et non visitástis me ".

Tunc respondébunt et ipsi dicéntes: " Dómine, quando te vídimus esuriéntem aut sitiéntem aut hóspitem aut nudum aut infírmum vel in cárcere, et non ministrávimus tibi? "

Tunc respondébit illis dicens: " Amen dico vobis, quámdiu non fecístis uni de mínimis his, nec mihi fecístis ". Et ibunt hi in supplícium ætérnum, iusti autem in vitam ætérnam ». — Verbum Dómini.

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
25, 31-40

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Cum vénerit Fílius hóminis in glória sua, et omnes ángeli cum eo, tunc sedébit super thronum glóriæ suæ: et congregabúntur ante eum omnes gentes, et separábit eos ab ínvicem, sicut pastor ségregat oves ab hædis: et státuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinístris.

Tunc dicet Rex his qui a dextris eius erunt: " Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis Regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre; sitívi, et dedístis mihi bíbere; hospes eram, et collegístis me; nudus, et operuístis me; infírmus, et visitástis me; in cárcere eram, et venístis ad me ".

Tunc respondébunt ei iusti dicéntes: " Dómine, quando te vídimus esuriéntem et pávimus, aut sitiéntem et dédimus tibi potum? quando autem te vídimus hóspitem et collégimus, aut nudum et cooperúimus? quando autem te vídimus infírmum aut in cárcere et vénimus ad te? "

Et respóndens Rex dicet illis: " Amen dico vobis, quámdiu fecístis uni de his frátribus meis mínimis, mihi fecístis " ». — Verbum Dómini.

11

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Si manséritis in sermóne meo,
vere discípuli mei éritis
et cognoscétis veritátem, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 3, 31-35

In illo témpore:

Venit mater Iesu et fratres eius, et foris stantes misérunt ad eum vocántes eum.

Et sedébat circa eum turba, et dicunt ei: « Ecce mater tua et fratres tui et soróres tuæ foris quærunt te ».

Et respóndens eis ait: « Quæ est mater mea et fratres mei? »

Et circumspíciens eos, qui in circúitu eius sedébant, ait: « Ecce mater mea et fratres mei. Qui enim fécerit voluntátem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est ». — Verbum Dómini.

12

Pro educatoribus

Alleluia Cf Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ, quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Quisquis unum ex pueris recipit, me recipit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 9, 34-36

Discípuli Iesu in via inter se disputáverant quis eórum maior esset.

Et résidens vocávit Duódecim et ait illis: « Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus et ómnium miníster ».

Et accípiens púerum státuit eum in médio eórum; quem ut compléxus esset, ait illis: « Quisquis unum ex huiúsmodi púeris recéperit in Nómine meo, me récipit; et quicúmque me suscéperit, non me súscipit, sed eum qui me misit ». — Verbum Dómini.

13

Pro educatoribus

Alleluia — Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Sinite parvulos venire ad me.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 13-16

In illo témpore:

Offerébant Iesu párvulos, ut tángeret illos; discípuli autem comminabántur offeréntibus. At videns Iesus, indígne tulit et ait illis: « Sínite párvulos veníre ad me, ne prohibuéritis eos; tálium est enim Regnum Dei. Amen dico vobis, quisquis non recéperit Regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud ».

Et compléxans eos, benedicébat impónens manus super illos. — Verbum Dómini.

14

Pro religiosis

Alleluia — Mt 5, 3

℟. Allelúia. ℣. Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
℟. Allelúia.

* *Quæcumque habes vende, et sequere me.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 17-30

In illo témpore:

Cum egrederétur Iesus in viam, accúrrens quidam et genu flexo ante eum, rogábat eum: « Magíster bone, quid fáciam ut vitam ætérnam percípiam? »

Iesus autem dixit ei: « Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.

Præcépta nosti: " Ne occídas, ne adúlteres, ne furéris, ne falsum testimónium díxeris, ne fraudem féceris, honóra patrem tuum et matrem " ».

Ille autem dixit ei: « Magíster, hæc ómnia conservávi a iuventúte mea ».

Iesus autem intúitus eum diléxit eum, et dixit illi: « Unum tibi deest: vade, quæcúmque habes vende et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo; et veni, séquere me ».

Qui contristátus in hoc verbo, ábiit mærens; erat enim habens possessiónes multas.

Et circumspíciens Iesus ait discípulis suis: « Quam diffícile qui pecúnias habent in Regnum Dei introíbunt! »

Discípuli autem obstupescébant in verbis eius.

At Iesus rursus respóndens ait illis: « Fílii, quam diffícile est in Regnum Dei introíre! Facílius est camélum per forámen acus transíre, quam dívitem intráre in Regnum Dei ».

Qui magis admirabántur dicéntes ad semetípsos: « Et quis potest salvus fíeri? »

Intuens illos Iesus ait: « Apud hómines impossíbile est, sed non apud Deum; ómnia enim possibília sunt apud Deum ».

Cœpit Petrus ei dícere: « Ecce nos dimísimus ómnia, et secúti sumus te ».

Ait Iesus: « Amen dico vobis, nemo est, qui relíquerit domum aut fratres aut soróres aut matrem aut patrem aut fílios aut agros propter me et propter Evangélium, qui non accípiat cénties tantum nunc in témpore hoc, domos et fratres et soróres et matres et fílios et agros cum persecutiónibus, et in sǽculo futúro vitam ætérnam ». — Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 17-27

In illo témpore:

Cum egrederétur Iesus in viam, accúrrens quidam et genu flexo ante eum, rogábat eum: « Magíster bone, quid fáciam ut vitam ætérnam percípiam? »

Iesus autem dixit ei: « Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.

Præcépta nosti: " Ne occídas, ne adúlteres, ne furéris, ne falsum testimónium díxeris, ne fraudem féceris, honóra patrem tuum et matrem " ».

Ille autem dixit ei: « Magíster, hæc ómnia conservávi a iuventúte mea ».

Iesus autem intúitus eum diléxit eum, et dixit illi: « Unum tibi deest: vade, quæcúmque habes vende et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo; et veni, séquere me ».

Qui contristátus in hoc verbo, ábiit mærens; erat enim habens possessiónes multas.

Et circumspíciens Iesus ait discípulis suis: « Quam diffícile qui pecúnias habent in Regnum Dei introíbunt! »

Discípuli autem obstupescébant in verbis eius.

At Iesus rursus respóndens ait illis: « Fílii, quam diffícile est in Regnum Dei introíre! Facílius est camé-

lum per forámen acus transíre, quam dívitem intráre in Regnum Dei ».

Qui magis admirabántur dicéntes ad semetípsos: « Et quis potest salvus fíeri? »

Intuens illos Iesus ait: « Apud hómines impossíbile est, sed non apud Deum; ómnia enim possibília sunt apud Deum ». — Verbum Dómini.

14a

Alleluia Io 13, 34

℟. Allelúia. ℣. Mandátum novum do vobis, dicit Dóminus,
ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos.
℟. Allelúia.

Estote misericordes,
sicut et Pater vester misericors est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 6, 27-38

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Vobis dico, qui audítis: Dilígite inimícos vestros, bene fácite his qui vos odérunt; benedícite maledicéntibus vobis, oráte pro calumniántibus vos. Ei qui te pércutit in maxíllam, præbe et álteram. Et ab eo qui aufert tibi vestiméntum, étiam túnicam noli prohibére. Omni peténti te, tríbue; et ab eo qui aufert quæ tua sunt, ne répetas. Et, prout vultis ut fáciant vobis hómines, fácite illis simíliter.

Et si dilígitis eos qui vos díligunt, quæ vobis est grátia? Nam et peccatóres diligéntes se díligunt. Et si bene fecéritis his qui vobis bene fáciunt, quæ vobis est grátia? Síquidem et peccatóres idem fáciunt. Et si mútuum dedéritis his a quibus sperátis recípere, quæ

vobis grátia est? Nam et peccatóres peccatóribus fœnerántur, ut recípiant æquália.

Verúmtamen dilígite inimícos vestros, bene fácite et mútuum date, nihil desperántes; et erit merces vestra multa, et éritis fílii Altíssimi, quia ipse benígnus est super ingrátos et malos. Estóte misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est.

Et nolíte iudicáre et non iudicabímini; et nolíte condemnáre et non condemnabímini; dimíttite et dimittémini; date et dábitur vobis: mensúram bonam, confértam, coagitátam, supereffluéntem dabunt in sinum vestrum. Eádem quippe mensúra, qua mensi fuéritis, remetiétur vobis ». — Verbum Dómini.

15

Pro religiosis

Alleluia Io 8, 12 b

℟. Allelúia. ℣. Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, habébit lumen vitæ.
℟. Allelúia.

Sequar te quocumque ieris.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 9, 57-62

In illo témpore:

Ambulántibus Iesu et discípulis suis in via, dixit quidam ad illum: « Sequar te quocúmque íeris ».

Et ait illi Iesus: « Vulpes fóveas habent et vólucres cæli nidos; Fílius autem hóminis non habet ubi caput reclínet ».

Ait autem ad álterum: « Séquere me ».

Ille autem dixit: « Dómine, permítte mihi primum ire, et sepelíre patrem meum ».

Dixítque ei Iesus: « Sine ut mórtui sepéliant mórtuos suos; tu autem vade, annúntia Regnum Dei ».

Et ait alter: « Sequar te, Dómine, sed primum permítte mihi renuntiáre his qui domi sunt ».

Ait ad illum Iesus: « Nemo mittens manum suam in arátrum et aspíciens retro, aptus est Regno Dei ».

Verbum Dómini.

16

Alleluia Io 14, 23

℟ Allelúia. ℣. Si quis díligit me, sermónem meum servábit,
et Pater meus díliget eum,
et ad eum veniémus. ℟. Allelúia.

Martha excepit illum.
Maria optimam partem elegit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 38-42

In illo témpore:

Intrávit Iesus in quoddam castéllum; et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum. Et huic erat soror nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini audiébat verbum illíus.

Martha autem satagébat circa frequens ministérium; quæ stetit et ait: « Dómine, non est tibi curæ, quod soror mea relíquit me solam ministráre? dic ergo illi ut me ádiuvet ».

Et respóndens dixit illi Dóminus: « Martha, Martha, sollícita es et turbáris erga plúrima. Porro unum est necessárium: María enim óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea ». — Verbum Dómini.

17

Pro religiosis

Alleluia Mt 5, 3

℟. Allelúia. ℣. Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
℟. Allelúia.

Complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 12, 32-34

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Noli timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis Regnum.

Véndite quæ possidétis et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cælis, quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit.

Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit ». — Verbum Dómini.

18

Alleluia Lc 21, 36

℟. Allelúia. ℣. Vigiláte, omni témpore orántes,
ut digni habeámini stare ante Fílium hóminis. ℟. Allelúia.

Et vos estote parati.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 12, 35-40

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes, et vos símiles homínibus ex-

spectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei.

Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes; amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere et tránsiens ministrábit illis.

Et si vénerit in secúnda vigília et si in tértia vigília vénerit et ita invénerit, beáti sunt illi.

Hoc autem scitóte, quia si sciret pater família qua hora fur veníret, non síneret perfodíri domum suam.

Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet ». — Verbum Dómini.

19

Pro religiosis

Alleluia Mt 5, 3

℟. Allelúia. ℣. Beáti páuperes spíritu,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
℟. Allelúia.

Qui non renuntiat omnibus quæ possidet,
non potest meus esse discipulus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 14, 25-33

In illo témpore:

Ibant turbæ multæ cum Iesu, et convérsus dixit ad illos: « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxórem, et fílios et fratres et soróres, adhuc et ánimam suam, non potest esse meus discípulus. Et qui non báiulat crucem suam et venit post me, non potest esse meus discípulus.

Quis enim ex vobis, volens turrem ædificáre, non prius sedens cómputat sumptus, si habet ad perficiéndum? ne, posteáquam posúerit fundaméntum et non

potúerit perfícere, omnes qui vident incípiant illúdere ei, dicéntes: " Hic homo cœpit ædificáre et non pótuit consummáre? "

Aut quis rex, itúrus commíttere bellum advérsus álium regem, non sedens prius cógitat, si possit cum decem mílibus occúrrere ei, qui cum vigínti mílibus venit ad se? Alióquin, adhuc illo longe agénte, legatiónem mittens rogat ea quæ pacis sunt.

Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus ».

Verbum Dómini.

20

Alleluia — Io 15, 9 b. 5 b

℟. Allelúia. ℣. Manéte in dilectióne mea, dicit Dóminus;
qui manet in me et ego in eo.
hic fert fructum multum. ℟. Allelúia.

Qui manet in me, et ego in eo,
hic fert fructum multum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem — 15, 1-8

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum tollit eum, et omnem qui fert fructum purgat eum, ut fructum plus áfferat. Iam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis.

Manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite, sic nec vos, nisi in me manséritis.

Ego sum vitis, vos pálmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, missus est

foras sicut palmes et áruit, et cólligunt eos et in ignem mittunt, et ardent.

Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis pétite, et fiet vobis.

In hoc glorificátus est Pater meus, ut fructum multum afferátis, et efficiámini mei discípuli ».

Verbum Dómini.

21

Alleluia Io 13, 34

℟. Allelúia. ℣. Mandátum novum do vobis, dicit Dóminus,
ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos.
℟. Allelúia.

Vos amici mei estis, si facietis
quæ ego præcipio vobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 9-17

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea; sicut ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Maiórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis.

Vos amíci mei estis, si faciétis quæ ego præcípio vobis. Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid facit dóminus eius: vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

Non vos me elegístis; sed ego elégi vos et pósui vos, ut vos eátis et fructum afferátis, et fructus vester má-

neat, ut, quodcúmque petiéritis Patrem in Nómine meo, det vobis.

Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem ».

Verbum Dómini.

22

Alleluia Io 15, 9 b. 5 b

℟. Allelúia. ℣. Manéte in dilectióne mea, dicit Dóminus;
qui manet in me et ego in eo,
hic fert fructum multum. ℟. Allelúia.

Volo ut ubi ego sum,
et illi sint mecum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 20-26

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, non pro his rogo tantum, sed et pro eis qui creditúri sunt per verbum eórum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis sint, ut mundus credat quia tu me misísti.

Et ego glóriam, quam dedísti mihi, dedi illis, ut sint unum sicut et nos unum sumus.

Ego in eis, et tu in me, ut sint consummáti in unum, ut cognóscat mundus quia tu me misísti et dilexísti eos, sicut me dilexísti.

Pater, quod dedísti mihi, volo ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut vídeant glóriam meam, quam dedísti mihi; quia dilexísti me ante constitutiónem mundi.

Pater iuste, et mundus te non cognóvit; ego autem te cognóvi, et hi cognovérunt quia tu me misísti. Et notum feci eis Nomen tuum, et notum fáciam, ut diléctio, qua dilexísti me, in ipsis sit, et ego in ipsis ».

Verbum Dómini.

ANTIPHONÆ AD INTROITUM AD LIBITUM

in sollemnitatibus et festis

1. Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti (beátæ) N. (mártyris, pastóris, etc.): de cuius sollemnitáte (festivitáte, passióne) gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei.

2. Lætémur omnes in Dómino in sollemnitáte sancti N., protectóris nostri, qui hódie ex hoc mundo, fide triúmphans, ad cælum migrávit, in ætérnum cum Christo regnatúrus.

3. Certámen gloriósum Patróni nostri cum gáudio celebrémus, qui, Christum conféssus coram homínibus, honorári a Christo méruit coram Patre qui est in cælis.

4. Sollemnitátem beáti N. mártyris cum gáudio celebrémus, quia pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et hódie in cælis a Christo méruit glorióse coronári.

5. Laudem dícite Deo nostro, omnes Sancti eius et qui timétis Deum, pusílli et magni; quóniam regnábit Dóminus Deus noster omnípotens. Gaudeámus, et exsultémus, et demus glóriam ei.

6. Hódie beátus N. labóris sui præmium recépit; hódie in cælésti convívio cum Sanctis ómnibus gloriósus consédit.

MISSÆ RITUALES

NB. - Textus liturgici, qui pro viro ponuntur, aptari possunt pro muliere, mutato genere, vel pro pluribus, mutato numero.

I. IN CONFERENDIS SACRAMENTIS INITIATIONIS CHRISTIANÆ

1. PRO ELECTIONE SEU INSCRIPTIONE NOMINIS

Ant. ad introitum — Ps 104, 3-4

Lætétur cor quæréntium Dóminum.
Quǽrite Dóminum et confirmámini,
quǽrite fáciem eius semper.

Collecta

Deus, qui, licet salútem hóminum semper operáris,
nunc tamen pópulum tuum
grátia abundantióre lætíficas,
réspice propítius ad electiónem tuam,
ut piæ protectiónis auxílium
et regenerándos múniat et renátos.
Per Dóminum.

Lectiones, ut indicantur p. 1172.

Super oblata

Omnípotens sempitérne Deus,
qui nos ad ætérnam vitam
in confessióne tui nóminis
baptísmatis réparas sacraménto,
súscipe tuórum múnera et vota famulórum,
ut in te sperántium et desidéria iúbeas pérfici
et peccáta deléri. Per Christum.

Dicitur præfatio de Tempore.

Ant. ad communionem — Eph 1, 7

In Christo habémus redemptiónem per sánguinem eius,
remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ eius.

Post communionem

Puríficent nos, quǽsumus, Dómine,
sacraménta quæ súmpsimus,
et fámulos tuos
ab omni culpa líberos esse concéde,
ut, qui consciéntiæ reátu constringúntur,
cæléstis remédii plenitúdine gloriéntur.
Per Christum.

Sumi potest etiam Missa feriæ sextæ hebdomadæ IV in Quadragesima (cf. volumen II).

2. IN SCRUTINIIS PERAGENDIS

Hæc Missa adhibetur quando scrutinia celebrantur, sive tempore ipsis proprio, idest in dominicis III, IV et V in Quadragesima, sive aliis temporibus.

Ant. ad introitum — Ez 36, 23-26

Cum sanctificátus fúero in vobis,
congregábo vos de univérsis terris;
et effúndam super vos aquam mundam,
et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris.
Et dabo vobis spíritum novum,
dicit Dóminus.

Collecta

In primo scrutinio:

Da, quǽsumus, Dómine, eléctis nostris
digne atque sapiénter
ad confessiónem tuæ laudis accédere,
ut dignitáte prístina,
quam originális transgressióne perdidérunt,
per tuam glóriam reforméntur.
Per Dóminum.

In secundo scrutinio:

Omnípotens sempitérne Deus,
Ecclésiam tuam spiritáli iucunditáte multíplica,
ut, qui sunt generatióne terréni,
fiant regeneratióne cæléstes. Per Dóminum.

In tertio scrutinio:

Concéde, Dómine, eléctis nostris,
ut, sanctis edócti mystériis,
et renovéntur fonte baptísmatis
et inter Ecclésiæ tuæ membra numeréntur.
Per Dóminum.

Lectiones, ut indicantur p. 1172.

Super oblata

In primo scrutinio:

Miserátio tua, Deus,
ad hæc percipiénda mystéria fámulos tuos, quǽsumus,
et prævéniat competénter
et devóta conversatióne perdúcat. Per Christum.

In secundo scrutinio:

Remédii sempitérni múnera, Dómine,
lætántes offérimus, supplíciter exorántes,
ut éadem nos et digne veneréri
et pro salvándis congruénter exhibére perfícias.
Per Christum.

In tertio scrutinio:

Exáudi nos, omnípotens Deus,
et fámulos tuos, quos fídei christiánæ primítiis imbuísti,
huius sacrifícii tríbuas operatióne mundári.
Per Christum.

Dicitur præfatio propria de singulis dominicis Quadragesimæ vel, aliis diebus, de Tempore.

Quando adhibetur Canon Romanus, in Meménto vivorum fit memoria patrinorum, et dicitur Hanc ígitur proprium.

Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum,
qui eléctos tuos susceptúri sunt
ad sanctam grátiam baptísmi tui,
et recitantur nomina patrinorum et matrinarum,
et ómnium circumstántium,
quorum tibi fides cógnita est ...

Hanc ígitur oblatiónem, Dómine,
ut propítius suscípias, deprecámur,
quam tibi offérimus pro fámulis et famulábus tuis,
quos ad ætérnam vitam
et beátum grátiæ tuæ donum numeráre,
elégere atque vocáre dignátus es.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

Ant. ad communionem

Quando legitur Evangelium de Samaritana: Io 4, 13-14

Qui bíberit aquam, quam ego dabo ei, dicit Dóminus,
fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam.

Quando legitur Evangelium de cæco nato: Cf Io 9, 11

Dóminus linívit óculos meos:
et ábii, et lavi, et vidi, et crédidi Deo.

Quando legitur Evangelium de Lazaro: Io 11, 26

Omnis qui vivit et credit in me,
non moriétur in ætérnum, dicit Dóminus.

Post communionem

In primo scrutinio:

Adésto, Dómine, quǽsumus, redemptiónis efféctibus,
ut, quos sacraméntis æternitátis instítues,
eósdem prótegas dignánter aptándo.
Per Christum.

In secundo scrutinio:

Tu semper, quǽsumus, Dómine,
tuam attólle benígnus famíliam,
tu dispóne corréctam, tu propítius tuére subiéctam,
tu gubérna perpétua bonitáte salvándam.
Per Christum.

In tertio scrutinio:

Concúrrat, Dómine, quǽsumus, pópulus tuus
et toto tibi corde subiéctus obtíneat,
ut, ab omni perturbatióne secúrus,
et salvatiónis suæ gáudia promptus exérceat
et pro regenerándis benígnus exóret.
Per Christum.

3. IN CONFERENDO BAPTISMATE

Hæc Missa dicitur, cum colore albo, in collatione Baptismi adultorum, præsertim si in eadem actione liturgica etiam Confirmatio datur.

Dici potest, pro opportunitate, etiam in collatione Baptismi parvulorum.

Adhiberi autem potest omnibus diebus, exceptis dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, sollemnitatibus, atque feriis IV Cinerum et totius Hebdomadæ sanctæ.

A

Ant. ad introitum — Eph 4, 24

Indúite novum hóminem,
qui secúndum Deum creátus est
in iustítia et sanctitáte veritátis.

Collecta

Deus, qui nos facis passiónis et resurrectiónis Fílii tui participáre mystérium,
præsta, quǽsumus,

ut, adoptiónis filiórum Spíritu roboráti,
in novitáte vitæ iúgiter ambulémus.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1182-1210, vel, pro parvulis, pp. 1211-1227.

Super oblata

Quos Fílio tuo conformátos
(et chrísmatis signáculo perféctos)
pópulo sacerdotáli propítius aggregásti,
rogámus, Dómine,
ut in acceptábiles hóstias computáre dignéris,
et una cum oblatiónibus Ecclésiæ tuæ benígnus accípias.
Per Christum.

Quando adhibetur Canon Romanus, in **Meménto** vivorum fit memoria patrinorum:

Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum,
qui eléctos tuos suscepérunt
ad sanctam grátiam baptísmi tui,
et recitantur nomina patrinorum et matrinarum,
et ómnium circumstántium,
quorum tibi fides cógnita est ...

In Precibus eucharisticis, neophytorum memoria secundum has formulas inseritur:

a) in Prece eucharistica I dicitur **Hanc ígitur** proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus pro his quoque,
quos regeneráre dignátus es ex aqua et Spíritu Sancto,
tríbuens eis remissiónem ómnium peccatórum,
ut inveníres eos in Christo Iesu Dómino nostro,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et nómina eórum ascríbi iúbeas in libro vivéntium.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba **et univérso clero,** additur:

Recordáre quoque, Dómine, neophytórum,
qui hódie per Baptísmum (et Confirmatiónem)
famíliæ tuæ adiúncti sunt,
ut Christum, Fílium tuum,
corde magno et ánimo voléntí sequántur.
Meménto étiam ...

c) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba **adésto propítius,** additur:

Confórta, quǽsumus, in sancto propósito fámulos tuos,
qui hódie per lavácrum regeneratiónis
(et donatiónem Sancti Spíritus)
plebi tuæ aggregáti sunt,
et concéde, ut in novitáte vitæ semper procédant.
Omnes fílios tuos ubíque dispérsos ...

d) in intercessionibus Precis eucharisticæ IV, mentio neophytorum inseritur hoc modo:

... sed et totíus cleri, et offeréntium,
et circumstántium, et neophytórum,
quos hódie ex aqua et Spíritu Sancto regenerásti,
et cuncti pópuli tui ...

Ant. ad communionem 1 Io 3, 1

Vidéte qualem caritátem dedit nobis Pater,
ut fílii Dei nominémur et simus.

Post communionem

Præsta, quǽsumus, Dómine,
ut, carnis et sánguinis Fílii tui prǽditi sacraménto,
in communióne Spíritus eius
fratrúmque dilectióne ita crescámus,
quátenus ad plenam córporis Christi mensúram
caritáte vívida dilatémur.
Per Christum.

B

Ant. ad introitum Tit 3, 5. 7

Salvos nos fecit Deus
per lavácrum regeneratiónis
et renovatiónis Spíritus Sancti,
ut, iustificáti grátia ipsíus,
herédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ.

Collecta

Deus, qui nos regéneras verbo vitæ,
da, ut, corde sincéro illud accipiéntes,
veritátem álacres faciámus,
et fratérnæ afferámus fructus plúrimos caritátis.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1182-1210, vel, pro parvulis, pp. 1211-1227.

Super oblata

Ad parátum panem accedéntibus vinúmque commíxtum iánuam, Dómine, résera cenæ tuæ,
ut, cæléste cum gáudiis convívium celebrántes,
inter sanctórum cives tuósque domésticos censeámur.
Per Christum.

Intercessiones propriæ, pp. 1162-1163.

Ant. ad communionem 1 Io 3, 2

Caríssimi, nunc fílii Dei sumus,
et nondum appáruit quid érimus.

Post communionem

Præclárum, Dómine,
mortis et resurrectiónis Fílii tui mystérium,
quod annuntiávimus, celebrándo,
fac, ut, per huius sacraménti virtútem,
étiam vivéndo fateámur.
Per Christum.

4. IN CONFERENDA CONFIRMATIONE

Hæc Missa dicitur, cum colore rubro vel albo, quando in ipsa Missa aut immediate ante vel post ipsam Missam confertur Confirmatio.

Adhiberi autem potest omnibus diebus, exceptis dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, sollemnitatibus, atque feriis IV Cinerum et totius Hebdomadæ sanctæ.

A

Ant. ad introitum Ez 36, 25-26

Dicit Dóminus: Effúndam super vos aquam mundam,
et dabo vobis cor novum,
et spíritum novum ponam in médio vestri.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus,
ut Spíritus Sanctus advéniens
templum nos glóriæ suæ
dignánter inhabitándo perfíciat.
Per Dóminum.

Vel:

Promissiónem tuam, quǽsumus, Dómine,
super nos propitiátus adímple,
ut Spíritus Sanctus advéniens
nos coram mundo testes effíciat
Evangélii Dómini nostri Iesu Christi.
Qui tecum vivit.

Aliæ orationes ad libitum, pp. 1168-1169.
Lectiones ut infra, pp. 1228-1247.

Super oblata

Famulórum tuórum, quǽsumus, Dómine,
súscipe vota cleménter, et præsta,
ut, Fílio tuo perféctius configuráti,

in testimónium eius indesinénter accréscant,
memoriále participántes redemptiónis eius,
qua Spíritum tuum nobis ipse proméruit.
Qui tecum.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus pro iis quoque,
quos, Baptísmate regenerátos,
confirmáre dignátus es donatióne Spíritus Sancti,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et propitiátus in eis tuam grátiam custódias.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

Ant. ad communionem — Cf. Hebr 6, 4

Quicúmque illumináti estis,
qui gustavístis donum cæléste,
et partícipes facti estis Spíritus Sancti,
gaudéte omnes in Dómino.

Post communionem

Spíritu Sancto, Dómine, perúnctos
tuíque Fílii sacraménto nutrítos
tua in pósterum benedictióne proséquere,
ut, ómnibus adversitátibus superátis,
Ecclésiam tuam sanctitáte lætíficent,
eiúsque in mundo increménta
suis opéribus et caritáte promóveant.
Per Christum.

Benedictio in fine Missæ

Loco benedictionis consuetæ, in fine Missæ adhibetur benedictio quæ sequitur, vel oratio super populum, p. 1167.

Benedícat vos Deus Pater omnípotens,
qui vos, ex aqua et Spíritu Sancto renátos,
fílios suæ adoptiónis effécit,
et dignos sua patérna dilectióne custódiat.
℟. Amen.

Benedícat vos Fílius eius unigénitus,
qui Spíritum veritátis
in Ecclésia mansúrum esse promísit,
et vos in confessióne veræ fídei
sua virtúte confírmet.
℟. Amen.

Benedícat vos Spíritus Sanctus,
qui ignem caritátis in córdibus discipulórum accéndit,
et vos, in unum congregátos,
ad gáudium regni Dei sine offensióne perdúcat.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

Oratio super populum

Loco formulæ benedictionis prædictæ, adhiberi potest oratio super populum.

Diaconus vel minister dicere potest invitatorium: **Inclináte vos ad benedictiónem,** vel aliud.

Deinde Episcopus, manibus super populum extensis, dicit:

Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis,
et Spíritus Sancti dona
in córdibus tuórum custódi fidélium,
ut et Christum crucifíxum
coram mundo confitéri non erubéscant,
et mandáta eius devóta caritáte perfíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

B

Ant. ad introitum Cf. Rom 5, 5; 8, 11

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris
per inhabitántem Spíritum eius in nobis.

Collecta

Spíritum Sanctum tuum, quǽsumus, Dómine,
super nos dignánter effúnde,
ut omnes, in unitáte fídei ambulántes,
et caritátis eius fortitúdine roboráti,
ad mensúram ætátis plenitúdinis Christi occurrámus.
Per Dóminum.

Aliæ orationes ad libitum, pp. 1165 et 1169.
Lectiones ut infra, pp. 1228-1247.

Super oblata

Hos fámulos tuos, Dómine,
una cum Unigénito tuo benígnus admítte,
ut, qui eius cruce spiritalíque sunt unctióne signáti,
se tibi cum ipso iúgiter offeréntes,
largiórem in dies effusiónem tui Spíritus mereántur.
Per Christum.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Hanc ígitur proprium, ut in Missa præcedente, p. 1166.

Ant. ad communionem Ps 33, 6. 9

Accédite ad Dóminum et illuminámini:
gustáte et vidéte quóniam suávis est.

Post communionem

Quos tui Spíritus, Dómine, cumulásti munéribus,
tuíque auxísti Unigéniti nutriménto,
fac étiam in plenitúdine legis instrúctos,
ut coram mundo tuæ libertátem adoptiónis
iúgiter maniféstent,
et prophéticum tui pópuli munus
sua váleant sanctitáte præbére.
Per Christum.

Benedictio sollemnis vel oratio super populum, pp. 1166-1167.

C

Aliæ orationes, pro opportunitate adhibendæ

Collecta

Mentes nostras, quǽsumus, Dómine,
Paráclitus qui a te procédit illúminet,
et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.
Qui tecum.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, oblatiónem famíliæ tuæ,
ut, qui donum Spíritus Sancti suscepérunt,
et colláta custódiant, et ad ætérna prǽmia pervéniant.
Per Christum.

Post communionem

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno pane cælésti satiásti,
una fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

A

AD CATECHUMENOS FACIENDOS

Lectio prior

Egredere de terra tua, et veni in terram, quam monstrabo tibi.

Léctio libri Génesis 12, 1-4 a

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Abram: « Egrédere de terra tua, et de cognatióne tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam, et benedícam tibi; et magnificábo nomen tuum, erísque benedíctus.

Benedícam benedicéntibus tibi et maledícam maledicéntibus tibi; atque in te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ ».

Egréssus est ítaque Abram, sicut præcéperat ei Dóminus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 32, 4-5. 12-13. 18-19. 20 et 22 (℟.: 12 b vel 22)

℟. Beátus pópulus, quem elégit Dóminus
in hereditátem sibi.

vel: Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos,
quemádmodum sperávimus in te.

4 Quia rectum est verbum Dómini,
et ómnia ópera eius in fide.
5 Díligit iustítiam et iudícium,
misericórdia Dómini plena est terra. ℟.

12 Beáta gens, cui Dóminus est Deus,
pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.
13 De cælo respéxit Dóminus,
vidit omnes fílios hóminum. ℟.

18 Ecce óculi Dómini
super metuéntes eum,
in eos qui sperant super misericórdia eius,
19 ut éruat a morte ánimas eórum,
et alat eos in fame. ℟.

20 Anima nostra sústinet Dóminum,
quóniam adiútor et protéctor noster est.
22 Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos,
quemádmodum sperávimus in te. ℟.

Alleluia — Io 1, 41 et 17 b

℟. Allelúia. ℣. Invénimus Messíam,
qui est Christus;
grátia et véritas per eum facta est.
℟. Allelúia.

Evangelium

Ecce Agnus Dei. Invenimus Messiam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem — 1, 35-42

In illo témpore:

Stabat Ioánnes et ex discípulis eius duo. Et respíciens Iesum ambulántem, dicit: « Ecce Agnus Dei ». Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem, et secúti sunt Iesum.

Convérsus autem Iesus, et videns eos sequéntes se, dicit eis: « Quid quǽritis? »

Qui dixérunt ei: « Rabbi (quod dícitur interpretátum: Magíster), ubi hábitas? »

Dicit eis: « Veníte et vidébitis ». Venérunt ergo et vidérunt ubi manéret, et apud eum mansérunt die illo; hora erat quasi décima.

Erat Andréas, frater Simónis Petri, unus ex duóbus qui audíerant ab Ioánne et secúti fúerant eum.

Invénit hic primum fratrem suum Simónem, et dicit ei: « Invénimus Messíam (quod est interpretátum Christus) ». Addúxit eum ad Iesum.

Intúitus eum Iesus dixit: « Tu es Simon fílius Ioánnis: tu vocáberis Cephas (quod interpretátur Petrus) ».

Verbum Dómini.

B

IN DIE ELECTIONIS BAPTIZANDORUM

Si electio fit dominica I in Quadragesima, sumi possunt lectiones cuiuslibet seriei huius dominicæ.

Si fit extra dominicam et lectiones diei non conveniunt, similiter seligantur lectiones inter eas quæ assignantur dominicæ I in Quadragesima (Cf. volumen II), vel aliæ aptæ.

C

IN SCRUTINIIS PERAGENDIS

Ad I Scrutinium

Sumuntur semper lectiones dominicæ III in Quadragesima, seriei A, cum suis cantibus (Cf. volumen II).

Ad II Scrutinium

Sumuntur semper lectiones dominicæ IV in Quadragesima, seriei A, cum suis cantibus (Cf. volumen II).

Ad III Scrutinium

Sumuntur semper lectiones dominicæ V in Quadragesima, seriei A, cum suis cantibus (Cf. volumen II).

D

IN TRADITIONE SYMBOLI

Lectio prima

Audi, Israel: Diliges Dominum ex toto corde tuo.

Léctio libri Deuteronómii 6, 1-7

Locútus est Móyses pópulo dicens: « Hæc sunt præcépta et cæremóniæ atque iudícia, quæ mandávit Dóminus Deus vester, ut docérem vos, et faciátis ea in terra ad quam transgredímini possidéndam; ut tímeas Dóminum Deum tuum et custódias ómnia mandáta et præcépta eius, quæ ego præcípio tibi et fíliis ac nepótibus tuis, cunctis diébus vitæ tuæ, ut prolongéntur dies tui.

Audi, Israel, et obsérva, ut fácias quæ præcépit tibi Dóminus, et bene sit tibi, et multiplicéris ámplius, sicut pollícitus est Dóminus Deus patrum tuórum tibi terram lacte et melle manántem.

Audi, Israel: Dóminus Deus noster Dóminus unus est. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota ánima tua et ex tota fortitúdine tua. Erúntque verba hæc, quæ ego præcípio tibi hódie, in corde tuo, et narrábis ea fíliis tuis, et meditáberis in eis sedens in domo tua et ámbulans in itínere, dórmiens atque consúrgens ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 18, 8. 9. 10. 11 (℟.: Io 6, 69)

℟. Dómine, verba vitæ ætérnæ habes.

8 Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam,
testimónium Dómini fidéle,
sapiéntiam præstans párvulis. ℟.

9 Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda,
præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. ℟.

10 Timor Dómini mundus, pérmanens in sǽculum sǽculi,
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul. ℟.

11 Desiderabília super aurum
et lápidem pretiósum multum,
et dulcióra super mel et favum stillántem. ℟.

Lectio secunda

1

Fidei confessio credentis in Deum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 10, 8-13

Fratres:

Quid dicit Scriptúra? « Prope te est verbum in ore tuo et in corde tuo »; hoc est verbum fídei, quod prædicámus. Quia, si confiteáris in ore tuo « Dóminum Iesum » et in corde tuo credíderis quod Deus illum excitávit ex mórtuis, salvus eris. Corde enim créditur ad iustítiam, ore autem confessio fit in salútem.

Dicit enim Scriptúra: « Omnis qui credit in illo non confundétur ». Non enim est distínctio Iudǽi et Græci, nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum: « Omnis enim quicúmque invocáverit Nomen Dómini, salvus erit ». — Verbum Dómini.

2

* *Per Evangelium salvamini, qua ratione evangelizaverim vobis, si tenetis.*

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 15, 1-8

Notum vobis fácio, fratres, Evangélium, quod evangelizávi vobis, quod et accepístis, in quo et statis, per quod et salvámini: qua ratióne evangelizáverim vobis, si tenétis, nisi si frustra credidístis.

Trádidi enim vobis in primis quod et accépi; quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris, secúndum Scriptúras, et quia sepúltus est et quia suscitátus est tértia die, secúndum Scriptúras, et quia visus est Cephæ, et post hæc Duódecim; deínde visus est plus quam quingéntis frátribus simul, ex quibus plures manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt. Deínde visus est Iacóbo, deínde Apóstolis ómnibus; novíssime autem ómnium, tamquam abortívo, visus est et mihi.

Verbum Dómini.

---

vel brevior

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 15, 1-4

Notum vobis fácio, fratres, Evangélium, quod evangelizávi vobis, quod et accepístis, in quo et statis, per quod et salvámini: qua ratióne evangelizáverim vobis, si tenétis, nisi si frustra credidístis.

Trádidi enim vobis in primis quod et accépi; quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secúndum Scriptúras, et quia sepúltus est et quia suscitátus est tértia die, secúndum Scriptúras. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Versus ante Evangelium — Io 3, 16

℣. Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum Unigénitum daret;
omnis qui credit in eum habet vitam ætérnam.

Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
16, 13-18

In illo témpore:

Venit Iesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos dicens: « Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? »

At illi dixérunt: « Alii Ioánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii vero Ieremíam aut unum ex prophétis ».

Dicit illis: « Vos autem quem me esse dícitis? »

Respóndens Simon Petrus dixit: « Tu es Christus, Fílius Dei vivi ».

Respóndens autem Iesus dixit ei: « Beátus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.

Et ego dico tibi: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsum eam ». — Verbum Dómini.

2

Versus ante Evangelium — Io 8, 12 b

℣. Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, habébit lumen vitæ.

Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 12, 44-50

In illo témpore:

Clamávit Iesus et dixit: « Qui credit in me, non credit in me sed in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me.

Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in ténebris non máneat. Et si quis audíerit verba mea et non custodíerit, ego non iúdico eum; non enim veni ut iúdicem mundum, sed ut salvíficem mundum.

Qui spernit me et non áccipit verba mea, habet qui iúdicet eum. Sermo quem locútus sum, ille iudicábit eum in novíssimo die.

Quia ego ex me ipso non sum locútus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandátum dedit quid dicam et quid loquar.

Et scio quia mandátum eius vita ætérna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor ».

Verbum Dómini.

E

IN TRADITIONE ORATIONIS DOMINICÆ

Lectio prima

Traham vos in vinculis caritatis.

Léctio libri Osée prophétæ 11, 1 b. 3-4. 8 c-9

Hæc dicit Dóminus:

« Puer Israel, et diléxi eum, et ex Ægýpto vocávi fílium meum.

Et ego, quasi nutrícius Ephraim, portábam eos in brácchiis meis, et nesciérunt quod curárem eos. In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis; et ero eis quasi exáltans iugum super maxíllas eórum, et declinávi ad eum ut vescerétur.

Convérsum est in me cor meum, páriter conturbáta est pænitúdo mea. Non fáciam furórem iræ meæ, non convértar ut dispérdam Ephraim, quóniam Deus ego et non homo; in médio tui sanctus, et non ingrédiar civitátem ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3. 4. 5. 6 (℟.: 1)

℟. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit.
Dedúxit me super sémitas iustítiæ
propter nomen suum. ℟.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

vel

Ps 102, 1-2. 8 et 10. 11-12. 13 et 18 (℟.: 13)

℟. Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
10 Non secúndum peccáta nostra fecit nobis,
neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis. ℟.

11 Quóniam, quantum exaltátur cælum a terra,
præváluit misericórdia eius super timéntes eum;
12 quantum distat ortus ab occidénte,
longe fecit a nobis iniquitátes nostras. ℟.

13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se,
18 in eos qui servant testaméntum eius,
et mémores sunt mandatórum ipsíus ad faciéndum ea. ℟.

Lectio secunda

1

Accepistis Spiritum adoptionis filiorum,
in quo clamamus: Abba, Pater.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 8, 14-17. 26-27

Fratres:

Quicúmque Spíritu Dei agúntur, hi fílii Dei sunt. Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in

timórem, sed accepístis Spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: « Abba, Pater ».

Ipse Spíritus testimónium reddit una cum spíritu nostro, quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi; si tamen compátimur, ut et conglorificémur.

Simíliter autem et Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram: nam quid orémus sicut opórtet, nescímus; sed ipse Spíritus interpéllat gemítibus inenarrabílibus. Qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus, quia secúndum Deum póstulat pro sanctis.

Verbum Dómini.

2

Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem: Abba, Pater.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas 4, 4-7

Fratres:

Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

Quóniam autem estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda nostra, clamántem: « Abba, Pater ». Itaque iam non es servus, sed fílius. Quod si fílius, et heres per Deum. — Verbum Dómini.

Versus ante Evangelium Rom 8, 15

℣. Non accepístis spíritum servitútis íterum in timóre,
sed accepístis Spíritum adoptiónis filiórum,
in quo clamámus: « Abba, Pater ».

Evangelium

Domine, doce nos orare.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 6, 9-13

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sic vos orábitis:

Pater noster, qui es in cælis, sanctificétur Nomen tuum, advéniat Regnum tuum, fiat volúntas tua sicut in cælo et in terra. Panem nostrum supersubstantiálem da nobis hódie, et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris, et ne indúcas nos in tentatiónem, sed líbera nos a Malo ».

Verbum Dómini.

F

AD RITUM « EFFETHA »

Evangelium

Effetha, quod est Adaperire.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 7, 31-37

In illo témpore:

Exiens Iesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilǽæ inter médios fines Decapóleos. Et addúcunt ei surdum et mutum, et deprecántur eum ut impónat illi manum.

Et apprehéndens eum de turba seórsum, misit dígitos suos in aurículas eius, et éxspuens tétigit linguam eius, et suspíciens in cælum ingémuit et ait illi: « Effetha », quod est: « Adaperíre ». Et statim apértæ sunt

aures eius, et solútum est vínculum linguæ eius, et loquebátur recte.

Et præcépit illis ne cui dícerent. Quanto autem eis præcipiébat, tanto magis plus prædicábant.

Et eo ámplius admirabántur dicéntes: « Bene ómnia fecit, et surdos facit audíre et mutos loqui ».

Verbum Dómini.

G

IN CONFERENDO BAPTISMATE ADULTORUM

Lectio prima

1

Sic erit semen tuum. Semini tuo dabo terram hanc.

Léctio libri Génesis 15, 1-6. 18 a

In diébus illis:

Factus est sermo Dómini ad Abram per visiónem dicens: « Noli timére, Abram, ego protéctor tuus sum, et merces tua magna nimis ».

Dixítque Abram: « Dómine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque líberis, et fílius procuratóris domus meæ iste damáscus Eliézer ». Addidítque Abram: « Mihi autem non dedísti semen; et ecce vernáculus meus heres meus erit ».

Statímque sermo Dómini factus est ad eum dicens: « Non erit hic heres tuus, sed qui egrediétur de útero tuo, ipsum habébis herédem ».

Eduxítque eum foras et ait illi: « Súspice cælum et númera stellas, si potes ». Et dixit ei: « Sic erit semen tuum ». Crédidit Abram Deo, et reputátum est illi ad iustítiam.

In illo die pépigit Dóminus fœdus cum Abram dicens: « Sémini tuo dabo terram hanc, a flúvio Ægýpti usque ad flúvium magnum Euphráten ».
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 88, 3-4. 16-17. 21-22. 25 et 27 (℟.: cf. 2 a)

℟. Misericórdias tuas, Dómine, in ætérnum cantábo.

3 Quóniam dixísti:
« In ætérnum misericórdia ædificábitur »,
in cælis firmábitur véritas tua.
4 « Dispósui testaméntum elécto meo,
iurávi David servo meo ». ℟.
16 Beátus pópulus qui scit iubilatiónem;
Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt,
17 et in nómine tuo exsultábunt tota die,
et in iustítia tua exaltabúntur. ℟.
21 « Invéni David servum meum;
óleo sancto meo unxi eum.
22 Manus enim mea firma erit cum eo,
et brácchium meum confortábit eum. ℟.
25 Et véritas mea et misericórdia mea cum ipso,
et in nómine meo exaltábitur cornu eius.
27 Ipse invocábit me: Pater meus es tu,
Deus meus et refúgium salútis meæ ». ℟.

2

Statuam pactum meum inter me et te,
et inter semen tuum
post te in generationibus suis, fœdere sempiterno.

Léctio libri Génesis 17, 1-8

Postquam Abram nonagínta et novem annórum esse cœperat, appáruit ei Dóminus dixítque ad eum: « Ego

Deus omnípotens: ámbula coram me, et esto perféctus. Ponámque fœdus meum inter me et te, et multiplicábo te veheménter nimis ». Cécidit Abram pronus in fáciem.

Dixítque ei Deus: « Ego sum, et pactum meum tecum. Erísque pater multárum géntium, nec ultra vocábitur nomen tuum Abram, sed appelláberis Abraham, quia patrem multárum géntium constítui te. Faciámque te créscere vehementíssime et ponam te in géntibus, regésque ex te egrediéntur.

Et státuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generatiónibus suis, fœdere sempitérno, ut sim Deus tuus et séminis tui post te. Dabóque tibi et sémini tuo terram peregrinatiónis tuæ, omnem terram Chánaan in possessiónem ætérnam, eróque Deus eórum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 22, 1-3. 4. 5. 6 (℟.: 1)

℟. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit.
Dedúxit me super sémitas iustítiæ
propter nomen suum. ℟.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

3

Abicite deos alienos, qui in medio vestri sunt.

Léctio libri Génesis 35, 1-4. 6-7 a

In diébus illis:

Locútus est Deus ad Iacob: « Surge, et ascénde Bethel, et hábita ibi, facque altáre Deo, qui appáruit tibi quando fugiébas Esau fratrem tuum ».

Iacob vero, convocáta omni domo sua, ait: « Abícite deos aliénos, qui in médio vestri sunt, et mundámini ac mutáte vestiménta vestra. Súrgite, et ascendámus in Bethel, ut faciámus ibi altáre Deo, qui exaudívit me in die tribulatiónis meæ, et sócius fuit itíneris mei ». Dedérunt ergo ei omnes deos aliénos, quos habébant, et ináures, quæ erant in áuribus eórum; at ille infódit ea subter terebínthum, quæ est post urbem Sichem.

Venit ígitur Iacob Luzam, quæ est in terra Chánaan, cognoménto Bethel, ipse et omnis pópulus cum eo. Ædificavítque ibi altáre, et appellávit nomen loci illíus: Domus Dei. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 65, 1-3 a. 8-9. 16-17 (℟.: 1)

℟. Iubiláte Deo, omnis terra.

1 Iubiláte Deo, omnis terra,
2 psalmum dícite glóriæ nóminis eius,
glorificáte laudem eius.
3 Dícite Deo: « Quam terribília sunt ópera tua ». ℟.

8 Benedícite, gentes, Deum nostrum,
et audítam fácite vocem laudis eius;
9 qui pósuit ánimam nostram ad vitam,
et non dedit in commotiónem pedes nostros. ℟.
16 Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum,
quanta fecit ánimæ meæ.
17 Ad ipsum ore meo clamávi,
et exaltávi in lingua mea. ℟.

4

Elige vitam, ut et tu vivas et semen tuum.

Léctio libri Deuteronómii 30, 15-20

Locútus est Móyses pópulo dicens: « Consídera quod hódie proposúerim in conspéctu tuo vitam et bonum, et e contrário mortem et malum, ut díligas Dóminum Deum tuum, et ámbules in viis eius, et custódias mandáta illíus ac cæremónias atque iudícia, et vivas; atque multíplicet te benedicátque tibi in terra, ad quam ingrediéris possidéndam.

Si autem avérsum fúerit cor tuum et audíre nolúeris, atque erróre decéptus adoráveris deos aliénos et servíeris eis, prædíco tibi hódie quod péreas et parvo témpore moriéris in terra, ad quam, Iordáne transmísso, ingrediéris possidéndam.

Testes ínvoco hódie cælum et terram, quod proposúerim vobis vitam et mortem, benedictiónem et maledictiónem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum; et díligas Dóminum Deum tuum, atque obœ́dias voci eius et illi adhǽreas (ipse est enim vita tua et longitúdo diérum tuórum), ut hábites in terra, pro qua iurávit Dóminus pátribus tuis, Abraham, Isaac et Iacob, ut daret eam illis ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 8, 4-5. 6-7. 8-9 (℟.: 2 ab vel Eph 5, 14)

℟. Dómine, Dóminus noster,
quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

vel: Surge, qui dormis, et exsúrge a mórtuis,
et illuminábit te Christus.

4 Quando vídeo cælos tuos, ópera digitórum tuórum,
lunam et stellas quæ tu fundásti:
5 quid est homo, quod memor es eius?
aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? ℟.

6 Minuísti eum paulo minus ab ángelis,
glória et honóre coronásti eum;
7 et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.
Omnia subiecísti sub pédibus eius: ℟.

8 Oves et boves univérsas,
ínsuper et pécora campi,
9 vólucres cæli et pisces maris,
quæcúmque perámbulant sémitas maris. ℟.

5

Serviemus Domino, quia ipse est Deus noster.

Léctio libri Iósue 24, 1-2 a. 15-17. 18 b-25 a

In diébus illis:

Congregávit Iósue omnes tribus Israel in Sichem, et vocávit maióres natu ac príncipes et iúdices et magístros, steterúntque in conspéctu Dómini, et ad pópulum sic locútus est: « Si malum vobis vidétur ut Dómino serviátis, óptio vobis datur: elígite hódie quod placet, cui servíre potíssimum debeátis, utrum diis, quibus serviérunt patres vestri in Mesopotámia, an diis

Amorrhæórum, in quorum terra habitátis; ego autem et domus mea serviémus Dómino ».

Respondítque pópulus et ait: « Absit a nobis ut relinquámus Dóminum et serviámus diis aliénis. Dóminus Deus noster ipse edúxit nos et patres nostros de terra Ægýpti, de domo servitútis, fecítque vidéntibus nobis signa ingéntia, et custodívit nos in omni via, per quam ambulávimus, et in cunctis pópulis, per quos transívimus. Serviémus ígitur Dómino, quia ipse est Deus noster ».

Dixítque Iósue ad pópulum: « Non potéritis servíre Dómino. Deus enim sanctus et fortis æmulátor est, nec ignóscet sceléribus vestris atque peccátis. Si dimiséritis Dóminum et serviéritis diis aliénis, convértet se et afflíget vos atque subvértet, postquam vobis præstíterit bona ».

Dixítque pópulus ad Iósue: « Nequáquam ita, ut lóqueris, erit, sed Dómino serviémus ».

Et Iósue ad pópulum: « Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegéritis vobis Dóminum, ut serviátis ei ».

Responderúntque: « Testes ».

« Nunc ergo, ait, auférte deos aliénos de médio vestri, et inclináte corda vestra ad Dóminum Deum Israel ».

Dixítque pópulus ad Iósue: « Dómino Deo nostro serviémus, et obœdiéntes érimus præcéptis eius ».

Percússit ergo Iósue in die illo fœdus.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 41, 2-3; 42, 3. 4 (℟.: 41, 3 a)

℟. Sitívit ánima mea ad Deum vivum.

2 Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum,
ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

3 Sitívit ánima mea ad Deum, Deum vivum:
quando véniam et apparébo ante fáciem Dei? ℟.

3 Emítte lucem tuam et veritátem tuam;
ipsa me dedúcant et addúcant
in montem sanctum tuum et in tabernácula tua. ℟.

4 Et introíbo ad altáre Dei,
ad Deum lætítiæ exsultatiónis meæ.
Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus. ℟.

6

Descendit Naaman et lavit in Iordane septies, et mundatus est.

Léctio libri secúndi Regum 5, 9-15 a

In diébus illis:

Venit Náaman princeps milítiæ regis Sýriæ cum equis et cúrribus, et stetit ad óstium domus Eliséi.

Misítque ad eum Eliséus núntium dicens: « Vade et laváre sépties in Iordáne, et recípiet sanitátem caro tua, atque mundáberis ».

Irátus Náaman recedébat dicens: « Putábam quod egrederétur ad me, et stans invocáret nomen Dómini Dei sui, et tángeret manu sua locum lepræ et curáret me. Numquid non melióres sunt Abana et Pharphar, flúvii Damásci, ómnibus aquis Israel, ut laver in eis et munder? »

Cum ergo vertísset se et abíret indígnans, accessérunt ad eum servi sui et locúti sunt ei: « Pater, et si rem grandem dixísset tibi prophéta, certe fácere debúeras; quanto magis quia nunc dixit tibi: " Laváre et mundáberis " ».

Descéndit et lavit in Iordáne sépties iuxta sermónem viri Dei, et restitúta est caro eius sicut caro púeri párvuli, et mundátus est.

Reversúsque ad virum Dei cum univérso comitátu suo, venit et stetit coram eo. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 50, 3-4. 8-9. 12-13. 14 et 17 (℟.: 12 a)

℟. Cor mundum crea in me, Deus.

3 Miserére mei, Deus, secúndum misericórdiam tuam;
et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum
dele iniquitátem meam.
4 Amplius lava me ab iniquitáte mea,
et a peccáto meo munda me. ℟.

8 Ecce enim veritátem in corde dilexísti,
et in occúlto sapiéntiam manifestásti mihi.
9 Aspérges me hyssópo, et mundábor;
lavábis me, et super nivem dealbábor. ℟.

12 Cor mundum crea in me, Deus,
et spíritum firmum ínnova in viscéribus meis.
13 Ne proícias me a fácie tua,
et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℟.

14 Redde mihi lætítiam salutáris tui,
et spíritu promptíssimo confírma me.
17 Dómine, lábia mea apéries,
et os meum annuntiábit laudem tuam. ℟.

7

Effundam spiritum meum super semen tuum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 44, 1-3

« Audi, Iacob, serve meus, et Israel, quem elégi. Hæc dicit Dóminus fáciens et formans te, ab útero auxiliátor tuus:

“ Noli timére, serve meus Iacob et rectíssime, quem elégi. Effúndam enim aquas super sitiéntem, et fluénta

super áridam; effúndam spíritum meum super semen tuum, et benedictiónem meam super stirpem tuam " ».
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 62, 2. 3-4. 5-6. 8-9 a (℟.: 2 b)

℟. Sitívit in te ánima mea, Deus meus.

2 Deus, Deus meus es tu, ad te luce vígilo.
Sitívit in te ánima mea, te desiderávit caro mea. ℟.

3 In terra desérta et árida et inaquósa,
sic in sancto appárui tibi,
ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.
4 Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas,
lábia mea laudábunt te. ℟.

5 Sic benedícam te in vita mea,
et in nómine tuo levábo manus meas.
6 Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea,
et lábiis exsultatiónis laudábit os meum. ℟.

8 Quia fuísti adiútor meus,
et in velaménto alárum tuárum exsultábo.
9 Adhǽsit ánima mea post te. ℟.

8

In corde eorum scribam legem meam.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 31, 31-34

« Ecce dies vénient, dicit Dóminus, et fériam dómui Israel et dómui Iuda fœdus novum, non secúndum pactum, quod pépigi cum pátribus eórum in die qua apprehéndi manum eórum, ut edúcerem eos de terra Ægýpti, pactum quod írritum fecérunt, et ego dominátus sum eórum, dicit Dóminus.

Sed hoc erit pactum, quod fériam cum domo Israel post dies illos, dicit Dóminus: Dabo legem meam in

viscéribus eórum, et in corde eórum scribam eam; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in pópulum.

Et non docébit ultra vir próximum suum, et vir fratrem suum, dicens: " Cognósce Dóminum "; omnes enim cognóscent me, a mínimo eórum usque ad máximum, ait Dóminus; quia propitiábor iniquitáti eórum, et peccáti eórum non memorábor ámplius ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 31, 1-2. 5. 11 (℟.: 1 a vel 11 a)

℟. Beátus cui remíssa est iníquitas.

vel: Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti.

1 Beátus cui remíssa est iníquitas,
et obtéctum est peccátum.
2 Beátus vir cui non imputávit Dóminus delíctum,
nec est in spíritu eius dolus. ℟.

5 Peccátum meum cógnitum tibi feci,
et delíctum meum non abscóndi.
Dixi: « Confitébor advérsum me
iniquitátem meam Dómino ».
Et tu remisísti impietátem peccáti mei. ℟.

11 Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti,
et gloriámini, omnes recti corde. ℟.

9

Effundam super vos aquam mundam,
et mundabimini
ab omnibus inquinamentis vestris.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 36, 24-28

Hæc dicit Dóminus:

« Tollam vos de géntibus, et congregábo vos de univérsis terris, et addúcam vos in terram vestram; et ef-

fúndam super vos aquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, et ab univérsis idólis vestris mundábo vos.

Et dabo vobis cor novum, et spíritum novum ponam in médio vestri, et áuferam cor lapídeum de carne vestra, et dabo vobis cor cárneum; et spíritum meum ponam in médio vestri, et fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, et iudícia mea custodiátis et operémini.

Et habitábitis in terra, quam dedi pátribus vestris, et éritis mihi in pópulum, et ego ero vobis in Deum ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 50, 3-4. 8-9. 12-13. 14 et 17 (℟.: Ez 36, 26)

℟. Dabo vobis cor novum et spíritum novum
in médio vestri.

3 Miserére mei, Deus, secúndum misericórdiam tuam;
et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum
dele iniquitátem meam.
4 Amplius lava me ab iniquitáte mea,
et a peccáto meo munda me. ℟.

8 Ecce enim veritátem in corde dilexísti,
et in occúlto sapiéntiam manifestásti mihi.
9 Aspérges me hyssópo, et mundábor;
lavábis me, et super nivem dealbábor. ℟.

12 Cor mundum crea in me, Deus,
et spíritum firmum ínnova in viscéribus meis.
13 Ne proícias me a fácie tua,
et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℟.

14 Redde mihi lætítiam salutáris tui,
et spíritu promptíssimo confírma me.
17 Dómine, lábia mea apéries,
et os meum annuntiábit laudem tuam. ℟.

Lectio secunda

1

* *Consepulti cum illo per baptismum, in novitate vitæ ambulemus.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 6, 3-11

Fratres:

Quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu, in morte ipsíus baptizáti sumus.

Consepúlti ergo sumus cum illo per baptísmum in mortem, ut quemádmodum suscitátus est Christus a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis eius, sed et resurrectiónis érimus.

Hoc sciéntes quia vetus homo noster simul crucifíxus est, ut destruátur corpus peccáti, ut ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, iustificátus est a peccáto.

Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum eo, sciéntes quod Christus suscitátus ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est, peccáto mórtuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo.

Ita et vos, existimáte vos mórtuos quidem esse peccáto, vivéntes autem Deo in Christo Iesu.

Verbum Dómini.

vel brevior

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 6, 3-4. 8-11

Fratres:

Quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu, in morte ipsíus baptizáti sumus.

Consepúlti ergo sumus cum illo per baptísmum in mortem, ut quemádmodum suscitátus est Christus a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus.

Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum eo, sciéntes quod Christus suscitátus ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est, peccáto mórtuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo.

Ita et vos, existimáte vos mórtuos quidem esse peccáto, vivéntes autem Deo in Christo Iesu.

Verbum Dómini.

2

Quis nos separabit a caritate Christi?

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 8, 28-32. 35. 37-39

Fratres:

Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, his qui secúndum propósitum vocáti sunt. Nam quos præscívit, et prædestinávit confórmes

fíeri imáginis Fílii eius, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit; et quos vocávit, hos et iustificávit; quos autem iustificávit, illos et glorificávit.

Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donábit?

Quis nos separábit a caritáte Christi? tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? Sed in his ómnibus supervíncimus per eum qui diléxit nos.

Certus sum enim quia neque mors neque vita, neque ángeli neque principátus, neque instántia neque futúra, neque virtútes, neque altitúdo, neque profúndum, neque ália quælibet creatúra póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Iesu Dómino nostro.

Verbum Dómini.

3

In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 12, 12-13

Fratres:

Sicut corpus unum est et membra habet multa; ómnia autem membra córporis, cum sint multa, unum corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus, sive Iudǽi, sive Græci, sive servi, sive líberi, et omnes unum Spíritum potáti sumus. — Verbum Dómini.

4

Quicumque baptizati estis, Christum induistis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Gálatas 3, 26-28

Omnes fílii Dei estis per fidem in Christo Iesu. Quicúmque enim in Christo baptizáti estis, Christum induístis; non est Iudǽus neque Græcus, non est servus neque liber, non est másculus et fémina; omnes enim vos unus estis in Christo Iesu. — Verbum Dómini.

5

Prædestinavit nos
in adoptionem filiorum per Iesum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Ephésios 1, 3-10. 13-14

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spiritáli in cæléstibus in Christo; sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritáte; qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Iesum Christum in ipsum, secúndum beneplácitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in Dilécto.

In quo habémus redemptiónem per sánguinem eius, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ eius, qua superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia, notum fáciens nobis mystérium voluntátis suæ secúndum beneplácitum eius, quod propósuit in eo, in dispensatiónem plenitúdinis témporum, recapituláre ómnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra, in ipso.

In quo et vos, cum audissétis verbum veritátis, Evangélium salútis vestræ, in quo et credéntes signáti estis Spíritu promissiónis Sancto, qui est árrabon hereditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus. — Verbum Dómini.

6

Unus Dominus, una fides, unum baptisma.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Ephésios 4, 1-6

Fratres:

Obsecro vos, ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum longanimitáte supportántes ínvicem in caritáte; sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis. Unum corpus et unus Spíritus, sicut et vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ; unus Dóminus, una fides, unum baptísma; unus Deus et Pater ómnium, qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.
Verbum Dómini.

7

Induentes novum hominem, sicut dilecti Dei.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Colossénses 3, 9 b-17

Fratres:

Exúite vos véterem hóminem cum áctibus eius, et indúite novum, eum qui renovátur in agnitiónem secúndum imáginem eius qui creávit eum; ubi non est

Græcus et Iudǽus, circumcísio et præpútium, bárbarus, Scytha, servus, liber, sed ómnia et in ómnibus Christus.

Indúite vos ergo, sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis, si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

Super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis, et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore; et grati estóte.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo. Et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Iesu, grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

Verbum Dómini.

8

Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Titum 3, 4-7

Caríssime:

Cum benígnitas et humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei, non ex opéribus iustítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regenerationis et renovatiónis Spíritus Sancti, quem effúdit super nos abúnde per Iesum Christum Salvatórem nostrum; ut, iustificáti grátia ipsíus, herédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ.

Verbum Dómini.

9

Aspersi corda a conscientia mala et abluti corpus aqua munda.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 10, 22-25

Fratres:

Accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aspérsi corda a consciéntia mala et ablúti corpus aqua munda; teneámus spei confessiónem indeclinábilem (fidélis enim est qui repromísit); et considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis et bonórum óperum, non deseréntes congregatiónem nostram, sicut est consuetúdinis quibúsdam, sed exhortántes et tanto magis quanto vidétis appropinquántem diem.

Verbum Dómini.

10

Vos genus electum, regale sacerdotium.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 2, 4-5. 9-10

Caríssimi:

Ad Dóminum accedéntes, lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, coram Deo autem eléctum, pretiósum, et ipsi tamquam lápides vivi ædificámini domus spiritális in sacerdótium sanctum, offérre spiritáles hóstias, acceptábiles Deo per Iesum Christum.

Vos autem genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus in acquisitiónem, ut virtútes annuntiétis eius, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum; qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei; qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Col 3, 1

℟. Allelúia. ℣. Si consurrexístis cum Christo,
quæ sursum sunt quǽrite,
ubi Christus est in déxtera Dei sedens.
℟. Allelúia.

Si quis vult post me venire,
abneget semetipsum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
16, 24-27

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam.

Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua?

Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis, et tunc reddet unicuíque secúndum opus eius ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Eph 4, 5-6

℟. Allelúia. ℣. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma;
unus Deus et Pater. ℟. Allelúia.

Docete omnes gentes,
baptizantes eos in Nomine Patris,
et Filii, et Spiritus Sancti.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
28, 18-20

In illo témpore:

Accédens Iesus locútus est úndecim discípulis dicens: « Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in Nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti, docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis.

Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sǽculi ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia Io 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret;
omnis qui credit in eum,
habet vitam ætérnam. ℟. Allelúia.

Baptizatus est in Iordane ab Ioanne.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 9-11

In diébus illis venit Iesus a Názareth Galilǽæ, et baptizátus est in Iordáne ab Ioánne.

Et statim ascéndens de aqua vidit apértos cælos, et Spíritum tamquam colúmbam descendéntem in ipsum; et vox facta est de cælis: « Tu es Fílius meus diléctus, in te complácui ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia Io 14, 6

℟. Allelúia. ℣. Ego sum via, véritas et vita,
dicit Dóminus;
nemo venit ad Patrem, nisi per me.
℟. Allelúia.

Quisquis non receperit Regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 13-16

In illo témpore:

Offerébant Iesu párvulos, ut tángeret illos; discípuli autem comminabántur eis.

At videns Iesus, indígne tulit, et ait illis: « Sínite párvulos veníre ad me, ne prohibuéritis eos; tálium est enim Regnum Dei. Amen dico vobis, quisquis non recéperit Regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud ». Et compléxans eos, benedicébat impónens manus super illos. — Verbum Dómini.

5

Alleluia Mc 16, 15

℟. Allelúia. ℣. Eúntes in mundum univérsum,
prædicáte Evangélium omni creatúræ.
℟. Allelúia.

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 16, 15-16. 19-20

In illo témpore:

Appárens Iesus Undecim dixit eis: « Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni crea-

túræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur ».

Et Dóminus quidem Iesus, postquam locútus est eis, assúmptus est in cælum, et sedit a dextris Dei.

Illi autem profécti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte sequéntibus signis. — Verbum Dómini.

6

Alleluia 2 Tim 1, 10 b

℟. Allelúia. ℣. Salvátor noster Iesus Christus destrúxit mortem,
et illuminávit vitam per Evangélium.
℟. Allelúia.

Scriptum est prædicari in nomine Christi pænitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 24, 44-53

In illo témpore:

Dixit Iesus ad discípulos suos: « Hæc sunt verba quæ locútus sum ad vos, cum adhuc essem vobíscum, quóniam necésse est impléri ómnia quæ scripta sunt in lege Móysis et prophétis et psalmis de me ».

Tunc apéruit illis sensum, ut intellégerent Scriptúras.

Et dixit eis: « Sic scriptum est, Christum pati, et resúrgere a mórtuis die tértia, et prædicári in nómine eius pæniténtiam in remissiónem peccatórum in omnes gentes, incipiéntibus ab Ierúsalem. Vos estis testes horum.

Et ecce ego mitto promíssum Patris mei in vos; vos autem sedéte in civitáte, quoad usque induámini virtútem ex alto ».

Edúxit autem eos foras usque in Bethániam, et elevátis mánibus suis benedíxit eis.

Et factum est, dum benedíceret illis, recéssit ab eis, et ferebátur in cælum. Et ipsi adoravérunt eum et regréssi sunt in Ierúsalem cum gáudio magno; et erant semper in templo benedicéntes Deum.

Verbum Dómini.

7

Alleluia Io 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret;
omnis qui credit in eum,
habet vitam ætérnam. ℟. Allelúia.

Dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 1-5. 9-14. 16-18

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

In ipso vita erat, et vita erat lux hóminum; et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt.

Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem, véniens in mundum.

In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt; quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in

nómine eius, qui non ex sanguínibus neque ex voluntáte carnis neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt.

Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis; et vídimus glóriam eius, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

Et de plenitúdine eius nos omnes accépimus, et grátiam pro grátia. Quia Lex per Móysem data est, grátia et véritas per Iesum Christum facta est.

Deum nemo vidit umquam; Unigénitus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarrávit. — Verbum Dómini.

8

Alleluia 2 Tim 1, 10 b

℟. Allelúia. ℣. Salvátor noster Iesus Christus destrúxit mortem,
et illuminávit vitam per Evangélium.
℟. Allelúia.

Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 29-34

In illo témpore:

Videt Ioánnes Iesum veniéntem ad se, et ait: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi.

Hic est de quo dixi: “ Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat ”. Et ego nesciébam eum; sed ut manifestétur Israel, proptérea veni ego in aqua baptízans ».

Et testimónium perhíbuit Ioánnes dicens: « Vidi Spíritum descendéntem quasi colúmbam de cælo, et mansit super eum.

Et ego nesciébam eum; sed qui misit me baptizáre in aqua, ille mihi dixit: "Super quem víderis Spíritum descendéntem et manéntem super eum, hic est qui baptízat in Spíritu Sancto".

Et ego vidi et testimónium perhíbui, quia hic est Fílius Dei ». — Verbum Dómini.

9

Alleluia 1 Petr 2, 9

℟. Allelúia. ℣. Vos genus eléctum, regále sacerdótium,
gens sancta;
virtútes annuntiáte eius,
qui de ténebris vos vocávit
in admirábile lumen suum.
℟. Allelúia.

Nisi quis natus fuerit denuo,
non potest videre Regnum Dei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 3, 1-6

Erat homo ex pharisǽis, Nicodémus nómine, princeps Iudæórum.

Hic venit ad Iesum nocte, et dixit ei: « Rabbi, scimus quia a Deo venísti magíster; nemo enim potest hæc signa fácere quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo ».

Respóndit Iesus et dixit ei: « Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fúerit dénuo, non potest vidére Regnum Dei ».

Dicit ad eum Nicodémus: « Quómodo potest homo nasci, cum senex sit? numquid potest in ventrem matris suæ iteráto introíre et nasci? »

Respóndit Iesus: « Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fúerit ex aqua et Spíritu, non potest introíre in Regnum Dei.

Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex Spíritu, spíritus est ». — Verbum Dómini.

10

Alleluia — Io 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret;
omnis qui credit in eum,
habet vitam ætérnam. ℟. Allelúia.

Ut omnis qui credit in eum
habeat vitam æternam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 3, 16-21

In illo témpore:

Dixit Iesus Nicodémo: « Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum Unigénitum daret, ut omnis qui credit in eum non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Non enim misit Deus Fílium suum in mundum ut iúdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum.

Qui credit in eum non iudicátur, qui autem non credit iam iudicátus est, quia non crédidit in Nómine Unigéniti Fílii Dei.

Hoc est autem iudícium: Lux venit in mundum, et dilexérunt hómines magis ténebras quam lucem; erant enim eórum mala ópera. Omnis enim qui mala agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguántur ópera eius.

Qui autem facit veritátem, venit ad lucem, ut manifesténtur eius ópera, quia in Deo sunt facta ».

Verbum Dómini.

11

Alleluia Io 8, 12 b

℟. Allelúia. ℣. Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, habébit lumen vitæ.
℟. Allelúia.

Ego lux in mundum veni.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 12, 44-50

In illo témpore:

Clamávit Iesus et dixit: « Qui credit in me, non credit in me sed in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me.

Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in ténebris non máneat. Et si quis audíerit verba mea et non custodíerit, ego non iúdico eum; non enim veni ut iúdicem mundum, sed ut salvíficem mundum.

Qui spernit me et non áccipit verba mea, habet qui iúdicet eum. Sermo, quem locútus sum, ille iudicábit eum in novíssimo die.

Quia ego ex meípso non sum locútus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandátum dedit quid dicam et quid loquar.

Et scio quia mandátum eius vita ætérna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor ».

Verbum Dómini.

12

Alleluia Io 14, 6

℟. Allelúia. ℣. Ego sum via, véritas et vita,
dicit Dóminus;
nemo venit ad Patrem, nisi per me.
℟. Allelúia.

Qui manet in me, et ego in eo,
hic fert fructum multum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
15, 1-11

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum tollit eum, et omnem qui fert fructum purgat eum, ut fructum plus áfferat.

Iam vos mundi estis propter sermónem quem locútus sum vobis: manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite, sic nec vos, nisi in me manséritis.

Ego sum vitis, vos pálmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, missus est foras sicut palmes et áruit, et cólligunt eos et in ignem mittunt, et ardent.

Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis pétite, et fiet vobis.

In hoc glorificátus est Pater meus, ut fructum multum afferátis, et efficiámini mei discípuli. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea.

Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea; sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne.

Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur ».

Verbum Dómini.

H

IN CONFERENDO BAPTISMATE PARVULORUM

Lectio prima

1

Da nobis aquam, ut bibamus.

Léctio libri Exodi 17, 3-7

In diébus illis:

Sitívit pópulus præ aquæ penúria, et murmurávit contra Móysen dicens: « Cur fecísti nos exíre de Ægýpto, ut occíderes nos, et líberos nostros ac iuménta, siti? »

Clamávit autem Móyses ad Dóminum dicens: « Quid fáciam pópulo huic? adhuc páululum et lapidábit me ».

Et ait Dóminus ad Móysen: « Antecéde pópulum, et sume tecum de senióribus Israel, et virgam, qua percussísti flúvium, tolle in manu tua et vade. En ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb; percutiésque petram, et exíbit ex ea aqua, ut bibat pópulus ».

Fecit Móyses ita coram senióribus Israel; et vocávit nomen loci illíus « Tentátio », propter iúrgium filiórum Israel, et quia tentavérunt Dóminum dicéntes: « Estne Dóminus in nobis an non? »

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3. 4. 5. 6 (℟.: 1)

℟. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me, ánimam meam refécit.
3 Dedúxit me super sémitas iustítiæ
propter nomen suum. ℟.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

2

Effundam super vos aquam mundam,
et mundabimini
ab omnibus inquinamentis vestris.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 36, 24-28

Hæc dicit Dóminus:

« Tollam vos de géntibus, et congregábo vos de univérsis terris, et addúcam vos in terram vestram; et effúndam super vos aquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, et ab univérsis idólis vestris mundábo vos.

Et dabo vobis cor novum, et spíritum novum ponam in médio vestri, et áuferam cor lapídeum de carne vestra, et dabo vobis cor cárneum; et spíritum meum ponam in médio vestri, et fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, et iudícia mea custodiátis et operémini.

Et habitábitis in terra, quam dedi pátribus vestris, et éritis mihi in pópulum, et ego vobis in Deum ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 33, 2-3. 6-7. 8-9. 14-15. 16-17 (℟.: 9 a)

℟. Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.

2 Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.
3 In Dómino gloriábitur ánima mea,
áudiant mansuéti et læténtur. ℟.

6 Respícite ad eum, et illumináini,
et fácies vestræ non confundéntur.
7 Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum,
et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum. ℟.

8 Vallábit ángelus Dómini in circúitu timéntes eum,
et erípiet eos.
9 Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir qui sperat in eo. ℟.

14 Próhibe linguam tuam a malo,
et lábia tua ne loquántur dolum.
15 Divérte a malo et fac bonum,
inquíre pacem et perséquere eam. ℟.

16 Oculi Dómini super iustos,
et aures eius in clamórem eórum.
17 Vultus autem Dómini super faciéntes mala,
ut perdat de terra memóriam eórum. ℟.

3

Vidi aquam egredientem de templo,
et omnes, ad quos
pervenit aqua ista, salvi facti sunt.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 47, 1-9. 12

In diébus illis:

Convértit me ángelus ad portam domus Dómini, et ecce aquæ egrediebántur subter limen domus ad orién-

tem; fácies enim domus respiciébat ad oriéntem, aquæ descendébant in latus templi dextrum ad merídiem altáris. Et edúxit me per viam portæ aquilónis, et convértit me ad viam foras portam exteriórem, viam quæ respiciébat ad oriéntem, et ecce aquæ redundántes a látere dextro.

Cum egrederétur vir ad oriéntem, qui habébat funículum in manu sua, et mensus est mille cúbitos, et tradúxit me per aquam usque ad talos; rursúmque mensus est mille, et tradúxit me per aquam usque ad génua; et mensus est mille, et tradúxit me per aquam usque ad renes; et mensus est mille, torréntem quem non pótui pertransíre, quóniam intumúerant aquæ profúndi torréntis, qui non potest transvadári.

Et dixit ad me: « Certe vidísti, fili hóminis ». Et edúxit me et convértit ad ripam torréntis. Cumque me convertíssem, ecce in ripa torréntis ligna multa nimis ex utráque parte.

Et ait ad me: « Aquæ istæ, quæ egrediúntur ad túmulos sábuli orientális et descéndunt ad plana desérti, intrábunt mare et exíbunt, et sanabúntur aquæ; et omnis ánima vivens quæ serpit, quocúmque vénerit torrens, vivet, et erunt pisces multi satis, postquam vénerint illuc aquæ istæ, et sanabúntur et vivent ómnia ad quæ vénerit torrens ».

Et super torréntem oriétur in ripis eius ex utráque parte omne lignum pomíferum; non défluet fólium ex eo, et non defíciet fructus eius; per síngulos menses áfferet primitíva, quia aquæ eius de sanctuário egrediéntur, et erunt fructus eius in cibum, et fólia eius ad medicínam.

Verbum Dómini.

Psalmus resp. Ps 26, 1. 4. 8 b-9 abc. 13-14 (℟.: 1 a)

℟. Dóminus illuminátio mea et salus mea.

1 Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo? ℟.
4 Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ,
ut vídeam voluptátem Dómini,
et vísitem templum eius. ℟.
8 Fáciem tuam, Dómine, requíram.
9 Ne avértas fáciem tuam a me,
ne declínes in ira a servo tuo.
Adiútor meus es tu, ne me reícias. ℟.
13 Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.
14 Exspécta Dóminum, viríliter age,
et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum. ℟.

Lectio secunda

1

Consepulti cum illo per baptismum,
in novitate vitæ ambulemus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 6, 3-5

Fratres:

Quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu, in morte ipsíus baptizáti sumus.

Consepúlti ergo sumus cum illo per baptísmum in mortem, ut, quemádmodum suscitátus est Christus a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus.

Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis eius, sed et resurrectiónis érimus. — Verbum Dómini.

2

Conformes fieri imaginis Filii eius.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 8, 28-32

Fratres:

Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, his qui secúndum propósitum vocáti sunt. Nam quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii eius, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit; et quos vocávit, hos et iustificávit; quos autem iustificávit, illos et glorificávit.

Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Qui Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donábit? — Verbum Dómini.

3

In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Coríntnhios 12, 12-13

Fratres:

Sicut corpus unum est et membra habet multa; ómnia autem membra córporis, cum sint multa, unum corpus sunt; ita et Christus.

Etenim in uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus, sive Iudǽi sive Græci, sive servi sive líberi; et omnes unum Spíritum potáti sumus.
Verbum Dómini.

4

Quicumque baptizati estis, Christum induistis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Gálatas 3, 26-28

Fratres:

Omnes fílii Dei estis per fidem in Christo Iesu. Quicúmque enim in Christo baptizáti estis, Christum induístis.

Non est Iudǽus neque Græcus, non est servus neque liber, non est másculus et fémina; omnes enim vos unus estis in Christo Iesu. — Verbum Dómini.

5

Unus Dominus, una fides, unum baptisma

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Ephésios 4, 1-6

Fratres:

Obsecro vos, ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum longanimitáte supportántes ínvicem in caritáte; sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis. Unum corpus et unus Spíritus, sicut et vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ; unus Dóminus, una fides, unum baptísma; unus Deus et Pater ómnium, qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.
Verbum Dómini.

6

Vos genus electum, regale sacerdotium.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli
2, 4-5. 9-10

Caríssimi:

Ad Christum accedéntes, lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, coram Deo autem eléctum, pretiósum, et ipsi tamquam lápides vivi ædificámini, domus spiritális in sacerdótium sanctum, offérre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Iesum Christum.

Vos autem genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus in acquisitiónem ut virtútes annuntiétis eius, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum: qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei; qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Io 14, 6

℟. Allelúia. ℣. Ego sum via, véritas et vita,
dicit Dóminus;
nemo venit ad Patrem, nisi per me.
℟. Allelúia.

Hoc est magnum et primum mandatum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
22, 35-40

In illo témpore:

Interrogávit Iesum unus ex pharisǽis Legis doctor tentans eum: « Magíster, quod est mandátum magnum in Lege? »

Ait illi Iesus: « " Díliges Dóminum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota ánima tua, et in tota mente tua ". Hoc est magnum et primum mandátum. Secúndum autem símile est huic: " Díliges próximum tuum sicut te ipsum ". In his duóbus mandátis univérsa Lex pendet et prophétæ ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Eph 4, 5-6

℟. Allelúia. ℣. Unus Dóminus, una fides,
unum baptísma;
unus Deus et Pater. ℟. Allelúia.

Docete omnes gentes,
baptizantes eos in Nomine Patris,
et Filii, et Spiritus Sancti.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
28, 18-20

In illo témpore:

Accédens Iesus locútus est úndecim discípulis, dicens: « Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in Nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti, docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis.

Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sǽculi ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia 2 Tim 1, 10 b

℟. Allelúia. ℣. Salvátor noster Iesus Christus
destrúxit mortem,
et illuminávit vitam per Evangélium.
℟. Allelúia.

Baptizatus est in Iordane ab Ioanne.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 9-11

In diébus illis venit Iesus a Názareth Galilǽæ, et baptizátus est in Iordáne ab Ioánne.

Et statim ascéndens de aqua vidit apértos cælos et Spíritum tamquam colúmbam descendéntem in ipsum; et vox facta est de cælis: « Tu es Fílius meus diléctus, in te complácui ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater,
Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Sinite parvulos venire ad me

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 13-16

In illo témpore:

Offerébant Iesu párvulos, ut tángeret illos; discípuli autem comminabántur eis.

At videns Iesus, indígne tulit, et ait illis: « Sínite párvulos veníre ad me, ne prohibuéritis eos; tálium est enim Regnum Dei. Amen dico vobis, quisquis non recéperit Regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud ».

Et compléxans eos benedicébat impónens manus super illos. — Verbum Dómini.

5

Alleluia Io 8, 12 b

℟. Allelúia. ℣. Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, habébit lumen vitæ.
℟. Allelúia.

* *Audi, Israel: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum
12, 28 b-34

In illo témpore:

Accéssit unus de scribis ad Iesum, et interrogávit eum: « Quod est primum ómnium mandátum? »

Iesus respóndit: « Primum est: " Audi, Israel: Dóminus Deus noster Dóminus unus est; et díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtúte tua ".

Secúndum est illud: " Díliges próximum tuum tamquam te ipsum ". Maius horum áliud mandátum non est ».

Et ait illi scriba: « Bene, magíster, in veritáte dixísti: " Unus est, et non est álius præter eum; et dilígere eum ex toto corde, et ex toto intelléctu, et ex tota fortitúdine; et dilígere próximum tamquam seípsum " maius est ómnibus holocaustomátibus et sacrifíciis ».

Et Iesus videns quod sapiénter respondísset, dixit illi: « Non es longe a Regno Dei ». Et nemo iam audébat eum interrogáre.

Verbum Dómini.

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum
12, 28 b-31

In illo témpore:

Accéssit unus de scribis ad Iesum, et interrogávit eum: « Quod est primum ómnium mandátum? »

Iesus respóndit: « Primum est: " Audi, Israel: Dóminus Deus noster Dóminus unus est; et díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtúte tua ".

Secúndum est illud: " Díliges próximum tuum tamquam te ipsum ". Maius horum áliud mandátum non est ». — Verbum Dómini.

6

Alleluia Io 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret;
omnis qui credit in eum,
habet vitam ætérnam. ℟. Allelúia.

Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 3, 1-6

Erat homo ex pharisǽis, Nicodémus nómine, princeps Iudæórum.

Hic venit ad Iesum nocte, et dixit ei: « Rabbi, scimus quia a Deo venísti magíster; nemo enim potest hæc signa fácere quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo ».

Respóndit Iesus et dixit ei: « Amen, amen dico tibi: nisi quis natus fúerit dénuo, non potest vidére Regnum Dei ».

Dicit ad eum Nicodémus: « Quómodo potest homo nasci, cum senex sit? numquid potest in ventrem matris suæ iteráto introíre et nasci? »

Respóndit Iesus: « Amen, amen dico tibi: nisi quis natus fúerit ex aqua et Spíritu, non potest introíre in Regnum Dei.

Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex Spíritu, spíritus est ». — Verbum Dómini.

7

Alleluia Io 8, 12 b

℟. Allelúia. ℣. Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, habébit lumen vitæ.
℟. Allelúia.

Fons aquæ salientis in vitam æternam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 4, 5-14

In illo témpore:

Venit Iesus in civitátem Samaríæ, quæ dícitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph, fílio suo. Erat autem ibi fons Iacob: Iesus ergo, fatigátus ex itínere, sedébat sic super fontem.

Hora erat quasi sexta. Venit múlier de Samaría hauríre aquam.

Dicit ei Iesus: « Da mihi bíbere ». Discípuli enim eius abíerant in civitátem, ut cibos émerent.

Dicit ergo ei múlier illa samaritána: « Quómodo tu, Iudǽus cum sis, bíbere a me poscis, quæ sum múlier samaritána? » Non enim coutúntur Iudǽi Samaritánis.

Respóndit Iesus, et dixit ei: « Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi: " Da mihi bíbere ", tu fórsitan petísses ab eo, et dedísset tibi aquam vivam ».

Dicit ei múlier: « Dómine, neque in quo háurias habes, et púteus altus est; unde ergo habes aquam vivam? Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis púteum, et ipse ex eo bibit et fílii eius et pécora eius? »

Respóndit Iesus et dixit ei: « Omnis qui bibit ex aqua hac sítiet íterum, qui autem bíberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sítiet in ætérnum; sed aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam ». — Verbum Dómini.

8

Alleluia — Io 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret;
omnis qui credit in eum,
habet vitam ætérnam. ℟. Allelúia.

Qui credit habet vitam æternam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 6, 44-47

In illo témpore:

Dixit Iesus turbis: « Nemo potest veníre ad me, nisi Pater qui misit me, tráxerit eum; et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Est scriptum in prophétis: " Et erunt omnes docíbiles Dei ". Omnis, qui audívit a Patre et dídicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam: nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem.

Amen, amen, dico vobis: qui credit habet vitam ætérnam ».

Verbum Dómini.

9

Alleluia Io 8, 12 b

℟. Allelúia. ℣. Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, habébit lumen vitæ.
℟. Allelúia.

Flumina fluent aquæ vivæ.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
7, 37 b-39 a

In illo témpore:

Clamávit Iesus dicens: « Si quis sitit véniat ad me et bibat qui credit in me. Sicut dixit Scriptúra, flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ ».

Hoc autem dixit de Spíritu, quem acceptúri erant credéntes in eum. — Verbum Dómini.

10

Alleluia Io 8, 12 b

℟. Allelúia. ℣. Ego sum lux mundi, dicit Dóminus;
qui séquitur me, habébit lumen vitæ.
℟. Allelúia.

Abiit et lavit et venit videns.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 9, 1-7

In illo témpore:

Prætériens Iesus vidit hóminem cæcum a nativitáte.

Et interrogavérunt eum discípuli sui dicéntes: « Rabbi, quis peccávit, hic aut paréntes eius, ut cæcus nascerétur? »

Respóndit Iesus: « Neque hic peccávit, neque paréntes eius; sed ut manifesténtur ópera Dei in illo. Nos

opórtet operári ópera eius qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operári: quámdiu in mundo sum, lux sum mundi ».

Hæc cum dixísset, éxspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linívit lutum super óculos eius, et dixit ei: « Vade, lava in natatória Síloæ (quod interpretátur: Missus) ». Abiit ergo et lavit et venit videns.

Verbum Dómini.

11

Alleluia Io 15, 9 b. 5 b

℟. Allelúia. ℣. Manéte in dilectióne mea,
dicit Dóminus;
qui manet in me et ego in eo,
hic fert fructum multum. ℟. Allelúia.

Manete in me et ego in vobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 1-11

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum tollit eum, et omnem qui fert fructum purgat eum, ut fructum plus áfferat.

Iam vos mundi estis propter sermónem quem locútus sum vobis: manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite, sic nec vos, nisi in me manséritis.

Ego sum vitis, vos pálmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, missus est foras sicut palmes et áruit, et cólligunt eos et in ignem mittunt, et ardent.

Si mansëritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis pétite, et fiet vobis.

In hoc glorificátus est Pater meus, ut fructum multum afferátis, et efficiámini mei discípuli. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea.

Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne.

Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur ». — Verbum Dómini.

12

Alleluia — 2 Tim 1, 10 b

℟. Allelúia. ℣. Salvátor noster Iesus Christus
destrúxit mortem,
et illuminávit vitam per Evangélium.
℟. Allelúia.

Latus eius aperuit, et exivit sanguis et aqua.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
19, 31-35

Iudǽi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies illíus sábbati), rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur.

Venérunt ergo mílites, et primi quidem fregérunt crura et alteríus qui crucifíxus est cum eo.

Ad Iesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum iam mórtuum, non fregérunt eius crura, sed unus mílitum láncea latus eius apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Et qui vidit testimónium perhíbuit, et verum est eius testimónium. Et ille scit quia vera dicit, ut et vos credátis. — Verbum Dómini.

I

IN CONFERENDA CONFIRMATIONE

Lectio prima

1

Requiescet super eum Spiritus Domini.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 11, 1-4 a

In die illa: Egrediétur virga de radíce Iesse, et flos de radíce eius ascéndet, et requiéscet super eum Spíritus Dómini: Spíritus sapiéntiæ et intelléctus, Spíritus consílii et fortitúdinis, Spíritus sciéntiæ et pietátis, et replébit eum Spíritus timóris Dómini.

Non secúndum visiónem oculórum iudicábit, neque secúndum audítum áurium árguet, sed iudicábit in iustítia páuperes et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 103, 1 ab et 24. 27-28. 30-31. 33-34 (℟.: cf. 30)

℟. Emítte Spíritum tuum, Dómine,
et rénova fáciem terræ.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino:
Dómine Deus meus,
magnificátus es veheménter.
24 Quam multiplicáta sunt ópera tua, Dómine:
ómnia in sapiéntia fecísti,
impléta est terra creatúra tua. ℟.

27 Omnia a te exspéctant
ut des illis escam in témpore suo.

28 Dante te illis, cólligent,
aperiénte te manum tuam,
implebúntur bonis. ℟.

30 Emíttes spíritum tuum, et creabúntur,
et renovábis fáciem terræ.
31 Sit glória Dómini in sæculum;
lætétur Dóminus in opéribus suis. ℟.

33 Cantábo Dómino in vita mea,
psallam Deo meo quámdiu sum.
34 Iucúndum sit ei elóquium meum,
ego vero delectábor in Dómino. ℟.

2

Dedi Spiritum meum super servum meum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 42, 1-3

Hæc dicit Dóminus:

« Ecce servus meus, suscípiam eum; eléctus meus, complácuit sibi in illo ánima mea: dedi spíritum meum super eum, iudícium géntibus próferet.

Non clamábit neque accípiet persónam, nec audiétur vox eius foris. Cálamum quassátum non cónteret, et linum fúmigans non exstínguet; in veritáte edúcet iudícium ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 144, 2-3. 4-5. 8-9. 10-11. 15-16 (℟.: 1 b)

℟. Benedícam nómini tuo, Dómine, in ætérnum.

2 Per síngulos dies benedícam tibi,
et laudábo nomen tuum
in sæculum et in sæculum sæculi.

3 Magnus Dóminus et laudábilis nimis,
et magnitúdinis eius non est investigátio. ℟.

4 Generátio generatióni laudábit ópera tua,
et poténtiam tuam pronuntiábunt.
5 Magnificéntiam glóriæ maiestátis tuæ loquéntur,
et mirabília tua enarrábunt. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Suávis Dóminus univérsis,
et miseratiónes eius super ómnia ópera eius. ℟.

10 Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;
et sancti tui benedícant tibi.
11 Glóriam regni tui dicant,
et poténtiam tuam loquántur. ℟.

15 Oculi ómnium in te sperant,
et tu das illis escam in témpore opportúno.
16 Aperis tu manum tuam,
et imples omne ánimal in beneplácito. ℟.

3

Unxit me Dominus
et evangelizare pauperibus misit me,
et dare eis oleum gaudii.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 61, 1-3 a. 6 a. 8 b-9

Spíritus Dómini super me, eo quod únxerit Dóminus me; ad annuntiándum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde, et prædicárem captívis indulgéntiam et clausis apertiónem; ut prædicárem annum placábilem Dómino et diem ultiónis Deo nostro, ut con-

solárer omnes lugéntes, ut pónerem lugéntibus Sion, et darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis pro spíritu mæróris.

Vos autem sacerdótes Dómini vocabímini, minístri Dei nostri dicétur vobis.

Dabo opus eórum in veritáte, et fœdus perpétuum fériam eis. Et scient in géntibus semen eórum; et germen eórum in médio populórum. Omnes qui víderint eos cognóscent illos, quia isti sunt semen, cui benedíxit Dóminus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 21, 23-24. 26-27. 28 et 31-32 (℟.: 23)

℟. Narrábo nomen tuum frátribus meis.

23 Narrábo nomen tuum frátribus meis,
in médio ecclésiæ laudábo te.
24 Qui timétis Dóminum, laudáte eum,
univérsum semen Iacob, glorificáte eum.
Métuat eum omne semen Israel. ℟.

26 Apud te laus mea in ecclésia magna;
vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.
27 Edent páuperes, et saturabúntur,
et laudábunt Dóminum qui requírunt eum:
« Vivant corda eórum in sæculum sæculi ». ℟.

28 Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum
univérsi fines terræ,
et adorábunt in conspéctu eius
univérsæ famíliæ géntium.
31 Et semen meum sérviet ipsi.
Narrábitur de Dómino generatióni ventúræ,
32 et annuntiábunt iustítiam eius
pópulo qui nascétur: « Hæc fecit Dóminus ». ℟.

4

Spiritum novum ponam in medio vestri.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 36, 24-28

Hæc dicit Dóminus:

« Tollam vos de géntibus, et congregábo vos de univérsis terris, et addúcam vos in terram vestram; et effúndam super vos aquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, et ab univérsis idólis vestris mundábo vos.

Et dabo vobis cor novum, et spíritum novum ponam in médio vestri, et áuferam cor lapídeum de carne vestra, et dabo vobis cor cárneum; et spíritum meum ponam in médio vestri, et fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, et iudícia mea custodiátis et operémini.

Et habitábitis in terra, quam dedi pátribus vestris, et éritis mihi in pópulum, et ego ero vobis in Deum ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3. 4. 5. 6 (℟.: 1)

℟. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit.
Dedúxit me super sémitas iustítiæ
propter nomen suum. ℟.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;

impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

5

Super servos meos et ancillas
effundam Spiritum meum.

Léctio libri Ioélis prophétæ 2, 23 a. 26-30 a

Hæc dicit Dóminus:

« Fílii Sion, exsultáte et lætámini in Dómino Deo vestro. Comedétis vescéntes et saturabímini; et laudábitis nomen Dómini Dei vestri, qui fecit mirabília vobíscum, et non confundétur pópulus meus in sempitérnum. Et sciétis quia in médio Israel ego sum, et ego Dóminus Deus vester, et non est ámplius; et non confundétur pópulus meus in ætérnum.

Et erit post hæc, effúndam spíritum meum super omnem carnem, et prophetábunt fílii vestri et fíliæ vestræ, senes vestri sómnia somniábunt, et iúvenes vestri visiónes vidébunt; sed et super servos meos et ancíllas in diébus illis effúndam spíritum meum. Et dabo prodígia in cælo et in terra ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 103, 1 ab et 24. 27-28. 30-31. 33-34 (℟.: cf. 30)

℟. Emítte Spíritum tuum, Dómine,
et rénova fáciem terræ.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino:
Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

24 Quam multiplicáta sunt ópera tua, Dómine:
ómnia in sapiéntia fecísti,
impléta est terra creatúra tua. ℟.
27 Omnia a te exspéctant
ut des illis escam in témpore suo.
28 Dante te illis, cólligent,
aperiénte te manum tuam, implebúntur bonis. ℟.
30 Emíttes spíritum tuum, et creabúntur,
et renovábis fáciem terræ.
31 Sit glória Dómini in sæculum;
lætétur Dóminus in opéribus suis. ℟.
33 Cantábo Dómino in vita mea,
psallam Deo meo quámdiu sum.
34 Iucúndum sit ei elóquium meum,
ego vero delectábor in Dómino. ℟.

Lectio secunda

1

Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris
per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 5, 1-2. 5-9 a

Fratres:

Iustificáti ex fide, pacem habémus ad Deum per Dóminum nostrum Iesum Christum, per quem et accéssum habémus fide in grátiam istam, in qua stamus et gloriámur in spe glóriæ Dei.

Spes autem non confúndit, quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis. Adhuc enim Christus, cum adhuc infírmi essémus, secúndum tempus pro ímpiis mórtuus est.

Vix enim pro iusto quis móritur; nam pro bono fórsitan quis et áudeat mori.

Comméndat autem suam caritátem Deus in nos, quóniam, cum adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. — Verbum Dómini.

2

Spiritus testimonium reddit una cum spiritu nostro, quod sumus filii Dei.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 8, 14-17

Fratres:

Quicúmque Spíritu Dei agúntur, hi fílii Dei sunt.

Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis Spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: « Abba, Pater ».

Ipse Spíritus testimónium reddit una cum spíritu nostro, quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi; si tamen compátimur, ut et conglorificémur. — Verbum Dómini.

3

Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 8, 26-27

Fratres:

Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram: nam quid orémus sicut opórtet, nescímus; sed ipse Spíritus interpéllat gemítibus inenarrabílibus. Qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus, quia secúndum Deum póstulat pro sanctis. — Verbum Dómini.

4

Unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Coríanthios 12, 4-13

Fratres:

Divisiónes gratiárum sunt, idem autem Spíritus. Et divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus. Et divisiónes operatiónum sunt, idem vero Deus, qui operátur ómnia in ómnibus. Unicuíque autem datur manifestátio Spíritus ad utilitátem.

Alii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ, álii autem sermo sciéntiæ secúndum eúndem Spíritum, álteri fides in eódem Spíritu, álii donatiónes sanitátum in uno Spíritu, álii operatiónes virtútum, álii prophetátio, álii discrétio spiríituum, álii génera linguárum, álii interpretátio linguárum. Hæc autem ómnia operátur unus et idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

Sicut enim corpus unum est et membra habet multa; ómnia autem membra córporis, cum sint multa, unum corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus, sive Iudǽi sive Græci, sive servi sive líberi, et omnes unum Spíritum potáti sumus. — Verbum Dómini.

5

Si vivimus Spiritu, Spiritu et ambulemus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Gálatas 5, 16-17. 22-23 a. 24-25

Fratres:

Spíritu ambuláte, et concupiscéntiam carnis non per-

fecéritis. Caro enim concupíscit advérsus spíritum, spíritus autem advérsus carnem: hæc enim ínvicem adversántur, ut non quæcúmque vultis illa faciátis.

Fructus autem Spíritus est cáritas, gáudium, pax, longanímitas, benígnitas, bónitas, fides, mansuetúdo, continéntia. Qui autem sunt Christi Iesu, carnem crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis.

Si vívimus Spíritu, Spíritu et ambulémus.

Verbum Dómini.

6

Signati estis Spiritu promissionis Sancto.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Ephésios 1, 3 a. 4 a. 13-19 a

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi: elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem. In quo et vos, cum audissétis verbum veritátis, Evangélium salútis vestræ, in quo et credéntes signáti estis Spíritu promissiónis Sancto, qui est árrabon hereditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

Proptérea et ego áudiens fidem vestram, quæ est in Dómino Iesu, et dilectiónem in omnes sanctos, non cesso grátias agens pro vobis, memóriam fáciens in oratiónibus meis; ut Deus Dómini nostri Iesu Christi, Pater glóriæ, det vobis Spíritum sapiéntiæ et revelatiónis in agnitióne eius; illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis eius, quæ divítiæ glóriæ hereditátis eius in sanctis, et quæ sit superéminens magnitúdo virtútis eius in nos qui crédimus.

Verbum Dómini.

7

Unum corpus et unus Spiritus, unum baptisma.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 4, 1-6

Fratres:

Obsecro vos, ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum longanimitáte supportántes ínvicem in caritáte; sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis.

Unum corpus et unus Spiritus, sicut et vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ; unus Dóminus, una fides, unum baptísma; unus Deus et Pater ómnium, qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Veni, Sancte Spíritus,
reple tuórum corda fidélium,
et tui amóris in eis ignem accénde.
℟. Allelúia.

Ipsorum est Regnum cælorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
5, 1-12 a

In illo témpore:

Videns Iesus turbas ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius. Et apériens os suum docébat eos dicens:

« Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.

Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur.

Beáti misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.

Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti estis, cum maledíxerint vobis et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Veni, Sancte Spíritus,
et emítte cǽlitus lucis tuæ rádium.
℟. Allelúia.

Si quis vult post me venire,
abneget semetipsum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
16, 24-27

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam, qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam.

Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua?

Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis, et tunc reddet unicuíque secúndum opus eius ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Veni, Sancte Spíritus,
reple tuórum corda fidélium,
et tui amóris in eis ignem accénde.
℟. Allelúia.

Super pauca fuisti fidelis,
intra in gaudium domini tui.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
25, 14-30

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: « Homo péregre proficíscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est. Statim abiit qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque; simíliter qui duo accéperat, lucrátus est ália duo; qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terra, et abscóndit pecúniam dómini sui.

Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum et ponit ratiónem cum eis.

Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: “ Dómine, quinque talénta

tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum ".

Ait illi dóminus eius: " Euge, serve bone et fidélis, super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam; intra in gáudium dómini tui ".

Accéssit autem et qui duo talénta accéperat et ait: " Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum ".

Ait illi dóminus eius: " Euge, serve bone et fidélis, super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam; intra in gáudium dómini tui ".

Accédens autem et qui unum taléntum accéperat ait: " Dómine, novi te quia homo durus es: metis ubi non seminásti et cóngregas ubi non sparsísti; et timens ábii, et abscóndi taléntum tuum in terra: ecce habes quod tuum est ".

Respóndens autem dóminus eius dixit ei: " Serve male et piger, sciébas quia meto ubi non seminávi, et cóngrego ubi non sparsi; opórtuit ergo te míttere pecúniam meam nummuláriis, et véniens ego recepíssem quod meum est cum usúra ".

Tóllite ítaque ab eo taléntum, et date ei qui habet decem talénta; omni enim habénti dábitur, et abundábit; ei autem qui non habet, et quod habet auferétur ab eo.

Et inútilem servum eícite in ténebras exterióres: illic erit fletus et stridor déntium ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia — Ap 1, 5 a. 6

℟. Allelúia. ℣. Iesu Christe, testis fidélis,
primogénite mortuórum,
fecísti nos regnum et sacerdótes
Deo et Patri nostro. ℟. Allelúia.

Vidit Spiritum descendentem in ipsum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 9-11

In diébus illis, venit Iesus a Názareth Galilǽæ et baptizátus est in Iordáne ab Ioánne.

Et statim ascéndens de aqua vidit apértos cælos, et Spíritum tamquam colúmbam descendéntem in ipsum; et vox facta est de cælis: « Tu es Fílius meus diléctus, in te complácui ». — Verbum Dómini.

5

Alleluia Io 16, 13 a; 14, 26 b

℟. Allelúia. ℣. Cum vénerit Spíritus veritátis,
docébit vos omnem veritátem;
et súggeret vobis ómnia
quæcúmque díxero vobis. ℟. Allelúia.

Spiritus Domini super me.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 4, 16-22 a

In illo témpore:

Venit Iesus Názareth, ubi erat nutrítus; et intrávit secúndum consuetúdinem suam die sábbati in synagógam, et surréxit légere. Et tráditus est illi liber prophétæ Isaíæ.

Et, ut revólvit librum, invénit locum, ubi scriptum erat: « Spíritus Dómini super me; propter quod unxit me evangelizáre paupéribus, misit me prædicáre annum Dómini accéptum ».

Et, cum plicuísset librum, réddidit minístro et sedit. Et ómnium in synagóga óculi erant intendéntes in eum.

Cœpit autem dícere ad illos: « Hódie impléta est hæc Scriptúra in áuribus vestris ». Et omnes testimónium illi dabant; et mirabántur in verbis grátiæ, quæ procedébant de ore ipsíus. — Verbum Dómini.

6

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Veni, Sancte Spíritus,
et emítte cǽlitus lucis tuæ rádium.
℟. Allelúia.

Qui in bonam terram, hi sunt qui verbum retinent et fructum afferunt in patientia.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 8, 4-10 a. 11 b-15

In illo témpore:

Cum turba plúrima conveníret, et de síngulis civitátibus properárent ad Iesum, dixit per similitúdinem: « Exiit qui séminat semináre semen suum. Et, dum séminat ipse, áliud cécidit secus viam et conculcátum est, et vólucres cæli comedérunt illud. Et áliud cécidit super petram et natum áruit, quia non habébat humórem. Et áliud cécidit inter spinas, et simul exórtæ spinæ suffocavérunt illud. Et áliud cécidit in terram bonam, et ortum fecit fructum céntuplum ».

Hæc dicens clamábat: « Qui habet aures audiéndi áudiat ».

Interrogábant autem eum discípuli eius, quæ esset hæc parábola.

Quibus ipse dixit: « Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, sunt qui áudiunt, deínde venit diábolus et tollit verbum de corde eórum, ne credéntes salvi fiant. Qui autem supra petram, qui cum audíe-

rint, cum gáudio suscípiunt verbum, et hi radíces non habent, qui ad tempus credunt et in témpore tentatiónis recédunt.

Quod autem in spinis cécidit, hi sunt qui audiérunt, et a sollicitudínibus et divítiis et voluptátibus vitæ eúntes suffocántur, et non réferunt fructum.

Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et óptimo audiéntes verbum rétinent et fructum áfferunt in patiéntia ». — Verbum Dómini.

7

Alleluia Io 14, 16

℟. Allelúia. ℣. Pater álium Paráclitum dabit vobis,
dicit Dóminus,
ut máneat vobíscum in ætérnum.
℟. Allelúia.

Confiteor tibi, Pater, quod revelasti ea parvulis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 21-24

In illo témpore:

Exsultávit Iesus Spíritu Sancto et dixit: « Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quod abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Etiam, Pater, quia sic plácuit ante te.

Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo scit qui sit Fílius, nisi Pater; et qui sit Pater, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre ».

Et convérsus ad discípulos seórsum dixit: « Beáti óculi qui vident quæ vidétis; dico enim vobis: Multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt, et audíre quæ audítis, et non audiérunt ». — Verbum Dómini.

8

Alleluia Io 16, 13 a; 14, 26 b

℟. Allelúia. ℣. Cum vénerit Spíritus veritátis,
docébit vos omnem veritátem;
et súggeret vobis ómnia
quæcúmque díxero vobis. ℟. Allelúia.

Flumina fluent aquæ vivæ.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 7, 37 b-39

In illo témpore:

Clamábat Iesus, dicens: « Si quis sitit véniat ad me et bibat qui credit in me. Sicut dixit Scriptúra, flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ ».

Hoc autem dixit de Spíritu, quem acceptúri erant credéntes in eum; nondum enim erat Spíritus, quia Iesus nondum fúerat glorificátus. — Verbum Dómini.

9

Alleluia Io 14, 16

℟. Allelúia. ℣. Pater álium Paráclitum dabit vobis,
dicit Dóminus,
ut máneat vobíscum in ætérnum.
℟. Allelúia.

Spiritus veritatis apud vos manet.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 14, 15-17

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si dilígitis me, mandáta mea servábitis.

Et ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis, ut máneat vobíscum in ætérnum, Spíritum veritátis, quem mundus non potest accípere, quia non videt eum nec scit: vos cognoscétis eum, quia apud vos manet et in vobis erit ». — Verbum Dómini.

10

Alleluia Io 15, 26 b. 27 a

℟. Allelúia. ℣. Spíritus veritátis testimónium perhibébit
de me, dicit Dóminus,
et vos testimónium perhibébitis.
℟. Allelúia.

Spiritus Sanctus docebit vos omnia.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
14, 23-26

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si quis díligit me, sermónem meum servábit, et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus et mansiónem apud eum faciémus. Qui non díligit me, sermónes meos non servat. Et sermo quem audítis non est meus, sed eius, qui misit me, Patris.

Hæc locútus sum vobis apud vos manens. Paráclitus autem Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in Nómine meo, ille vos docébit ómnia, et súggeret vobis ómnia quæ dixi vobis ». — Verbum Dómini.

11

Alleluia Io 15, 26 b. 27 a

℟. Allelúia. ℣. Spíritus veritátis testimónium perhibébit
de me, dicit Dóminus,
et vos testimónium perhibébitis.
℟. Allelúia.

Spiritus veritatis, qui a Patre procedit,
testimonium perhibebit de me.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
15, 18-21. 26-27

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si mundus vos odit, scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Si de mundo essétis, mundus quod suum est dilígeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptérea odit vos mundus.

Mementóte sermónis, quem ego dixi vobis: " Non est servus maior dómino suo. Si me persecúti sunt, et vos persequéntur; si sermónem meum servavérunt, et vestrum servábunt ". Sed hæc ómnia fácient vobis propter Nomen meum, quia nésciunt eum qui misit me.

Cum autem vénerit Paráclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spíritum veritátis qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me. Sed et vos testimónium perhibétis, quia ab inítio mecum estis ».

Verbum Dómini.

12

Alleluia Io 16, 13 a; 14, 26 b

℟. Allelúia. ℣. Cum vénerit Spíritus veritátis,
docébit vos omnem veritátem;
et súggeret vobis ómnia
quæcúmque díxero vobis. ℟. Allelúia.

Spiritus veritatis ducet vos in omni veritate.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
16, 5 b-7. 12-13 a

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Nunc vado ad eum qui me misit, et nemo ex vobis intérrogat me: " Quo

vadis? " Sed, quia hæc locútus sum vobis, tristítia implévit cor vestrum.

Sed ego veritátem dico vobis: Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos; si autem abíero, mittam eum ad vos.

Adhuc multa hábeo vobis dícere, sed non potéstis portáre modo. Cum autem vénerit ille Spíritus veritátis, ducet vos in omni veritáte ». — Verbum Dómini.

IN PRIMA COMMUNIONE PARVULORUM

Lectiones sumi possunt sive ex toto sive ex parte vel e Missa diei, vel e Missa In Initiatione christiana (supra pp. 1211-1227), vel e Missa votiva de sanctissima Eucharistia (infra pp. 1687-1705).

II. IN CONFERENDIS SACRIS ORDINIBUS

Extra dominicas Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, et extra sollemnitates, et festa Apostolorum, Missa in qua sacri Ordines conferuntur hoc modo ordinari potest:

a) ad introitum et ad communionem dicuntur antiphonæ, quæ infra ponuntur;

b) orationes seligantur quæ sunt magis aptæ ex iis quæ infra proponuntur pro Episcopo (p. 1404 vel 1405), pro sacerdotibus (p. 1417), pro ministris Ecclesiæ (p. 1422);

c) lectiones sumantur ex iis quæ pro his celebrationibus indicantur (pp. 1251-1272), cum facultate eas adhibendi, saltem ex parte, etiam diebus, quibus Missa ritualis prohibetur;

d) nisi dicenda sit præfatio magis propria, quando fit Ordinatio sacerdotum sumi potest præfatio quæ habetur in Missa chrismatis, ut infra.

Ant. ad introitum Io 12, 26

Qui mihi minístrat me sequátur, dicit Dóminus;
et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Vel (quando fit Ordinatio sacerdotum): Lc 4, 18

Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me,
evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde.

Præfatio: De sacerdotio Christi et de ministerio sacerdotum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui Unigénitum tuum Sancti Spíritus unctióne
novi et ætérni testaménti constituísti Pontíficem,
et ineffábili dignátus es dispositióne sancíre,
ut únicum eius sacerdótium in Ecclésia servarétur.

Ipse enim non solum regáli sacerdótio
pópulum acquisitiónis exórnat,
sed étiam fratérna hómines éligit bonitáte,
ut sacri sui ministérii
fiant mánuum impositióne partícipes.

Qui sacrifícium rénovent, eius nómine,
redemptiónis humánæ,
tuis apparántes fíliis paschále convívium,
et plebem tuam sanctam caritáte prævéniant,
verbo nútriant, refíciant sacraméntis.

Qui, vitam pro te fratrúmque salúte tradéntes,
ad ipsíus Christi nitántur imáginem conformári,
et constántes tibi fidem amorémque testéntur.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sabaoth ...

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Hanc ígitur proprium.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quam tibi offérimus étiam pro fámulis tuis,
quos ad Diaconátus, vel Presbyterátus, vel Episcopátus
órdinem promovére dignátus es,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias,
et propítius in eis tua dona custódias,
ut, quod divíno múnere consecúti sunt,
divínis efféctibus exsequántur.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

Ant. ad communionem Io 17, 17-18

Pater sancte, sanctífica eos in veritáte.
Sicut tu me misísti in mundum,
et ego misi eos in mundum, dicit Dóminus.

Lectio prima

1

Pro diaconis

Applica tribum Levi, ut ministrent Aaron sacerdoti.

Léctio libri Númeri 3, 5-10 a

In diébus illis:

Locútus est Dóminus ad Móysen dicens: « Applica tribum Levi et fac stare in conspéctu Aaron sacerdótis, ut minístrent ei et éxcubent, et obsérvent quidquid ad cultum pértinet multitúdinis coram tabernáculo testimónii, et custódiant vasa tabernáculi serviéntes in ministério eius. Dabísque dono levítas Aaron et fíliis eius, quibus tráditi sunt a fíliis Israel ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 83, 3-4. 5 et 11 (℟.: 5 a)

℟. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine.

3 Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum.
4 Etenim passer invénit sibi domum,
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos:
altária tua, Dómine virtútum, rex meus et Deus meus. ℟.

5 Beáti qui hábitant in domo tua,
in perpétuum laudábunt te.
11 Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília,
elégi ad limen esse in domo Dei mei,
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. ℟.

2

Pro presbyteris

Tradam spiritum tuum ut sustentent tecum onus populi.

Léctio libri Númeri 11, 11 b-12. 14-17. 24-25 a

In diébus illis:

Ait Móyses ad Dóminum: « Cur imposuísti pondus univérsi pópuli huius super me? Numquid ego concépi omnem hanc multitúdinem vel génui eam, ut dicas mihi: " Porta eos in sinu tuo, sicut portáre solet nutrix infántulum, et defer in terram, pro qua iurásti pátribus eórum? "

Non possum solus sustinére omnem hunc pópulum, quia gravis est mihi. Sin áliter tibi vidétur, óbsecro ut interfícias me, et invéniam grátiam in óculis tuis, ne tantis affíciar malis ».

Et dixit Dóminus ad Móysen: « Cóngrega mihi septuagínta viros de sénibus Israel, quos tu nosti quod senes pópuli sint ac magístri, et duces eos ad óstium tabernáculi fœderis, faciésque ibi stare tecum, ut descéndam et loquar tibi, et áuferam de spíritu tuo tradámque eis, ut susténtent tecum onus pópuli, et non tu solus gravéris ».

Venit ígitur Móyses et narrávit pópulo verba Dómini, cóngregans septuagínta viros de sénibus Israel, quos stare fecit circa tabernáculum.

Descendítque Dóminus per nubem et locútus est ad eum, áuferens de spíritu qui erat in Móyse, et dans septuagínta viris. Cumque requievísset in eis spíritus, prophetavérunt. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 99, 2. 3. 4. 5 (℟.: Io 15, 14)

℟. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ præcípio vobis, dicit Dóminus.

2 Iubiláte Dómino, omnis terra,
servíte Dómino in lætítia;
introíte in conspéctu eius in exsultatióne. ℟.

3 Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus;
ipse fecit nos, et ipsíus sumus,
pópulus eius et oves páscuæ eius. ℟.

4 Introíte portas eius in confessióne,
átria eius in hymnis,
confitémini illi, benedícite nómini eius. ℟.

5 Quóniam suávis est Dóminus;
in ætérnum misericórdia eius,
et usque in generatiónem et generatiónem véritas eius. ℟.

3

Pro episcopis et presbyteris

Unxit me Dominus
et evangelizare pauperibus misit me,
et dare eis oleum gaudii.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 61, 1-3 a

Spíritus Dómini super me, eo quod únxerit Dóminus me; ad annuntiándum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde, et prædicárem captívis indulgéntiam et

clausis apertiónem; ut prædicárem annum placábilem Dómino et diem ultiónis Deo nostro; ut consolárer omnes lugéntes, ut pónerem lugéntibus Sion, et darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis pro spíritu mæróris. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 88, 21-22. 25 et 27 (℟.: cf. 2 a)

℟. Misericórdias tuas, Dómine, in ætérnum cantábo.

21 « Invéni David servum meum;
óleo sancto meo unxi eum.
22 Manus enim mea firma erit cum eo,
et brácchium meum confortábit eum. ℟.

25 Et véritas mea et misericórdia mea cum ipso,
et in nómine meo exaltábitur cornu eius.
27 Ipse invocábit me: " Pater meus es tu,
Deus meus et refúgium salútis meæ " ». ℟.

4

Ad omnia quæ mittam te ibis.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 1, 4-9

Factum est verbum Dómini ad me, dicens: « Priúsquam te formárem in útero, novi te; et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te ».

Et dixi: « A a a, Dómine Deus! ecce néscio loqui, quia puer ego sum ».

Et dixit Dóminus ad me: « Noli dícere: " Puer sum "; quóniam ad ómnia quæ mittam te ibis, et univérsa quæcúmque mandávero tibi loquéris. Ne tímeas a fácie eórum, quia tecum ego sum ut éruam te, dicit Dóminus ».

Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum, et dixit Dóminus ad me: « Ecce dedi verba mea in ore tuo ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 95, 1-2 a. 2 b-3. 10 (℟.: Mt 28, 19)

℟. Eúntes in mundum, docéte omnes gentes.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
cantáte Dómino, omnis terra.
2 Cantáte Dómino, benedícite nómini eius. ℟.

Annuntiáte de die in diem salutáre eius.
3 Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius. ℟.

10 Dícite in géntibus: « Dóminus regnávit ».
Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur;
iudicábit pópulos in æquitáte. ℟.

Lectio secunda

1

Habemus donationes secundum gratiam,
quæ data est nobis, differentes.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános

12, 4-8

Fratres:

Sicut in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúndem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altéríus membra; habéntes autem donatiónes secúndum grátiam, quæ data est nobis, differéntes: sive prophetíam secúndum ratiónem fídei, sive ministérium in ministrándo, sive qui docet in doctrína; sive qui exhortá-

tur in exhortándo, qui tríbuit in simplicitáte, qui præest in sollicitúdine, qui miserétur in hilaritáte.

Verbum Dómini.

2

Prædicamus Iesum Christum; nos autem servos vestros per Iesum.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 4, 1-2. 5-7

Fratres:

Habéntes administratiónem, iuxta quod misericórdiam consecúti sumus, non defícimus, sed abdicávimus occúlta dedécoris, non ambulántes in astútia, neque adulterántes verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo.

Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Iesum Christum Dóminum, nos autem servos vestros per Iesum; quóniam Deus, qui dixit: « De ténebris lux splendéscat », ipse illúxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ glóriæ Dei in fácie Iesu Christi.

Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis.

Verbum Dómini.

3

Dedit nobis ministerium reconciliationis.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 5, 14-20

Fratres:

Cáritas Christi urget nos; æstimántes hoc, quóniam, si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui

sunt; et pro ómnibus mórtuus est Christus, ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit. Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem; et si cognóvimus secúndum carnem Christum, sed nunc iam non nóvimus.

Si quis ergo in Christo nova creatúra, vétera transiérunt: ecce facta sunt nova; ómnia autem ex Deo, qui reconciliávit nos sibi per Christum et dedit nobis ministérium reconciliatiónis. Quóniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo: Reconciliámini Deo. — Verbum Dómini.

4

In opus ministerii,
in ædificationem corporis Christi.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
4, 1-7. 11-13

Fratres:

Obsecro vos, ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum longanimitáte supportántes ínvicem in caritáte; sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis.

Unum corpus et unus Spíritus, sicut et vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ; unus Dóminus, una fides, unum baptísma; unus Deus et Pater ómnium, qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.

Unicuíque autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Et ipse dedit quosdam quidem apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero

evangelístas, álios autem pastóres et doctóres: ad instructiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi, donec occurrámus omnes in unitátem fídei et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi. — Verbum Dómini.

5

Pro diaconis

Habentes mysterium fidei in conscientia pura.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Timótheum 3, 8-10. 12-13

Opórtet diáconos esse pudícos, non bilíngues, non multo vino déditos, non turpe lucrum sectántes, habéntes mystérium fídei in consciéntia pura. Et hi autem probéntur primum et deínde minístrent, nullum crimen habéntes.

Diáconi sint unius uxóris viri, qui fíliis suis bene præsint et suis dómibus. Qui enim bene ministráverint, gradum sibi bonum acquírent, et multam fidúciam in fide, quæ est in Christo Iesu. — Verbum Dómini.

6

Pro episcopis

* *Noli neglegere donationem quæ data est tibi impositione manuum presbyterii.*

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Timótheum 4, 12-16

Caríssime:

Nemo adulescéntiam tuam contémnat; sed exémplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, atténde lectióni, exhortatióni, doctrínæ.

Noli neglégere donatiónem quæ in te est, quæ data est tibi per prophetíam cum impositióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre, in his esto, ut proféctus tuus maniféstus sit ómnibus. Atténde tibi et doctrínæ, insta in illis: hoc enim fáciens, et teípsum salvum fácies, et qui te áudiunt. — Verbum Dómini.

---

vel 4, 12 b-16

Caríssime:

Exémplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, atténde lectióni, exhortatióni, doctrínæ.

Noli neglégere donatiónem quæ in te est, quæ data est tibi per prophetíam cum impositióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre, in his esto, ut proféctus tuus manifèstus sit ómnibus. Atténde tibi et doctrínæ, insta in illis; hoc enim fáciens, et teípsum salvum fácies, et qui te áudiunt. — Verbum Dómini.

7

Pro episcopis

Ut resuscites donationem Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Timótheum 1, 6-14

Caríssime:

Admóneo te, ut resúscites donatiónem Dei, quæ est in te per impositiónem mánuum meárum. Non enim dedit nobis Deus spíritum timóris, sed virtútis et dilectiónis et sobrietátis. Noli ítaque erubéscere testimó-

nium Dómini nostri, neque me vinctum eius; sed collabóra Evangélio secúndum virtútem Dei, qui nos salvos fecit et vocávit vocatióne sancta, non secúndum ópera nostra, sed secúndum propósitum suum et grátiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante témpora sæculária.

Manifestáta autem nunc per illustratiónem Salvatóris nostri Iesu Christi, qui destrúxit quidem mortem, illuminávit autem vitam et incorruptiónem per Evangélium: in quo pósitus sum ego prædicátor et apóstolus et doctor. Ob quam causam étiam hæc pátior, sed non confúndor. Scio enim cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem.

Formam habe sanórum verbórum, quæ a me audísti, in fide et dilectióne quæ sunt in Christo Iesu. Bonum depósitum custódi per Spíritum Sanctum, qui hábitat in nobis. — Verbum Dómini.

8

Christus appellatus est a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 5, 1-10

Omnis póntifex, ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in his, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis; qui æque condolére possit his qui ignórant et errant, quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte; et propter eam debet, quemádmodum et pro pópulo, ita étiam pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi illum honórem, sed qui vocátur a Deo tamquam et Aaron.

Sic et Christus non semetípsum glorificávit ut póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: « Fílius meus

es tu, ego hódie génui te »; quemádmodum et in álio dicit: « Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech ».

Qui, in diébus carnis suæ, preces supplicationésque ad eum, qui possit salvum illum a morte fácere, cum clamóre válido et lácrimis ófferens, et exaudítus pro sua reveréntia.

Et quidem, cum esset Fílius, dídicit ex his quæ passus est obœdiéntiam, et consummátus factus est ómnibus obœdiéntibus sibi auctor salútis ætérnæ, appellátus a Deo póntifex iuxta órdinem Melchísedech.

Verbum Dómini.

9

Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 4, 7 b-11

Caríssimi:

Estóte prudéntes et vigiláte in oratiónibus. Ante ómnia autem mútuam in vosmetípsos caritátem contínuam habéntes, quia « cáritas óperit multitúdinem peccatórum ».

Hospitáles ínvicem sine murmuratióne; unusquísque, sicut accépit donatiónem, in altérutrum illam administrántes, sicut boni dispensatóres multifórmis grátiæ Dei.

Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei; si quis minístrat, tamquam ex virtúte quam largítur Deus, ut in ómnibus glorificétur Deus per Iesum Christum, cui est glória et impérium in sǽcula sæculórum. Amen.

Verbum Dómini.

10

Pascite qui est in vobis gregem Dei.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 5, 1-4

Caríssimi:

Senióres, qui in vobis sunt, óbsecro consénior et testis Christi passiónum, qui et eius, quæ in futúro revelánda est, glóriæ communicátor: páscite qui est in vobis gregem Dei, providéntes non coácto, sed spontánee secúndum Deum, neque turpis lucri grátia, sed voluntárie; neque ut dominántes in cleris, sed formæ facti gregis.

Et, cum apparúerit Princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Io 15, 15 b

℟. Allelúia. ℣. Vos dixi amícos, dicit Dóminus,
quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo
nota feci vobis. ℟. Allelúia.

Vos estis lux mundi.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
5, 13-16

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Vos estis sal terræ; quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus.

Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita: neque accéndunt lucérnam et po-

nunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant vestra bona ópera, et glorífícent Patrem vestrum, qui in cælis est ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Mt 28, 19 a. 20 b

℟. Allelúia. ℣. Eúntes docéte omnes gentes;
ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi.
℟. Allelúia.

Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 9, 35-38

In illo témpore:

Circumíbat Iesus civitátes omnes et castélla, docens in synagógis eórum, et prǽdicans Evangélium Regni, et curans omnem languórem et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti et iacéntes sicut oves non habéntes pastórem.

Tunc dicit discípulis suis: « Messis quidem multa, operárii autem pauci; rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia Lc 4, 18 b-19 a

℟. Allelúia. ℣. Evangelizáre paupéribus
misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem. ℟. Allelúia.

Elegit Iesus duodecim Apostolos et misit eos.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
10, 1-5 a

In illo témpore:

Convocátis Iesus duódecim discípulis suis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut eícerent eos et curárent omnem languórem et omnem infirmitátem.

Duódecim autem Apostolórum nómina sunt hæc: primus Simon, qui dícitur Petrus, et Andréas frater eius, et Iacóbus Zebedǽi et Ioánnes frater eius, Philíppus et Bartholomǽus, Thomas et Matthǽus publicánus, Iacóbus Alphǽi et Taddǽus, Simon Cananǽus et Iudas Iscariótes, qui et trádidit eum.

Hos duódecim misit Iesus. — Verbum Dómini.

4

Alleluia Io 10, 14

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
et cognósco oves meas,
et cognóscunt me meæ. ℟. Allelúia.

Qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
20, 25-28

In illo témpore:

Ait Iesus discípulis suis: « Scitis quia príncipes géntium dominántur eórum, et qui magni sunt potestátem exércent in eos.

Non ita erit inter vos: sed quicúmque volúerit inter vos magnus fíeri, erit vester miníster; et quicúmque volúerit inter vos primus esse, erit vester servus.

Sicut Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre et dare ánimam suam redemptiónem pro multis ». — Verbum Dómini.

5

Alleluia Mt 28, 19 a. 20 b

℟. Allelúia. ℣. Eúntes docéte omnes gentes;
ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi.
℟. Allelúia.

Messis quidem multa, operarii autem pauci.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 1-9

In illo témpore:

Designávit Dóminus álios septuagínta duos; et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus.

Et dicébat illis: « Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam.

Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta; et néminem per viam salutavéritis.

In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: « Pax huic dómui »; et, si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illam pax vestra; sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt; dignus enim est operárius mercéde sua.

Nolíte transíre de domo in domum; et, in quamcúmque civitátem intravéritis et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis, et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: " Appropinquávit in vos Regnum Dei " ». — Verbum Dómini.

6

Alleluia Io 15, 15 b

℟. Allelúia. ℣. Vos dixi amícos, dicit Dóminus,
quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo
nota feci vobis. ℟. Allelúia.

*Beati servi, quos, cum venerit dominus,
invenerit vigilantes.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 12, 35-44

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sint lumbi vestri præcíncti et lucérnæ ardéntes, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei.

Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes; amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et, si vénerit in secúnda vigília et si in tértia vigília vénerit et ita invénerit, beáti sunt illi.

Hoc autem scitóte quia, si sciret paterfamílias qua hora fur veníret, non síneret perfodíri domum suam. Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis venit ».

Ait autem Petrus: « Dómine, ad nos dicis hanc parábolam, an et ad omnes? »

Et dixit Dóminus: « Quis, putas, est fidélis dispensátor et prudens, quem constítuet dóminus supra famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus eius, invénerit ita faciéntem. Vere dico vobis: Supra ómnia quæ póssidet constítuet illum ». — Verbum Dómini.

7

Alleluia Io 10, 14

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
et cognósco oves meas,
et cognóscunt me meæ. ℟. Allelúia.

Hoc facite in meam commemorationem. Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 22, 14-20. 24-30

Cum facta esset hora, discúbuit Iesus et Apóstoli cum eo.

Et ait illis: « Desidério desiderávi hoc pascha manducáre vobíscum ántequam pátiar. Dico enim vobis: Non manducábo illud, donec impleátur in Regno Dei ».

Et, accépto cálice, grátias egit, et dixit: « Accípite hoc et divídite inter vos. Dico enim vobis: Non bibam ámodo de generatióne vitis, donec Regnum Dei véniat ».

Et, accépto pane, grátias egit et fregit, et dedit eis dicens: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc fácite in meam commemoratiónem ».

Simíliter et cálicem, postquam cenávit, dicens: « Hic calix novum testaméntum est in sánguine meo, qui pro vobis fúnditur ».

Facta est autem et conténtio inter eos, quis eórum viderétur esse maior.

Dixit autem eis: « Reges géntium dominántur eórum, et qui potestátem habent super eos " benéfici " vocántur. Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis fiat sicut iúnior, et qui præcéssor est sicut ministrátor.

Nam quis maior est, qui recúmbit an qui minístrat? nonne qui recúmbit? Ego autem in médio vestrum sum sicut qui minístrat.

Vos autem estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis; et ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus, Regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in Regno meo, et sedeátis super thronos iudicántes duódecim tribus Israel ». — Verbum Dómini.

8

Alleluia Io 10, 14

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
et cognósco oves meas,
et cognóscunt me meæ. ℟. Allelúia.

Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 10, 11-16

In illo témpore:

Dixit Iesus: « Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus. Mercenárius et qui non est pastor, cuius non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem et dimíttit oves et fugit, et lupus rapit eas et dispérgit, quia mercenárius est et non pértinet ad eum de óvibus.

Ego sum pastor bonus, et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem; et ánimam meam pono pro óvibus.

Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli, et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fient unus grex, unus pastor ». — Verbum Dómini.

9

Alleluia Io 12, 26 a

℟. Allelúia. ℣. Si quis mihi minístrat, me sequátur,
dicit Dóminus;
et ubi sum ego, illic et minístér meus erit.
℟. Allelúia.

Si quis mihi ministrat, me sequatur.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 12, 24-26

In illo témpore:

Respóndit Iesus Andréæ et Philíppo, dicens: « Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet; si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert.

Qui amat ánimam suam, perdit eam; et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódiet eam.

Si quis mihi minístrat, me sequátur; et, ubi sum ego, illic et minístér meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater ». — Verbum Dómini.

10

Alleluia Io 15, 15 b

℟. Allelúia. ℣. Vos dixi amícos, dicit Dóminus,
quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo
nota feci vobis. ℟. Allelúia.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 9-17

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta

mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea; sicut ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos. Maiórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si faciétis quæ ego præcípio vobis.

Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid facit dóminus eius: vos autem dixi amícos, quia ómnia quæ audívi a Patre meo nota feci vobis.

Non vos me elegístis, sed ego elégi vos, et pósui vos, ut vos eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat, ut, quodcúmque petiéritis Patrem in Nómine meo, det vobis.

Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem ».

Verbum Dómini.

11

Alleluia Io 10, 14

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
et cognósco oves meas,
et cognóscunt me meæ. ℟. Allelúia.

Pro eis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 6. 14-19

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, manifestávi Nomen tuum homínibus, quos dedísti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedísti; et sermónem tuum servavérunt.

Ego dedi eis sermónem tuum, et mundus ódio eos hábuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex Malo.

De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo. Sanctífica eos in veritáte. Sermo tuus véritas est. Sicut me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum.

Et pro eis ego sanctífico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte ». — Verbum Dómini.

12

Alleluia — Lc 4, 18 a-19 a

℟. Allelúia. ℣. Evangelizáre paupéribus
misit me Dóminus,
prædicáre captívis remissiónem.
℟. Allelúia.

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos:
Accipite Spiritum Sanctum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 20, 19-23

Cum esset sero die illo, prima sabbatórum, et fores essent clausæ, ubi erant discípuli propter metum Iudæórum, venit Iesus, et stetit in médio, et dicit eis: « Pax vobis ».

Et, cum hoc dixísset, osténdit eis manus et latus. Gavísi sunt ergo discípuli, viso Dómino.

Dixit ergo eis íterum: « Pax vobis: sicut misit me Pater, et ego mitto vos ».

Et cum hoc dixísset, insufflávit et dicit eis: « Accípite Spíritum Sanctum: quorum remiséritis peccáta, remíssa sunt eis; quorum retinuéritis, reténta sunt ».

Verbum Dómini.

13

Alleluia Io 10, 14

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
et cognósco oves meas,
et cognóscunt me meæ. ℟. Allelúia.

Pasce agnos meos, pasce oves meas.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
21, 15-17

Cum manifestásset se Iesus discípulis suis et prandísset cum eis, dicit Simóni Petro: « Simon Ioánnis, díligis me plus his? »

Dicit ei: « Etiam, Dómine, tu scis quia amo te ».

Dicit ei: « Pasce agnos meos ».

Dicit ei íterum secúndo: « Simon Ioánnis, díligis me? »

Ait illi: « Etiam, Dómine, tu scis quia amo te ».

Dicit ei: « Pasce oves meas ».

Dicit ei tértio: « Simon Ioánnis, amas me? »

Contristátus est Petrus, quia dixit ei tértio: « Amas me? » et dicit ei: « Dómine, tu ómnia scis; tu scis quia amo te ».

Dicit ei: « Pasce oves meas ». — Verbum Dómini.

III. AD MINISTRANDUM VIATICUM

Extra dominicas Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, et extra sollemnitates atque ferias IV Cinerum et totius Hebdomadæ sanctæ, dici potest vel Missa de Ss.ma Eucharistia (p. 1683) vel, pro opportunitate, Missa pro infirmis (p. 1577), cum orationibus quæ sequuntur.

Lectiones sumuntur ex iis quæ infra (pp. 1579-1587) vel in Ordine Unctionis infirmorum proponuntur, nisi utilitas infirmi et astantium alias lectiones seligere suadeat.

Quando tamen Missa votiva prohibetur, una e lectionibus sumi potest e textibus de quibus supra, nisi occurrat Triduum sacrum, sollemnitas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi vel alia sollemnitas de præcepto servanda.

Collecta

Deus, cuius Fílius nobis est via, véritas et vita,
réspice cleménter fámulum tuum N.
et præsta, ut, tuis promissiónibus se commíttens,
et Córpore Fílii tui recreátus,
ad regnum tuum progrediátur in pace. Per Dóminum.

Super oblata

Sacrifícium nostrum, Pater sancte, intuére benígnus,
ut Agnum tibi paschálem repræséntet,
cuius pássio paradísi iánuas reserávit, et fámulum tuum N.
in ætérnum munus per grátiam tuam introdúcat.
Per Christum.

Post communionem

Dómine, qui es salus ætérna in te credéntium,
præsta, quæsumus, ut fámulus tuus N.,
cælésti pane potúque reféctus,
in regnum lúminis et vitæ secúrus pervéniat.
Per Christum.

13

Alleluia Io 10, 14

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
et cognósco oves meas,
et cognóscunt me meæ. ℟. Allelúia.

Pasce agnos meos, pasce oves meas.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
21, 15-17

Cum manifestásset se Iesus discípulis suis et prandísset cum eis, dicit Simóni Petro: « Simon Ioánnis, díligis me plus his? »

Dicit ei: « Etiam, Dómine, tu scis quia amo te ».

Dicit ei: « Pasce agnos meos ».

Dicit ei íterum secúndo: « Simon Ioánnis, díligis me? »

Ait illi: « Etiam, Dómine, tu scis quia amo te ».

Dicit ei: « Pasce oves meas ».

Dicit ei tértio: « Simon Ioánnis, amas me? »

Contristátus est Petrus, quia dixit ei tértio: « Amas me? » et dicit ei: « Dómine, tu ómnia scis; tu scis quia amo te ».

Dicit ei: « Pasce oves meas ». — Verbum Dómini.

III. AD MINISTRANDUM VIATICUM

Extra dominicas Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, et extra sollemnitates atque ferias IV Cinerum et totius Hebdomadæ sanctæ, dici potest vel Missa de Ss.ma Eucharistia (p. 1683) vel, pro opportunitate, Missa pro infirmis (p. 1577), cum orationibus quæ sequuntur.

Lectiones sumuntur ex iis quæ infra (pp. 1579-1587) vel in Ordine Unctionis infirmorum proponuntur, nisi utilitas infirmi et astantium alias lectiones seligere suadeat.

Quando tamen Missa votiva prohibetur, una e lectionibus sumi potest e textibus de quibus supra, nisi occurrat Triduum sacrum, sollemnitas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi vel alia sollemnitas de præcepto servanda.

Collecta

Deus, cuius Fílius nobis est via, véritas et vita,
réspice cleménter fámulum tuum N.
et præsta, ut, tuis promissiónibus se commíttens,
et Córpore Fílii tui recreátus,
ad regnum tuum progrediátur in pace. Per Dóminum.

Super oblata

Sacrifícium nostrum, Pater sancte, intuére benígnus,
ut Agnum tibi paschálem repræséntet,
cuius pássio paradísi iánuas reserávit, et fámulum tuum N.
in ætérnum munus per grátiam tuam introdúcat.
Per Christum.

Post communionem

Dómine, qui es salus ætérna in te credéntium,
præsta, quǽsumus, ut fámulus tuus N.,
cælésti pane potúque reféctus,
in regnum lúminis et vitæ secúrus pervéniat.
Per Christum.

IV. PRO SPONSIS

1. IN CELEBRATIONE MATRIMONII

Quoties Matrimonium intra Missam celebratur, dicitur, cum sacris vestibus coloris albi, Missa « Pro sponsis ». Occurrente tamen dominica vel sollemnitate, dicitur Missa de die, retentis in ea benedictione super sponsam et sponsum atque, pro opportunitate, formula propria benedictionis finalis.

Cum tamen liturgia verbi celebrationi Matrimonii aptata magnam vim habeat in catechesi de ipso Sacramento et de muneribus coniugum tradenda, quando Missa « Pro sponsis » prohibetur (nisi occurrant Triduum sacrum, sollemnitates Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes et Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, vel aliæ sollemnitates de præcepto servandæ), una e lectionibus sumi potest e textibus pro celebratione Matrimonii prævisis. In dominicis insuper temporis Nativitatis et « per annum », si Missa in qua celebratur Matrimonium a communitate parœciali non participatur, dici potest etiam integra Missa « Pro sponsis ».

Si Matrimonium celebratur tempore Adventus vel Quadragesimæ aliisve diebus indolem pænitentialem præseferentibus, parochus sponsos moneat, ut rationem habeant peculiaris naturæ horum temporum liturgicorum.

A

Ant. ad introitum Ps 19, 3. 5

Mittat vobis Dóminus auxílium de sancto,
et de Sion tueátur vos.
Tríbuat vobis secúndum cor vestrum,
et omne consílium vestrum confírmet.

Collecta

Deus, qui tam excellénti mystério
coniugále vínculum consecrásti,
ut Christi et Ecclésiæ sacraméntum
præsignáres in fœdere nuptiárum,

præsta, quǽsumus, his fámulis tuis,
ut, quod fide percípiunt, ópere persequántur.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui, in humáno génere creándo,
unitátem inter virum et mulíerem esse voluísti,
fámulos tuos, qui coniugáli copulándi sunt fœdere,
uníus vínculo dilectiónis astrínge,
ut, quos in caritáte fructificáre largíris,
ipsíus caritátis testes esse concédas. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1288-1314.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine,
pro sacra connúbii lege munus oblátum,
et cuius largítor es óperis,
esto dispósitor. Per Christum.

Præfatio: De dignitate fœderis nuptiarum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Qui fœdera nuptiárum blando concórdiæ iugo
et insolúbili pacis vínculo nexuísti,
ut multiplicándis adoptiónum líliis
sanctórum connubiórum fecúnditas pudíca servíret.

Tua enim, Dómine, providéntia,
tuáque grátia ineffabílibus modis
utrúmque dispénsas,
ut, quod generátio ad mundi prodúxit ornátum,
regenerátio ad Ecclésiæ perdúcat augméntum:
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem, cum Angelis et ómnibus Sanctis,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Hanc ígitur proprium. Verba, quæ uncis includuntur, omitti possunt pro opportunitate.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulórum tuórum N. et N.
totiúsque famíliæ tuæ,
quæ pro illis tuam maiestátem exórat,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias:
et sicut eos ad diem nuptiárum perveníre tribuísti,
sic (tuo múnere desideráta sóbole gaudére profícias,
atque) ad optátam sériem próvehas benígnus annórum.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

Oratio super sponsam et sponsum

Dicto Pater noster et omisso Líbera nos, sacerdos, stans ad sponsos conversus, dicit super eos benedictionem quæ sequitur.

In invitatorio, si unus ex sponsis vel ambo non communicant, omitti possunt verba Christi Córporis et Sánguinis sacraménto.

In oratione Deus, qui potestáte, possunt omitti, pro opportunitate, duæ ex tribus paragraphis Deus, qui potestáte; Deus, qui tam excellénti; Deus, per quem múlier; ea tantum retenta paragrapho, quæ respondeat lectioni Missæ.

In ultima paragrapho huius orationis, verba uncis inclusa omitti possunt, sicubi rerum adiuncta id suadere videantur, ex. gr. si sponsi sint superadulti.

Sacerdos stans, manibus iunctis, dicit:

Dóminum, fratres caríssimi, supplíciter deprecémur,
ut super hanc fámulam suam,
quæ huic sponso nupsit in Christo,
benedictiónem grátiæ suæ cleménter effúndat,
et quos fœdere sancto coniúnxit
(Christi Córporis et Sánguinis sacraménto)
una fáciat caritáte concórdes.

Et omnes per breve tempus in silentio orant. Deinde sacerdos, manibus extensis, prosequitur:

* Deus, qui potestáte virtútis tuæ
de níhilo cuncta fecísti,
qui, dispósitis universitátis exórdiis
et hómine ad imáginem tuam facto,
inseparábile viro mulíeris adiutórium condidísti,
ut iam non duo essent, sed una caro,
docens quod unum placuísset institui
numquam licére disiúngi:

* Deus, qui tam excellénti mystério
coniugálem cópulam consecrásti,
ut Christi et Ecclésiæ sacraméntum
præsignáres in fœdere nuptiárum:

* Deus, per quem múlier iúngitur viro,
et socíetas, principáliter ordináta,
ea benedictióne donátur,
quæ sola nec per originális peccáti pœnam
nec per dilúvii est abláta senténtiam:

Réspice propítius super hanc fámulam tuam,
quæ, maritáli iuncta consórtio,
tua se éxpetit benedictióne muníri:
sit in ea grátia dilectiónis et pacis,
imitatríxque sanctárum permáneat feminárum,
quarum in Scriptúris laudes prædicántur.

Confídat in ea cor viri sui,
qui, parem sóciam et grátiæ vitæ coherédem agnóscens,
eam honóre débito prosequátur
eóque díligat semper amóre,
quo Christus suam diléxit Ecclésiam.

Et nunc te, Dómine, deprecámur,
ut hi fámuli tui nexi fídei mandatísque permáneant,
et, uni thoro iuncti,
morum sint integritáte conspícui;
Evangélii róbore communíti,
bonum Christi testimónium ómnibus maniféstent;
(in sóbole sint fecúndi,
sint paréntes virtútibus comprobáti;
vídeant ambo fílios filiórum suórum)
et, optátam demum senectútem adépti,
ad beatórum vitam et ad cæléstia regna pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Missa deinde prosequitur more solito.

Ant. ad communionem — Cf. Eph 5, 25. 27

Christus diléxit Ecclésiam et seípsum trádidit pro ea, ut exhibéret sibi uxórem sanctam et immaculátam.

Post communionem

Huius, Dómine, sacrifícii virtúte,
institúta providéntiæ tuæ
pio favóre comitáre,
ut, quos sancta societáte iunxísti
(et uno pane unóque cálice satiásti)
una étiam fácias caritáte concórdes.
Per Christum.

Benedictio in fine Missæ

Deus Pater ætérnus
in mútuo vos servet amóre concórdes,
ut pax Christi hábitet in vobis,
et in domo vestra iúgiter máneat.
℟. Amen.

Benedictiónem habeátis in fíliis,
ab amícis solácium,
et veram cum ómnibus pacem.
℟. Amen.

Caritátis Dei testes sitis in mundo,
ut, quos afflícti et egéni benígnos invénerint,
in ætérna Dei tabernácula
vos grati aliquándo recípiant.
℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

B

Ant. ad introitum — Ps 89, 14. 17

Repléti sumus mane, Dómine, misericórdia tua,
et exsultávimus et delectáti sumus
ómnibus diébus nostris.
Sit splendor Dómini super nos
et super ópera mánuum nostrárum.

Collecta

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et super hos fámulos tuos

grátiam tuam benígnus effúnde,
ut qui apud tua coniungúntur altária
in mútua caritáte firméntur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1288-1314.

Super oblata

Múnera, quæ tibi, Dómine,
lætántes offérimus,
benígnus assúme,
et, quos sacraménti fœdere coniunxísti,
patérna pietáte custódi.
Per Christum.

Præfatio: De magno sacramento Matrimonii.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
Quia novum nexuísti cum tuo pópulo testaméntum,
ut, quem mortis et resurrectiónis redemísses mystério,
divínæ in Christo fáceres natúræ consórtem
eiúsque in cælis glóriæ coherédem.
Cuius piíssimam grátiæ largitátem
in viri mulierísque significásti connúbio,
ut ad ineffábile tui amóris consílium
nos revocáret quod ágitur sacraméntum.

Et ídeo, cum Angelis et ómnibus Sanctis,
te laudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Hanc ígitur proprium. Verba, quæ uncis includuntur, omitti possunt pro opportunitate.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulórum tuórum N. et N.
totiúsque famíliæ tuæ,
quæ pro illis tuam maiestátem exórat,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias:
et sicut eos ad diem nuptiárum perveníre tribuísti,
sic (tuo múnere desideráta sóbole gaudére profícias,
atque) ad optátam sériem próvehas benígnus annórum.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

Oratio super sponsam et sponsum

Dicto Pater noster et omisso Líbera nos, sacerdos, stans ad sponsos conversus, dicit super eos benedictionem quæ sequitur.

In oratione Pater sancte omitti potest, pro opportunitate, una ex duabus paragraphis Pater sancte; Deus, qui, ad amóris, ea tantum retenta paragrapho quæ respondeat lectioni Missæ.

Sacerdos stans, manibus iunctis, dicit:

Super hos sponsos, qui, matrimónium ineúntes,
ad altáre accédunt,
ut (Christi Córporis Sanguinísque partícipes)
mútua semper dilectióne nectántur,
Dóminum deprecémur.

Et omnes per breve tempus in silentio orant. Deinde sacerdos, manibus extensis, prosequitur:

* Pater sancte,
qui hóminem ad imáginem tuam cónditum
másculum creásti et féminam,
ut vir et múlier, in carnis et cordis unitáte coniúncti,
munus suum in mundo adimplérent:

* Deus, qui, ad amóris tui consílium revelándum,
in mútua dilectióne sponsórum
fœdus illud adumbrári voluísti,
quod ipse cum pópulo tuo iníre dignátus es,
ut, sacraménti significatióne compléta,
in fidélium tuórum coniugáli consórtio
Christi et Ecclésiæ nuptiále patéret mystérium:
super hos fámulos tuos (N. et N.)
déxteram tuam, quǽsumus, propitiátus exténde.

Præsta, Dómine,
ut, in huius quod íneunt sacraménti consórtio,
inter se amóris tui dona commúnicent,
et, præséntiæ tuæ signum ínvicem ostendéntes,
cor unum fiant et ánima una.
Da étiam, Dómine,
ut domum, quam ædíficant, ópere quoque susténtent,
filiósque suos, evangélica disciplína formátos,
cæléstí famíliæ tuæ prǽparent cooptándos.

Hanc fámulam tuam N.
tuis dignéris benedictiónibus cumuláre,
ut, uxóris ac matris múnera complens,
casta suam domum dilectióne refóveat,
et grátia décoret affábili.
Hunc étiam fámulum tuum N.
cæléstí, Dómine, benedictióne proséquere,
ut maríti fidélis offícia digne persólvat
et próvidi patris.

Concéde, Pater sancte,
ut, qui coram te coniúgio copuláti
ad mensam tuam accédere cúpiunt,
cæléste aliquándo convívium participáre læténtur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Missa deinde prosequitur more solito.

Ant. ad communionem Io 13, 34

Mandátum novum do vobis, ut diligátis ínvicem,
sicut diléxi vos, dicit Dóminus.

Post communionem

Mensæ tuæ partícipes effécti,
quǽsumus, Dómine,
ut, qui nuptiárum iungúntur sacraménto,
tibi semper adhǽreant,
et tuum homínibus nomen annúntient.
Per Christum.

Benedictio in fine Missæ

Deus Pater omnípotens gáudium suum vobis concédat
et in fíliis vos benedícat.
℟. Amen.

Unigénitus Dei Fílius in prósperis et advérsis
vobis miserátus assístat.
℟. Amen.

Spíritus Dei Sanctus caritátem suam
in corda vestra semper effúndat.
℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus,
℟. Amen.

C

Ant. ad introitum Ps 144, 2. 9

Per síngulos dies benedícam tibi, Dómine,
et laudábo nomen tuum in sǽculum sǽculi,
quia suávis es univérsis,
et miseratiónes tuæ super ómnia ópera tua.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut hi fámuli tui, nuptiárum sacramento iungéndi,
in fide quam profiténtur accréscant,
et sóbole fidéli tuam ditent Ecclésiam. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1288-1314.

Super oblata

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et has oblatiónes, quas tibi pro his fámulis tuis
sancto fœ́dere copulátis offérimus,
benígno súscipe vultu,
ut per hæc mystéria
in mútua caritáte tuóque amóre firméntur.
Per Christum.

Præfatio: De Matrimonio ut signum divinæ caritatis.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Qui hóminem pietátis tuæ dono creátum
ad tantam voluísti dignitátem extólli,
ut in viri mulierísque consórtio
veram relínqueres tui amóris imáginem;
quem enim ex caritáte creásti,
eum ad caritátis legem vocáre non désinis,
ut ætérnæ tuæ caritátis partícipem esse concédas.

Cuius connúbii sancti mystérium
dum tuæ dilectiónis signum exsístit,
amórem sacrat humánum:
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem, cum Angelis et ómnibus Sanctis,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Hanc ígitur *proprium. Verba, quæ uncis includuntur, omitti possunt pro opportunitate.*

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulórum tuórum N. et N.
totiúsque famíliæ tuæ,
quæ pro illis tuam exórat maiestátem,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias:
et sicut eos ad diem nuptiárum perveníre tribuísti,
sic (tuo múnere desideráta sóbole gaudére profícias,
atque) ad optátam sériem próvehas benígnus annórum.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

Oratio super sponsam et sponsum

Dicto Pater noster *et omisso* Líbera nos, *sacerdos, stans ad sponsos conversus, dicit super eos benedictionem quæ sequitur:*

Précibus nostris, fratres caríssimi,
super hos sponsos
Dei benedictiónem súpplices invocémus,
ut ipse suo fóveat benígnus auxílio,
quos ditávit connúbii sacraménto.

Et omnes per breve tempus in silentio orant. Deinde sacerdos, manibus extensis, prosequitur:

Pater sancte, mundi cónditor univérsi,
qui virum atque mulíerem
ad imáginem tuam creásti,

eorúmque societátem tua voluísti benedictióne cumulári,
te pro hac sponsa humíliter deprecámur,
quæ hódie viro suo nuptiárum iúngitur sacraménto.

Super eam, Dómine, eiúsque vitæ consórtem
benedíctio tua copiósa descéndat,
ut, dum mútuo connúbii dono fruúntur,
famíliam ornent províliis, ditent Ecclésiam.

Læti te laudent, Dómine, te mæsti requírant;
te in labóribus sibi gáudeant adésse ut fáveas,
te séntiant in necessitátibus astáre ut lénias;
te in cœtu sancto precéntur,
tuos in mundo se testes osténdant;
et, adépti prósperam senectútem
cum hac qua circumdántur amicórum coróna,
ad cæléstia regna pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Missa deinde prosequitur more solito.

Ant. ad communionem — Ps 33, 1. 9

Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.
Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo.

Post communionem

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut accépti virtus sacraménti
in his fámulis tuis sumat augméntum,
et hóstiæ quam obtúlimus
a nobis ómnibus percipiátur efféctus.
Per Christum.

Benedictio in fine Missæ

Dóminus Iesus,
qui núptiis in Cana adésse dignátus est,
vobis et propínquis vestris
benedictiónem suam largiátur.

℟. Amen.

Ipse, qui Ecclésiam diléxit in finem,
amórem suum in corda vestra
indesinénter effúndat.

℟. Amen.

Det vobis Dóminus,
ut, eius resurrectiónis fidem testántes,
beátam spem exspectétis in gáudio.

℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

Lectio prima

1

Masculum et feminam creavit eos.

Léctio libri Génesis 1, 26-28. 31 a

Ait Deus: « Faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram; et præsit píscibus maris et volatílibus cæli, et béstiis universǽque terræ, omníque réptili, quod movétur in terra ».

Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam; ad imáginem Dei creávit illum: másculum et féminam creávit eos.

Benedixítque illis Deus et ait: « Créscite et multiplicámini, et repléte terram, et subícite eam, et dominámini píscibus maris et volatílibus cæli et univérsis animántibus, quæ movéntur super terram ».

Vidítque Deus cuncta quæ fécerat, et erant valde bona. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 32, 12 et 18. 20-21. 22 (℟.: 5 b)

℟. Misericórdia Dómini plena est terra.

12 Beáta gens, cui Dóminus est Deus,
pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.
18 Ecce óculi Dómini super metuéntes eum,
in eos qui sperant super misericórdia eius. ℟.

20 Anima nostra sústinet Dóminum,
quóniam adiútor et protéctor noster est;
21 quia in eo lætábitur cor nostrum,
et in nómine sancto eius sperávimus. ℟.

22 Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos,
quemádmodum sperávimus in te. ℟.

2

Et erunt duo in carne una.

Léctio libri Génesis 2, 18-24

Dixit Dóminus Deus: « Non est bonum esse hóminem solum; faciámus ei adiutórium símile sibi ».

Formátis ígitur, Dóminus Deus, de humo cunctis animántibus terræ et univérsis volatílibus cæli, addúxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea; omne enim quod vocávit Adam ánimæ vivéntis ipsum est nomen eius. Appellavítque Adam nomínibus suis cuncta animántia, et univérsa volatília cæli, et omnes béstias terræ. Adæ vero non inveniebátur adiútor símilis eius.

Immísit ergo Dóminus Deus sopórem in Adam; cumque obdormísset, tulit unam de costis eius, et replévit carnem pro ea, et ædificávit Dóminus Deus costam, quam túlerat de Adam, in mulíerem, et addúxit eam ad Adam.

Dixítque Adam: « Hoc nunc os ex óssibus meis, et caro de carne mea: hæc vocábitur " Virágo ", quóniam de viro sumpta est ».

Quámobrem relínquet homo patrem suum et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 148, 1-2. 3-4. 9-10. 11-13 (℟.: cf. 12 c)

℟. Laudáte nomen Dómini.
vel Allelúia.

1 Laudáte Dóminum de cælis,
laudáte eum, in excélsis.
2 Laudáte eum, omnes ángeli eius,
laudáte eum, omnes virtútes eius. ℟.

3 Laudáte eum, sol et luna,
laudáte eum, omnes stellæ et lumen.
4 Laudáte eum, cæli cælórum,
et aquæ omnes quæ super cælos sunt. ℟.

9 Montes et omnes colles,
ligna fructífera et omnes cedri,
10 béstiæ et univérsa pécora,
serpéntes et vólucres pennátæ. ℟.

11 Reges terræ et omnes pópuli,
príncipes et omnes iúdices terræ,
12 iúvenes et vírgines,
senes cum iunióribus,
13 laudent nomen Dómini,
quia exaltátum est nomen eius solíus. ℟.

3

Tantum dilexit Isaac Rebeccam, ut dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.

Léctio libri Génesis 24, 48-51. 58-67

In diébus illis:

Servus Abraham dixit ad Laban: « Benedíxi Dómino Deo dómini mei Abraham, qui perdúxit me recto itínere, ut súmerem fíliam fratris dómini mei fílio eius. Quámobrem, si fácitis misericórdiam et veritátem cum dómino meo, indicáte mihi; sin autem áliud placet, et hoc dícite mihi, ut vadam ad déxteram sive ad sinístram ».

Responderúntque Laban et Báthuel: « A Dómino egréssus est sermo; non póssumus extra plácitum eius quidquam áliud loqui tecum. En Rebécca coram te est; tolle eam et profícíscere, et sit uxor fílii dómini tui, sicut locútus est Dóminus ».

Cumque vocáta venísset, sciscitáti sunt: « Vis ire cum hómine isto? »

Quæ ait: « Vadam ».

Dimisérunt ergo eam et nutrícem illíus, servúmque Abraham et cómites eius, imprecántes próspera soróri suæ atque dicéntes: « Soror nostra es, crescas in mille mília, et possídeat semen tuum portas inimicórum suórum ». Igitur Rebécca et puéllæ illíus, ascénsis camélis, secútæ sunt virum, qui festínus revertebátur ad dóminum suum.

Eo autem témpore deambulábat Isaac per viam quæ ducit ad púteum, cuius nomen est « Vivéntis et Vidéntis »; habitábat enim in terra austráli. Et egréssus fúerat ad meditándum in agro, inclináta iam die. Cumque elevásset óculos, vidit camélos veniéntes procul.

Rebécca quoque, conspécto Isaac, descéndit de camélo, et ait ad púerum: « Quis est ille homo, qui venit per agrum in occúrsum nobis? »

Dixítque ei: « Ipse est dóminus meus ». At illa tollens cito pállium opéruit se. Servus autem cuncta quæ gésserat narrávit Isaac. Qui introdúxit eam in tabernáculum Saræ matris suæ, et accépit eam uxórem; et in tantum diléxit eam, ut dolórem, qui ex morte matris eius accíderat, temperáret. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 144, 8-9. 10 et 15. 17-18 (℟.: 9 a)

℟. Suávis Dóminus univérsis.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Suávis Dóminus univérsis,
et miseratiónes eius super ómnia ópera eius. ℟.

10 Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;
et sancti tui benedícant tibi.

15 Oculi ómnium in te sperant,
et tu das illis escam in témpore opportúno. ℟.
17 Iustus Dóminus in ómnibus viis suis,
et sanctus in ómnibus opéribus suis.
18 Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum,
ómnibus invocántibus eum in veritáte. ℟.

4

Ipse coniungat vos impleatque benedictionem suam in vobis

Léctio libri Tobíæ 7, 9 c-10. 11 c-17

In diébus illis:

Cum hortarétur Ráguel eum discúmbere ad prándium, Tobías dixit: « Hic ego hódie non manducábo neque bibam, nisi prius petitiónem meam confírmes, et promíttas mihi dare Saram fíliam tuam ».

Cum nutáret Ráguel et non daret peténti ullum respónsum, dixit ei Angelus: « Noli timére dare eam isti, quóniam huic timénti Deum debétur coniux fília tua; proptérea álius non pótuit habére illam ».

Tunc dixit Ráguel: « Non dúbito quod Deus preces et lácrimas meas in conspéctu suo admíserit, et credo quóniam ídeo fecit vos veníre ad me, ut ista coniungerétur cognatióni suæ secúndum legem Móysi, et nunc noli dúbium gérere quod tibi eam tradam ».

Et apprehéndens déxteram fíliæ, déxteræ Tobíæ trádidit, dicens: « Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob vobíscum sit, et ipse coniúngat vos impleátque benedictiónem suam in vobis ».

Et accépta charta, fecérunt conscriptiónem coniúgii. Et post hæc epuláti sunt, benedicéntes Deum.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 32, 12 et 18. 20-21. 22 (℟.: 5 b)

℟. Misericórdia Dómini plena est terra.

12 Beáta gens, cui Dóminus est Deus,
pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.
18 Ecce óculi Dómini super metuéntes eum,
in eos qui sperant super misericórdia eius. ℟.

20 Anima nostra sústinet Dóminum,
quóniam adiútor et protéctor noster est;
21 quia in eo lætábitur cor nostrum,
et in nómine sancto eius sperávimus. ℟.

22 Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos,
quemádmodum sperávimus in te. ℟.

5

Consenescamus ambo pariter sani.

Léctio libri Tobíæ 8, 5-10

Sero nuptiárum Tobías dixit Saræ: « Fílii sanctórum sumus et non póssumus ita coniúngi sicut gentes quæ ignórant Deum ». Surgéntes autem páriter instánter orábant ambo simul, ut sánitas darétur eis.

Dixítque Tobías: « Dómine Deus patrum nostrórum, benedícant te cæli et terræ, maréque et fontes et flúmina, et omnes creatúræ tuæ quæ in eis sunt. Tu fecísti Adam de limo terræ, dedistíque ei adiutórium Evam.

Et nunc, Dómine, tu scis quia non luxúriæ causa accípio sorórem meam cóniugem, sed sola posteritátis dilectióne, in qua benedicátur nomen tuum in sǽcula sæculórum ».

Dixit quoque Sara: « Miserére nobis, Dómine, miserére nobis, et consenescámus ambo páriter sani ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 1-2. 8 et 13. 17-18 a (℟.: 8 a)

℟. Miserátor et miséricors Dóminus.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se. ℟.

17 Misericórdia autem Dómini ab ætérno,
et usque in ætérnum super timéntes eum,
et iustítia illíus in fílios filiórum;
18 in eos qui servant testaméntum eius. ℟.

6

Fortis est ut mors dilectio.

Léctio Cántici canticórum 2, 8-10. 14. 16 a; 8, 6-7 a

Vox dilécti mei: Ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles. Símilis est diléctus meus cápreæ hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos.

En diléctus meus lóquitur mihi: « Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni, colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra ».

Diléctus meus mihi, et ego illi.

Qui dixit mihi: « Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super brácchium tuum, quia

fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio, lámpades eius lámpades ignis atque flammárum.

Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 127, 1-2. 3. 4-5 (℟.: 4)

℟. Ecce sic benedicétur homo, qui timet Dóminum.

1 Beátus omnis qui timet Dóminum,
qui ámbulat in viis eius.
2 Labóres mánuum tuárum manducábis,
beátus es, et bene tibi erit. ℟.

3 Uxor tua sicut vitis fructífera
in latéribus domus tuæ;
fílii tui sicut novéllæ olivárum
in circúitu mensæ tuæ. ℟.

4 Ecce sic benedicétur homo,
qui timet Dóminum.
5 Benedícat tibi Dóminus ex Sion,
et vídeas bona Ierúsalem
ómnibus diébus vitæ tuæ. ℟.

7

Sicut sol oriens, sic mulieris bonæ species
in ornamentum domus eius.

Léctio libri Sirácidæ 26, 1-4. 16-21

Mulíeris bonæ beátus vir; númerus enim annórum illíus duplex. Múlier fortis obléctat virum suum, et annos vitæ illíus in pace implébit.

Pars bona múlier bona, in parte timéntium Deum dábitur viro pro factis bonis; dívitis autem et páuperis cor bonum, in omni témpore vultus illórum hílaris.

Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et ossa illíus impinguábit disciplína illíus. Datum Dei est múlier sensáta et tácita, non est immutátio erudítæ ánimæ. Grátia super grátiam múlier sancta et pudoráta. Omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ.

Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus eius.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9 (℟.: 2 a)

℟. Benedícam Dóminum in omni témpore.

2 Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.
3 In Dómino gloriábitur ánima mea,
áudiant mansuéti et læténtur. ℟.

4 Magnificáte Dóminum mecum,
et exaltémus nomen eius in idípsum.
5 Exquisívi Dóminum, et exaudívit me,
et ex ómnibus terróribus meis erípuit me. ℟.

6 Respícite ad eum, et illuminámini,
et fácies vestræ non confundéntur.
7 Iste pauper clamávit,
et Dóminus exaudívit eum,
et de ómnibus tribulatiónibus eius
salvávit eum. ℟.

8 Vallábit ángelus Dómini
in circúitu timéntes eum,
et erípiet eos.
9 Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir qui sperat in eo. ℟.

8

Feriam domui Israel et domui Iuda fœdus novum.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 31, 31-32 a. 33-34 a

« Ecce dies vénient, dicit Dóminus, et fériam dómui Israel et dómui Iuda fœdus novum, non secúndum pactum, quod pépigi cum pátribus eórum, in die qua apprehéndi manum eórum, ut edúcerem eos de terra Ægýpti.

Sed hoc erit pactum, quod fériam cum domo Israel post dies illos, dicit Dóminus; dabo legem meam in viscéribus eórum, et in corde eórum scribam eam; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in pópulum.

Et non docébit ultra vir próximum suum, et vir fratrem suum dicens: "Cognósce Dóminum"; omnes enim cognóscent me, a mínimo eórum usque ad máximum », ait Dóminus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 111, 1-2. 3-4. 5-7 a. 7 bc-8. 9 (℟.: cf. 1)

℟. Beátus vir qui in mandátis Dómini cupit nimis.
vel Allelúia.

1 Beátus vir qui timet Dóminum,
in mandátis eius cupit nimis.
2 Potens in terra erit semen eius,
generátio rectórum benedicétur. ℟.

3 Glória et divítiæ in domo eius,
et iustítia eius manet in sæculum sæculi.
4 Exórtum est in ténebris lumen rectis,
miséricors et miserátor et iustus. ℟.

5 Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat,
dispónet res suas in iudício,

6 quia in ætérnum non commovébitur.
In memória ætérna erit iustus,
7 ab auditióne mala non timébit. ℟.
Parátum cor eius, sperans in Dómino,
8 confirmátum est cor eius, non timébit,
donec despíciat inimícos suos. ℟.
9 Distríbuit, dedit paupéribus;
iustítia eius manet in sǽculum sǽculi,
cornu eius exaltábitur in glória. ℟.

Lectio secunda

1

Quis nos separabit a caritate Christi?

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 8, 31 b-35. 37-39

Fratres:

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donábit?

Quis accusábit advérsus eléctos Dei? Deus qui iustíficat. Quis est qui condémnet? Christus Iesus, qui mórtuus est, immo qui suscitátus est, qui et est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

Quis nos separábit a caritáte Christi? tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? Sed in his ómnibus supervíncimus per eum qui diléxit nos.

Certus sum enim quia neque mors neque vita, neque ángeli neque principátus, neque instántia neque fu-

túra, neque virtútes, neque altitúdo neque profúndum, neque ália quælibet creatúra póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Iesu Dómino nostro.

Verbum Dómini.

2

* *Exhibete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 12, 1-2. 9-18

Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic sæculo, sed transformámini renovatióne mentis, ut probétis quid sit volúntas Dei, quid bonum et benéplacens et perféctum.

Diléctio sine simulatióne, odiéntes malum, adhæréntes bono, caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem præveniéntes, sollicitúdine non pigri, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, in tribulatióne patiéntes, oratióni instántes, necessitátibus sanctórum communicántes, hospitalitátem sectántes.

Benedícite persequéntibus, benedícite et nolíte maledícere.

Gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus, idípsum ínvicem sentiéntes, non alta sapiéntes sed humílibus consentiéntes.

Nolíte esse prudéntes apud vosmetípsos. Nulli malum pro malo reddéntes, providéntes bona coram ómnibus homínibus. Si fíeri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habéntes. — Verbum Dómini.

vel brevior

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános 12, 1-2. 9-13

Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic sæculo, sed transformámini renovatióne mentis, ut probétis quid sit volúntas Dei, quid bonum et benéplacens et perféctum.

Diléctio sine simulatióne, odiéntes malum, adhæréntes bono, caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem præveniéntes, sollicitúdine non pigri, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, in tribulatióne patiéntes, oratióni instántes, necessitátibus sanctórum communicántes, hospitalitátem sectántes. — Verbum Dómini.

3

Corpus vestrum templum est Spiritus Sancti.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 6, 13 c-15 a. 17-20

Fratres:

Corpus non fornicatióni, sed Dómino, et Dóminus córpori. Deus vero et Dóminum suscitávit, et nos suscitábit per virtútem suam. Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi?

Qui autem adhæret Dómino, unus spíritus est. Fúgite fornicatiónem. Omne peccátum quodcúmque fécerit homo, extra corpus est; qui autem fornicátur, in corpus suum peccat.

An nescítis quóniam corpus vestrum templum est Spíritus Sancti, qui in vobis est, quem habétis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis prétio. Glorificáte ergo Deum in córpore vestro.

Verbum Dómini.

4

Si caritatem non habuero, nihil mihi prodest.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 12, 31 — 13, 8 a

Fratres:

Æmulámini charísmata maióra. Et adhuc excellentiórem viam vobis demónstro.

Si linguis hóminum loquar et angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans aut cýmbalum tínniens.

Et si habúero prophetíam et nóverim mystéria ómnia et omnem sciéntiam, et si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum.

Et si distribúero in cibos omnes facultátes meas; et si tradídero corpus meum, ut glórier, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest.

Cáritas pátiens est, benígna est cáritas, non æmulátur, non agit supérbe, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitátem, congáudet autem veritáti; ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.

Cáritas numquam éxcidit. — Verbum Dómini.

5

* *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico de Christo et Ecclesia.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 5, 2 a. 21-33

Fratres:

Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos et trádidit se ipsum pro nobis.

Subiécti estóte ínvicem in timóre Christi. Mulíeres viris suis sicut Dómino; quóniam vir caput est mulíeris, sicut et Christus caput est Ecclésiæ, ipse Salvátor córporis. Sed ut Ecclésia subiécta est Christo, ita et mulíeres viris in ómnibus.

Viri, dilígite uxóres, sicut et Christus diléxit Ecclésiam, et se ipsum trádidit pro ea, ut illam sanctificáret mundans lavácro aquæ in verbo, ut exhibéret ipse sibi gloriósam Ecclésiam, non habéntem máculam aut rugam aut áliquid eiúsmodi; sed ut sit sancta et immaculáta.

Ita et viri debent dilígere uxóres suas ut córpora sua. Qui suam uxórem díligit, se ipsum díligit. Nemo enim umquam carnem suam ódio hábuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclésiam: quia membra sumus córporis eius. Propter hoc relínquet homo patrem et matrem et adhærébit uxóri suæ, « et erunt duo in carne una ».

Sacraméntum hoc magnum est, ego autem dico de Christo et Ecclésia. Verúmtamen et vos sínguli, unusquísque suam uxórem sicut se ipsum díligat; uxor autem tímeat virum. — Verbum Dómini.

vel brevior

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Ephésios 5, 2 a. 25-32

Fratres:

Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos et trádidit se ipsum pro nobis.

Viri, dilígite uxóres, sicut et Christus diléxit Ecclésiam, et se ipsum trádidit pro ea, ut illam sanctificáret mundans lavácro aquæ in verbo, ut exhibéret ipse sibi gloriósam Ecclésiam, non habéntem máculam aut rugam aut áliquid eiúsmodi; sed ut sit sancta et immaculáta.

Ita et viri debent dilígere uxóres suas ut córpora sua. Qui suam uxórem díligit, se ipsum díligit. Nemo enim umquam carnem suam ódio hábuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclésiam; quia membra sumus córporis eius. Propter hoc relínquet homo patrem et matrem et adhærébit uxóri suæ, « et erunt duo in carne una ».

Sacraméntum hoc magnum est, ego autem dico de Christo et Ecclésia. — Verbum Dómini.

6

Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses
3, 12-17

Fratres:

Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis,

si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

Super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis; et pax Christi dominétur in córdibus vestris ad quam et vocáti estis in uno córpore; et grati estóte.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo.

Et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Iesu, grátias agéntes Deo Patri per ipsum. — Verbum Dómini.

7

Omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 3, 1-9

Caríssimi:

Mulíeres súbditæ sint suis viris, ut et si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo lucrifíant; considerántes castam in timóre conversatiónem vestram. Quarum sit non extrínsecus capillatúræ aut circumdatiónis auri aut induménti vestimentórum cultus; sed qui abscónditus cordis est homo, in incorruptibilitáte mitis et quiéti spíritus, qui est in conspéctu Dei lócuples.

Sic enim aliquándo et sanctæ mulíeres sperántes in Deo ornábant se, subiéctæ própriis viris, sicut Sarra obœdiébat Abrahæ, dóminum eum vocans; cuius estis fíliæ benefaciéntes et non timéntes ullam perturbatiónem.

Viri simíliter cohabitántes secúndum sciéntiam, qua-

si infirmióri vaso mulíebri impertiéntes honórem, tamquam et coherédibus grátiæ vitæ, uti ne impediántur oratiónes vestræ.

In fine autem omnes unánimes, compatiéntes, fraternitátis amatóres, misericórdes, húmiles; non reddéntes malum pro malo, vel maledíctum pro maledícto, sed e contrário benedicéntes, quia in hoc vocáti estis, ut benedictiónem hereditáte accipiátis.

Verbum Dómini.

8

Diligamus in opere et veritate.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 3, 18-24

Filíoli, non diligámus verbo nec lingua, sed in ópere et veritáte. In hoc cognoscémus quóniam ex veritáte sumus, et in conspéctu eius placábimus corda nostra. Quóniam, si reprehénderit nos cor, maior est Deus corde nostro et cognóscit ómnia.

Caríssimi, si cor nostrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum; et quodcúmque petiérimus accípimus ab eo, quóniam mandáta eius custodímus, et ea quæ sunt plácita coram eo fácimus.

Et hoc est mandátum eius, ut credámus in Nómine Fílii eius Iesu Christi et diligámus altérutrum, sicut dedit mandátum nobis. Et qui servat mandáta eius in ipso manet, et ipse in eo; et in hoc cognóscimus quóniam manet in nobis, ex Spíritu, quem nobis dedit.

Verbum Dómini.

9

Deus caritas est.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 4, 7-12

Caríssimi, diligámus ínvicem, quóniam cáritas ex Deo

est; et omnis qui díligit ex Deo natus est et cognóscit Deum. Qui non díligit non cognóvit Deum, quóniam Deus cáritas est. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum.

In hoc est cáritas, non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse diléxit nos et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris.

Caríssimi, si sic Deus diléxit nos, et nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit umquam. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, et cáritas eius in nobis consummáta est. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Cf. 1 Io 4, 8 b. 11

℟. Allelúia. ℣. Deus cáritas est;
diligámus nos ínvicem, sicut Deus diléxit
nos. ℟. Allelúia.

Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
5, 1-12 a

In illo témpore:

Videns Iesus turbas ascéndit in montem, et, cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius. Et apériens os suum docébat eos dicens:

« Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.

Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur.

Beáti misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.

Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti estis, cum maledíxerint vobis et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia 1 Io 4, 12

℟. Allelúia. ℣. Si diligámus ínvicem,
Deus in nobis manet,
et cáritas eius in nobis perfécta est.
℟. Allelúia.

Vos estis lux mundi.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 5, 13-16

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Vos estis sal terræ; quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus.

Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita, neque accéndunt lucérnam et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant vestra bona opera, et gloríficent Patrem vestrum qui in cælis est ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia 1 Io 4, 16

℟. Allelúia. ℣. Qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo. ℟. Allelúia.

* *Ædificavit domum suam supra petram.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 7, 21. 24-29

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Non omnis qui dicit mihi: “ Dómine, Dómine ” intrábit in Regnum cæló-rum, sed qui facit voluntátem Patris mei, qui in cælis est.

Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilábitur viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram; et descéndit plúvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et non cécidit; fundáta enim erat supra petram.

Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, símilis erit viro stulto, qui ædificávit domum suam supra arénam; et descéndit plúvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et cé-cidit, et fuit ruína eius magna ».

Et factum est, cum consummásset Iesus verba hæc, admirabántur turbæ super doctrínam eius; erat enim docens eos sicut potestátem habens, et non sicut scribæ eórum. — Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 7, 21. 24-25

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Non omnis qui dicit mihi: “ Dómine, Dómine ” intrábit in Regnum cæló-

rum, sed qui facit voluntátem Patris mei qui in cælis est.

Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea, assimilábitur viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram; et descéndit plúvia et venérunt flúmina et flavérunt venti et irruérunt in domum illam, et non cécidit; fundáta enim erat supra petram ».

Verbum Dómini.

4

Alleluia — 1 Io 4, 7 b

℟. Allelúia. ℣. Omnis qui díligit ex Deo natus est,
et cognóscit Deum. ℟. Allelúia.

Quod Deus coniunxit, homo non separet.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum — 19, 3-6

In illo témpore:

Accessérunt ad Iesum pharisǽi tentántes eum et dicéntes: « Licet hómini dimíttere uxórem suam, quacúmque ex causa? »

Qui respóndens ait: « Non legístis quia qui creávit ab inítio, " másculum et féminam fecit eos, " et dixit: " Propter hoc dimíttet homo patrem et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una "? Itaque iam non sunt duo, sed una caro.

Quod ergo Deus coniúnxit, homo non séparet ».

Verbum Dómini.

5

Alleluia — Cf. 1 Io 4, 8 b. 11

℟. Allelúia. ℣. Deus cáritas est;
diligámus nos ínvicem, sicut Deus diléxit
nos. ℟. Allelúia.

Hoc est magnum et primum mandatum.
Secundum autem simile est huic.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
22, 35-40

In illo témpore:

Interrogávit Iesum unus ex pharisǽis Legis doctor tentans eum: « Magíster, quod est mandátum magnum in Lege? »

Ait autem illi: « " Díliges Dóminum Deum tuum in toto corde tuo et in tota ánima tua et in tota mente tua ". Hoc est magnum et primum mandátum.

Secúndum autem símile est huic: " Díliges próximum tuum sicut te ipsum ". In his duóbus mandátis univérsa Lex pendet et prophétæ ».

Verbum Dómini.

6

Alleluia 1 Io 4, 7 b

℟. Allelúia. ℣. Omnis qui díligit ex Deo natus est,
et cognóscit Deum. ℟. Allelúia.

Non sunt duo, sed una caro.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 6-9

In illo témpore:

Dixit Iesus: « Ab inítio creatúræ " másculum et féminam fecit eos. Propter hoc relínquet homo patrem suum et matrem, et adhærébit ad uxórem suam, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro ".

Quod ergo Deus coniúnxit, homo non séparet ».

Verbum Dómini.

7

Alleluia 1 Io 4, 12

℟. Allelúia. ℣. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet,
et cáritas eius in nobis perfécta est.
℟. Allelúia.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 1-11

In illo témpore:

Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat mater Iesu ibi. Vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias; et, deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: « Vinum non habent ».

Et dicit ei Iesus: « Quid mihi et tibi, múlier? Nondum venit hora mea ».

Dicit mater eius minístris: « Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex, pósitæ secúndum purificatiónem Iudæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel ternas.

Dicit eis Iesus: « Impléte hýdrias aqua ». Et implevérunt eas usque ad summum.

Et dicit eis: « Hauríte nunc et ferte architriclíno ». Illi autem tulérunt.

Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam, et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant qui hauríerant aquam, vocat sponsum architriclínus et dicit ei: « Omnis homo primum bonum vinum ponit, et, cum inebriáti fúerint, id quod detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc ».

Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galilǽæ; et manifestávit glóriam suam, et crediderúnt in eum discípuli eius. — Verbum Dómini.

8

Alleluia 1 Io 4, 16

℟. Allelúia. ℣. Qui manet in caritáte, in Deo manet,
et Deus in eo. ℟. Allelúia.

Manete in dilectione mea.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 9-12

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis manébitis in dilectióne mea; sicut ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos ». — Verbum Dómini.

9

Alleluia Cf. 1 Io 4, 8 b. 11

℟. Allelúia. ℣. Deus cáritas est;
diligámus nos ínvicem, sicut Deus diléxit
nos. ℟. Allelúia.

Hoc est præceptum meum,
ut diligatis invicem.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 12-16

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Maiórem

hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si faciétis quæ ego præcípio vobis.

Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid facit dóminus eius: vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

Non vos me elegístis, sed ego elégi vos et pósui vos, ut vos eátis et fructum afferátis et fructus vester máneat, ut, quodcúmque petiéritis Patrem in Nómine meo, det vobis ». — Verbum Dómini.

10

Alleluia 1 Io 4, 12

℟. Allelúia. ℣. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet,
et cáritas eius in nobis perfécta est.
℟. Allelúia.

* *Ut sint consummati in unum.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 20-26

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, non pro his rogo tantum, sed et pro eis qui creditúri sunt per verbum eórum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis sint, ut mundus credat quia tu me misísti.

Et ego glóriam, quam dedísti mihi, dedi illis, ut sint unum sicut nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummáti in unum, ut cognóscat mundus quia tu me misísti et dilexísti eos, sicut me dilexísti.

Pater, quos dedísti mihi, volo ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut vídeant glóriam meam, quam dedísti mihi; quia dilexísti me ante constitutiónem mundi.

Pater iuste, et mundus te non cognóvit; ego autem te cognóvi, et hi cognovérunt quia tu me misísti. Et notum feci eis Nomen tuum, et notum fáciam, ut diléctio qua dilexísti me, in ipsis sit, et ego in ipsis ».

Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
17, 20-23

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, non pro his rogo tantum, sed et pro eis qui creditúri sunt per verbum eórum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis sint, ut mundus credat quia tu me misísti.

Et ego glóriam, quam dedísti mihi, dedi illis, ut sint unum sicut nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummáti in unum, ut cognóscat mundus quia tu me misísti et dilexísti eos, sicut me dilexísti ». — Verbum Dómini.

---

2. IN ANNIVERSARIIS MATRIMONII

In anniversariis Matrimonii, præsertim vero in XXV et L anniversario, dici potest, quando permittuntur Missæ pro variis necessitatibus, Missa pro gratiis Deo reddendis, p. 1602, cum orationibus quæ infra ponuntur.

Eædem orationes adhiberi possunt, pro opportunitate, etiam in Missa de feria « per annum ».

A. In anniversario

Collecta

Deus, creátor ómnium,
qui virum et féminam in princípio condidísti,
ut vínculum constitúerent coniugále,
uniónem famulórum tuórum N. et N. bénedic et confírma,
ut coniunctiónis Christi cum Ecclésia imáginem
semper perfectiórem exhíbeant.
Per Dóminum.

Super oblata

Deus, qui ex látere Christi
sánguinem et aquam manáre fecísti
ad humánæ regeneratiónis significánda mystéria,
múnera nostra in gratiárum actiónem
pro fámulis tuis N. et N. dignáre suscípere,
et eórum coniúgium tuis donis ómnibus munerári.
Per Christum.

Post communionem

Supérno cibo potúque reféctis, Dómine,
his fámulis tuis in gáudio et caritáte corda diláta,
ut sit eórum domus sedes honestátis et pacis,
et ómnibus ad consolatiónes páteat caritátis.
Per Christum.

B. In XXV anniversario

Collecta

Dómine, qui hos fámulos tuos N. et N.
indissolúbili matrimónii nexu coniunxísti,
et animórum communióne
dignátus es inter labóres et gáudia sustentáre,
eórum, quǽsumus, auge et purífica caritátem,
ut mútua (cum prole sua) sanctificatióne læténtur.
Per Dóminum.

Super oblata

Hæc múnera, Deus, in gratiárum actiónem
pro fámulis N. et N. dignánter assúme,
ut exínde pacem et gáudium abundánter exháuriant.
Per Christum.

Post communionem

Deus, qui ad mensam famíliæ tuæ hos cóniuges N. et N.
(cum líberis et amícis) propítius admisísti,
da eis fórtiter et alácriter
in mútuam communiónem sic prógredi,
ut usque ad cæléste convívium,
tuo múnere, coniungántur.
Per Christum.

C. In L anniversario

Collecta

Deus Pater omnípotens,
hos cóniuges N. et N. cleménter aspícias,
(cum sóbole sua, quam ad vitam fidémque genuérunt)
pro bonis longǽvæ conversatiónis opéribus,
et eórum fructíferam bénedic senectútem,

sicut eórum caritátis primítias
sacraménto mirábili confirmásti.
Per Dóminum.

Super oblata

Hæc múnera, Deus, in gratiárum actiónem
pro fámulis tuis N. et N. dignánter assúme,
qui tot annos una simul fide sincéra vixérunt,
et ómnia bona unitátis et pacis a tua póstulant largitáte.
Per Christum.

Post communionem

Mensæ tuæ pasti delíciis, te, Dómine, deprecámur,
ut hos cóniuges N. et N. in sancta senectúte custódias,
donec ambos, plenos diérum,
ad tuum admíttas cæléste convívium.
Per Christum.

V. IN BENEDICTIONE ABBATIS ET ABBATISSÆ

Hæc Missa dici potest, cum colore albo, extra dominicas Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, et extra sollemnitates atque ferias IV Cinerum et totius Hebdomadæ sanctæ.

Ant. ad introitum — Io 15, 16

Non vos me elegístis; sed ego elégi vos et pósui vos,
ut eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat, dicit Dóminus.

Vel: — Col 3, 14-15

Super ómnia caritátem habéte,
quod est vínculum perfectiónis;
et pax Christi exsúltet in córdibus vestris.

Collecta

Concéde, quǽsumus, Dómine, fámulo tuo N.,
quem huius communitátis N. abbátem elegísti,
ut factis et doctrína ad ea quæ recta sunt
fratrum suorum ánimos ínstruat,
quátenus ætérnæ remuneratiónis mercédem
a te, Pastóre piíssimo,
una cum ipsis lætus percípiat.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1319-1326.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine,
múnera famulórum tuórum et præsta,
ut, seípsos in spiritálem hóstiam offeréntes,
vera humilitáte, obœdiéntia et pace
iúgiter repleántur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 20, 28

Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre,
et dare ánimam suam redemptiónem pro multis.

Vel:

Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.
Congregávit nos in unum Christi amor.

Post communionem

Famíliam tuam, Dómine, réspice propítius,
et nos, qui mystérium fídei celebrávimus,
fac per sémitas Evangélii indesinénter cúrrere,
in ómnibus te glorificántes.
Per Christum.

Lectio prima

1

Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.

Léctio libri Proverbiórum 2, 1-9

Fili mi, si suscéperis sermónes meos, et mandáta mea abscónderis penes te, ut áudiat sapiéntiam auris tua, inclína cor tuum ad cognoscéndam prudéntiam. Si enim sapiéntiam invocáveris, et inclináveris cor tuum prudéntiæ, si quæsíeris eam quasi pecúniam, et sicut thesáuros effóderis illam, tunc intélleges timórem Dómini, et sciéntiam Dei invénies; quia Dóminus dat sapiéntiam, et ex ore eius prudéntia et sciéntia. Custódiet rectórum salútem, et próteget gradiéntes

simplíciter, servans sémitas iustítiæ, et vias sanctórum custódiens.

Tunc intélleges iustítiam et iudícium, et æquitátem et omnem sémitam bonam.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 1, 1-2. 3. 4 et 6 (℟.: Ps 39, 5 a)

℟. Beátus vir qui pósuit Dóminum spem suam.

1 Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum,
et in via peccatórum non stetit,
et in convéntu derisórum non sedit;
2 sed in lege Dómini volúntas eius,
et in lege eius meditátur die ac nocte. ℟.

3 Et erit tamquam lignum
plantátum secus decúrsus aquárum,
quod fructum suum dabit in témpore suo;
et fólium eius non défluet,
et ómnia quæcúmque fáciet prosperabúntur. ℟.

4 Non sic ímpii, non sic,
sed tamquam pulvis quem próicit ventus.
6 Quóniam novit Dóminus viam iustórum,
et iter impiórum períbit. ℟.

2

Viam sapientiæ monstrabo tibi.

Léctio libri Proverbiórum 4, 7-13

Princípium sapiéntiæ, pósside sapiéntiam, et in omni possessióne tua acquíre prudéntiam. Arripe illam, et

exaltábit te, glorificáberis ab ea, cum eam fúeris amplexátus; dabit cápiti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclita próteget te.

Audi, fili mi, et súscipe verba mea, ut multiplicéntur tibi anni vitæ; viam sapiéntiæ monstrábo tibi; ducam te per sémitas æquitátis, quas cum ingréssus fúeris, non artabúntur gressus tui, et currens non habébis offendículum.

Tene disciplínam, ne dimíttas eam; custódi illam, quia ipsa est vita tua. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 91, 2-3. 5-6. 13-14. 15-16 (℟.: cf. 2 a)

℟. Bonum est confitéri tibi, Dómine.

2 Bonum est confitéri Dómino,
et psállere nómini tuo, Altíssime,
3 annuntiáre mane misericórdiam tuam,
et veritátem tuam per noctem. ℟.

5 Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua,
et in opéribus mánuum tuárum exsultábo.
6 Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine:
nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ. ℟.

13 Iustus ut palma florébit,
sicut cedrus Líbani succréscet.
14 Plantáti in domo Dómini,
in átriis Dei nostri florébunt. ℟.

15 Adhuc fructus dabunt in senécta,
úberes et bene viréntes erunt,
16 ut annúntient quóniam rectus Dóminus,
refúgium meum, et non est iníquitas in eo. ℟.

Lectio secunda

1

Sollicitu servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
3, 12-17

Fratres:

Obsecro vos, ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum longanimitáte supportántes ínvicem in caritáte; sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis.

Unum corpus et unus Spíritus, sicut et vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ; unus Dóminus, una fides, unum baptísma; unus Deus et Pater ómnium, qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.

Verbum Dómini.

2

Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses
4, 1-6

Fratres:

Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ípsis, si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

Super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis; et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore, et grati estóte.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo.

Et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Iesu, grátias agéntes Deo Patri per ipsum. — Verbum Dómini.

3

Obœdite præpositis vestris. Orate pro nobis.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 13, 1-2. 7-8. 17-18

Fratres:

Cáritas fraternitátis máneat. Hospitalitátem nolíte oblivísci; per hanc enim quidam nesciéntes hospítio recepérunt ángelos.

Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei; quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Iesus Christus heri et hódie idem, et in sǽcula.

Obœdíte præpósitis vestris et subiacéte eis; ipsi enim pervígilant pro animábus vestris quasi ratiónem redditúri; ut cum gáudio hoc fáciant et non geméntes; hoc enim non éxpedit vobis.

Oráte pro nobis; confídimus quia bonam consciéntiam habémus, in ómnibus bene voléntes conversári.

Verbum Dómini.

4

Formæ facti gregis.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 5, 1-4

Caríssimi:

Senióres, qui in vobis sunt, óbsecro consénior et testis Christi passiónum, qui et eius, quæ in futúro reveļánda est, glóriæ communicátor: páscite qui est in vobis gregem Dei, providéntes non coácto, sed spontánee secúndum Deum; neque turpis lucri grátia, sed voluntárie; neque ut dominántes in cleris, sed formæ facti gregis.

Et, cum apparúerit Princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Mt 23, 9 a. 10 b

℟. Allelúia. ℣. Unus est Pater vester, qui in cælis est; et magíster vester unus est, Christus.
℟. Allelúia.

Qui maior est vestrum erit minister vester.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 23, 8-12

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Nolíte vocári Rabbi; unus enim est magíster vester, omnes autem vos fra-

tres estis. Et patrem nolíte vocáre vobis super terram; unus enim est Pater vester, cæléstis. Nec vocémini magístri; quia magíster vester unus est, Christus.

Qui maior est vestrum erit minístor vester. Qui autem se exaltáverit humiliábitur, et qui se humiliáverit exaltábitur ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Col 3, 15

℟. Allelúia. ℣. Pax Christi exsúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore.
℟. Allelúia.

Constituet eum Dominus super familiam suam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 12, 35-44

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei.

Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes; amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt illi.

Hoc autem scitóte, quia si sciret pater famílias qua hora fur veníret, non síneret perfodíri domum suam. Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis venit ».

Ait autem Petrus: « Dómine, ad nos dicis hanc parábolam, an et ad omnes? »

Et dixit Dóminus: « Quis, putas, est fidélis dispensátor et prudens, quem constítuet dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus eius invénerit ita faciéntem. Vere dico vobis: Supra ómnia quæ póssidet constítuet illum ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia Col 3, 15

℟. Allelúia. ℣. Pax Christi exsúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore.
℟. Allelúia.

Ego in medio vestrum sum
sicut qui ministrat.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 22, 24-27

In illo témpore:

Facta est conténtio inter discípulos, quis eórum viderétur esse maior.

Iesus autem dixit eis: « Reges géntium dominántur eórum, et qui potestátem habent super eos " benéfici " vocántur. Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis fiat sicut iúnior, et qui præcéssor est, sicut ministrátor.

Nam quis maior est, qui recúmbit an qui minístrat? nonne qui recúmbit? Ego autem in médio vestrum sum sicut qui minístrat ». — Verbum Dómini.

VI. IN CONSECRATIONE VIRGINUM

Hæc Missa dici potest, cum colore albo, extra dominicas Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, et extra sollemnitates, atque ferias IV Cinerum et totius Hebdomadæ sanctæ.

Ant. ad introitum — Ps 104, 4-5

Quǽrite Dóminum et confirmámini,
quǽrite fáciem eius semper.
Mementóte mirabílium eius quæ fecit.

Collecta

Da, quǽsumus, Dómine,
his famulábus tuis,
quibus virginále infudísti propósitum,
inchoáti óperis consummátum efféctum,
et, ut perféctam tibi ófferant plenitúdinem,
inítia sua perdúcere mereántur ad finem.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1340-1371.

Super oblata

Oblátis hóstiis, quǽsumus, Dómine,
his famulábus tuis
perseverántiam suscépti propósiti
benígnus accómmoda,
ut, apértis iánuis, summi Regis advéntu,
regnum cæléste cum lætítia mereántur intráre.
Per Christum.

In Precibus eucharisticis, virginum consecratio secundum has formulas opportune commemoratur:

a) in Prece eucharistica I, dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulárum tuárum,

quam tibi in die eárum consecratiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
árctius se hódie Fílio tuo sociárunt,
eídem in fine témporum glorióse adveniénti
iucundánter occúrrant.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba univérso clero additur:

Recordáre quoque, Dómine, istárum sorórum,
quas spiritáli unctióne hódie sacrásti;
ut, caritátis et fídei accénsis lampádibus,
tibi et pópulo tuo constánter desérviant,
Christi Sponsi exspectántes advéntum.
Meménto etiam ...

c) n intercessionibus Prec s eucharisticæ III, post verba pópulo acquisitiónis tuæ additur:

Confortáre quoque, Dómine,
in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,
quæ pia devotióne Christum tuum student sectári,
evangélicæ vitæ atque fratérnæ dilectiónis
testimónium præbéntes.
Votis huius famíliæ ...

d) in intercessionibus Precis eucharisticæ IV, mentio virginum sacratarum inseri potest hoc modo:

... sed et totíus cleri,
et istárum sorórum,
quas hódie divíno cúltui
et hóminum servítio perpétuo dicásti,
et offeréntium,
et circumstántium ...

Ant. ad communionem — Ps 41, 2

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum,
ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Post communionem

Repléti, Dómine, munéribus sacris,
súpplices deprecámur,
ut famulárum tuárum N. et N. conversátio
et humánæ societátis proféctui constánter fáveat,
et ad Ecclésiæ increméntum indesinénter profíciat.
Per Christum.

Benedictio in fine Missæ

Omnípotens Pater
beátæ virginitátis propósitum,
quod pectóribus vestris infúdit,
sua protectióne inviolátum custódiat.
℟. Amen.

Dóminus Iesus,
qui sacrárum vírginum corda
sponsáli sibi fœdere iungit,
mentes vestras divíni séminis verbo fecúndet.
℟. Amen.

Spíritus Sanctus,
qui supervénit in Vírginem
quique corda vestra hódie suo sacrávit illápsu,
ad Dei Ecclesiǽque servítium vos veheménter accéndat.
℟. Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

VII. IN PROFESSIONE RELIGIOSA

Hæ Missæ dici possunt, cum colore albo, extra dominicas Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, et extra sollemnitates atque ferias IV Cinerum et totius Hebdomadæ sanctæ.

1. IN DIE PRIMÆ PROFESSIONIS RELIGIOSÆ

Ant. ad introitum — Ps 39, 8-9

Ecce vénio, Dómine,
fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui,
et lex tua in præcórdiis meis.

Collecta

Concéde, quǽsumus, Dómine,
his frátribus nostris,
quibus Christum préssius sectándi
propósitum inspirásti,
incépti itíneris felícem éxitum,
ut perféctum devotiónis munus
tibi mereántur offérre.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1340-1371.

Super oblata

Súscipe, Dómine, quǽsumus,
oblatiónes et preces,
quas tibi offérimus
celebrántes professiónis religiósæ primórdia,
et præsta, ut famulórum tuórum primítiæ,
tua fovénte grátia,
in fructus ubérrimos convertántur.
Per Christum.

Præfatio propria, p. 1332.

Ant. ad communionem Mc 3, 35

Qui fécerit voluntátem Dei,
hic frater meus et soror mea et mater est.

Post communionem

Lætíficent nos, Dómine, sumpta mystéria
et præsta ut, eórum virtúte, hi fámuli tui
inchoáta religiónis múnera fidéliter adímpleant
et líberam tibi exhíbeant servitútem. Per Christum.

2. IN DIE PROFESSIONIS PERPETUÆ

A

Ant. ad introitum Ps 121, 1-2

Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi:
in domum Dómini íbimus.
Stantes erant pedes nostri in átriis tuis, Ierúsalem.

Collecta

Deus, qui in his fámulis tuis baptísmatis grátiam
tanta voluísti frondére virtúte,
ut Fílii tui vestígia préssius sequi conténderent,
concéde, ut ipsi,
evangélicam perfectiónem iúgiter sectántes,
Ecclésiæ sanctitátem adáugeant
eiúsque apostólicum confírment vigórem. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1340-1371.

Super oblata

Servórum tuórum, Dómine,
múnera et vota benígnus assúme,
et evangélica profiténtes consília
tua caritáte confírma. Per Christum.

Præfatio: De vita religiosa ut servitium Dei per Christi imitationem.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, de radíce Vírginis flos illibátus egréssus,
mundos corde dixit beátos
suáque conversatióne dócuit castitátis fastígium.
Qui tuis semper beneplácitis optávit hærére,
et, usque ad mortem pro nobis factus obœdiens,
hóstiam se tibi vóluit perféctæ suavitátis offérre.
Qui ómnia propter te relinquéntes in terris
ad servítium tuæ maiestátis dicávit impénsius
et cælórum confirmávit inventúros esse thesáurum.

Et ídeo, cum Angelórum atque Sanctórum turba,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

In Precibus eucharisticis, professorum vel professarum oblatio secundum has formulas opportune commemoratur:

I. Pro viris

a) in Prece eucharistica I dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulórum tuórum,
quam tibi in die eórum professiónis offérimus,

quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut qui, te largiénte,
hódie vitam suam tibi dicárunt,
in Fílii tui glorióso advéntu
ætérnæ Paschæ gáudio
mereántur admítti.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba univérso clero additur:

Recordáre quoque, Dómine, istórum fratrum,
qui hódie se tibi dicárunt perpétuo servítio,
et concéde, ut ad te semper corda mentésque érigant
noménque tuum gloríficent.
Meménto étiam ...

c) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba pópulo acquisitiónis tuæ additur:

Confortáre quoque in sancto propósito dignéris
hos fámulos tuos,
qui hódie sacris religiónis vínculis
perpétuo tibi se devinxérunt,
et fac, ut in Ecclésia tua
novam et ætérnam vitam maniféstent,
Christi redemptióne comparátam.
Votis huius famíliæ ...

d) in intercessionibus Precis eucharisticæ IV, mentio professorum inseri potest hoc modo:

... sed et totíus cleri,
et istórum fratrum, qui professióne perpétua
hódie tibi árctius consecrántur,
et offeréntium,
et circumstántium ...

II. Pro mulieribus

a) in Prece eucharistica I dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulárum tuárum,
quam tibi in die eárum professiónis offérimus,
quǽsumus, Dómine,
placátus áccipe et propitiátus sanctífica;
ut quæ, te largiénte,
árctius se hódie Fílio tuo sociárunt,
eídem in fine témporum glorióse adveniénti
iucundánter occúrrant.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ II, post verba univérso clero additur:

Recordáre quoque, Dómine, istárum sorórum,
quæ ómnia propter te reliquérunt,
ut te in ómnibus invenírent
et, sui oblítæ, cunctórum prospícerent necessitátibus.
Meménto étiam ...

c) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba pópulo acquisitiónis tuæ additur:

Confortáre quoque in sancto propósito dignéris
has fámulas tuas,
quæ pia devotióne Christum tuum student sectári,
evangélicæ vitæ atque fratérnæ dilectiónis
testimónium præbéntes.
Votis huius famíliæ ...

d) in intercessionibus Precis eucharisticæ IV, mentio professarum inseri potest hoc modo:

... sed et totíus cleri
et istárum sorórum, quæ sacro religiónis pígnore
hódie tibi perpétuo se consecrárunt,
et offeréntium, et circumstántium ...

Ant. ad communionem Gal 2, 19-20

Christo confíxus sum cruci.
Vivo autem, iam non ego:
vivit vero in me Christus.

Post communionem

Divínis mystériis veneránter assúmptis,
te, Dómine, súpplices deprecámur,
ut hos fámulos tuos,
sacra tibi oblatióne devínctos,
et Sancti Spíritus igne succéndas
et Fílio tuo perénni iungas consórtio.
Qui tecum.

Benedictio in fine Missæ

Deus, bonárum inspirátor voluntátum,
vestra fóveat consília cordáque róboret,
ut, quæ promisístis, perseveránti servétis fide.
℟. Amen.

Ipse concédat vobis,
ut arctam viam, quam elegístis,
in gáudio Christi percurrátis,
ónera fratrum cum exsultatióne portántes.
℟. Amen.

Cáritas Dei ex vobis famíliam effíciat
in nómine Dómini congregátam,
quæ Christi amóris reddat imáginem.
℟. Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

B

Ant. ad introitum Ps 65, 13-14

Introíbo in domum tuam in holocáustis,
reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Collecta

Dómine, sancte Pater,
servórum tuórum N. et N.
propósitum confírma benígnus,
et fac ut baptísmatis grátia,
quam novis cúpiunt néxibus roborári,
plenum in eis sumat efféctum,
quo tuæ maiestáti débitum cultum retríbuant,
et Christi regnum apostólico dilátent ardóre.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1340-1371.

Super oblata

Oblatiónes famulórum tuórum,
Dómine, cleménter assúme,
eásque in sacraméntum redemptiónis convérte,
et, quos ad Fílium tuum préssius imitándum
patérna voluísti dispensatióne vocáre,
Sancti Spíritus reple munéribus.
Per Christum.

Præfatio et intercessiones propriæ, pp. 1332-1334.

Ant. ad communionem Ps 33, 9

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo.

Post communionem

Lætíficet nos, Dómine,
confirmáti propósiti hodiérna sollémnitas

ac divíni sacraménti veneránda percéptio,
et concéde propítius,
ut geminátum devotiónis munus
famulórum tuórum péctora
in Ecclésiæ hominúmque servítium
veheménti caritáte compéllat.
Per Christum.

Benedictio in fine Missæ

Deus, sancti consílii inspirátor et efféctor,
sua vos constánter tueátur grátia,
ut vestræ vocatiónis múnera
fidéli ánimo persolvátis.
℟. Amen.

Ipse divínæ vos fáciat caritátis
apud omnes gentes testimónium et signum.
℟. Amen.

Et víncula, quibus Christo
vos néxuit in terris,
in cælis benígnus perénnet.
℟. Amen.

Et vos omnes, qui his sacris adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

3. IN DIE RENOVATIONIS VOTORUM

Antiphonæ ad introitum et ad communionem sumuntur, pro opportunitate, ab una e Missis præcedentibus, pp. 1330-1336.

Collecta

Deus, rerum ordinátor hominúmque rector,
réspice super hos fílios tuos,
qui oblatiónem sui cúpiunt confirmáre,
et præsta, ut, in dies,
Ecclésiæ mystério árctius coniungántur,
et humánæ famíliæ bono devoveántur impénsius.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1340-1371.

Super oblata

Pópuli tui, quǽsumus, Dómine,
múnera propítius intuére,
quæ hi fratres nostri
castitátis, paupertátis, obœdiéntiæ
renováta augent oblatióne,
et temporália dona in sacraméntum æternitátis convérte,
et offeréntium mentes ad Fílii tui confórma imáginem.
Per Christum.

Præfatio propria, p. 1332.

Post communionem

Sumptis, Dómine, cæléstibus sacraméntis,
súpplices te rogámus, ut hi fámuli tui,
qui, supérna grátia tantum confísi,
árdua renovárunt propósita,
Christi virtúte roboréntur
et Sancti Spíritus muniántur præsídio.
Per Christum.

4. IN XXV VEL L ANNIVERSARIO PROFESSIONIS RELIGIOSÆ

Antiphonæ ad introitum et ad communionem sumuntur, pro opportunitate, ab una e Missis præcedentibus, *pp.* 1330-1336.

Collecta

Dómine, Deus fidélis,
da nobis, quǽsumus, grátias tibi reférre
pro tua erga fratrem nostrum N. benignitáte,
qui accéptum a te donum hódie renováre conténdit;
róbora in eo spíritum perféctæ caritátis,
ut glóriæ tuæ et óperi salútis
in dies váleat fervéntius inservíre.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, *pp.* 1340-1371.

Super oblata

Súscipe, Dómine, una cum munéribus oblatiónem sui,
quam hódie frater noster N. confirmáre desíderat,
et per virtútem Sancti Spíritus
imágini dilécti Fílii tui
ámplius eum conformáre dignéris. Qui vivit.

Præfatio propria, *p.* 1332.

Post communionem

Súmpsimus, Dómine, Corpus et Sánguinem Fílii tui,
quæ in iucúnda celebratióne
huius anniversárii contulísti;
concéde, quǽsumus, ut frater noster N.,
cælésti pane potúque reféctus,
incépti itíneris ad te ducéntis
felícem progréssum obtíneat. Per Christum.

Lectio prima

1

Egredere de terra tua et de cognatione tua, et veni.

Léctio libri Génesis 12, 1-4 a

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Abram: « Egrédere de terra tua et de cognatióne tua et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam, et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum, erísque benedíctus. Benedícam benedicéntibus tibi, et maledícam maledicéntibus tibi, atque in te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ ».

Egréssus est ítaque Abram, sicut præcéperat ei Dóminus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 39, 2 et 4 ab. 7-8 a. 8 b-9. 10. 12 (℟.: 8 a et 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, fácere voluntátem tuam.

2 Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi.
4 Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro. ℟.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me
9 fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui,
et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.
12 Tu autem, Dómine, ne prohíbeas miseratiónes tuas a me;
misericórdia tua et véritas tua semper suscípiant me. ℟.

2

Loquere, Domine, quia audit servus tuus.

Léctio libri primi Samuélis 3, 1-10

In diébus illis:

Puer Sámuel ministrábat Dómino coram Heli, et sermo Dómini erat pretiósus in diébus illis: non erat vísio manifésta. Factum est ergo, in die quadam, Heli iacébat in loco suo, et óculi eius caligáverant, nec póterat vidére. Lucérna Dei ántequam exstingueréťur, Sámuel dormiébat in templo Dómini, ubi erat arca Dei.

Et vocávit Dóminus Sámuel, qui respóndens ait: « Ecce ego ». Et cucúrrit ad Heli et dixit: « Ecce ego, vocásti enim me ».

Qui dixit: « Non vocávi: revértere et dormi ». Et ábiit et dormívit. Et adiécit Dóminus rursum vocáre Samuélem.

Consurgénsque Sámuel ábiit ad Heli, et dixit: « Ecce ego, quia vocásti me ».

Qui respóndit: « Non vocávi te, fili mi: revértere et dormi ». Porro Sámuel necdum sciébat Dóminum, neque revelátus fúerat ei sermo Dómini.

Et adiécit Dóminus, et vocávit adhuc Samuélem tértio, qui consúrgens ábiit ad Heli et ait: « Ecce ego, quia vocásti me ».

Intelléxit ergo Heli quia Dóminus vocáret púerum, et ait ad Samuélem: « Vade et dormi, et, si deínceps vocáverit te, dices: “ Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus ” ». Abiit ergo Sámuel et dormívit in loco suo.

Et venit Dóminus et stetit, et vocávit sicut vocáverat secúndo: « Sámuel, Sámuel ».

Et ait Sámuel: « Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 62, 2. 3-4. 5-6. 8-9 (℟.: 2 b)

℟. Sitívit in te ánima mea, Deus meus.

2 Deus, Deus meus es tu, ad te de luce vígilo.
Sitívit in te ánima mea,
te desiderávit caro mea. ℟.

3 In terra deserta et árida et inaquósa,
sic in sancto appárui tibi,
ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.
4 Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas,
lábia mea laudábunt te. ℟.

5 Sic benedícam te in vita mea,
et in nómine tuo levábo manus meas.
6 Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea,
et lábiis exsultatiónis laudábit os meum. ℟.

8 Quia fuísti adiútor meus,
et in velaménto alárum tuárum exsultábo.
9 Adhǽsit ánima mea post te,
me suscépit déxtera tua. ℟.

3

Sta in monte coram Domino.

Léctio libri primi Regum 19, 4-9 a. 11-15 a

In diébus illis:

Perréxit Elías in desértum viam uníus diéi.

Cumque venísset et sedéret subter unam iuníperum, petívit ánimæ suæ ut morerétur et ait: « Súfficit mihi,

Dómine: tolle ánimam meam, neque enim mélior sum quam patres mei ». Proiecítque se et obdormívit in umbra iuníperi.

Et ecce ángelus Dómini tétigit eum, et dixit illi: « Surge et cómede ». Respéxit, et ecce ad caput suum subcinerícius panis et vas aquæ; comédit ergo et bibit et rursum obdormívit.

Reversúsque est ángelus Dómini secúndo, et tétigit eum dixítque illi: « Surge, cómede, grandis enim tibi restat via ». Qui, cum surrexísset, comédit et bibit, et ambulávit in fortitúdine cibi illíus quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, usque ad montem Dei Horeb.

Cumque venísset illuc, mansit in spelúnca. Et ecce sermo Dómini ad eum, et ait ei: « Egrédere, et sta in monte coram Dómino ». Et ecce Dóminus transit.

Et spíritus grandis et fortis subvértens montes et cónterens petras ante Dóminum; non in spíritu Dóminus. Et post spíritum, commótio; non in commotióne Dóminus. Et post commotiónem, ignis; non in igne Dóminus. Et post ignem, síbilus auræ ténuis.

Quod cum audísset Elías, opéruit vultum suum pállio, et egréssus stetit in óstio spelúncæ; et ecce vox ad eum dicens: « Quid hic agis, Elía? »

Et ille respóndit: « Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum fílii Israel, altária tua destruxérunt, prophétas tuos occidérunt gládio: derelíctus sum ego solus, et quærunt ánimam meam ut áuferant eam ».

Et ait Dóminus ad eum: « Vade, et revértere in viam tuam per desértum in Damáscum ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 23, 1-2. 3-4 ab. 5-6 (℟.: cf. 6)

℟. Hæc est generátio quæréntium fáciem tuam, Dómine.

1 Dómini est terra et plenitúdo eius,
orbis terrárum et qui hábitant in eo.
2 Quia ipse super mária fundávit eum,
et super flúmina firmávit eum. ℟.

3 Quis ascéndet in montem Dómini,
aut quis stabit in loco sancto eius?
4 Innocens mánibus et mundo corde,
qui non accépit in vanum nomen eius. ℟.

5 Hic accípiet benedictiónem a Dómino,
et iustificatiónem a Deo salutári suo.
6 Hæc est generátio quæréntium eum,
quæréntium fáciem Dei Iacob. ℟.

4

Consurgens Eliseus abiit et secutus est Eliam.

Léctio libri primi Regum 19, 16 b. 19-21

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Elíam: « Eliséum, fílium Saphat, qui est de Abelméhula, unges prophétam pro te ».

Proféctus ergo inde Elías réperit Eliséum, fílium Saphat, arántem in duódecim iugis boum, et ipse in duódecim iugis boum arántibus unus erat; cumque venísset Elías ad eum, misit pállium suum super illum.

Qui statim, relíctis bobus, cucúrrit post Elíam et ait: « Osculer, oro, patrem meum et matrem meam, et sic sequar te ».

Dixítque ei. « Vade et revértere, quod enim meum erat feci tibi ».

Revérsus autem ab eo, tulit par boum et mactávit illud, et in arátro boum coxit carnes et dedit pópulo, et comedérunt; consurgénsque ábiit et secútus est Elíam, et ministrábat ei. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 39, 2 et 4 ab. 7-8 a. 8 b-9. 10. 12 (℟.: 8 a et 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, fácere voluntátem tuam.

2 Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi.
4 Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro. ℟.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me
9 fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui,
et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.

12 Tu autem, Dómine, ne prohíbeas miseratiónes tuas a me;
misericórdia tua et véritas tua semper suscípiant me. ℟.

5

Surge, amica mea, et veni.

Léctio Cántici canticórum 2, 8-14

Vox dilécti mei: Ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles. Símilis est diléctus meus cápreæ

hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos.

En diléctus meus lóquitur mihi: « Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Iam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit, flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit, vox túrturis audíta est in terra nostra, ficus prótulit grossos suos, víneæ floréntes dedérunt odórem suum.

Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni, colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 44, 11-12. 14-15. 16-17 (℟.: cf. Mt 25, 6)

℟. Ecce Sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

11 Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam,
et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui;
12 et concupíscet rex spéciem tuam.
Quóniam ipse est dóminus tuus, et adóra eum. ℟.

14 Glorióse nimis fília regis intrínsecus,
textúris áureis circumamícta.
15 In véstibus variegátis adducétur regi;
vírgines post eam, próximæ eius, afferúntur tibi. ℟.

16 Afferúntur in lætítia et exsultatióne,
adducúntur in domum regis.
17 Pro pátribus tuis erunt tibi fílii;
constítues eos príncipes super omnem terram. ℟.

6

Fortis est ut mors dilectio.

Léctio Cántici canticórum 8, 6-7

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super brácchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio, lámpades eius lámpades ignis atque flammárum.

Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam.

Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 83, 3. 4. 5 et 8 a. 11. 12 (℟.: 2)

℟. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum!

3 Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. ℟.

4 Etenim passer invénit sibi domum,
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos:
altária tua, Dómine virtútum, rex meus et Deus meus. ℟.

5 Beáti qui hábitant in domo tua,
in perpétuum laudábunt te.
8 Ibunt de virtúte in virtútem. ℟.

11 Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília,
elégi ad limen esse in domo Dei mei,
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. ℟.

12 Quia sol et scutum est Dóminus Deus,
grátiam et glóriam dabit Dóminus;
non privábit bonis eos
qui ámbulant in innocéntia. ℟.

7

Gaudens gaudebo in Domino.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 61, 9-11

Scient in géntibus semen eórum, et germen eórum in médio populórum. Omnes qui víderint eos cognóscent illos, quia isti sunt semen, cui benedíxit Dóminus.

Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis, et induménto iustítiæ circúmdedit me, quasi sponsum decorátum coróna, et quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum gérminat, sic Dóminus Deus germinábit iustítiam et laudem coram univérsis géntibus.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 99, 2. 3. 4. 5 (℟.: 2 c)

℟. Introíte in conspéctu Dómini in exsultatióne.

2 Iubiláte Dómino, omnis terra,
servíte Dómino in lætítia;
introíte in conspéctu eius in exsultatióne. ℟.

3 Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus;
ipse fecit nos, et ipsíus sumus,
pópulus eius et oves páscuæ eius. ℟.

4 Introíte portas eius in confessióne,
átria eius in hymnis,
confitémini illi, benedícite nómini eius. ℟.

5 Quóniam suávis est Dóminus;
in ætérnum misericórdia eius,
et usque in generatiónem et generatiónem
véritas eius. ℟.

8

Sponsabo te mihi in sempiternum.

Léctio libri Osée prophétæ 2, 14. 19-20

Hæc dicit Dóminus:

« Ecce ego lactábo eam, et ducam eam in solitúdinem; et loquar ad cor eius.

Et sponsábo te mihi in sempitérnum; et sponsábo te mihi in iustítia et iudício, et in misericórdia et in miseratiónibus; et sponsábo te mihi in fide, et scies quia ego Dóminus ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 26, 1. 4. 5. 8 b-9 ab. 9 cd et 11 (℟.: 8 b)

℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram.

1 Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo? ℟.

4 Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ,
ut vídeam voluptátem Dómini
et vísitem templum eius. ℟.

5 Quóniam occultábit me in tentório suo, in die malórum.
Abscóndet me in abscóndito tabernáculi sui,
in petra exaltábit me. ℟.

8 Fáciem tuam, Dómine, requíram.
9 Ne avértas fáciem tuam a me,
ne declínes in ira a servo tuo. ℟.

Adiútor meus es tu, ne me reícias,
neque derelínquas me, Deus salútis meæ.
11 Osténde mihi, Dómine, viam tuam,
et dírige me in sémitam rectam
propter inimícos meos. ℟.

Lectio secunda

1

In novitate vitæ ambulemus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
6, 3-11

Fratres:

Quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu, in morte ipsíus baptizáti sumus. Consepúlti ergo sumus cum illo per baptísmum in mortem, ut, quemádmodum suscitátus est Christus a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus.

Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis eius, sed et resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifíxus est, ut destruátur corpus peccáti, ut ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, iustificátus est a peccáto.

Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum eo, sciéntes quod Christus suscitátus ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominátur. Quod enim mórtuus est, peccáto mórtuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo.

Ita et vos, existimáte vos mórtuos quidem esse peccáto, vivéntes autem Deo, in Christo Iesu.

Verbum Dómini.

2

Exhibete corpora vestra hostiam viventem,
sanctam, Deo placentem.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
12, 1-13

Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo

placéntem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic sǽculo, sed transformámini renovatióne mentis, ut probétis quid sit volúntas Dei, quid bonum et benéplacens et perféctum.

Dico enim per grátiam, quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos: non áltius sápere quam opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem, unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei.

Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúndem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter alteríus membra. Habéntes autem donatiónes secúndum grátiam, quæ data est nobis, differéntes: sive prophetíam secúndum ratiónem fídei, sive ministérium in ministrándo, sive qui docet in doctrína, sive qui exhortátur in exhortándo, qui tríbuit in simplicitáte, qui præest in sollicitúdine, qui miserétur in hilaritáte.

Diléctio sine simulatióne, odiéntes malum, adhæréntes bono, caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem præveniéntes, sollicitúdine non pigri, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, in tribulatióne patiéntes, oratióni instántes, necessitátibus sanctórum communicántes, hospitalitátem sectántes.

Verbum Dómini.

3

Verbum crucis pereuntibus stultitia est;
nobis Dei virtus est.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 1, 22-31

Fratres:

Iudǽi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt; nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Iudǽis

quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis, Iudǽis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam; quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus, et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles.

Sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes; et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia; et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu Dei.

Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est sapiéntia nobis a Deo et iustítia et sanctificátio et redémptio, ut, quemádmodum scriptum est, « qui gloriátur, in Dómino gloriétur ». — Verbum Dómini.

4

Virgo cogitat quæ Domini sunt.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 7, 25-35

Fratres:

De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse.

Alligátus es uxóri? noli quǽrere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quǽrere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti; et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt huiúsmodi; ego autem vobis parco.

Hoc ítaque dico, fratres: tempus breviátum est; réliquum est ut et qui habent uxóres tamquam non habéntes sint, et qui flent tamquam non flentes, et qui gaudent tamquam non gaudéntes, et qui emunt tamquam non possidéntes, et qui utúntur hoc mundo tamquam non abuténtes; prǽterit enim figúra huius mundi.

Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est.

Et múlier innúpta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta et córpore et spíritu; quæ autem nupta est cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro.

Porro hoc ad utilitátem vestram dico, non ut láqueum vobis iníciam, sed ad honéstum, et ad adhæréndum Dómino sine distractióne.

Verbum Dómini.

5

Elegit nos Deus in Christo, ut essemus sancti et immaculati in caritate.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
1, 3-14

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spiritáli in cæléstibus in Christo; sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritáte; qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Iesum Christum in ipsum, secúndum beneplácitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in Dilécto.

In quo habémus redemptiónem per sánguinem eius, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ eius, qua superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia; notum fáciens nobis mystérium voluntátis suæ, secúndum beneplácitum eius, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum, recapituláre ómnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra: in ipso. In quo étiam sorte vocáti sumus, prædestináti secúndum propósitum eius, qui ómnia operátur secúndum consílium voluntátis suæ, ut simus in laudem glóriæ eius, qui ante sperávimus in Christo; in quo et vos, cum audissétis verbum veritátis, Evangélium salútis vestræ, in quo et credéntes signáti estis Spíritu promissiónis Sancto, qui est árrabon hereditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

Verbum Dómini.

6

Idem sapite, eandem caritatem habentes, unanimes.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses

2, 1-4

Fratres:

Si qua consolátio in Christo, si quod solácium caritátis, si qua commúnio spíritus, si quæ víscera et miseratiónes, impléte gáudium meum, ut idem sapiátis, eándem caritátem habéntes, unánimes, idípsum sapiéntes; nihil per contentiónem neque per inánem glóriam, sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes, non quæ sua sunt sínguli considerántes, sed et ea quæ aliórum. — Verbum Dómini.

7

Omnia detrimentum feci, ut Christum lucri faciam.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses
3, 8-14

Fratres:

Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntiam sciéntiæ Christi Iesu Dómini mei: propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stércora, ut Christum lucri fáciam, et invéniar in illo, non habens meam iustítiam, quæ ex Lege est, sed illam, quæ per fidem est Christi, quæ ex Deo est iustítia in fide; ad cognoscéndum illum et virtútem Resurrectiónis eius et communiónem passiónum illíus, confórmans me morti eius, si quo modo occúrram ad resurrectiónem quæ est ex mórtuis.

Non quod iam accéperim aut iam perféctus sim; pérsequor autem, si umquam comprehéndam, sicut et comprehénsus sum a Christo Iesu.

Fratres, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem: quæ quidem retro sunt oblivíscens, ad ea vero quæ ante sunt exténdens me, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Iesu. — Verbum Dómini.

8

Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses
3, 1-4

Fratres:

Si conresurrexístis Christo, quæ sursum sunt quǽrite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens; quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram.

Mórtui enim estis, et vita vestra abscóndita est cum Christo in Deo.

Cum Christus apparúerit, vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glória. — Verbum Dómini.

9

Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses 3, 12-17

Fratres:

Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis, si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

Super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis; et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore, et grati estóte.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo.

Et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Iesu Christi, grátias agéntes Deo Patri per ipsum. — Verbum Dómini.

10

Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Thessalonicénses 4, 1-3 a. 7-12

Fratres, rogámus vos et obsecrámus in Dómino Iesu ut, quemádmodum accepístis a nobis quómodo vos opórteat ambuláre et placére Deo, sicut et ambulátis, ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcépta dedérimus vobis per Dóminum Iesum.

Hæc est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra.

Non enim vocávit nos Deus in immundítia, sed in sanctificatióne. Itaque qui spernit, non hóminem spernit, sed Deum, qui étiam dat Spíritum suum Sanctum in vos.

De caritáte autem fraternitátis non necésse habétis ut vobis scribam; ipsi enim vos a Deo edócti estis ut diligátis ínvicem. Etenim fácitis illud in omnes fratres in univérsa Macedónia.

Rogámus autem vos, fratres, ut abundétis magis, et óperam detis ut quiéti sitis, et ut vestrum negótium agátis, et operémini mánibus vestris, sicut præcépimus vobis, ut honéste ambulétis ad eos qui foris sunt, et nullíus áliquid desiderétis. — Verbum Dómini.

11

Iesum Christum, cum non videritis, diligitis.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 1, 3-9

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui secúndum magnam misericórdiam suam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis, in hereditátem incorruptíbilem et

incontaminátam et immarcescíbilem, conservátam in cælis, propter vos, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem parátam revelári in témpore novíssimo.

In quo exsultátis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus; ut probátio vestræ fídei multo pretiósior auro quod perit, per ignem quidem probáto, inveniátur in laudem et glóriam et honórem in revelatióne Iesu Christi: quem, cum non vidéritis, dilígitis; in quem nunc non vidéntes, credéntes autem exsultátis lætítia inenarrábili et glorificáta, reportántes finem fídei vestræ, salútem animárum.

Verbum Dómini.

12

Si diligamus invicem, Deus in nobis manet.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 4, 7-16

Caríssimi, diligámus ínvicem, quóniam cáritas ex Deo est; et omnis qui díligit ex Deo natus est et cognóscit Deum. Qui non díligit non cognóvit Deum, quóniam Deus cáritas est. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est cáritas, non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse diléxit nos, et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris.

Caríssimi, si sic Deus diléxit nos, et nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit umquam. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, et cáritas eius in nobis consummáta est.

In hoc cognóscimus quóniam in ipso manémus, et ipse in nobis, quóniam de Spíritu suo dedit nobis. Et nos vídimus et testificámur quóniam Pater misit Fílium salvatórem mundi.

Quisquis conféssus fúerit: « Iesus est Fílius Dei », Deus in ipso manet, et ipse in Deo. Et nos cognóvimus et credídimus caritáti, quam habet Deus in nobis. Deus cáritas est, et qui manet in caritáte in Deo manet, et Deus in eo manet. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia — Lc 11, 28

℟. Allelúia. ℣. Beáti qui áudiunt verbum Dei,
et custódiunt illud. ℟. Allelúia.

Beati estis ... gaudete et exsultate.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum — 5, 1-12 a

In illo témpore:

Videns Iesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius. Et apériens os suum, docébat eos dicens:

« Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.

Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur.

Beáti misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.

Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti estis, cum maledíxerint vobis, et persecúti

vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Abscondisti hæc a sapientibus,
et revelasti ea parvulis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 11, 25-30

In illo témpore:

Respóndens Iesus dixit: « Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te.

Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre.

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite iugum meum super vos, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde; et inveniétis réquiem animábus vestris; iugum enim meum suáve et onus meum leve est ».

Verbum Dómini.

3

Alleluia 2 Cor 8, 9

℟. Allelúia. ℣. Iesus Christus egénus factus est,
cum esset dives,
ut illíus inópia vos dívites essétis.
℟. Allelúia.

Qui perdiderit animam suam propter me,
inveniet eam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
16, 24-27

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam.

Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur?

Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua?

Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis, et tunc reddet unicuíque secúndum opus eius ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater, Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Propter Regnum cælorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 19, 3-12

In illo témpore:

Accessérunt ad Iesum pharisǽi tentántes eum et dicéntes: « Licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? »

Qui respóndens ait: « Non legístis quia qui creávit ab inítio " másculum et féminam fecit eos " et dixit: " Propter hoc dimíttet homo patrem et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una "? Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniúnxit, homo non séparet ».

Dicunt illi: « Quid ergo Móyses mandávit dari libéllum repúdii et dimíttere? »

Ait illis: « Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras! ab inítio autem non sic fuit. Dico autem vobis quia quicúmque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, et áliam dúxerit mœchátur ».

Dicunt ei discípuli eius: « Si ita est causa hóminis cum uxóre, non éxpedit númbere ».

Qui dixit eis: « Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi qui de matris útero sic nati sunt, et sunt eunúchi qui facti sunt ab homínibus, et sunt eunúchi qui se ipsos castravérunt propter Regnum cælórum. Qui potest cápere cápiat ».

Verbum Dómini.

5

Alleluia Phil 3, 8-9

℟. Allelúia. ℣. Omnia detriméntum feci
et árbitror ut stércora,
ut Christum lucrifáciam et invéniar in illo.
℟. Allelúia.

*Si vis perfectus esse, vende quæ habes
et sequere me.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
19, 16-26

In illo témpore:

Ecce unus accédens ad Iesum ait illi: « Magíster, quid boni fáciam ut hábeam vitam ætérnam? »

Qui dixit ei: « Quid me intérrogas de bono? Unus est bonus. Si autem vis ad vitam íngredi, serva mandáta ».

Dicit illi: « Quæ? »

Iesus autem dixit: « " Non homicídium fácies, non adulterábis, non fácies furtum, non falsum testimónium dices, honóra patrem et matrem ", et " díliges próximum tuum sicut te ipsum " ».

Dicit illi adoléscens: « Omnia hæc custodívi: quid adhuc mihi deest? »

Ait illi Iesus: « Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo, et veni, séquere me ».

Cum audísset autem adoléscens verbum, ábiit tristis: erat enim habens multas possessiónes.

Iesus autem dixit discípulis suis: « Amen dico vobis: Dives diffícile intrábit in Regnum cælórum. Et íterum dico vobis: Facílius est camélum per forámen acus transíre, quam dívitem intráre in Regnum Dei ».

Audítis autem his, discípuli mirabántur valde dicéntes: « Quis ergo póterit salvus esse? »

Aspíciens autem Iesus dixit illis: « Apud hómines hoc impossíbile est; apud Deum autem ómnia possibília sunt ». — Verbum Dómini.

6

Alleluia Io 15, 5

℟. Allelúia. ℣. Ego sum vitis, vos pálmites,
dicit Dóminus;
qui manet in me, et ego in eo,
hic fert fructum multum. ℟. Allelúia.

Ecce Sponsus, exite obviam ei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
25, 1-13

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: « Símile erit Regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso. Quinque autem ex eis erant fátuæ et quinque prudéntes. Fátuæ enim, accéptis lampádibus suis, non sumpsérunt óleum secum; prudéntes vero accepérunt óleum in vasis cum lampádibus suis.

Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt.

Média autem nocte clamor factus est: " Ecce sponsus, exíte óbviam ei ". Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ et ornavérunt lámpades suas.

Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: " Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur ".

Respondérunt prudéntes dicéntes: " Ne forte non suffíciat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes et émite vobis ".

Dum autem irent émere, venit sponsus, et quæ parátæ erant intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est iánua.

Novíssime autem véniunt et réliquæ vírgines di-

céntes: " Dómine, dómine, áperi nobis ". At ille respóndens ait: " Amen dico vobis, néscio vos ".
Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam ».
Verbum Dómini.

7

Alleluia — Gal 6, 14

℟. Allelúia. ℣. Mihi absit gloriári nisi in cruce Dómini,
per quem mihi mundus crucifíxus est,
et ego mundo. ℟. Allelúia.

Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 3, 31-35

In illo témpore:

Venit mater Iesu et fratres eius et foris stantes misérunt ad eum vocántes eum.

Et sedébat circa eum turba, et dicunt ei: « Ecce mater tua et fratres tui et soróres tuæ foris quærunt te ».

Et respóndens eis ait: « Quæ est mater mea et fratres mei? »

Et circumspíciens eos qui in circúitu eius sedébant, ait: « Ecce mater mea et fratres mei. Qui enim fécerit voluntátem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est ». — Verbum Dómini.

8

Alleluia — 2 Cor 8, 9

℟. Allelúia. ℣. Iesus Christus egénus factus est,
cum esset dives,
ut illíus inópia vos dívites essétis.
℟. Allelúia.

Ecce nos dimisimus omnia,
et secuti sumus te.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum
10, 24 b-30

In illo témpore:

Ait Iesus discípulis suis: « Fílii, quam diffícile est in Regnum Dei introíre! Facílius est camélum per forámen acus transíre quam dívitem intráre in Regnum Dei ».

Qui magis admirabántur, dicéntes ad semetípsos: « Et quis potest salvus fíeri? »

Intuens illos Iesus ait: « Apud hómines impossíbile est, sed non apud Deum; ómnia enim possibília sunt apud Deum ».

Cœpit Petrus ei dícere: « Ecce nos dimísimus ómnia, et secúti sumus te ».

Ait Iesus: « Amen dico vobis: Nemo est qui relíquerit domum aut fratres aut soróres aut matrem aut patrem aut fílios aut agros propter me et propter Evangélium, qui non accípiat cénties tantum nunc in témpore hoc, domos et fratres et soróres et matres et fílios et agros cum persecutiónibus, et in sǽculo futúro vitam ætérnam ». — Verbum Dómini.

9

Alleluia — Phil 3, 8-9

℟. Allelúia. ℣. Omnia detriméntum feci
et árbitror ut stércora,
ut Christum lucrifáciam et invéniar in illo.
℟. Allelúia.

*Nemo mittens manum suam in aratrum
et aspiciens retro, aptus est Regno Dei.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 9, 57-62

In illo témpore:

Ambulántibus Iesus et discípulis suis in via, dixit quidam ad illum: « Sequar te quocúmque íeris ».

Et ait illi Iesus: « Vulpes fóveas habent, et vólucres cæli nidos; Fílius autem hóminis non habet ubi caput reclínet ».

Ait autem ad álterum: « Séquere me ».

Ille autem dixit: « Dómine, permítte mihi primum ire et sepelíre patrem meum ».

Dixítque ei Iesus: « Sine ut mórtui sepéliant mórtuos suos; tu autem vade, annúntia Regnum Dei ».

Et ait alter: « Sequar te, Dómine, sed primum permítte renuntiáre his qui domi sunt ».

Ait ad illum Iesus: « Nemo mittens manum suam in arátrum et aspíciens retro, aptus est Regno Dei ».

Verbum Dómini.

10

Alleluia Gal 6, 14

℟. Allelúia. ℣. Mihi absit gloriári nisi in cruce Dómini,
per quem mihi mundus crucifíxus est,
et ego mundo. ℟. Allelúia.

*Martha excepit illum.
Maria optimam partem elegit.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 38-42

In illo témpore:

Intrávit Iesus in quoddam castéllum; et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum. Et huic erat soror

nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini audiébat verbum illíus.

Martha autem satagébat circa frequens ministérium; quæ stetit et ait: « Dómine, non est tibi curæ quod soror mea relíquit me solam ministráre? dic ergo illi ut me ádiuvet ».

Et respóndens dixit illi Dóminus: « Martha, Martha, sollícita es et turbáris erga plúrima.

Porro unum est necessárium: María enim óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea ».

Verbum Dómini.

11

Alleluia Io 15, 5

℟. Allelúia. ℣. Ego sum vitis, vos pálmites,
dicit Dóminus;
qui manet in me, et ego in eo,
hic fert fructum multum. ℟. Allelúia.

*Beati qui audiunt verbum Dei
et custodiunt.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 11, 27-28

In illo témpore:

Extóllens vocem quædam múlier de turba dixit Iesu: « Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti ».

At ille dixit: « Quinímmo beáti, qui áudiunt verbum Dei et custódiunt ». — Verbum Dómini.

12

Alleluia Gal 6, 14

℟. Allelúia. ℣. Mihi absit gloriári nisi in cruce Dómini,
per quem mihi mundus crucifíxus est,
et ego mundo. ℟. Allelúia.

Si granum frumenti mortuum fuerit,
multum fructum affert.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 12, 24-26

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Amen, amen dico vobis: Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet; si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert.

Qui amat ánimam suam, perdit eam; et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódiet eam.

Si quis mihi minístrat, me sequátur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater ». — Verbum Dómini.

13

Alleluia Io 15, 5

℟. Allelúia. ℣. Ego sum vitis, vos pálmites,
dicit Dóminus;
qui manet in me, et ego in eo,
hic fert fructum multum. ℟. Allelúia.

Manete in me, et ego in vobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 1-8

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum tollit eum, et omnem qui fert fructum purgat eum, ut fructum plus áfferat. Iam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis.

Manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite, sic nec vos, nisi in me manséritis.

Ego sum vitis, vos pálmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, missus est foras sicut palmes et áruit, et cólligunt eos et in ignem mittunt, et ardent.

Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis pétite, et fiet vobis. In hoc glorificátus est Pater meus, ut fructum multum afferátis, et efficiámini mei discípuli ».

Verbum Dómini.

14

Alleluia — Io 13, 34

℟. Allelúia. ℣. Mandátum novum do vobis,
dicit Dóminus,
ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos.
℟. Allelúia.

Vos amici mei estis, si facietis
quæ ego præcipio vobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 9-17

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea; sicut ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne.

Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos. Maiórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis.

Vos amíci mei estis, si faciétis quæ ego præcípio vobis. Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid facit dóminus eius: vos autem dixi amícos, quia ómnia quæ audívi a Patre meo nota feci vobis.

Non vos me elegístis, sed ego elégi vos et pósui vos, ut vos eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat; ut, quodcúmque petiéritis Patrem in Nómine meo, det vobis.

Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem ».

Verbum Dómini.

15

Alleluia Ps 132, 1

℟. Allelúia. ℣. Ecce quam bonum et quam iucúndum habitáre fratres in unum. ℟. Allelúia.

Volo ut, ubi ego sum, et illi sint mecum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 20-26

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, non pro his rogo tantum, sed et pro eis qui creditúri sunt per verbum eórum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis sint, ut mundus credat quia tu me misísti.

Et ego glóriam, quam dedísti mihi, dedi illis, ut sint unum sicut nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummáti in unum, ut cognóscat mundus quia tu me misísti et dilexísti eos, sicut me dilexísti.

Pater, quod dedísti mihi, volo ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut vídeant glóriam meam, quam dedísti mihi; quia dilexísti me ante constitutiónem mundi.

Pater iuste, et mundus te non cognóvit; ego autem te cognóvi, et hi cognovérunt quia tu me misísti. Et notum feci eis Nomen tuum, et notum fáciam, ut diléctio, qua dilexísti me, in ipsis sit, et ego in ipsis ».

Verbum Dómini.

VIII. IN DIE DEDICATIONIS

1. IN DEDICATIONE ECCLESIÆ

Ant. ad introitum Ps 67, 6. 7. 36

Deus in loco sancto suo,
Deus, qui inhabitáre facit unánimes in domo:
ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ.

Vel: Ps 121, 1

In domum Dómini lætántes íbimus, allelúia.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
effúnde super hunc locum grátiam tuam,
et ómnibus te invocántibus auxílii tui munus impénde,
ut hic verbi tui et sacramentórum virtus
ómnium fidélium corda confírmet. Per Dóminum.

Lectio prima

Legerunt in libro legis, et intellexerunt cum legeretur.

Léctio libri Nehemíæ 8, 2-4 a. 5-6. 8-10

In diébus illis:

Attulit Esdras sacérdos legem coram multitúdine virórum et mulíerum, cunctísque qui póterant intellégere, in die prima mensis séptimi. Et legit in eo apérte in platéa, quæ erat ante portam Aquárum, de mane usque ad médiam diem, in conspéctu virórum et mulíerum et sapiéntium; et aures omnis pópuli erant eréctæ ad librum.

Stetit autem Esdras scriba super gradum lígneum, quem fécerat ad loquéndum. Et apéruit Esdras librum

coram omni pópulo (super univérsum quippe pópulum eminébat), et cum aperuísset eum, stetit omnis pópulus. Et benedíxit Esdras Dómino Deo magno, et respóndit omnis pópulus: « Amen. Amen », élevans manus suas. Et incurváti sunt, et adoravérunt Deum proni in terram.

Et legérunt in libro legis Dei distíncte et apérte ad intellegéndum; et intellexérunt cum legerétur. Dixit autem Nehemías (ipse est Athérsatha) et Esdras, sacérdos et scriba, et levítæ interpretántes univérso pópulo: « Dies sanctificátus est Dómino Deo nostro: nolíte lugére et nolíte flere ». Flebat enim omnis pópulus, cum audíret verba legis.

Et dixit eis: « Ite, comédite pínguia, et bíbite mulsum, et míttite partes his qui non præparavérunt sibi; quia sanctus dies Dómini est. Et nolíte contristári: gáudium étenim Dómini est fortitúdo nostra ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 118, 129. 130. 133. 135. 144 (℟.: 105 a)

℟. Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine.

129 Mirabília testimónia tua,
ídeo servávit ea ánima mea. ℟.

130 Declarátio sermónum tuórum illúminat,
et intelléctum dat párvulis. ℟.

133 Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum,
et non dominétur mei omnis iníquitas. ℟.

135 Fáciem tuam illúmina super servum tuum,
et doce me iustificatiónes tuas. ℟.

144 Iustítia testimoniórum tuórum in ætérnum;
intelléctum da mihi, et vivam. ℟.

Lectio secunda et Evangelium ut supra in anniversario dedicationis ecclesiæ, pp. 933-939.

Super oblata

Accépta tibi sint, Dómine, múnera lætántis Ecclésiæ, ut pópulus tuus, in hanc domum sanctam convéniens, per hæc mystéria salútem perpétuam consequátur.
Per Christum.

Dicitur Prex eucharistica I vel III cum hac Præfatione, quæ ritui dedicationis ecclesiæ inhæret:

Præfatio: De mysterio templi Dei.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere.
Qui templum glóriæ tuæ univérsum mundum fecísti,
ut nomen tuum ubíque clarificarétur,
sed et loca divínis apta mystériis non rénuis tibi sacrári:
hanc ergo oratiónis domum, humáno exstrúctam labóre,
maiestáti tuæ exsultántes dicámus.

Hic veri Templi adumbrátur mystérium
et cæléstis Ierúsalem prænotátur imágo:
corpus enim Fílii tui, ex alma Vírgine natum,
templum effecísti tibi sacrátum,
in quo inhabitáret plenitúdo divinitátis.

Ecclésiam autem sanctam constituísti civitátem,
super fundaméntum Apostolórum ædificátam,
summo anguléri lápide ipso Christo Iesu;
sed eléctis construéndam lapídibus,
Spíritu vivificátis, coagmentátis caritáte,

ubi tu per infiníta sǽcula ómnia ómnibus eris
et Christi lumen fulgébit perénne.
Per quem nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Quando iam de more sacra celebrantur in ecclesia, et si adhibetur Prex eucharistica I, II vel III, dicitur hæc

Præfatio: De ecclesia terrestri ad Ecclesiam Dei.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
Quia in domo visíbili, quam nobis exstrúere concessísti,
ubi famíliæ in hoc loco ad te peregrinánti
favére non désinis,
mystérium tuæ nobíscum communiónis
mire figúras et operáris:
hic enim tibi templum illud quod nos sumus ædíficas,
et Ecclésiam per orbem diffúsam
in domínici compágem córporis facis augéri,
in pacis visióne compléndam, cælésti civitáte Ierúsalem.
Et ídeo, cum multitúdine órdinum beatórum,
in templo glóriæ tuæ, te collaudámus,
benedícimus et magnificámus, dicéntes: Sanctus ...

In Precibus eucharisticis, dedicatio ecclesiæ secundum has formulas commemoratur:

a) in Prece eucharistica I dicitur Hanc ígitur proprium:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulórum tuórum
qui hanc ecclésiam (in honórem N.)
fidéli tibi obtulérunt ánimo
vel indefésso ædificárunt labóre,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) in intercessionibus Precis eucharisticæ III, post verba pópulo acquisitiónis tuæ dicitur:

Votis huius famíliæ, quæ hanc tibi dicat ecclésiam,
adésto propítius:
sit ei domus salútis et aula cæléstium sacramentórum;
hic résonet evangélium pacis
et sacra mystéria celebréntur,
quibus fidéles tui, verbo vitæ ac divína grátia instrúcti,
per temporálem civitátem peregrinántes
ad ætérnam Ierúsalem perveníre mereántur,
in qua omnes fílios tuos ubíque dispérsos
tibi, clemens Pater, miserátus coniúngas.
Fratres nostros defúnctos ...

Ant. ad communionem Mt 21, 13; Lc 11, 10

Domus mea, domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus:
in ea omnis qui petit áccipit,
et qui quærit ínvenit, et pulsánti aperiétur.

Vel: Cf. Ps 127, 3

Sicut novéllæ olivárum,
Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini, allelúia.

Post communionem

Multíplica, Dómine, quǽsumus,
per hæc sancta quæ súmpsimus,
veritátem tuam in méntibus nostris,
ut te in templo sancto iúgiter adorémus,
et in conspéctu tuo cum ómnibus Sanctis gloriémur.
Per Christum.

Benedictio in fine Missæ

Deus, Dóminus cæli et terræ,
qui vos hódie
ad huius domus dedicatiónem adunávit,
ipse vos cæléstì benedictióne fáciat abundáre.
℟. Amen.

Concedátque vos fíeri templum suum
et habitáculum Spíritus Sancti,
qui omnes fílios dispérsos
vóluit in Fílio suo congregári.
℟. Amen.

Quátenus felíciter emundáti,
habitatórem Deum
in vobismetípsis possítis habére,
et ætérnæ beatitúdinis hereditátem
cum ómnibus Sanctis possidére.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

Missæ in anniversario dedicationis in Communibus ponuntur, pp. 925-928.

2. IN DEDICATIONE ALTARIS

Ant. ad introitum Ps 83, 10-11

Protéctor noster, áspice, Deus,
et réspice in fáciem Christi tui;
quia mélior est dies una in átriis tuis super mília.

Vel: Ps 42, 4

Introíbo ad altáre Dei, allelúia.

Collecta

Deus, qui ad Fílium tuum in ara crucis exaltátum
ómnia attráhere voluísti,
cælésti grátia perfúnde fidéles tuos
hanc tibi dicántes altáris mensam,
ad quam eos, in unum congregátos, própide nútries
Spiritúque effúso, in dies constítues
plebem tibi sacrátam. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1381-1389.

Super oblata

Descéndat, quǽsumus, Dómine Deus noster,
Spíritus tuus Sanctus super hoc altáre,
qui et dona pópuli tui sanctíficet,
et suméntium corda dignánter emúndet. Per Christum.

Dicitur Prex eucharistica I vel III cum hac Præfatione, quæ ritui dedicationis altaris inhæret:

Præfatio: Altare ipse est Christus.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Qui verus sacérdos veráque efféctus hóstia,
sacrifícii, quod ipse in ara crucis tibi óbtulit,
memoriále nobis præcépit in perpétuum celebráre.
Ideo pópulus tuus hoc eréxit altáre,
quod tibi, Dómine, exsultántes dicámus.

Hic est vere locus excélsus,
ubi Christi sacrifícium in mystério iúgiter offértur,
tibi perfécta tribúitur laus
nostráque exséritur redémptio.

Hic domínica mensa parátur,
ad quam fílii tui, Christi córpore reflécti,
in unam sanctámque congregántur Ecclésiam.

Hic fidéles Spíritum tuum háuriunt
de flumínibus a Christo, spiritáli petra, manántibus,
per quem et ipsi fiunt oblátio sancta, vivum altáre.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Ant. ad communionem — Ps 83, 4-5

Passer invénit sibi domum,
et turtur nidum, ubi repónat pullos suos:
altária tua, Dómine virtútum,
rex meus et Deus meus.
Beáti qui hábitant in domo tua,
in sǽculum sǽculi laudábunt te.

Vel: — Cf. Ps 127, 3

Sicut novéllæ olivárum,
Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini, allelúia.

Post communionem

Da nobis, Dómine, tuis semper altáribus inhærére,
ubi sacrifícii sacraméntum celebrátur,
ut, fide et caritáte coniúncti, dum Christo refícimur
in Christum transformémur. Qui vivit et regnat.

Benedictio in fine Missæ

Deus, qui vos exórnat regáli sacerdótio,
tríbuat ut, munus vestrum sancte perficiéntes,
Christi sacrifícium valeátis digne participáre.
℟. Amen.

Et qui ad unam mensam vos cóngregat
unóque réficit pane,
ex vobis fáciat cor unum et ánimam unam.
℟. Amen.

Ut eos, quibus Christum annuntiátis,
ad Christum trahátis exémplo vestræ dilectiónis.
℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.
℟. Amen.

Lectio prima

1

Surgens Iacob tulit lapidem et erexit in titulum, fundens oleum desuper.

Léctio libri Génesis 28, 11-18

In diébus illis:

Cum venísset Iacob ad quendam locum, et vellet in eo requiéscere post solis occúbitum, tulit de lapídibus

qui iacébant, et suppónens cápiti suo dormívit in eódem loco.

Vidítque in somnis scalam stantem super terram, et cacúmen illíus tangens cælum, ángelos quoque Dei ascendéntes et descendéntes per eam, et Dóminum inníxum scalæ dicéntem sibi:

« Ego sum Dóminus Deus Abraham patris tui et Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo et sémini tuo, erítque semen tuum quasi pulvis terræ; dilatáberis ad occidéntem et oriéntem et septentriónem et merídiem, et benedicéntur in te et in sémine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero custos tuus quocúmque perréxeris, et redúcam te in terram hanc; nec dimíttam nisi complévero univérsa quæ dixi ».

Cumque evigilásset Iacob de somno, ait: « Vere Dóminus est in loco isto, et ego nesciébam ».

Pavénsque, « Quam terríbilis est » inquit, « locus iste! non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli ». Surgens ergo Iacob mane tulit lápidem, quem supposúerat cápiti suo, et eréxit in títulum, fundens óleum désuper. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 94, 1-2. 3-5. 6-7

℟. Accedámus in conspéctum Dómini cum láudibus.

1 Veníte, exsultémus Dómino;
iubilémus Deo salutári nostro.
2 Præoccupémus fáciem eius in confessióne,
et in psalmis iubilémus ei. ℟.

3 Quóniam Deus magnus Dóminus,
et rex magnus super omnes deos.
4 Quia in manu eius sunt profúnda terræ,
et altitúdines móntium ipsíus sunt.
5 Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud,
et siccam manus eius formavérunt. ℟.

6 Veníte, adorémus et procidámus,
et génua flectámus ante Dóminum qui fecit nos,
7 quia ipse est Deus noster,
et nos pópulus páscuæ eius et oves manus eius. ℟.

2

Ædificavit Iosue altare Domino

Léctio libri Iósue 8, 30-35

In diébus illis:

Ædificávit Iósue altáre Dómino Deo Israel in monte Hebal, sicut præcéperat Móyses fámulus Dómini fíliis Israel, et scriptum est in volúmine legis Móysi: altáre vero de lapídibus impolítis quos ferrum non tétigit. Et óbtulit super eo holocáusta Dómino, immolavítque pacíficas víctimas. Et scripsit super lápides deuteronómium legis Móysi, quod ille digésserat coram fíliis Israel.

Omnis autem pópulus et maióres natu, ducésque ac iúdices stabant ex utráque parte arcæ, in conspéctu sacerdótum qui portábant arcam fœderis Dómini, ut ádvena ita et indígena. Média pars eórum iuxta montem Garízim, et média iuxta montem Hebal, sicut præcéperat Móyses fámulus Dómini.

Et primum quidem benedíxit pópulo Israel; post hæc legit ómnia verba benedictiónis et maledictiónis, et cuncta quæ scripta erant in legis volúmine. Nihil ex his quæ Móyses iússerat relíquit intáctum, sed univérsa replicávit coram omni multitúdine Israel, muliéribus ac párvulis et ádvenis qui inter eos morabántur.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 83, 3. 4. 5 et 10. 11 (℟.: 2)

℟. Quam diléćta altária tua, Dómine.

3 Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea
exsultavérunt in Deum vivum. ℟.

4 Etenim passer invénit sibi domum,
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos:
altária tua, Dómine virtútum, rex meus et Deus meus. ℟.

5 Beáti qui hábitant in domo tua,
in perpétuum laudábunt te.
et réspice in fáciem Christi tui. ℟.
10 Protéctor noster, áspice, Deus,

11 Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília,
elégi ad limen esse in domo Dei mei,
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. ℟.

3

Fecerunt dedicationem altaris, et facta est lætitia in populo magna valde.

Léctio libri primi Machabæórum 4, 52-59

Ante matutínum surrexérunt quinta et vigésima die mensis noni (hic est mensis Cásleu) centésimi quadragésimi octávi anni, et obtulérunt sacrifícium secúndum legem super altáre holocaustórum novum, quod fecérunt. Secúndum tempus et secúndum díem, in qua contaminavérunt illud gentes, in ipsa renovátum est in cánticis et citharis et cinyris et in cýmbalis.

Et cécidit omnis pópulus in fáciem, et adoravérunt

et benedixérunt in cælum eum qui prosperávit eis; et fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo, et obtulérunt holocáusta cum lætítia, et sacrifícium salutáris et laudis; et ornavérunt fáciem templi corónis áureis et scútulis, et dedicavérunt portas et pastophória, et imposuérunt eis iánuas. Et facta est lætítia in pópulo magna valde, et avérsum est oppróbrium géntium.

Et státuit Iudas et fratres eius et univérsa ecclésia Israel, ut agátur dies dedicatiónis altáris in tempóribus suis ab anno in annum, per dies octo, a quinta et vigésima die mensis Cásleu, cum lætítia et gáudio.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 121, 1-2. 3-4. 8-9 (℟.: cf. 1)

℟. In domum Dómini lætántes íbimus.

Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi:
« In domum Dómini íbimus ».
Stantes iam sunt pedes nostri
in portis tuis, Ierúsalem. ℟.

Ierúsalem, quæ ædificáta est ut cívitas
sibi compácta in idípsum.
Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini,
testimónium Israel, ad confiténdum nómini Dómini. ℟.

Propter fratres meos et próximos meos
loquar: « Pax in te! »
Propter domum Dómini Dei nostri
exquíram bona tibi. ℟.

Lectio secunda

Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum.

1

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 10, 16-21

Fratres:

Cálicem benedictiónis, cui benedícimus, nonne communicátio sánguinis Christi est? et panis quem frángimus, nonne communicátio córporis Christi est? Quóniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participámur.

Vidéte Israel secúndum carnem: nonne qui edunt hóstias communicántes sunt altári? Quid ergo dico? quod idolóthytum sit áliquid? aut quod idólum sit áliquid? Sed quæ ímmolant, dæmóniis ímmolant et non Deo; nolo autem vos communicántes fíeri dæmóniis: non potéstis cálicem Dómini bíbere et cálicem dæmoniórum; non potéstis mensæ Dómini partícipes esse et mensæ dæmoniórum. — Verbum Dómini.

2

Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 13, 8-15

Iesus Christus heri et hódie idem, et in sǽcula. Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci; óptimum enim est grátia stabilíri cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis.

Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra.

Propter quod et Iesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium eius portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus.

Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium Nómini eius. — Verbum Dómini.

Vel etiam 1 Petr 2, 4-9, ut supra in anniversario dedicationis ecclesiæ, p. 935.

Evangelium

1

Alleluia — Ez 37, 27

℟. Allelúia. ℣. Erit tabernáculum meum in eis,
dicit Dóminus. ℟. Allelúia.

Vade, reconciliare fratri tuo,
et tunc offer munus tuum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
5, 23-24

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Si ófferes munus tuum ad altáre, et ibi recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid advérsum te, relínque ibi munus tuum ante altáre, et vade prius, reconciliáre fratri tuo, et tunc véniens offer munus tuum ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia **Cf. Io 4, 24**

℟. Allelúia. ℣. Pater veros adoratóres quærit,
qui adórent eum in spíritu et veritáte.
℟. Allelúia.

Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 4, 19-24

In illo témpore:

Múlier Samaritána dicit Iesu:

« Dómine, vídeo quia prophéta es tu. Patres nostri in monte hoc adoravérunt, et vos dícitis quia Hierosólymis est locus ubi adoráre opórtet ».

Dicit ei Iesus: « Crede mihi, múlier, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosólymis adorábitis Patrem. Vos adorátis quod nescítis, nos adorámus quod scimus, quia salus ex Iudǽis est. Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu et veritáte. Nam et Pater tales quærit qui adórent eum. Spíritus est Deus, et eos, qui adórant eum, in spíritu et veritáte opórtet adoráre ».

Verbum Dómini.

3

Alleluia **Hebr 13, 8**

℟. Allelúia. ℣. Christus heri et hódie,
ipse et in sǽcula. ℟. Allelúia.

Si exaltatus fuero a terra, omnes traham ad meipsum

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
12, 31-36 a

In illo témpore:

Dixit Iesus ad turbam: « Nunc iudícium est huius mundi, nunc princeps huius mundi eiciétur foras.

Et ego, si exaltátus fúero a terra, omnes traham ad meípsum ». Hoc autem dicébat signíficans qua morte esset moritúrus.

Respóndit ergo ei turba: « Nos audívimus ex Lege quia Christus manet in ætérnum, et quómodo tu dicis: " Opórtet exaltári Fílium hóminis "? Quis est iste Fílius hóminis? »

Dixit ergo eis Iesus: « Adhuc módicum tempus lumen in vobis est. Ambuláte dum lucem habétis, ut non ténebræ vos comprehéndant; et qui ámbulat in ténebris nescit quo vadat.

Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis fiátis ». — Verbum Dómini.

MISSÆ ET ORATIONES PRO VARIIS NECESSITATIBUS

1. Una simul colliguntur, in hac parte, Missæ et orationes, quæ in pluribus rerum adiunctis adhiberi possunt, pro variis necessitatibus aut occasionibus.

Quæ inveniuntur in tribus prioribus partibus dici possunt sive in Missa cum populo sive in Missa sine populo celebrata; quæ vero in quarta parte colliguntur, plerumque in Missis quæ sine populo celebrantur dici deberent, nisi ratio pastoralis aliquando aliter suadeat.

2. Missis, quæ integra formula, idest antiphonis et orationibus, hic donantur, etiam lectiones propriæ in lectionario suppeditantur.

3. Semper licet sacerdoti omnes orationes huius seriei, vel etiam solam collectam, in Missa de feriis « per annum » adhibere, servatis iis quæ sub n. 1 indicantur.

4. In quibusdam Missis, textus liturgici, qui pro viro ponuntur, aptari possunt pro muliere, mutato genere, vel pro pluribus, mutato numero.

5. Hæ Missæ dici possunt cum colore proprio diei vel temporis aut cum colore violaceo, si indolem pænitentialem manifestant, v. gr. nn. 23, 28, 40 (cf. Institutio generalis, n. 310).

I. PRO SANCTA ECCLESIA

1. PRO ECCLESIA

A

Ant. ad introitum — Cf. Eph 1, 9 a. 10

Deus notum fecit nobis sacraméntum voluntátis suæ,
instauráre ómnia in Christo,
quæ in cælis et quæ in terra sunt, in ipso.

Collecta

Deus, qui regnum Christi ubíque terrárum dilatári
providéntia mirábili disposuísti,
et omnes hómines salutáris éffici redemptiónis partícipes,
præsta, quǽsumus,
ut Ecclésia tua universális sit salútis sacraméntum,
et tuæ in hómines caritátis
manifféstet et operétur mystérium.
Per Dóminum.

Lectiones, ut indicantur pp. 1399-1401.

Super oblata

Plebis tibi sacrátæ réspice múnera, miséricors Deus,
et per huius sacraménti virtútem concéde,
ut credéntium in te multitúdo
genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta,
pópulus acquisitiónis tibi iúgiter efficiátur.
Per Christum.

Præfatio VIII de dominicis per annum, p. 759.

Ant. ad communionem — Ap 22, 17 a. 20

Spíritus et sponsa dicunt: Veni.
Amen. Veni, Dómine Iesu.

Post communionem

Deus, qui tuis Ecclésiam
iúgiter pascis et róboras sacraméntis,
concéde nobis mensa cæléstí reféctis,
ut, caritátis tuæ documéntis obsequéndo,
ferméntum vivíficans et salútis instruméntum
humáno efficiámur consórtio.
Per Christum.

B

Ant. ad introitum — Ap 7, 9

Vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus et tríbubus et pópulis et linguis, allelúia.

Collecta

Deus, qui in Christi tui testaménto
ex ómnibus géntibus
pópulum tibi congregáre non désinis,
in Spíritu ad unitátem coalescéntem,
concéde, ut Ecclésia tua, missióni sibi créditæ fidélis,
cum hóminum família iúgiter incédat,
et tamquam ferméntum
et véluti ánima societátis humánæ
in Christo renovándæ et in famíliam Dei transformándæ
semper exsístat. Per Dóminum.

Lectiones, ut indicantur pp. 1399-1401.

Super oblata

Múnera quæ tibi offérimus, Dómine,
súscipe benígnus, et præsta, ut Ecclésia tua,
de látere Christi in cruce dormiéntis exórta,
ex huius participatióne mystérii

suam iúgiter háuriat sanctitátem,
qua semper vivat suóque digne respóndeat auctóri.
Per Christum.

Præfatio VIII de dominicis per annum, p. 759.

Ant. ad communionem Io 19, 34

Unus mílitum láncea latus eius apéruit,
et contínuo exívit sanguis et aqua.

Vel: Ap 7, 12

Benedíctio et cláritas et sapiéntia et gratiárum áctio,
honor et virtus et fortitúdo Deo nostro
in sǽcula sæculórum. Amen.

Post communionem

Sacraménto Fílii tui recreáti, te, Dómine, deprecámur,
ut Ecclésiæ tuæ operatiónem fecúndes,
qua salutáris mystérii plenitúdinem
paupéribus contínuo revélas,
quos ad tui regni præcípuam vocásti portiónem.
Per Christum.

C

Ant. ad introitum Mt 18, 19-20

Dico vobis:
Ubi sunt duo vel tres congregáti in nómine meo,
ibi sum in médio eórum, dicit Dóminus.

Vel: Rom 12, 5

Multi unum corpus sumus in Christo,
sínguli autem alter alteríus membra.

Collecta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut Ecclésia tua semper ea plebs sancta permáneat

de unitáte Patris et Fílii et Spíritus Sancti adunáta,
quæ tuæ sanctitátis et unitátis sacraméntum
mundo maniféstet,
et ipsum ad perfectiónem tuæ condúcat caritátis.
Per Dóminum.

Lectiones, ut indicantur pp. 1399-1401.

Super oblata

Imménsæ Fílii tui caritátis memoriále celebrántes,
te, Dómine, supplíciter exorámus,
ut eiúsdem salutáris óperis fructus,
per Ecclésiæ tuæ ministérium,
ad totíus mundi profíciat salútem.
Per Christum.

Præfatio de unitate, p. 1450.

Ant. ad communionem — Cf. 1 Cor 10, 17

Unus panis, unum corpus multi sumus,
omnes qui de uno pane et de uno cálice participámus.

Post communionem

Deus, qui mirábili sacraménto
Ecclésiæ fortitúdinem tríbuis et solámen,
da pópulo tuo per hæc sancta Christo adhærére,
ut, temporálibus munéribus quæ gerit,
tuum in libertáte regnum ædíficet ætérnum.
Per Christum.

D

Ant. ad introitum — Cf. Io 17, 20-21

Rogo, Pater, pro eis qui creditúri sunt in me,
ut ipsi in nobis unum sint,
ut credat mundus quia tu me misísti.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui glóriam tuam ómnibus in Christo géntibus reveIásti,
custódi ópera misericórdiæ tuæ,
ut Ecclésia sancta, toto orbe diffúsa,
stábili fide in confessióne tui nóminis persevéret.
Per Dóminum.

Lectiones, ut indicantur pp. 1399-1401.

Super oblata

Deus, qui eódem sacrifício
Ecclésiam tuam iúgiter sanctíficas,
quo eam mundásti,
da, ut, cápiti suo Christo unita, cum eo se tibi ófferat,
et pura tibi voluntáte concórdet.
Per Christum.

Præfatio VIII de dominicis per annum, p. 759.

Ant. ad communionem — Io 15, 5

Qui manet in me et ego in eo,
hic fert fructum multum,
quia sine me nihil potéstis fácere, dicit Dóminus.

Post communionem

Refectióne sancta enutrítam,
gubérna, quæsumus, Dómine, tuam placátus Ecclésiam,
ut, poténti moderatióne dirécta,
et increménta libertátis accípiat,
et in religiónis integritáte persístat.
Per Christum.

E

Pro Ecclesia locali

Ant. ad introitum Ap 1, 5-6

Iesu Christo, qui diléxit nos,
et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo,
et fecit nos regnum et sacerdótes Deo et Patri suo:
ipsi glória et impérium in sæcula sæculórum. Amen.

Collecta

Deus, qui in síngulis Ecclésiis per orbem peregrínis
unam, sanctam, cathólicam et apostólicam
manifestas Ecclésiam,
plebi tuæ concéde benígnus ita pastóri suo adunári
atque per Evangélium et Eucharístiam
congregári in Spíritu Sancto,
ut universitátem pópuli tui digne váleat repræsentáre,
et signum fiat
atque præséntiæ Christi in mundo instruméntum.
Per Dóminum.

Lectiones, ut indicantur pp. 1399-1401.

Super oblata

Imménsæ Fílii tui caritátis memoriále celebrántes,
te, Dómine, supplíciter exorámus,
ut eiúsdem salutáris óperis fructus,
per Ecclésiæ tuæ ministérium,
ad totíus mundi profíciat salútem.
Per Christum.

Præfatio VIII de dominicis per annum, p. 759.

Ant. ad communionem Ap 3, 20

Ecce sto ad óstium et pulso, dicit Dóminus;
si quis audíerit vocem meam

et aperúerit mihi iánuam,
intrábo ad illum, et cenábo cum illo, et ipse mecum.

Post communionem

Vígeat in hac Ecclésia tua, Dómine,
et usque in finem persevéret
fídei intégritas, morum sánctitas,
fratérna cáritas et munda relígio,
et, quam Fílii tui córpore
et verbo tuo páscere non désinis,
eam quoque tuis non cesses gubernáre præsídiis.
Per Christum.

Orationes super oblata et post communionem adhiberi possunt etiam eæ quæ in schematibus præcedentibus inveniuntur.

Lectiones:

1. Is 56, 1. 6-7: « Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis ».
   Hæc dicit Dóminus: « Custodíte ... », p. 1475.
2. Is 60, 1-6: « Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi ».
   Surge, illumináre, Ierúsalem ..., p. 1476.
3. Ez 34, 11-16: « Congregabo oves meas de terris ».
   Hæc dicit Dóminus: « Ecce ego requíram oves meas ... », p. 1734.
4. Os 2, 14 b. 15 b. 19-20: « Sponsabo te mihi in sempiternum ».
   Hæc dicit Dóminus: « Ecce ego ducam eam ... », p. 1349.
5. 1 Cor 3, 9 b-11. 16-17: « Dei ædificatio estis ».
   Fratres: Dei ædificátio estis ..., p. 933.
6. 1 Cor 12, 3 b-7. 12-13: « Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus ».
   Fratres: Nemo potest dicere: « Dóminus Iesus! » nisi in Spíritu Sancto ..., p. 1760.
7. Eph 1, 3-14: « Recapitulare omnia in Christo ... in laudem gloriæ ipsius ».
   Fratres: Benedictus Deus et Pater ..., p. 1353.

8. Eph 2, 19-22: « Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ».
Fratres: Iam, in Christo Iesu, non estis extránei ..., p. 1460.
9. 1 Pt 2, 4-9: « Ipsi tamquam lapides vivi ædificamini ».
Caríssimi: Accédite ad Dóminum Iesum, lápidem vivum ..., p. 935.
10. Ap 7, 2-4. 9-14: « Ecce turba magna, quam dinumerare nemo poterat ».
Ego, Ioánnes, vidi álterum Angelum ..., p. 1793.

Psalmi responsorii:

1. Ps 18, 2-3. 4-5.
℟. (5 a): In omnem terram exívit sonus eórum, p. 1479.
2. Ps 24, 4-5 a b. 6-7. 8-9. 10 et 14.
℟. (6 a) Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, p. 1728.
3. Ps 66, 2-3. 5. 7-8.
℟. (4): Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes, p. 1478.
4. Ps 97, 1. 2-3 a b. 3 c-4. 5-6.
℟. (2 b): In conspéctu géntium revelávit Dóminus iustítiam suam, p. 1477.
5. Ps 116, 1. 2.
℟. (Mc 16, 15): Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium, p. 1030.

Alleluia, Versus ante Evangelium et Evangelia:

1. Mt 16, 18: Tu es Petrus, et super hanc petram ..., p. 936.
Mt 16, 13-19: « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ».
In illo témpore: Venit Iesus in partes ..., p. 936.
2. Ps 132, 1: Ecce quam bonum ..., p. 1414.
Mt 18, 15-20: « Ubi sunt duo vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum ».
In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: « Si peccáverit in te ... », p. 1414.
3. Mt 28, 19 a. 20 b: Eúntes, docéte omnes gentes ..., p. 1482.
Mt 28, 16-20: « Euntes, docete omnes gentes ».
In illo témpore: Undecim discípuli ..., p. 1483.
4. Io 15, 5: Ego sum vitis, vos pálmites ..., p. 1369.
Io 15, 1-8: « Manete in me, et ego in vobis ».

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: « Ego sum vitis vera ... », p. 1369.

5. Io 10, 11: Ego sum pastor bonus ..., p. 1410.
Io 17, 11 b. 17-23: « Sicut me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum ».
In illo témpore: Sublevátis Iesus óculis in cælum ..., p. 1411.

6. Io 10, 14: Ego sum pastor bonus ..., p. 1272.
Io 21, 15-17: « Pasce agnos meos, pasce oves meas ».
Cum manifestásset se Iesus discípulis suis et prandísset cum eis, dicit Simóni Petro ..., p. 1272.

Cf. etiam textus aptiores qui proponuntur in Missis pro unitate christianorum et pro evangelizatione populorum, pp. 1454-1470 et 1474-1486.

2. PRO PAPA

præsertim in anniversario electionis

A

Hæc Missa dicitur, cum colore albo, in anniversario electionis Papæ, ubi peculiares habentur celebrationes, dummodo non occurrat dominica Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, aut sollemnitas, aut feria IV Cinerum vel Hebdomadæ sanctæ.

Ant. ad introitum Mt 16, 18-19

Tu es Petrus,
et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam,
et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam,
et tibi dabo claves regni cælórum.

Collecta

Deus, qui providéntiæ tuæ consílio
super beátum Petrum, céteris Apóstolis præpósitum,
Ecclésiam tuam ædificári voluísti,
réspice propítius ad Papam nostrum N., et concéde,
ut, quem Petri constituísti successórem,

pópulo tuo visíbile sit unitátis fídei et communiónis
princípium et fundaméntum.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, ómnium fidélium pastor et rector,
fámulum tuum N., quem pastórem
Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice;
da ei, quǽsumus, verbo et exémplo,
quibus præest profícere,
ut ad vitam, una cum grege sibi crédito,
pervéniat sempitérnam.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Communi pastorum, ut supra pp. 1021-1051.

Super oblata

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus,
et Ecclésiam tuam sanctam,
una cum Papa nostro N.,
quem ipsi constituísti pastórem,
assídua protectióne gubérna.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Io 21, 15. 17

Dixit Iesus Petro:
Simon Ioánnis, díligis me plus his?
Petrus autem respóndit:
Dómine, tu ómnia nosti; tu scis, Dómine, quia amo te.

Post communionem

Mensæ cæléstis partícipes effécti,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, huius virtúte mystérii,

Ecclésiam tuam in unitáte et caritáte confírmes,
et fámulum tuum N.,
cui pastorále munus tradidísti,
una cum commísso sibi grege
salves semper et múnias.
Per Christum.

B

Alia oratio pro Papa

Collecta

Deus, qui in apóstoli Petri successióne
fámulum tuum N. elegísti totíus gregis esse pastórem,
supplicántem pópulum intuére propítius, et præsta,
ut, qui Christi vices gerit in terris, fratres confírmet,
et omnis Ecclésia cum ipso commúnicet
in vínculo unitátis, amóris et pacis,
quátenus in te, animárum pastóre,
omnes veritátem et vitam assequántur ætérnam.
Per Dóminum.

3. PRO EPISCOPO

praesertim in anniversario ordinationis

A

Hæc Missa dicitur, cum colore albo, in anniversario electionis Episcopi, ubi peculiares habentur celebrationes, dummodo non occurrat dominica Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, aut sollemnitas, aut feria IV Cinerum vel Hebdomadæ sanctæ.

Ant. ad introitum Ez 34, 11. 23. 24

Visitábo oves meas, dicit Dóminus,
et suscitábo pastórem qui pascat eas;
ego autem Dóminus ero eis in Deum.

Collecta

Deus, pastor ætérne fidélium,
qui Ecclésiæ tuæ multíplici dispensatióne praees
et amóre domináris,
da, quǽsumus, fámulo tuo N.,
quem plebi tuæ præfecísti,
ut gregi, cuius est pastor, Christi vice præsídeat,
et fidélis sit doctrínæ magíster,
sacri cultus sacérdos et gubernatiónis miníster.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, ómnium fidélium pastor et rector,
fámulum tuum N.,
quem pastórem Ecclésiæ N. præésse voluísti,
propítius réspice;
da ei, quǽsumus, verbo et exémplo,
quibus præest profícere,
ut ad vitam, una cum grege sibi crédito,
pervéniat sempitérnam.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Communi pastorum, ut supra pp. 1021-1051.

Super oblata

Hæc oblátio, Dómine, pro fámulo tuo N. deláta
sit tibi munus accéptum,
et, quem sacerdótem magnum
in tuo pópulo suscitásti,
apostolicárum virtútum munéribus,
ad gregis proféctum, exórna.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 20, 28

Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre, et dare ánimam suam redemptiónem pro multis.

Post communionem

Huius, Dómine, virtúte mystérii,
in fámulo tuo N. epíscopo nostro
grátiæ tuæ dona multíplica,
ut et tibi digne persólvat pastorále ministérium,
et fidélis dispensatiónis ætérna præmia consequátur.
Per Christum.

B

Alia oratio pro Episcopo

Collecta

Da, quǽsumus, Dómine, fámulo tuo N.,
quem pascéndo gregi tuo
in Apostolórum successióne præfecísti,
spíritum consílii et fortitúdinis,
spíritum sciéntiæ et pietátis,
ut, pópulum sibi créditum fidéliter gubérnans,
Ecclésiæ ædíficet in mundo sacraméntum.
Per Dóminum.

4. PRO ELIGENDO PAPA VEL EPISCOPO

Ant. ad introitum 1 Sam 2, 35

Suscitábo mihi sacerdótem fidélem,
qui iuxta cor meum et ánimam meam fáciet;
et ædificábo ei domum fidélem,
et ambulábit coram me cunctis diébus.

Collecta

Deus, qui, pastor ætérnus,
gregem tuum assídua custódia gubérnas,
eum imménsa tua pietáte concédas Ecclésiæ pastórem,
qui tibi sanctitáte pláceat,
et vígili nobis sollicitúdine prosit.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1407-1411.

Super oblata

Tuæ nobis, Dómine, abundántia pietátis indúlgeat,
ut, per sacra múnera quæ tibi reverénter offérimus,
gratum maiestáti tuæ pastórem
Ecclésiæ sanctæ præésse gaudeámus.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 15, 16

Ego elégi vos et pósui vos, ut fructum afferátis,
et fructus vester máneat, dicit Dóminus.

Post communionem

Reféctos, Dómine, Córporis et Sánguinis Unigéniti tui salubérrimo sacraménto,
nos mirífica tuæ maiestátis grátia
de illíus pastóris concessióne lætíficet,
qui et plebem tuam virtútibus ínstruat,
et fidélium mentes evangélica veritáte perfúndat.
Per Christum.

Lectio prima

Unxit me Dominus et evangelizare pauperibus misit me.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 61, 1-3 a

Spíritus Dómini super me, eo quod únxerit Dóminus me; ad annuntiándum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde, et prædicárem captívis indulgéntiam et clausis apertiónem; ut prædicárem annum placábilem Dómino et diem ultiónis Deo nostro; ut consolárer omnes lugéntes, ut pónerem lugéntibus Sion et darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium pro spíritu mæróris. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 88, 4-5. 21-22. 25 et 27 (℟.: cf. 2 a)

℟. Misericórdias tuas, Dómine, in ætérnum cantábo.
vel Allelúia.

4 « Dispósui testaméntum elécto meo,
iurávi David servo meo:
5 Usque in ætérnum confirmábo semen tuum,
et ædificábo in generatiónem et generatiónem
sedem tuam. ℟.

21 Invéni David servum meum;
óleo sancto meo unxi eum.
22 Manus enim mea firma erit cum eo,
et brácchium meum confortábit eum. ℟.

25 Et véritas mea et misericórdia mea cum ipso,
et in nómine meo exaltábitur cornu eius.
27 Ipse invocábit me: " Pater meus es tu,
Deus meus et refúgium salútis meæ " ». ℟.

Lectio secunda

1

Augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 4, 11-16

Fratres:

Dedit Christus quosdam quidem apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero evangelístas, álios autem pastóres et doctóres: ad instructiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi, donec occurrámus omnes in unitátem fídei et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

Ut iam non simus párvuli, fluctuántes et circumácti omni vento doctrínæ, in fallácia hóminum, in astútia ad circumventiónem erróris; veritátem autem faciéntes in caritáte, crescámus in illum per ómnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compáctum et conéxum per omnem iunctúram subministratiónis, secúndum operatiónem in mensúra uniuscuiúsque partis, augméntum córporis facit in ædificatiónem sui in caritáte.

Verbum Dómini.

2

Christus appellatus est a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech.

Léctio Epístolæ ad Hebræos 5, 1-10

Omnis póntifex, ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in his quæ sunt ad Deum, ut óffe-

rat dona et sacrifícia pro peccátis; qui æque condolére possit his qui ignórant et errant, quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte; et propter eam debet, quemádmodum et pro pópulo, ita étiam pro semetípso offérre pro peccátis.

Nec quisquam sumit sibi illum honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam et Aaron.

Sic et Christus non semetípsum glorificávit ut póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum:

« Fílius meus es tu, ego hódie génui te »; quemádmodum et in álio dicit:

« Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech ».

Qui, in diébus carnis suæ, preces supplicationésque ad eum, qui possit salvum illum a morte fácere, cum clamóre válido et lácrimis ófferens, et exaudítus pro sua reveréntia.

Et quidem, cum esset Fílius, dídicit ex his quæ passus est obœdiéntiam; et consummátus factus est ómnibus obœdiéntibus sibi auctor salútis ætérnæ, appellátus a Deo póntifex iuxta órdinem Melchísedech.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Io 15, 9

℟. Allelúia. ℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos.
Manéte in dilectióne mea,
dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Ego elegi vos et posui vos, ut fructum afferatis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 9-17

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea; sicut ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Maiórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis.

Vos amíci mei estis, si faciétis quæ ego præcípio vobis. Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid facit dóminus eius: vos autem dixi amícos, quia ómnia quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

Nos vos me elegístis, sed ego elégi vos et pósui vos, ut vos eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat, ut, quodcúmque petiéritis Patrem in Nómine meo, det vobis.

Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia Io 10, 11

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
bonus pastor ánimam suam dat
pro óvibus suis.
℟. Allelúia.

Sicut me misisti in mundum,
et ego misi eos in mundum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
17, 11 b. 17-23

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, serva eos in Nómine tuo, quod dedísti mihi, ut sint unum sicut nos. Sanctífica eos in veritáte Sermo tuus véritas est.

Sicut me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctífico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte.

Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui creditúri sunt per verbum eórum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat quia tu me misísti.

Et ego glóriam, quam dedísti mihi, dedi illis, ut sint unum sicut nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummáti in unum, ut cognóscat mundus quia tu me misísti et dilexísti eos, sicut me dilexísti ». — Verbum Dómini.

5. PRO CONCILIO VEL SYNODO

Ant. ad introitum Col 3, 14-15

Super ómnia caritátem habéte,
quod est vínculum perfectiónis:
et pax Christi exsúltet in córdibus vestris.

Collecta

Ecclésiæ tuæ, Dómine, rector et custos,
infúnde, quǽsumus, fámulis tuis

spíritum intellegéntiæ, veritátis et pacis,
ut, quæ tibi plácita sunt, toto corde cognóscant
et, ágnita, tota virtúte secténtur.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis
et amóre domináris,
da spíritum sapiéntiæ quibus dedísti régimen disciplínæ,
ut plebs tua ad veritátis agnitiónem pleniórem
et sanctitátis tibi accéptum ducátur augméntum.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1413-1416.

Super oblata

Réspice, clementíssime Deus, múnera servórum tuórum,
et grátiam tui lúminis illis impénde,
ut quæ recta sunt in óculis tuis veráciter intéllegant,
et fiduciáliter exsequántur.
Per Christum.

Præfatio II de Spiritu Sancto, p. 1751.

Ant. ad communionem

Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.
Congregávit nos in unum Christi amor.

Post communionem

Da, quǽsumus, miséricors Deus,
ut sancta quæ súmpsimus
fámulos tuos in veritáte confírment,
et honórem tui nóminis illos fáciant exquírere.
Per Christum.

Pro conventu spiritali vel pastorali, Missa ut infra n. 16, p. 1500.

Lectio prima

Iuxta te est sermo, ut facias illum.

Léctio libri Deuteronómii 30, 10-14

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo, dicens: « Audies vocem Dómini Dei tui, et custódies præcépta eius et cæremónias, quæ in hac lege conscrípta sunt, et revertéris ad Dóminum Deum tuum in toto corde tuo et in tota ánima tua.

Mandátum hoc, quod ego præcípio tibi hódie, non supra te est neque procul pósitum, nec in cælo situm, ut possis dícere: " Quis nostrum valet ad cælum ascéndere, ut déferat illud ad nos, et audiámus atque ópere compleámus? " Neque trans mare pósitum, ut causéris et dicas: " Quis ex nobis póterit transfretáre mare et illud ad nos usque deférre, ut possímus audíre et fácere quod præcéptum est? "

Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo et in corde tuo, ut fácias illum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 18, 8. 9. 10. 11 (℟.: Io 6, 69)

℟. Dómine, verba vitæ ætérnæ habes.
vel Allelúia.

8 Lex Dómini immaculáta, refíciens ánimam,
testimónium Dómini fidéle,
sapiéntiam præstans párvulis. ℟.
9 Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda,
præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. ℟.
10 Timor Dómini mundus, pérmanens in sæculum sæculi,
iudícia Dómini vera, iusta ómnia simul. ℟.

11 Desiderabília super aurum
et lápidem pretiósum multum,
et dulcióra super mel et favum stillántem. ℟.

Lectio secunda

Idem sapite, eandem caritatem habentes, unanimes.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses
2, 1-4

Fratres:

Si qua consolátio in Christo, si quod solácium caritátis, si qua commúnio spíritus, si quæ víscera et miseratiónes, impléte gáudium meum, ut idem sapiátis, eándem caritátem habéntes, unánimes, idípsum sapiéntes; nihil per contentiónem neque per inánem glóriam, sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes, non quæ sua sunt sínguli considerántes, sed et ea quæ aliórum. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Ps 132, 1

℟. Allelúia. ℣. Ecce quam bonum et quam iucúndum
habitáre fratres in unum. ℟. Allelúia.

Ubi sunt duo vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
18, 15-20

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si peccáverit in te frater tuus, vade, córripe eum inter te et ipsum solum.

Si te audíerit, lucrátus es fratrem tuum; si autem non audíerit, ádhibe tecum adhuc unum vel duos, ut " in ore duórum téstium vel trium stet omne verbum "; quod si nolúerit audíre eos, dic ecclésiæ; si autem et ecclésiam nolúerit audíre, sit tibi sicut éthnicus et publicánus.

Amen dico vobis: Quæcúmque alligavéritis super terram erunt ligáta in cælo; et quæcúmque solvéritis super terram erunt solúta in cælo.

Iterum dico vobis: Si duo ex vobis consénserint super terram de omni re quacúmque petíerint, fiet illis a Patre meo qui in cælis est.

Ubi enim sunt duo vel tres congregáti in Nómine meo, ibi sum in médio eórum ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Ps 132, 1

℟. Allelúia. ℣. Ecce quam bonum et quam iucúndum habitáre fratres in unum. ℟. Allelúia.

Venite seorsum, et requiescite pusillum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 6, 30-34

In illo témpore:

Conveniéntes Apóstoli ad Iesum, renuntiavérunt illi ómnia quæ égerant et docúerant.

Et ait illis: « Veníte vos ipsi seórsum in desértum locum, et requiéscite pusíllum ». Erant enim qui veniébant et redíbant multi, et nec manducándi spátium habébant.

Et abiérunt in navi in desértum locum seórsum. Et vidérunt eos abeúntes, et cognovérunt multi; et pe-

déstre de ómnibus civitátibus concurrérunt illuc, et prævenérunt eos.

Et éxiens vidit multam turbam Iesus, et misértus est super eos, quia erant « sicut oves non habéntes pastórem »: et cœpit docére illos multa.

Verbum Dómini.

3

Alleluia Io 16, 33 a; 14, 26 b

℟. Allelúia. ℣. Cum vénerit Spíritus veritátis,
docébit vos omnem veritátem;
et súggeret vobis ómnia
quæcúmque díxero vobis. ℟. Allelúia.

Paraclitus vos docebit omnia.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 14, 23-29

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si quis díligit me, sermónem meum servábit, et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus et mansiónem apud eum faciémus. Qui non díligit me, sermónes meos non servat. Et sermo quem audítis, non est meus, sed eius qui misit me, Patris.

Hæc locútus sum vobis apud vos manens. Paráclitus autem Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in Nómine meo, ille vos docébit ómnia et súggeret vobis ómnia quæ dixi vobis.

Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: non quómodo mundus dat, ego do vobis. Non turbétur cor vestrum neque formídet.

Audístis quia ego dixi vobis: " Vado et vénio ad vos ". Si diligerétis me gauderétis, quia vado ad Pa-

trem, quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis priúsquam fiat, ut, cum factum fúerit, credátis ».
Verbum Dómini.

6. PRO SACERDOTIBUS

Ant. ad introitum Lc 4, 18. 19

Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me, evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde, dimíttere confráctos in remissiónem.

Collecta

Deus, qui Unigénitum tuum
summum æternúmque constituísti sacerdótem,
præsta, ut, quos minístros
tuorúmque mysteriórum dispensatóres elégit,
in accépto ministério adimpléndo fidéles inveniántur.
Per Dóminum.

Vel:

Dómine Deus noster, qui in regéndo pópulo tuo
ministério úteris sacerdótum,
tríbue illis perseverántem in tua voluntáte famulátum,
ut ministério atque vita
tuam váleant in Christo glóriam procuráre.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Communi pastorum, ut supra pp. 1021-1051.

Super oblata

Deus, qui sacerdótes tuos sacris altáribus
tuóque pópulo ministráre voluísti,
per huius sacrifícii virtútem concéde propítius,

ut eórum servítium tibi iúgiter pláceat,
et fructum qui semper máneat
in Ecclésia tua váleat afférre.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 17, 17-18

Pater sancte, sanctífica eos in veritáte:
sermo tuus véritas est.
Sicut tu me misísti in mundum,
et ego misi eos in mundum, dicit Dóminus.

Post communionem

Sacerdótes tuos, Dómine, et omnes fámulos tuos
vivíficet divína, quam obtúlimus et súmpsimus, hóstia,
ut, perpétua tibi caritáte coniúncti,
digne famulári tuæ mereántur maiestáti.
Per Christum.

7. PRO SEIPSO SACERDOTE

A

praesertim pro sacerdote curam animarum gerente

Ant. ad introitum Cf. Col 1, 25. 28

Ecclésiæ factus sum ego minister,
secúndum dispensatiónem Dei
quæ data est mihi in vos:
Christum nos annuntiámus, ut exhibeámus
omnem hóminem perféctum in Christo Iesu.

Collecta

Deus, qui non própriis suffragántibus méritis,
sed sola ineffábilis grátiæ tuæ largitáte,
me famíliæ tuæ præésse voluísti,
tríbue me tibi digne persólvere
ministérium sacerdotális offícii,
plebémque commíssam, te in ómnibus gubernánte,
dirígere concéde.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Communi pastorum, ut supra pp. 1021-1051.

Super oblata

Deus, diérum temporúmque
potens et benígne moderátor,
collátis in me per grátiam tuam propitiáre munéribus,
et, præséntis oblatiónis virtúte,
in hunc afféctum dírige cor plebis et sacerdótis,
ut nec pastóri obœdiéntia gregis,
nec gregi desit cura pastóris.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Io 15, 9

Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos;
manéte in dilectióne mea, dicit Dóminus.

Post communionem

Omnípotens sempitérne Deus,
orígo cunctárum perfectióque virtútum,
da mihi, quǽsumus, huius participatióne mystérii,
et exercére quæ recta sunt et prædicáre quæ vera,
ut instructiónem grátiæ tuæ
fidélibus et agéndo præbeam et docéndo.
Per Christum.

B

Ant. ad introitum — Ps 15, 2. 5

Dixi Dómino: Dóminus meus es tu,
bonum mihi non est sine te.
Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam.

Collecta

Aures tuæ pietátis, clementíssime Deus,
inclína précibus meis,
et grátia Sancti Spíritus illúmina cor meum,
ut tuis mystériis digne ministráre,
Ecclésiæ tuæ fidéliter servíre,
teque mérear ætérna caritáte dilígere.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Communi pastorum, ut supra pp. 1021-1051.

Super oblata

Súscipe, Deus omnípotens, hæc múnera,
quæ tibi offérimus veneránter,
et respíciens Christum tuum,
sacerdótem simul et hóstiam,
da, ut, eius sacerdótii párticeps efféctus,
oblatiónem spiritálem
me tibi semper exhíbeam placéntem.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Cf. Lc 22, 28-30

Dixit Iesus illis qui permansérunt in tentatiónibus suis:
Ego dispóno vobis regnum,
ut edátis et bibátis super mensam meam.

Post communionem

Pane cælésti confirmátum
et novi testaménti cálice congaudéntem,
fac me, Pater sancte, tibi servíre fidéliter,
et in salútem hóminum
vitam fórtiter devotéque consúmere.
Per Christum.

C

in anniversario propriæ ordinationis

Ant. ad introitum Io 15, 16

Non vos me elegístis; sed ego elégi vos et pósui vos,
ut eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat, dicit Dóminus.

Collecta

Pater sancte, qui me
ad communiónem cum ætérno Christi tui sacerdótio
et ad Ecclésiæ tuæ ministérium
nullis meis méritis elegísti, præsta,
ut Evangélii strénuus ac mitis prædicátor exsístam,
et mysteriórum tuórum fidélis dispensátor invéniar.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Communi pastorum, ut supra pp. 1021-1051.

Super oblata

Pro nostræ servitútis augménto
sacrifícium tibi, Dómine, laudis offérimus,
ut, quod imméritis contulísti, propítius exsequáris.
Per Christum.

Ant. ad communionem Cf. 1 Cor 10, 16

Calix benedictiónis cui benedícimus,
communicátio sánguinis Christi est;
et panis quem frángimus,
participátio córporis Dómini est.

Post communionem

Ad glóriam, Dómine, tui nóminis
ánnua festa répetens sacerdotális exórdii,
mystérium fídei lætánter celebrávi,
ut in veritáte hoc sim,
quod in sacrifício mýstice tractávi.
Per Christum.

8. PRO MINISTRIS ECCLESIÆ

Ant. ad introitum 1 Cor 12, 4-6

Divisiónes vero gratiárum sunt, idem autem Spíritus;
et divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus;
et divisiónes operatiónum sunt, idem vero Deus,
qui operátur ómnia in ómnibus.

Collecta

Deus, qui minístros Ecclésiæ tuæ docuísti
non ministrári velle, sed frátribus ministráre,
illis, quǽsumus, concéde et in actióne sollértiam,
et cum mansuetúdine ministérii in oratióne constántiam.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Communi pastorum, pp. 1021-1051, vel indicantur in Missa pro laicis, pp. 1447-1448.

Super oblata

Pater sancte,
cuius Fílius discipulórum vóluit laváre pedes,

ut nobis præbéret exémplum,
súscipe, quǽsumus, nostræ múnera servitútis, et præsta,
ut, nosmetípsos in spiritálem hóstiam offeréntes,
spíritu humilitátis et diligéntiæ repleámur.
Per Christum.

Ant. ad communionem Lc 12, 37

Beáti servi illi,
quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes.
Fáciet illos discúmbere,
et tránsiens ministrábit illis.

Post communionem

Concéde fámulis tuis, Dómine,
cælésti cibo potúque replétis,
ut, ad glóriam tuam et salútem credéntium procurándam,
fidéles inveniántur
Evangélii, sacramentórum caritatísque minístri.
Per Christum.

9. PRO VOCATIONIBUS AD SACROS ORDINES

Ant. ad introitum Mt 9, 38

Rogáte Dóminum messis,
ut mittat operários in messem suam,
dicit Iesus discípulis suis.

Collecta

Deus, qui pastóres pópulo tuo providére voluísti,
effúnde in Ecclésia tua Spíritum pietátis et fortitúdinis,
qui dignos altáribus tuis éxcitet minístros,
et Evangélii tui strénuos ac mites assertóres effíciat.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1424-1443.

Super oblata

Plebis tuæ, quǽsumus, Dómine,
preces et múnera benígnus inténde,
ut dispensatóres mysteriórum tuórum multiplicéntur,
et in amóre tuo iúgiter persevérent.
Per Christum.

Ant. ad communionem 1 Io 3, 16

In hoc cognóvimus caritátem Dei:
quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit,
et nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

Post communionem

Pane mensæ cæléstis refécti, te, Dómine, deprecámur,
ut, per hoc sacraméntum caritátis,
illa sémina maturéscant,
quæ magna in agrum Ecclésiæ tuæ largitáte dispérgis,
quátenus multi sorte sibi éligant
tibi in frátribus ministráre.
Per Christum.

Lectio prima

1

Egredere de terra tua et de cognatione tua, et veni.

Léctio libri Génesis 12, 1-4 a

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Abram: « Egrédere de terra tua et de cognatióne tua et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam, et benedícam tibi et magnificábo nomen tuum,

erísque benedíctus. Benedícam benedicéntibus tibi et maledícam maledicéntibus tibi, atque in te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ ».

Egréssus est ítaque Abram, sicut præcéperat ei Dóminus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 39, 2 et 4 ab. 7-8 a. 8 b-9. 10. 12 (℟.: 8 a. 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

2 Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi.
4 Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro. ℟.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me
9 fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui,
et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.

12 Tu autem, Dómine, ne prohíbeas miseratiónes tuas a me;
misericórdia tua et véritas tua semper suscípiant me. ℟.

2

Ego ero tecum.

Léctio libri Exodi 3, 1-6. 9-12

In diébus illis:

Pascébat Móyses oves Iethro, sóceri sui, sacerdótis Mádian; cumque minásset gregem ad interióra deserti,

venit ad montem Dei Horeb. Apparuítque ei Dóminus in flamma ignis de médio rubi; et vidébat quod rubus ardéret, et non comburerétur.

Dixit ergo Móyses: « Vadam et vidébo visiónem hanc magnam; quare non comburátur rubus ».

Cernens autem Dóminus quod pérgeret ad vidéndum, vocávit eum de médio rubi et ait: « Móyses, Móyses ».

Qui respóndit: « Adsum ».

At ille: « Ne apprópies, inquit, huc; solve calceaméntum de pédibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est ».

Et ait: « Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob ». Abscóndit Móyses fáciem suam; non enim audébat aspícere contra Deum.

Ait Dóminus: « Clamor filiórum Israel venit ad me, vidíque afflictiónem eórum, qua ab Ægýptiis opprimúntur. Sed veni, et mittam te ad Pharaónem, ut edúcas pópulum meum, fílios Israel de Ægýpto ».

Dixítque Móyses ad Deum: « Quis sum ego ut vadam ad Pharaónem, et edúcam fílios Israel de Ægýpto? »

Qui dixit ei: « Ego ero tecum, et hoc habébis signum, quod míserim te: cum edúxeris pópulum meum de Ægýpto, immolábis Deo super montem istum ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 26, 1. 4. 5. 8 b-9 ab. 9 cd et 11 (℟.: 8 b)

℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram.

1 Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo? ℟.

4 Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ,

ut vídeam voluptátem Dómini,
et vísitem templum eius. ℟.
5 Quóniam occultábit me in tentório suo,
in die malórum.
Abscóndet me in abscóndito tabernáculi sui,
in petra exaltábit me. ℟.
8 Fáciem tuam, Dómine, requíram.
9 Ne avértas fáciem tuam a me,
ne declínes in ira a servo tuo. ℟.
Adiútor meus es tu, ne me reícias,
neque derelínquas me, Deus salútis meæ.
11 Osténde mihi, Dómine, viam tuam,
et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos. ℟.

3

Loquere, Domine, quia audit servus tuus.

Léctio libri primi Samuélis 3, 1-10

In diébus illis:

Puer Sámuel ministrábat Dómino coram Heli, et sermo Dómini erat pretiósus in diébus illis: non erat vísio manifésta. Factum est ergo, in die quadam, Heli iacébat in loco suo, et óculi eius caligáverant, nec póterat vidére. Lucérna Dei ántequam exstinguerétur, Sámuel dormiébat in templo Dómini, ubi erat arca Dei.

Et vocávit Dóminus Sámuel, qui respóndens ait: « Ecce ego ». Et cucúrrit ad Heli et dixit: « Ecce ego; vocásti enim me ».

Qui dixit: « Non vocávi: revértere et dormi ». Et ábiit et dormívit. Et adiécit Dóminus rursum vocáre Samuélem.

Consurgénsque Sámuel ábiit ad Heli, et dixit: « Ecce ego, quia vocásti me ».

Qui respóndit: « Non vocávi te, fili mi: revértere et dormi ». Porro Sámuel necdum sciébat Dóminum, neque revelátus fúerat ei sermo Dómini.

Et adiécit Dóminus et vocávit adhuc Samuélem tértio, qui consúrgens ábiit ad Heli et ait: « Ecce ego, quia vocásti me ».

Intelléxit ergo Heli quia Dóminus vocáret púerum, et ait ad Samuélem: « Vade et dormi et, si deínceps vocáverit te, dices: " Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus " ». Abiit ergo Sámuel et dormívit in loco suo.

Et venit Dóminus et stetit, et vocávit sicut vocáverat secúndo: « Sámuel, Sámuel ». Et ait Sámuel: « Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 39, 2 et 4 ab. 7-8 a. 8 b-9. 10. 12 (℟.: 8 a. 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

2 Exspéctans exspectávi Dóminum, et inténdit mihi.
4 Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro. ℟.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me
9 fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui, et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.

12 Tu autem, Dómine, ne prohíbeas miseratiónes tuas a me;
misericórdia tua et véritas tua semper suscípiant me. ℟.

4

Consurgens Eliseus abiit et secutus est Eliam.

Léctio libri primi Regum 19, 16 b. 19-21

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Elíam: « Eliséum, fílium Saphat, qui est de Abelméhula, unges prophétam pro te ».

Proféctus ergo inde Elías réperit Eliséum, fílium Saphat, arántem in duódecim iugis boum, et ipse in duódecim iugis boum arántibus unus erat; cumque venísset Elías ad eum, misit pállium suum super illum.

Qui statim, relíctis bobus, cucúrrit post Elíam et ait: « Osculer, oro, patrem meum et matrem meam, et sic sequar te ».

Dixítque ei: « Vade et revértere, quod enim meum erat feci tibi ».

Revérsus autem ab eo, tulit par boum et mactávit illud, et in arátro boum coxit carnes et dedit pópulo, et comedérunt; consurgénsque ábiit et secútus est Elíam et ministrábat ei. — Verbum Dómini.

Psalmus resp. Ps 83, 3-4. 5 et 8 a. 11 (℟.: 5 a)

℟. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine.

3 Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum.
4 Etenim passer invénit sibi domum,
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos:
altária tua, Dómine virtútum, rex meus et Deus meus. ℟.

5 Beáti qui hábitant in domo tua,
in perpétuum laudábunt te.
8 Ibunt de virtúte in virtútem. ℟.

11 Quia mélior est dies una in átriis tuis super mília,
elégi ad limen esse in domo Dei mei,
magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. ℟.

5

Quem mittam? et quis ibit nobis?

Léctio libri Isaíæ prophétæ 6, 1. 6-8

In anno, quo mórtuus est rex Ozías, vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum, et ea, quæ sub ipso erant, replébant templum. Et volávit ad me unus de séraphim et in manu eius cálculus, quem fórcipe túlerat de altári, et tétigit os meum et dixit: « Ecce tétigit hoc lábia tua, et auferétur iníquitas tua, et peccátum tuum mundábitur ». Et audívi vocem Dómini dicéntis: « Quem mittam? et quis ibit nobis? » Et dixi: « Ecce ego, mitte me ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 39, 2 et 4 ab. 7-8 a. 8 b-9. 10. 12 (℟.: 8 a. 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

2 Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi.
4 Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro. ℟.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me
9 fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui,
et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.

12 Tu autem, Dómine, ne prohíbeas miseratiónes tuas a me;
misericórdia tua et véritas tua semper suscípiant me. ℟.

6

Ad omnia quæ mittam te ibis.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 1, 4-9

Factum est verbum Dómini ad me dicens: « Priúsquam te formárem in útero, novi te; et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te ».

Et dixi: « A a a, Dómine Deus! ecce néscio loqui, quia puer ego sum ».

Et dixit Dóminus ad me: « Noli dícere: " Puer sum "; quóniam ad ómnia quæ mittam te ibis, et univérsa quæcúmque mandávero tibi loquéris. Ne tímeas a fácie eórum, quia tecum ego sum ut éruam te », dicit Dóminus.

Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum, et dixit Dóminus ad me: « Ecce dedi verba mea in ore tuo ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 15, 1-2 a et 5. 7-8. 11 (℟.: cf. 5 a)

℟. Tu es, Dómine, pars hereditátis meæ.

1 Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.
2 Dixi Dómino: « Dóminus meus es tu.
5 Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam ». ℟.

7 Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.
8 Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. ℟.

11 Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua usque in finem. ℟.

7

Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 20, 7-9

Seduxísti me, Dómine, et sedúctus sum; fórtior me fuísti et invaluísti, factus sum in derísum tota die, omnes subsánnant me. Quia iam olim loquor vocíferans, iniquitátem et vastitátem clámito; et factus est mihi sermo Dómini in oppróbrium et in derísum tota die.

Et dixi: « Non recordábor eius, neque loquar ultra in nómine illíus »; et factus est in corde meo quasi ignis exǽstuans clausúsque in óssibus meis: et deféci, ferre non sústinens. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 26, 1. 4. 5. 8 b-9 ab. 9 cd et 11 (℟.: 8 b)

℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram.

1 Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo? ℟.

4 Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ,
ut vídeam voluptátem Dómini,
et vísitem templum eius. ℟.

5 Quóniam occultábit me in tentório suo,
in die malórum.
Abscóndet me in abscóndito tabernáculi sui,
in petra exaltábit me. ℟.

8 Fáciem tuam, Dómine, requíram.
9 Ne avértas fáciem tuam a me,
ne declínes in ira a servo tuo. ℟.

Adiútor meus es tu, ne me reícias,
neque derelínquas me, Deus salútis meæ.
Osténde mihi, Dómine, viam tuam,
et dírige me in sémitam rectam
propter inimícos meos. ℟.

Lectio secunda

1

Deus dedit nobis ministerium reconciliationis.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 5, 14-20

Fratres:

Cáritas Christi urget nos; æstimántes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt, et pro ómnibus mórtuus est Christus, ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit. Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem; et si cognóvimus secúndum carnem Christum, sed nunc iam non nóvimus.

Si qua ergo in Christo nova creatúra, vétera transiérunt: ecce facta sunt nova; ómnia autem ex Deo, qui reconciliávit nos sibi per Christum, et dedit nobis ministérium reconciliatiónis. Quóniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis.

Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo: reconciliámini Deo. — Verbum Dómini.

2

Omnia detrimentum feci, ut Christum lucri faciam.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses 3, 8-14

Fratres:

Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntiam sciéntiæ Christi Iesu Dómini mei; propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stércora, ut Christum lucri fáciam, et inréniar in illo, non habens meam iustítiam, quæ ex Lege est, sed illam, quæ per fidem est Christi, quæ ex Deo est iustítia in fide; ad cognoscéndum illum et virtútem resurrectiónis eius et communiónem passiónum illíus, confórmans me morti eius, si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis.

Non quod iam accéperim aut iam perféctus sim; pérsequor autem, si umquam comprehéndam, sicut et comprehénsus sum a Christo Iesu.

Fratres, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem, quæ quidem retro sunt oblivíscens, ad ea vero quæ ante sunt exténdens me, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Iesu.

Verbum Dómini.

3

Christus appellatus est a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 5, 1-10

Omnis póntifex, ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in his quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis; qui æque condolére possit his qui ignórant et errant, quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte; et propter eam de-

bet, quemádmodum et pro pópulo, ita étiam pro semetípso offérre pro peccátis.

Nec quisquam sumit sibi illum honórem, sed qui vocátur a Deo tamquam et Aaron.

Sic et Christus non semetípsum glorificávit ut póntifex fíeret; sed qui locútus est ad eum:

« Fílius meus es tu, ego hódie génui te », quemádmodum et in álio dicit:

« Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech ».

Qui, in diébus carnis suæ, preces supplicationésque ad eum, qui possit salvum illum a morte fácere, cum clamóre válido et lácrimis ófferens, exaudítus pro sua reveréntia.

Et quidem, cum esset Fílius, dídicit ex his quæ passus est obœdiéntiam, et consummátus factus est ómnibus obœdiéntibus sibi auctor salútis ætérnæ, appellátus a Deo póntifex iuxta órdinem Melchísedech.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Io 15, 16

℟. Allelúia. ℣. Ego vos elégi de mundo,
ut eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat,
dicit Dóminus. ℟. Allelúia.

Messis quidem multa, operarii autem pauci.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 9, 35-38

In illo témpore:

Circumíbat Iesus civitátes omnes et castélla, docens in synagógis eórum, et prǽdicans Evangélium Re-

gni, et curans omnem languórem et omnem infirmitátem. Videns autem turbas misértus est eis, quia erant vexáti et iacéntes sicut oves non habéntes pastórem.

Tunc dicit discípulis suis: « Messis quidem multa, operárii autem pauci, rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia Phil 3, 8-9

℟. Allelúia. ℣. Omnia detriméntum feci
et árbitror ut stércora,
ut Christum lucrifáciam et invéniar in illo.
℟. Allelúia.

Quæcumque habes vende, et sequere me.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 17-27

In illo témpore:

Cum egrederétur Iesus in viam, accúrrens quidam et genu flexo ante eum, rogábat eum: « Magíster bone, quid fáciam ut vitam ætérnam percípiam? »

Iesus autem dixit ei: « Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus. Præcépta nosti: " Ne occídas, ne adúlteres, ne furéris, ne falsum testimónium díxeris, ne fraudem féceris, honóra patrem tuum et matrem " ».

Ille autem dixit ei: « Magíster, hæc ómnia conservávi a iuventúte mea ».

Iesus autem intúitus eum diléxit eum et dixit illi: « Unum tibi deest: vade, quæcúmque habes vende, et da paupéribus et habébis thesáurum in cælo; et veni, séquere me ». Qui contristátus in hoc verbo ábiit mærens; erat enim habens possessiónes multas.

Et circumspíciens Iesus ait discípulis suis: « Quam diffícile qui pecúnias habent in Regnum Dei introíbunt! » Discípuli autem obstupescébant in verbis eius. At Iesus rursus respóndens ait illis: « Fílii, quam diffícile est in Regnum Dei introíre! Facílius est camélum per forámen acus transíre, quam dívitem intráre in Regnum Dei ».

Qui magis admirabántur, dicéntes ad semetípsos: « Et quis potest salvus fíeri? »

Intuens illos Iesus ait: « Apud hómines impossíbile est, sed non apud Deum; ómnia enim possibília sunt apud Deum ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia Io 15, 5

℟. Allelúia. ℣. Ego sum vitis, vos pálmites,
dicit Dóminus;
qui manet in me, et ego in eo,
hic fert fructum multum. ℟. Allelúia.

Accipietis centies tantum in tempore hoc, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 10, 28-30

In illo témpore:

Cœpit Petrus dícere ad Iesum: « Ecce nos dimísimus ómnia, et secúti sumus te ».

Ait Iesus: « Amen dico vobis: Nemo est, qui relíquerit domum aut fratres aut soróres aut matrem aut patrem aut fílios aut agros propter me et propter Evangélium, qui non accípiat cénties tantum nunc in témpore hoc, domos et fratres et soróres et matres et fílios et agros, cum persecutiónibus, et in sæculo futúro vitam ætérnam ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia Mt 4, 19

℟. Allelúia. ℣. Veníte post me, dicit Dóminus,
et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.
℟. Allelúia.

Ex hoc iam homines eris capiens.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 5, 1-11

In illo témpore:

Cum turba urgéret Iesum, et audíret verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genésareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum; piscatóres autem descénderant de illis et lavábant rétia. Ascéndens autem in unam navim, quæ erat Simónis, rogávit eum a terra redúcere pusíllum. Et sedens docébat de navícula turbas.

Ut cessávit autem loqui, dixit ad Simónem: « Duc in altum, et laxáte rétia vestra in captúram ».

Et respóndens Simon dixit: « Præcéptor, per totam noctem laborántes nihil cépimus; in verbo autem tuo laxábo rétia ». Et, cum hoc fecíssent, conclusérunt píscium multitúdinem copiósam; rumpebántur autem rétia eórum. Et annuérunt sóciis, qui erant in ália navi, ut venírent et adiuvárent eos. Et venérunt, et implevérunt ambas navículas, ita ut pæne mergeréntur.

Quod cum vidéret Simon Petrus, prócidit ad génua Iesu, dicens: « Exi a me, quia homo peccátor sum, Dómine ». Stupor enim circumdéderat eum et omnes qui cum illo erant, in captúra píscium, quam céperant; simíliter autem et Iacóbum et Ioánnem, fílios Zebedǽi, qui erant sócii Simónis.

Et ait ad Simónem Iesus: « Noli timére, ex hoc iam hómines eris cápiens ».

Et, subdúctis ad terram návibus, relíctis ómnibus, secúti sunt illum. — Verbum Dómini.

5

Alleluia Phil 3, 8-9

℟. Allelúia. ℣. Omnia detriméntum feci
et árbitror ut stércora,
ut Christum lucrifáciam et invéniar in illo.
℟. Allelúia.

Nemo mittens manum suam in aratrum et aspiciens retro, aptus est Regno Dei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 9, 57-62

In illo témpore:

Ambulántibus Iesu et discípulis suis in via, dixit quidam ad illum: « Sequar te quocúmque íeris ».

Et ait illi Iesus: « Vulpes fóveas habent, et vólucres cæli nidos; Fílius autem hóminis non habet ubi caput reclínet ».

Ait autem ad álterum: « Séquere me ».

Ille autem dixit: « Dómine, permítte mihi primum ire et sepelíre patrem meum ».

Dixítque ei Iesus: « Sine ut mórtui sepéliant mórtuos suos; tu autem vade, annúntia Regnum Dei ».

Et ait alter: « Sequar te, Dómine, sed primum permítte mihi renuntiáre his quæ domi sunt ».

Ait ad illum Iesus: « Nemo mittens manum suam in arátrum et aspíciens retro, aptus est Regno Dei ».

Verbum Dómini.

6

Alleluia Phil 3, 8-9

℟. Allelúia. ℣. Omnia detriméntum feci
et árbitror ut stércora,
ut Christum lucrifáciam et invéniar in illo.
℟. Allelúia.

Qui non baiulat crucem suam et venit post me,
non potest esse meus discipulus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 14, 25-33

In illo témpore:

Ibant turbæ multæ cum Iesu, et convérsus dixit ad illos: « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxórem et fílios et fratres et soróres, adhuc et ánimam suam, non potest esse meus discípulus; et qui non báiulat crucem suam et venit post me, non potest esse meus discípulus.

Quis enim ex vobis, volens turrem ædificáre, non prius sedens cómputat sumptus, si habet ad perficiéndum? ne, posteáquam posúerit fundaméntum et non potúerit perfícere, omnes qui vident incípiant illúdere ei, dicéntes: “ Hic homo cœpit ædificáre et non pótuit consummáre ”.

Aut quis rex itúrus commíttere bellum advérsus álium regem, non sedens prius cógitat si possit cum decem mílibus occúrrere ei, qui cum vigínti mílibus venit ad se? Alióquin, adhuc illo longe agénte, legatiónem mittens rogat ea quæ pacis sunt.

Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus ».

Verbum Dómini.

7

Alleluia Mt 4, 19

℟. Allelúia. ℣. Veníte post me, dicit Dóminus,
et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.
℟. Allelúia.

* *Sequere me.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 35-51

In illo témpore:

Stabat Ioánnes et ex discípulis eius duo. Et respíciens Iesum ambulántem dicit: « Ecce Agnus Dei ». Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem, et secúti sunt Iesum.

Convérsus autem Iesus, et videns eos sequéntes se, dicit eis: « Quid quǽritis? »

Qui dixérunt ei: « Rabbi (quod dícitur interpretátum magíster), ubi hábitas? »

Dicit eis: « Veníte et vidébitis ». Venérunt ergo et vidérunt ubi manéret, et apud eum mansérunt die illo; hora erat quasi décima.

Erat Andréas, frater Simónis Petri, unus ex duóbus, qui audíerant ab Ioánne et secúti fúerant eum.

Invénit hic primum fratrem suum Simónem, et dicit ei: « Invénimus Messíam » (quod est interpretátum Christus). Addúxit eum ad Iesum.

Intúitus eum Iesus, dixit: « Tu es Simon, fílius Ioánnis, tu vocáberis Cephas » (quod interpretátur Petrus).

In crástinum vóluit exíre in Galilǽam; et invénit Philíppum.

Et dicit ei Iesus: « Séquere me ». Erat autem Philíppus a Bethsáida, civitáte Andréæ et Petri.

Invénit Philíppus Nathánael, et dicit ei: « Quem scripsit Móyses in Lege et prophétæ, invénimus, Iesum, fílium Ioseph a Názareth ».

Et dixit ei Nathánael: « A Názareth potest áliquid boni esse? »

Dicit ei Philíppus: « Veni et vide ».

Vidit Iesus Nathánael veniéntem ad se, et dicit de eo: « Ecce vere Israelíta, in quo dolus non est ».

Dicit ei Nathánael: « Unde me nosti? »

Respóndit Iesus et dixit ei: « Priúsquam te Philíppus vocáret, cum esses sub ficu, vidi te ».

Respóndit ei Nathánael: « Rabbi, tu es Fílius Dei, tu rex es Israel ».

Respóndit Iesus et dixit ei: « Quia dixi tibi: " Vidi te sub ficu ", credis? maióra his vidébis ».

Et dicit ei: « Amen, amen, dico vobis, vidébitis cælum apértum, et ángelos Dei ascendéntes et descendéntes supra Fílium hóminis ». — Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 35-42

In illo témpore:

Stabat Ioánnes et ex discípulis eius duo. Et respíciens Iesum ambulántem dicit: « Ecce Agnus Dei ». Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem, et secúti sunt Iesum.

Convérsus autem Iesus, et videns eos sequéntes se, dicit eis: « Quid quǽritis? »

Qui dixérunt ei: « Rabbi (quod dícitur interpretátum magíster), ubi hábitas? »

Dicit eis: « Veníte et vidébitis ». Venérunt ergo et vidérunt ubi manéret, et apud eum mansérunt die illo; hora erat quasi décima.

Erat Andréas, frater Simónis Petri, unus ex duóbus, qui audíerant ab Ioánne et secúti fúerant eum.

Invénit hic primum fratrem suum Simónem, et dicit ei: « Invénimus Messíam » (quod est interpretátum Christus). Addúxit eum ad Iesum.

Intúitus eum Iesus, dixit: « Tu es Simon, fílius Ioánnis, tu vocáberis Cephas » (quod interpretátur Petrus). — Verbum Dómini.

8

Alleluia Io 15, 16

℟. Allelúia. ℣. Ego vos elégi de mundo,
ut eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat,
dicit Dóminus. ℟. Allelúia.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 9-17

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea; sicut ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Maiórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis.

Vos amíci mei estis, si faciétis quæ ego præcípio vobis. Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid facit dóminus eius: vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

Non vos me elegístis, sed ego elégi vos et pósui vos, ut vos eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat, ut, quodcúmque petiéritis Patrem in Nómine meo, det vobis.

Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem ».

Verbum Dómini.

10. PRO RELIGIOSIS

Ant. ad introitum Ps 36, 3-4

Spera in Dómino et fac bonitátem,
et inhabitábis terram et pascéris in fide.
Delectáre in Dómino,
et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Collecta

Deus, omnis boni propósiti inspirátor atque perféctor,
dírige fámulos tuos in viam salútis ætérnæ,
et, quos, relíctis ómnibus, tibi se totos devovérunt,
fac, Christum sequéntes et ea quæ sunt sǽculi abnegántes,
in spíritu paupertátis et cordis humilitáte
tibi et frátribus suis fidéliter deservíre.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Missa in professione religiosa, pp. 1340-1371.

Super oblata

Sanctífica, quǽsumus, Dómine,
per hæc sancta quæ tibi offérimus,
fámulos tuos, quos in nómine tuo congregásti,
ut, fidéliter vota sua tibi reddéntes,
maiestáti tuæ sincéro corde desérviant.
Per Christum.

Ant. ad communionem 1 Reg 19, 7

Angelus Dómini dixit Elíæ:
Surge, cómede; grandis enim tibi restat via.

Vel: Ap 22, 17 a. 20

Spíritus et sponsa dicunt: Veni.
Amen. Veni, Dómine Iesu.

Post communionem

Servos tuos, Dómine, in amóre tuo congregátos
et de uno pane participántes,
da unánimes consideráre ínvicem
in provocatiónem caritátis et bonórum óperum,
ut eórum sancta conversatióne
Christi testes veri ubíque exhibeántur.
Per Christum.

11. PRO VOCATIONIBUS AD VITAM RELIGIOSAM

Ant. ad introitum — Mt 19, 21

Si vis perféctus esse,
vade, vende quæ habes et da paupéribus,
et veni, séquere me, dicit Dóminus.

Collecta

Pater sancte,
qui, licet fidéles omnes ad perfectiónem caritátis invítas,
multos tamen excitáre non désinis,
qui Fílii tui vestígia préssius sequántur,
concéde, ut, quos tibi in sortem peculiárem elégeris,
conversatióne sua váleant regni tui signum osténdere
Ecclésiæ mundóque perspícuum.
Per Dóminum.

Vel (ab ipsis religiosis dicenda):

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine, propítius réspice
et nova prole semper amplífica,
ut et fílios suos
ad propósitam caritátis perfectiónem addúcere,
et ad hóminum salútem efficáciter váleat laboráre.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Missis in professione religiosa, pp. 1340-1371, vel pro vocationibus ad sacros Ordines, pp. 1424-1443.

Super oblata

Múnera quæ tibi offérimus,
Pater sancte, súscipe miserátus,
et ómnibus, qui Fílium tuum per arctam viam imitári
læta sibi mente propónunt,
communiónem concéde fratérnam
et spiritálem libertátem.
Per Christum.

Ant. ad communionem Cf. Mt 19, 27. 28. 29

Amen dico vobis, quod vos qui reliquístis ómnia,
et secúti estis me, céntuplum accipiétis
et vitam ætérnam possidébitis, dicit Dóminus.

Post communionem

Fámulos tuos, Dómine, spirituáli cibo potúque confírma,
ut, evangélicæ semper vocatióni fidéles,
vivam ubíque Fílii tui imáginem repræséntent.
Per Christum.

Vel (ab ipsis religiosis dicenda):

Huius, Dómine, virtúte sacraménti, da nobis, quǽsumus,
perseverántem in tua voluntáte famulátum,
ut tuam caritátem mundo testári
et bona quæ sola non amittúntur
valeámus fórtiter inquírere.
Per Christum.

12. PRO LAICIS

Ant. ad introitum Mt 13, 33

Símile est regnum cælórum ferménto,
quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus,
donec fermentátum est totum.

Collecta

Deus, qui Evangélii virtútem
véluti ferméntum in mundum misísti,
concéde fidélibus tuis,
quos in médio mundi negotiorúmque sæculárium
vitam ágere vocásti,
ut, spíritu christiáno fervéntes,
per temporália quæ gerunt múnera,
regnum tuum iúgiter instáurent.
Per Dóminum.

Lectiones:

1. Ioel 2, 28-32: « Super servos meos et ancillas meas effundam spiritum meum ».
   Hæc dicit Dóminus: « Effúndam spíritum meum ... », p. 1757.
2. Act 2, 1-11: « Repleti sunt omnes Spiritu Sancto et cœperunt loqui ».
   Cum compleréntur dies Pentecóstes ..., p. 1758.
3. 1 Cor 12, 3 b-7. 12-13: « Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus ».
   Fratres: Nemo potest dícere: « Dóminus Iesus! » nisi in Spíritu Sancto ..., p. 1760.
4. Eph 1, 3-14: « Recapitulare omnia in Christo ... in laudem gloriæ ipsius ».
   Fratres: Benedíctus Deus et Pater ..., p. 1353.

Psalmi responsorii:

1. Ps 84, 2-4. 5-6. 7-8.
   ℟. (8): Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis, p. 1593.

2. Ps 99, 2. 3. 4. 5.
℟. (3 c): Nos pópulus eius et oves páscuæ eius, p. 1459.
3. Ps 102, 1-2. 3-4. 8-9. 11-12.
℟. (8 a): Miserátor et miséricors Dóminus, p. 1622.
4. Ps 112, 1-2. 3-4. 5-6. 7-8.
℟. (2): Sit nomen Dómini benedíctum in sǽcula, p. 1608.

Alleluia, Versus ante Evangelium et Evangelia:

1. Mt 5, 9: Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur, p. 1512.
Mt 5, 1-12 a: « Beati pacifici ».
In illo témpore: Videns Iesus turbas ..., p. 1512.
2. Mt 11, 28: Veníte ad me, omnes qui laborátis ..., p. 1541.
Mt 25, 14-30: « Super pauca fuisti fidelis, intra in gaudium domini tui ».
In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: « Homo péregre proficíscens ... », p. 1541.
3. Semen est verbum Dei, sator autem Christus ..., p. 1067.
Mc 4, 1-9: « Exiit seminans ad seminandum ».
In illo témpore: Iterum cœpit Iesus docére ad mare ..., p. 1068.
4. Io 15, 5: Ego sum vitis, vos pálmites ..., p. 1369.
Io 15, 1-8: « Manete in me, et ego in vobis ».
In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: « Ego sum vitis vera ... », p. 1369.

Super oblata

Deus, qui Fílii tui sacrifício
cunctum voluísti mundum salváre,
per huius oblatiónis virtútem concéde,
ut fámuli tui, quos étiam in statu laicáli
ad apostolátum vocáre non désinis,
et mundum spíritu ímbuant Christi,
et eius sint sanctificatiónis ferméntum.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 99, 2

Iubiláte Dómino, omnis terra,
servíte Dómino in lætítia;
introíte in conspéctu eius in exsultatióne, allelúia.

Vel: Io 15, 8

In hoc clarificátus est Pater meus,
ut fructum plúrimum afferátis
et efficiámini mei discípuli, dicit Dóminus.

Post communionem

De plenitúdine grátiæ tuæ suméntes, quǽsumus, Dómine,
ut, eucharístici convívii fortitúdine roboráti,
fidéles tui, quos rebus sæculáribus déditos esse voluísti,
strénui sint evangélicæ testes veritátis,
et Ecclésiam tuam in rebus temporálibus
præséntem iúgiter reddant et actuósam.
Per Christum.

13. PRO UNITATE CHRISTIANORUM

Hæc Missa dici potest, etiam dominicis « per annum », quando peculiares celebrationes pro unitate christianorum habentur.

A

Ant. ad introitum Io 10, 14-15

Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas,
et cognóscunt me meæ, dicit Dóminus.
Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem;
et ánimam meam pono pro óvibus meis.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui dispérsa cóngregas et congregáta consérvas,
ad gregem Fílii tui placátus inténde,
ut, quos unum sacrávit baptísma,
eos et fídei iungat intégritas,
et vínculum sóciet caritátis.
Per Dóminum.

Vel:

Súpplices te rogámus, amátor hóminum, Dómine:
pleniórem Spíritus tui grátiam
super nos effúnde benígnus, et præsta,
ut, digne qua nos vocásti vocatióne ambulántes,
testimónium veritátis exhibeámus homínibus,
et ómnium credéntium unitátem
in vínculo pacis fidéntes inquirámus.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1454-1470.

Super oblata

Qui una semel hóstia, Dómine,
adoptiónis tibi pópulum acquisísti,
unitátis et pacis in Ecclésia tua
propítius nobis dona concédas.
Per Christum.

Præfatio: De unitate Corporis Christi, quod est Ecclesia.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Per ipsum enim nos adduxísti
ad agnitiónem tuæ veritátis,
ut unius fídei et baptísmi vínculo
Corpus eius efficerémur;

per ipsum in cunctis géntibus
largítus es Spíritum Sanctum tuum,
qui, in diversitáte donórum mirábilis operátor
et unitátis efféctor,
fílios adoptiónis inhábitat
totámque replet et regit Ecclésiam.
Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Ant. ad communionem — Cf. 1 Cor 10, 17

Unus panis et unum corpus multi sumus,
omnes qui de uno pane et de uno cálice participámus.

Post communionem

Hæc tua, Dómine, sumpta sacra commúnio,
sicut fidélium in te uniónem præsígnat,
sic in Ecclésia tua unitátis operétur efféctum.
Per Christum.

B

Ant. ad introitum — Ps 105, 47

Salvos nos fac, Dómine Deus noster,
et cóngrega nos de natiónibus,
ut confiteámur nómini sancto tuo,
et gloriémur in laude tua.

Collecta

Deus, qui diversitátem géntium
in confessióne tui nóminis adunásti,
da nobis et velle et posse quæ præcipis,
ut pópulo ad regnum tuum vocáto
una sit fides méntium et píetas actiónum.
Per Dóminum.

Vel:

Preces pópuli tui, quǽsumus, Dómine, placátus inténde,
et præsta, ut fidélium corda
in tua laude et commúni pæniténtia iungántur,
quátenus, christianórum divisióne subláta,
in perfécta Ecclésiæ communióne
ad ætérnum tuum regnum properémus lætántes.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1454-1470.

Super oblata

Salútis nostræ memoriále celebrántes,
cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut hoc sacraméntum pietátis
fiat nobis signum unitátis et vínculum caritátis.
Per Christum.

Præfatio propria, p. 1450.

Ant. ad communionem — Col 3, 14-15

Super ómnia caritátem habéte,
quod est vínculum perfectiónis;
et pax Christi exsúltet in córdibus vestris,
in qua et vocáti estis in uno córpore.

Post communionem

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, huius sacrifícii virtúte,
una fácias in te credéntes pietáte concórdes.
Per Christum.

C

Ant. ad introitum — Eph 4, 4-6

Unum corpus et unus spíritus,
sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ;

unus Dóminus, una fides, unum baptísma;
unus Deus et Pater ómnium,
qui est super omnes et per ómnia et in ómnibus nobis.

Collecta

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, propítius réspice,
et Spíritus tui super ipsum dona cleménter effúnde,
ut in veritátis iúgiter amóre succréscat,
et perféctam christianórum unitátem
stúdio perquírat et ópere. Per Dóminum.

Vel:

Ubertátem misericordiárum tuárum, Dómine,
revéla super nos et, in virtúte Spíritus tui,
christianórum divisiónes rémove,
ut Ecclésia tua signum inter natiónes elevátum
clárius appáreat,
et mundus, tuo Spíritu illustrátus,
in Christum credat quem misísti.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1454-1470.

Super oblata

Quam tibi, Dómine, offérimus hóstia
et purificatiónem cónferat,
et omnes uno baptísmate coniúnctos
eorúndem mysteriórum tandem partícipes effíciat.
Per Christum.

Præfatio propria, p. 1450.

Ant. ad communionem Io 17, 21. 23

Ut omnes unum sint,
sicut tu, Pater, in me, et ego in te,
ut et ipsi in nobis unum sint:
ego in eis, et tu in me, ut sint consummáti in unum.

Post communionem

Sacraménta Christi tui suméntes,
quǽsumus, Dómine,
ut in Ecclésia tua
sanctificatiónis grátiam rénoves quam dedísti,
et omnes qui christiáno gloriántur nómine
in unitáte fídei tibi servíre mereántur.
Per Christum.

Lectio prima

1

Rursum congregabit te Dominus de cunctis populis, in quos te ante dispersit.

Léctio libri Deuteronómii 30, 1-4

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo, dicens: « Cum vénerint super te omnes sermónes isti, benedíctio sive maledíctio, quam propósui in conspéctu tuo, et ductus pænitúdine cordis tui in univérsis géntibus, in quas dispérserit te Dóminus Deus tuus, et revérsus fúeris ad eum et obœdíeris eius impériis, sicut ego hódie præcípio tibi, cum fíliis tuis in toto corde tuo et in tota ánima tua; redúcet Dóminus Deus tuus captivitátem tuam ac miserébitur tui, et rursum congregábit te de cunctis pópulis, in quos te ante dispérsit.

Si ad cárdines cæli fúeris dissipátus, inde te rétrahet Dóminus Deus tuus ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ier 31, 10. 11-12 ab. 13 cd-14 (℟.: cf. 10 c)

℟. Cóngrega, Dómine, pópulum tuum dispérsum.

vel Allelúia.

10 Audíte verbum Dómini, gentes,
et annuntiáte in ínsulis, quæ procul sunt, et dícite:
« Qui dispérsit Israel congregábit eum,
et custódiet eum sicut pastor gregem suum ». ℟.

11 Redémit enim Dóminus Iacob,
et liberávit eum de manu potentióris,
12 et vénient et laudábunt in monte Sion,
et cónfluent ad bona Dómini. ℟.

13 « Et convértam luctum eórum in gáudium,
et consolábor eos, et lætificábo a dolóre suo;
14 et inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine,
et pópulus meus bonis meis adimplébitur ». ℟.

2

Congregabo vos de universis terris.
Et dabo vobis cor novum.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 36, 24-28

Hæc dicit Dóminus Deus: « Tollam vos de géntibus, et congregábo vos de univérsis terris, et addúcam vos in terram vestram, et effúndam super vos aquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, et ab univérsis idólis vestris mundábo vos.

Et dabo vobis cor novum, et spíritum novum ponam in médio vestri, et áuferam cor lapídeum de carne vestra et dabo vobis cor cárneum; et spíritum meum ponam in médio vestri, et fáciam ut in præcéptis meis ambulétis et iudícia mea custodiátis et operémini. Et habi-

tábitis in terra, quam dedi pátribus vestris, et éritis mihi in pópulum, et ego ero vobis in Deum ».
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3. 4. 5. 6 (℟.: 1)

℟. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.
vel Allelúia.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit.
Dedúxit me super sémitas iustítiæ
propter nomen suum. ℟.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

3

Et non erunt ultra duæ gentes.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 37, 15-19. 21 b-22. 26-28

In diébus illis:

Factus est sermo Dómini ad me, dicens: « Et tu, fili hóminis, sume tibi lignum unum et scribe super illud:

" Iudæ et filiórum Israel sociórum eius "; et tolle lignum álterum et scribe super illud: " Ioseph ligno Ephraim, et cunctæ dómui Israel sociorúmque eius "; et adiúnge illa unum ad álterum tibi in lignum unum, et erunt in uniónem in manu tua.

Cum autem díxerint ad te fílii pópuli tui loquéntes: " Nonne índicas nobis quid in his tibi velis? " loquéris ad eos: " Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego assúmam lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim, et tribus Israel, quæ sunt ei adiúnctæ, et dabo eas páriter cum ligno Iuda et fáciam eas in lignum unum, et erunt unum in manu eius ".

Ecce ego assúmam fílios Israel de médio natiónum, ad quas abiérunt, et congregábo eos úndique, et addúcam eos ad humum suam.

Et fáciam eos in gentem unam in terra, in móntibus Israel, et rex unus erit ómnibus ímperans, et non erunt ultra duæ gentes nec dividéntur ámplius in duo regna.

Et percútiam illis fœdus pacis, pactum sempitérnum erit eis, et fundábo eos et multiplicábo; et dabo sanctificatiónem meam in médio eórum in perpétuum, et erit tabernáculum meum in eis, et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi pópulus, et scient gentes quia ego Dóminus sanctificátor Israel, cum fúerit sanctificátio mea in médio eórum in perpétuum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 121, 1-2. 4-5. 6-7. 8-9 (℟.: Is 66, 10)

℟. Lætámini cum Ierúsalem et exsultáte in ea.
vel Allelúia.

1 Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi:
« In domum Dómini íbimus ».
2 Stantes iam sunt pedes nostri
in portis tuis, Ierúsalem. ℟.

4 Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini,
testimónium Israel, ad confiténdum nómini Dómini.
5 Quia illic sedérunt sedes ad iudícium,
sedes domus David. ℟.

6 Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem,
secúri sint diligéntes te.
7 Fiat pax in muris tuis,
et secúritas in túrribus tuis. ℟.

8 Propter fratres meos et próximos meos
loquar: « Pax in te! »
9 Propter domum Dómini Dei nostri
exquíram bona tibi. ℟.

4

In tempore illo congregabo vos.

Léctio libri Sophoníæ prophétæ 3, 16-20

« Noli timére, Sion; non dissolvántur manus tuæ. Dóminus Deus tuus in médio tui fortis, ipse salvábit; gaudébit super te in lætítia, silébit in dilectióne sua, exsultábit super te in laude. Nugas, qui a lege recésserant, congregábo, quia ex te erant; ut non ultra hábeas super eis oppróbrium.

Ecce ego interfíciam omnes qui afflixérunt te in témpore illo; et salvábo claudicántem, et eam quæ eiécta fúerat congregábo, et ponam eos in laudem et in nomen in omni terra confusiónis eórum, in témpore illo quo addúcam vos, et in témpore quo congregábo vos.

Dabo enim vos in nomen et in laudem ómnibus pópulis terræ, cum convértero captivitátem vestram coram óculis vestris », dicit Dóminus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 99, 2. 3. 4. 5 (℟.: 3 c)

℟. Nos pópulus eius et oves páscuæ eius.

2 Iubiláte Dómino, omnis terra,
servíte Dómino in lætítia;
introíte in conspéctu eius in exsultatióne. ℟.

3 Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus;
ipse fecit nos, et ipsíus sumus,
pópulus eius et oves páscuæ eius. ℟.

4 Introíte portas eius in confessióne,
átria eius in hymnis,
confitémini illi, benedícite nómini eius. ℟.

5 Quóniam suávis est Dóminus;
in ætérnum misericórdia eius,
et usque in generatiónem
et generatiónem véritas eius. ℟.

Lectio secunda

1

Non sint in vobis schismata. Divisus est Christus?

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 1, 10-13

Obsecro vos, fratres, per Nomen Dómini nostri Iesu Christi, ut idípsum dicátis omnes, et non sint in vobis schísmata; sitis autem perfécti in eódem sensu et in eádem senténtia. Significátum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiónes inter vos sunt.

Hoc autem dico, quod unusquísque vestrum dicit: « Ego quidem sum Pauli, ego autem Apóllo, ego vero Cephæ, ego autem Christi ».

Divísus est Christus? Numquid Paulus crucifíxus est pro vobis? aut in nómine Pauli baptizáti estis?
Verbum Dómini.

2

Superædificati super fundamentum Apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
2, 19-22

Fratres:

Iam non estis extránei et ádvenæ, sed estis concíves sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et prophetárum, ipso summo anguiári lápide Christo Iesu, in quo omnis ædificátio compácta crescit in templum sanctum in Dómino; in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.
Verbum Dómini.

3

Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
4, 1-6

Fratres:

Obsecro vos, ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum longanimitáte supportántes ínvicem in caritáte; sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis.

Unum corpus et unus Spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ; unus Dóminus, una fides, unum baptísma; unus Deus et Pater ómnium, qui super omnes et per ómnia et in ómnibus. — Verbum Dómini.

4

Donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
4, 30 — 5, 2

Fratres:

Nolíte contristáre Spíritum Sanctum Dei, in quo signáti estis in diem redemptiónis. Omnis amaritúdo et ira et indignátio et clamor et blasphémia tollátur a vobis, cum omni malítia.

Estóte autem ínvicem benígni, misericórdes, donántes ínvicem, sicut et Deus in Christo donávit vobis.

Estóte ergo imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi, et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos, et trádidit se ipsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo, in odórem suavitátis. — Verbum Dómini.

5

Idem sapite, unanimes.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses
2, 1-13

Fratres:

Si qua consolátio in Christo, si quod solácium caritátis, si qua socíetas spíritus, si quæ víscera et miseratiónes, impléte gáudium meum, ut idem sapiátis, eándem caritátem habéntes, unánimes, idípsum sapiéntes; nihil per contentiónem neque per inánem glóriam, sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes, non quæ sua sunt sínguli considerántes, sed et quæ aliórum.

Hoc sentíte in vobis, quod et in Christo Iesu: qui, cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo, sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum fac-

tus; et hábitu invéntus ut homo, humiliávit semetípsum factus obœ́diens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Propter quod et Deus illum exaltávit, et donávit illi Nomen, quod est super omne nomen, ut in Nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium et terréstrium et infernórum, et omnis lingua confiteátur: « Dóminus Iesus Christus », in glória Dei Patris.

Itaque, caríssimi mei, sicut semper obœdístis, non ut in præséntia mei tantum, sed multo magis nunc in abséntia mea, cum metu et tremóre vestram salútem operámini. Deus est enim qui operátur in vobis et velle et perfícere pro suo beneplácito. — Verbum Dómini.

6

Vocati estis in uno corpore.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses

3, 9 b-17

Fratres:

Exúite vos véterem hóminem cum áctibus eius, et indúite novum, eum qui renovátur in agnitiónem secúndum imáginem eius qui creávit eum; ubi non est Græcus et Iudǽus, circumcísio et præpútium, Bárbarus, Scytha, servus, liber, sed ómnia et in ómnibus Christus.

Indúite vos ergo, sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis, si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

Super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis; et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore; et grati estóte.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo. Et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Iesu, grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

Verbum Dómini.

7

Unus mediator Dei et hominum,
homo Christus Iesus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Timótheum 2, 5-8

Caríssime:

Unus Deus, unus et mediátor Dei et hóminum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis; in quod pósitus sum ego prædicátor et apóstolus (veritátem dico, non méntior), doctor géntium in fide et veritáte.

Volo ergo viros oráre in omni loco, levántes puras manus sine ira et disceptatióne. — Verbum Dómini.

8

Si sic Deus dilexit nos, et nos debemus
alterutrum diligere.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 4, 9-15

Caríssimi:

In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est cáritas, non quasi nos dilexé-

rimus Deum, sed quóniam ipse diléxit nos et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris.

Caríssimi, si sic Deus diléxit nos, et nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit umquam. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, et cáritas eius in nobis consummáta est. In hoc cognóscimus quóniam in eo manémus, et ipse in nobis, quóniam de Spíritu suo dedit nobis.

Et nos vídimus et testificámur quóniam Pater misit Fílium salvatórem mundi. Quisque conféssus fúerit: « Iesus est Fílius Dei », Deus in ipso manet, et ipse in Deo. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Ecclésia Dómini unum lumen est,
quod ubíque diffúnditur,
nec únitas córporis separátur.
℟. Allelúia.

Ubi sunt duo vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
18, 19-22

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si duo ex vobis consénserint super terram de omni re quacúmque petíerint, fiet illis a Patre meo qui in cælis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregáti in Nómine meo, ibi sum in médio eórum ».

Tunc accédens Petrus, dixit ei: « Dómine, quótiens peccábit in me frater meus et dimíttam ei? usque sépties? »

Dicit illi Iesus: « Non dico tibi usque sépties, sed usque septuágies sépties ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Col 3, 15

℟. Allelúia. ℣. Pax Christi exsúltet in córdibus vestris,
in qua vocáti estis in uno córpore.
℟. Allelúia.

Qui non est adversus vos, pro vobis est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 9, 49-55

In illo témpore:

Dixit Ioánnes ad Iesum: « Præcéptor, vídimus quendam in nómine tuo eiciéntem dæmónia, et prohibúimus eum, quia non séquitur nobíscum ».

Et ait ad illum Iesus: « Nolíte prohibére; qui enim non est advérsus vos, pro vobis est ».

Factum est autem, dum compleréntur dies assumptiónis eius, et ipse fáciem suam firmávit ut iret in Ierúsalem, et misit núntios ante conspéctum suum. Et eúntes intravérunt in castéllum Samaritanórum, ut pa;rárent illi. Et non recepérunt eum, quia fácies eius erat eúntis Ierúsalem.

Cum vidíssent autem discípuli Iacóbus et Ioánnes, dixérunt: « Dómine, vis dicámus ut ignis descéndat de cælo et consúmat illos? »

Et convérsus increpávit illos. — Verbum Dómini.

3

Alleluia Eph 4, 5

℟. Allelúia. ℣. Unus Dóminus, una fides,
unum baptísma,
unus Deus et Pater. ℟. Allelúia.

Fient unus grex, unus pastor.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 10, 11-16

In illo témpore:

Dixit Iesus: « Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus. Mercenárius et qui non est pastor, cuius non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem et dimíttit oves et fugit, et lupus rapit eas et dispérgit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus.

Ego sum pastor bonus et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem; et ánimam meam pono pro óvibus.

Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli; et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fient unus grex, unus pastor ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Colligátur Ecclésia tua, Dómine,
a fínibus terræ in Regnum tuum,
quóniam tua est glória et virtus
per Iesum Christum in sǽcula.
℟. Allelúia.

Ut filios Dei, qui erant dispersi,
congregaret in unum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 11, 45-52

In illo témpore:

Multi ex Iudǽis, qui vénerant ad Maríam et Martham, soróres Lázari, et víderant quæ fecit Iesus, credidérunt in eum. Quidam autem ex ipsis abiérunt ad pharisǽos, et dixérunt eis quæ fecit Iesus.

Collegérunt ergo pontífices et pharisǽi concílium, et dicébant: « Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimíttimus eum sic, omnes credent in eum; et vénient Románi et tollent nostrum et locum et gentem ».

Unus autem ex ipsis, Cáiaphas, cum esset póntifex anni illíus, dixit eis: « Vos nescítis quidquam, nec cogitátis quia éxpedit vobis ut unus moriátur homo pro pópulo, et non tota gens péreat ».

Hoc autem a semetípso non dixit; sed, cum esset póntifex anni illíus, prophetávit quia Iesus moritúrus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed et ut fílios Dei, qui erant dispérsi, congregáret in unum.

Verbum Dómini.

5

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Colligátur Ecclésia tua, Dómine,
a fínibus terræ in Regnum tuum,
quóniam tua est glória et virtus
per Iesum Christum in sǽcula.
℟. Allelúia.

Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, et vos faciatis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
13, 1-15

Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit eius hora, ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexísset suos, qui erant in mundo, in finem diléxit eos.

Et in cena, cum diábolus iam misísset in corde, ut tráderet eum Iudas Simónis Iscariótis, sciens quia óm-

nia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exívit, et ad Deum vadit, surgit a cena et ponit vestiménta sua, et cum accepísset línteum, præcínxit se. Deínde mittit aquam in pelvim, et cœpit laváre pedes discipulórum, et extérgere línteo quo erat præcínctus. Venit ergo ad Simónem Petrum.

Dicit ei Petrus: « Dómine, tu mihi lavas pedes? »

Respóndit Iesus et dixit ei: « Quod ego fácio, tu nescis modo, scies autem póstea ».

Dicit ei Petrus: « Non lavábis mihi pedes in ætérnum ».

Respóndit Iesus ei: « Si non lávero te, non habes partem mecum ».

Dicit ei Simon Petrus: « Dómine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput ».

Dicit ei Iesus: « Qui lotus est non índiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes ». Sciébat enim quisnam esset qui tráderet eum; proptérea dixit: « Non estis mundi omnes ».

Postquam ergo lavit pedes eórum et accépit vestiménta sua, cum recubuísset íterum, dixit eis: « Scitis quid fécerim vobis? Vos vocátis me " Magíster " et " Dómine "; et bene dícitis: sum étenim. Si ergo lavi vestros pedes, Dóminus et Magíster, et vos debétis alter alteríus laváre pedes. Exémplum enim dedi vobis, ut, quemádmodum ego feci vobis, et vos faciátis ».

Verbum Dómini.

6

Alleluia — Eph 4, 5

℟. Allelúia. ℣. Unus Dóminus, una fides,
unum baptísma,
unus Deus et Pater. ℟. Allelúia.

Tui erant, et mihi eos dedisti,
et sermonem tuum servaverunt.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 1-11

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis suis in cælum, dixit: « Pater, venit hora, glorífica Fílium tuum, ut Fílius tuus gloríficet te; sicut dedísti ei potestátem omnis carnis; ut omne quod dedísti ei, det eis vitam ætérnam.

Hæc est autem vita ætérna, ut cognóscant te solum verum Deum et quem misísti, Iesum Christum. Ego te glorificávi super terram, opus consummávi quod dedísti mihi ut fáciam. Et nunc glorífica me tu, Pater, apud temetípsum glória quam habébam, priúsquam mundus esset, apud te.

Manifestávi Nomen tuum homínibus, quos dedísti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedísti, et sermónem tuum servavérunt. Nunc cognovérunt quia ómnia, quæ dedísti mihi, abs te sunt, quia verba, quæ dedísti mihi, dedi eis, et ipsi accepérunt et cognovérunt vere quia a te exívi, et credidérunt quia tu me misísti.

Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedísti mihi, quia tui sunt. Et mea ómnia tua sunt, et tua mea; et glorificátus sum in eis. Et iam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te vénio. Pater sancte, serva eos in Nómine tuo quod dedísti mihi, ut sint unum sicut nos ». — Verbum Dómini.

7

Alleluia Io 17, 21

℟. Allelúia. ℣. Ut omnes unum sint,
sicut tu, Pater, in me et ego in te,
ut credat mundus quia tu me misísti.
℟. Allelúia.

Sint unum sicut nos.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 11 b-19

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, serva eos in Nómine tuo quod dedísti mihi, ut sint unum sicut nos. Cum essem cum eis, ego servábam eos in Nómine tuo quod dedísti mihi et custodívi, et nemo ex his périit, nisi fílius perditiónis, ut Scriptúra impleátur.

Nunc autem ad te vénio; et hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in semetípsis. Ego dedi eis sermónem tuum, et mundus ódio eos hábuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex Malo. De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo.

Sanctífica eos in veritáte. Sermo tuus véritas est. Sicut me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctífico meípsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte ». — Verbum Dómini.

8

Alleluia Io 17, 21

℟. Allelúia. ℣. Ut omnes unum sint,
sicut tu, Pater, in me et ego in te,
ut credat mundus quia tu me misísti.
℟. Allelúia.

Sint consummati in unum

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 20-26

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, non pro his rogo tantum, sed et

pro eis qui creditúri sunt per verbum eórum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis sint, ut mundus credat quia tu me misísti.

Et ego glóriam, quam dedísti mihi, dedi illis, ut sint unum sicut nos unum sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummáti in unum, et cognóscat mundus quia tu me misísti et dilexísti eos, sicut me dilexísti.

Pater, quod dedísti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut vídeant glóriam meam, quam dedísti mihi, quia dilexísti me ante constitutiónem mundi. Pater iuste, et mundus te non cognóvit; ego autem te cognóvi, et hi cognovérunt quia tu me misísti. Et notum feci eis Nomen tuum, et notum fáciam, ut diléctio, qua dilexísti me, in ipsis sit, et ego in ipsis ».

Verbum Dómini.

14. PRO EVANGELIZATIONE POPULORUM

Hæc Missa dici potest, etiam dominicis « per annum », quando peculiares celebrationes pro opere missionum habentur, dummodo non occurrat dominica Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, aut sollemnitas.

A

Ant. ad introitum Ps 66, 2-3

Deus misereátur nostri, et benedícat nobis,
illúminet vultum suum super nos et misereátur nostri;
ut cognoscámus in terra viam tuam,
in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Collecta

Deus, qui omnes hómines vis salvos fíeri
et ad agnitiónem veritátis veníre,
réspice messem tuam multam

et operários in eam mitte dignánter,
ut omni creatúræ Evangélium prædicétur,
et plebs tua, verbo vitæ congregáta
et sacramentórum virtúte suffúlta,
in via salútis et caritátis procédat.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui Fílium tuum lumen verum in mundum misísti,
effúnde Spíritum promissiónis,
qui veritátis sémina in córdibus hóminum
iúgiter diffúndat et fídei súscitet obséquium,
ut omnes, per baptísmum ad novam vitam generáti,
unum pópulum tuum íngredi mereántur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1474-1486.

Super oblata

Réspice, Dómine, in fáciem Christi tui,
qui pro ómnibus redemptiónem trádidit semetípsum,
ut per eum ab ortu solis usque ad occásum
nomen tuum magnificétur in géntibus,
et una ubíque maiestáti tuæ exhibeátur oblátio.
Per Christum.

Ant. ad commmunionem — Mt 28, 20

Docéte omnes gentes serváre quæcúmque mandávi vobis,
dicit Dóminus. Ego vobíscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummatiónem sǽculi.

Post communionem

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti,
quǽsumus, Dómine, ut, hoc perpétuæ salútis auxílio,
fides semper vera profíciat.
Per Christum.

B

Ant. ad introitum Ps 95, 3-4

Annuntiáte inter gentes glóriam eius,
in ómnibus pópulis mirabília eius:
quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis.

Collecta

Deus, qui Ecclésiam tuam
sacraméntum salútis cunctis géntibus esse voluísti,
ut Christi salutíferum opus
usque in fines sæculórum persevéret,
éxcita tuórum corda fidélium, et præsta,
ut ad omnem creatúram salvándam
urgéntius vocári se séntiant,
quátenus ex ómnibus pópulis
una família unúsque tibi pópulus exsúrgat et crescat.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1474-1486.

Super oblata

Múnera supplicántis Ecclésiæ
in conspéctum maiestátis tuæ ascéndant accépta,
cui pro totíus mundi salúte
grata éxstitit Fílii tui pássio gloriósa.
Per Christum.

Ant. ad communionem Ps 116, 1-2

Laudáte Dóminum, omnes gentes,
collaudáte eum, omnes pópuli;
quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius,
et véritas Dómini manet in ætérnum.

Vel: Mc 16, 15

Eúntes in mundum univérsum,
prædicáte Evangélium omni creatúræ, dicit Dóminus.

Post communionem

Sanctíficet nos, quǽsumus, Dómine,
mensæ tuæ participátio, et præsta,
ut, quam Unigénitus tuus in cruce operátus est salútem,
omnes gentes per Ecclésiæ tuæ sacraméntum
gratánter accípiant.
Per Christum.

Lectio prima

1

Fluent ad montem Domini omnes gentes.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 2, 1-5

Verbum quod vidit Isaías fílius Amos super Iuda et Ierúsalem.

Et erat in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.

Et ibunt pópuli multi et dicent: « Veníte, et ascendámus ad montem Dómini, et ad domum Dei Iacob, et docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis eius, quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Ierúsalem.

Et iudicábit gentes et árguet pópulos multos; et conflábunt gládios suos in vómeres et lánceas suas in falces. Non levábit gens contra gentem gládium, nec exercebúntur ultra ad prœlium.

Domus Iacob, veníte, et ambulémus in lúmine Dómini ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 97, 1. 2-3 ab. 3 c-4. 5-6 (℟.: 2 b)

℟. In conspéctu géntium revelávit Dóminus
iustítiam suam.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
Salvávit sibi déxtera eius
et brácchium sanctum eius. ℟.

2 Notum fecit Dóminus salutáre suum,
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
3 Recordátus est misericórdiæ suæ
et veritátis suæ dómui Israel. ℟.

Vidérunt omnes términi terræ
salutáre Dei nostri.
4 Iubiláte Deo, omnis terra,
erúmpite, exsultáte et psállite. ℟.

5 Psállite Dómino in cíthara,
in cíthara et voce psalmi;
6 in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ,
iubiláte in conspéctu regis Dómini. ℟.

2

Domus mea
domus orationis vocabitur cunctis populis.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 56, 1. 6-7

Hæc dicit Dóminus:

« Custodíte iudícium et fácite iustítiam, quia iuxta est salus mea ut véniat, et iustítia mea ut revelétur.

Et fílios ádvenæ, qui adhǽrent Dómino, ut colant eum et díligant nomen eius, ut sint ei in servos, omnem custodiéntem sábbatum ne pólluat illud, et tenéntem fœdus meum, addúcam eos in montem sanctum meum,

et lætificábo eos in domo oratiónis meæ; holocáusta eórum et víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo, quia domus mea domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 66, 2-3. 5. 7-8 (℟.: cf. 3)

℟. Cognoscátur in ómnibus géntibus salutáre tuum.

2 Deus misereátur nostri et benedícat nobis,
illúminet vultum suum super nos.
3 Ut cognoscátur in terra via tua,
in ómnibus géntibus salutáre tuum. ℟.

5 Læténtur et exsúltent gentes,
quóniam iúdicas pópulos in æquitáte,
et gentes in terra dírigis. ℟.

7 Terra dedit fructum suum;
benedícat nos Deus, Deus noster;
8 benedícat nos Deus,
et métuant eum omnes fines terræ. ℟.

3

Ambulabunt gentes in lumine tuo.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 60, 1-6

Surge, illumináre, Ierúsalem, quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est. Quia ecce ténebræ opérient terram, et calígo pópulos; super te autem oriétur Dóminus, et glória eius in te vidébitur.

Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. Leva in circúitu óculos tuos et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi; fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent.

Tunc vidébis et áfflues, mirábitur et dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo géntium vénerit tibi, inundátio camelórum

opériet te, dromedárii Mádian et Epha; omnes de Saba vénient aurum et tus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 97, 1. 2-3 ab. 3 c-4. 5-6 (℟.: 3 c)

℟. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.
Salvávit sibi déxtera eius
et brácchium sanctum eius. ℟.

2 Notum fecit Dóminus salutáre suum,
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
3 Recordátus est misericórdiæ suæ
et veritátis suæ dómui Israel. ℟.

Vidérunt omnes términi terræ
salutáre Dei nostri.
4 Iubiláte Deo, omnis terra,
erúmpite, exsultáte et psállite. ℟.

5 Psállite Dómino in cíthara,
in cíthara et voce psalmi;
6 in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ,
iubiláte in conspéctu regis Dómini. ℟.

4

Et ego non parcam Ninive?

Léctio libri Ionæ prophétæ 3, 10 — 4, 11

Vidit Deus ópera Ninivitárum, quia convérsi sunt de via sua mala; et misértus est Deus super malítiam, quam locútus fúerat ut fáceret eis, et non fecit.

Et afflíctus est Ionas afflictióne magna, et irátus est; et orávit ad Dóminum, et dixit: « Obsecro: numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea?

Propter hoc præoccupávi ut fúgerem in Tharsis; scio enim quia tu Deus clemens et miséricors es, pátiens et multæ miseratiónis, et ignóscens super malítia. Et nunc, Dómine, tolle, quæso, ánimam meam a me, quia mélior est mihi mors quam vita ».

Et dixit Dóminus: « Putásne bene irásceris tu? »

Et egréssus est Ionas de civitáte, et sedit contra oriéntem civitátis, et fecit síbimet umbráculum ibi, et sedébat subter illud in umbra, donec vidéret quid accíderet civitáti. Et præparávit Dóminus Deus héderam, et ascéndit super caput Ionæ, ut esset umbra super caput eius et protégeret eum; laboráverat enim. Et lætátus est Ionas super hédera lætítia magna.

Et parávit Deus vermem ascénsu dilúculi in crástinum, et percússit héderam, et exáruit. Et, cum ortus fuísset sol, præcépit Dóminus vento cálido et uréntì, et percússit sol super caput Ionæ, et æstuábat.

Et petívit ánimæ suæ ut morerétur, et dixit: « Mélius est mihi mori quam vívere ».

Et dixit Dóminus ad Ionam: « Putásne bene irásceris tu super hédera? »

Et dixit: « Bene iráscor ego usque ad mortem ».

Et dixit Dóminus: « Tu doles super héderam, in qua non laborásti neque fecísti ut crésceret, quæ sub una nocte nata est et sub una nocte périit, et ego non parcam Nínive, civitáti magnæ, in qua sunt plus quam centum vigínti mília hóminum, qui nésciunt quid sit inter déxteram et sinístram suam, et iuménta multa? »

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 66, 2-3. 5. 7-8 (℟.: 4)

℟. Confiteántur tibi pópuli, Deus,
confiteántur tibi pópuli omnes.

2 Deus misereátur nostri et benedícat nobis,
illúminet vultum suum super nos.

3 Ut cognoscátur in terra via tua,
in ómnibus géntibus salutáre tuum. ℟.
5 Lætántur et exsúltent gentes,
quóniam iúdicas pópulos in æquitáte,
et gentes in terra dírigis. ℟.
7 Terra dedit fructum suum;
benedícat nos Deus, Deus noster;
8 benedícat nos Deus,
et métuant eum omnes fines terræ. ℟.

5

Venient populi multi ad quærendum Dominum in Ierusalem.

Léctio libri Zacharíæ prophétæ 8, 20-23

Hæc dicit Dóminus exercítuum: « Usquequo véniant pópuli et hábitent in civitátibus multis, et vadant habitatóres unus ad álterum, dicéntes: " Eámus et deprecémur fáciem Dómini et quærámus Dóminum exercítuum; vadam étiam ego ". Et vénient pópuli multi et gentes robústæ ad quæréndum Dóminum exercítuum in Ierúsalem et deprecándam fáciem Dómini ».

Hæc dicit Dóminus exercítuum: « In diébus illis, in quibus apprehéndent decem hómines ex ómnibus linguis géntium, et apprehéndent fímbriam viri Iudǽi dicéntes: " Ibimus vobíscum, audívimus enim quóniam Deus vobíscum est " ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 18, 2-3. 4-5 (℟.: 5 a)

℟. In omnem terram exívit sonus eórum.

2 Cæli enárrant glóriam Dei,
et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.
3 Dies diéi erúctat verbum,
et nox nocti índicat sciéntiam. ℟.

4 Non sunt loquélæ neque sermónes,
quorum non intellegántur voces.
5 In omnem terram exívit sonus eórum,
et in fines orbis terræ verba eórum. ℟.

Lectio secunda

1

Quomodo autem audient sine prædicante?
Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
10, 9-18

Si confiteáris in ore tuo: « Dóminum Iesum », et in corde tuo credíderis quod Deus illum excitávit ex mórtuis, salvus eris. Corde enim créditur ad iustítiam, ore autem conféssio fit in salútem.

Dicit enim Scriptúra: « Omnis qui credit in illo non confundétur ». Non enim est distínctio Iudǽi et Græci, nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum.

« Omnis enim quicúmque invocáverit Nomen Dómini salvus erit ».

Quómodo ergo invocábunt in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur?

Sicut scriptum est: « Quam speciósi pedes evangelizántium bona! »

Sed non omnes obœdiérunt Evangélio.

Isaías enim dicit: « Dómine, quis crédidit audítui nostro? » Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi.

Sed dico: « Numquid non audiérunt? » Quin immo: « In omnem terram éxiit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum ».
Verbum Dómini.

2

Mysterium Christi nunc revelatum est: esse gentes coheredes promissionis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
3, 2-12

Fratres:

Audístis dispensatiónem grátiæ Dei, quæ data est mihi pro vobis; quóniam secúndum revelatiónem notum mihi factum est mystérium, sicut supra scripsi in brevi; prout potéstis legéntes intellégere prudéntiam meam in mystério Christi, quod áliis generatiónibus non innótuit fíliis hóminum, sicut nunc revelátum est sanctis Apóstolis eius et prophétis in Spíritu: esse gentes coherédes et concorporáles et compartícipes promissiónis in Christo Iesu per Evangélium, cuius factus sum miníster secúndum donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndum operatiónem virtútis eius.

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes quæ sit dispensátio mystérii abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit; ut innotéscat nunc principátibus et potestátibus in cæléstibus per Ecclésiam multifórmis sapiéntia Dei; secúndum propósitum sæculórum, quod fecit in Christo Iesu Dómino nostro, in quo habémus fidúciam et accéssum in confidéntia per fidem eius. — Verbum Dómini.

3

Deus omnes homines vult salvos fieri.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Timótheum 2, 1-8

Caríssime:

Obsecro primo ómnium fíeri obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes pro ómnibus homínibus: pro régibus et ómnibus qui in sublimitáte sunt, ut quiétam et tranquíllam vitam agámus in omni pietáte et castitáte.

Hoc bonum est et accéptum coram Salvatóre nostro Deo, qui omnes hómines vult salvos fíeri et ad agnitiónem veritátis veníre.

Unus enim Deus, unus et mediátor Dei et hóminum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis; in quod pósitus sum ego prædicátor et apóstolus (veritátem dico, non méntior), doctor géntium in fide et veritáte.

Volo ergo viros oráre in omni loco, levántes puras manus sine ira et disceptatióne. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Mt 28, 19 a-20 b

℟. Allelúia. ℣. Eúntes, docéte omnes gentes,
dicit Dóminus;
ego vobíscum sum ómnibus diébus
usque ad consummatiónem sǽculi.
℟. Allelúia.

Euntes, docete omnes gentes.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
28, 16-20

In illo témpore:

Undecim discípuli abiérunt in Galilǽam, in montem ubi constitúerat illis Iesus, et vidéntes eum adoravérunt, quidam autem dubitavérunt.

Et accédens Iesus locútus est eis, dicens: « Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra; eúntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in Nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti, docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis.

Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem sǽculi ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Mc 16, 15

℟. Allelúia. ℣. Eúntes in mundum univérsum,
dicit Dóminus,
prædicáte Evangélium omni creatúræ.
℟. Allelúia.

Euntes in mundum universum,
prædicate Evangelium.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 16, 15-20

In illo témpore:

Appárens Iesus Undecim dixit eis: « Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur.

Signa autem eos qui credíderint hæc sequéntur: in Nómine meo dæmónia eícient, linguis loquéntur novis,

serpéntes tollent, et, si mortíferum quid bíberint, non eos nocébit, super ægrótos manus impónent, et bene habébunt ».

Et Dóminus quidem Iesus, postquam locútus est eis, assúmptus est in cælum, et sedit a dextris Dei.

Illi autem profécti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte, sequéntibus signis. — Verbum Dómini.

3

Alleluia Io 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret;
omnis qui credit in eum,
habet vitam ætérnam. ℟. Allelúia.

Sic scriptum est, prædicari in nomine eius pænitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 24, 44-53

In illo témpore:

Dixit Iesus ad discípulos suos: « Hæc sunt verba quæ locútus sum ad vos, cum adhuc essem vobíscum, quóniam necésse est impléri ómnia quæ scripta sunt in lege Móysis et prophétis et psalmis de me ». Tunc apéruit illis sensum, ut intellégerent Scriptúras.

Et dixit eis: « Sic scriptum est, Christum pati, et resúrgere a mórtuis die tértia, et prædicári in nómine eius pæniténtiam in remissiónem peccatórum in omnes gentes, incipiéntibus ab Ierúsalem. Vos estis testes horum.

Et ecce ego mitto promíssum Patris mei in vos; vos autem sedéte in civitáte, quoadúsque induámini virtútem ex alto ».

Edúxit autem eos foras usque in Bethániam; et elevátis mánibus suis benedíxit eis.

Et factum est, dum benedíceret illis, recéssit ab eis et ferebátur in cælum.

Et ipsi adoravérunt eum et regréssi sunt in Ierúsalem cum gáudio magno; et erant semper in templo, benedicéntes Deum. — Verbum Dómini.

4

Alleluia Mc 16, 15

℟. Allelúia. ℣. Eúntes in mundum univérsum,
dicit Dóminus,
prædicáte Evangélium omni creatúræ.
℟. Allelúia.

Ut filios Dei, qui erant dispersi,
congregaret in unum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
11, 45-52

In illo témpore:

Multi ex Iudǽis, qui vénerant ad Maríam et Martham, soróres Lázari, et víderant quæ fecit Iesus, credidérunt in eum. Quidam autem ex ipsis abiérunt ad pharisǽos, et dixérunt eis quæ fecit Iesus.

Collegérunt ergo pontífices et pharisǽi concílium, et dicébant: « Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimíttimus eum sic, omnes credent in eum, et vénient Románi et tollent nostrum et locum et gentem ».

Unus autem ex ipsis, Cáiaphas, cum esset póntifex anni illíus, dixit eis: « Vos nescítis quidquam; nec cogitátis quia éxpedit vobis ut unus moriátur homo pro pópulo, et non tota gens péreat ».

Hoc autem a semetípso non dixit; sed, cum esset póntifex anni illíus, prophetávit quia Iesus moritúrus

erat pro gente, et non tantum pro gente, sed et ut fílios Dei, qui erant dispérsi, congregáret in unum.
Verbum Dómini.

5

Alleluia Io 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret;
omnis qui credit in eum
habet vitam ætérnam. ℟. Allelúia.

Sicut me misisti in mundum,
et ego misi eos in mundum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 11 b. 17-23

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, serva eos in Nómine tuo quod dedísti mihi, ut sint unum sicut nos.

Sanctífica eos in veritáte. Sermo tuus véritas est. Sicut me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctífico meípsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte.

Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui creditúri sunt per verbum eórum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis sint, ut mundus credat quia tu me misísti.

Et ego glóriam, quam dedísti mihi, dedi illis, ut sint unum, sicut nos unum sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummáti in unum, ut cognóscat mundus quia tu me misísti et dilexísti eos, sicut me dilexísti ».

Verbum Dómini.

15. PRO CHRISTIANIS PERSECUTIONE VEXATIS

Ant. ad introitum — Cf. Ps 73, 19-22

Réspice, Dómine, in testaméntum tuum,
et ánimas páuperum tuórum ne derelínquas in finem;
exsúrge, Dómine, et iúdica causam tuam,
et ne obliviscáris voces quæréntium te.

Vel: — Act 12, 5

Petrus servabátur in cárcere;
orátio autem fiébat sine intermissióne
ab Ecclésia ad Deum pro eo.

Collecta

Deus, qui inscrutábili providéntia
passiónibus Fílii tui vis Ecclésiam sociári,
præsta fidélibus tuis,
in tribulatióne propter nomen tuum versántibus,
spíritum patiéntiæ et caritátis,
ut promissiónum tuárum
fidi inveniántur testes atque veráces.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1489-1499.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine,
humilitátis nostræ preces et hóstias, et præsta,
ut, qui, tibi fidéliter serviéntes,
hóminum persecutiónes patiúntur,
gáudeant se Christi Fílii tui sacrifício sociári,
et sua séntiant inter electórum nómina
scripta esse in cælis.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 5, 11-12

Beáti estis, cum maledíxerint vobis
et persecúti vos fúerint propter me, dicit Dóminus;
gaudéte et exsultáte,
quóniam merces vestra copiósa est in cælis.

Vel: Mt 10, 32

Omnis qui confitébitur me coram homínibus,
confitébor et ego eum coram Patre meo,
qui in cælis est, dicit Dóminus.

Post communionem

Per huius sacraménti virtútem
fámulos tuos, Dómine, in veritáte confírma,
et fidélibus tuis in tribulatióne pósitis concéde,
ut, crucem sibi post Fílium tuum baiulántes,
christiáno nómine iúgiter váleant inter advérsa gloriári.
Per Christum.

Lectio prima

1

Miserere populi tui,
quia volunt hereditatem tuam delere.

Léctio libri Esther 13, 8-11. 15-17

In diébus illis:

Mardochǽus deprecátus est Dóminum, memor ómnium óperum eius, et dixit: « Dómine, Dómine rex omnípotens, in dicióne enim tua cuncta sunt pósita, et non est qui possit tuæ resístere voluntáti, si decréveris salváre Israel. Tu fecísti cælum et terram et quidquid cæli ámbitu continétur. Dóminus ómnium es, nec est qui resístat maiestáti tuæ.

Et nunc, Dómine rex, Deus Abraham, miserére pópuli tui, quia volunt nos inimíci nostri pérdere et hereditátem tuam delére. Ne despícias partem tuam, quam redemísti tibi de Ægýpto. Exáudi deprecatiónem meam, et propítius esto sorti et funículo tuo; et convérte luctum nostrum in gáudium, ut vivéntes laudémus nomen tuum, Dómine, et ne claudas ora te canéntium ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 123, 2-3. 4-5. 7 b-8 (℟.: 7 a)

℟. Anima nostra sicut passer erépta est
de láqueo venántium.

2 Nisi quia Dóminus erat in nobis,
cum exsúrgerent hómines in nos.
3 Forte vivos deglutíssent nos,
cum irascerétur furor eórum in nos. ℟.

4 Fórsitan aqua absorbuísset nos;
torrens pertransísset ánimam nostram,
5 fórsitan pertransíssent ánimam nostram
aquæ intumescéntes. ℟.
7 Láqueus contrítus est,
et nos erépti sumus.
8 Adiutórium nostrum in nómine Dómini,
qui fecit cælum et terram. ℟.

2

Omnes qui sperant in Deum non infirmantur.

Léctio libri primi Machabæórum 2, 49-52. 57-64

Appropinquavérunt dies Mathathíæ moriéndi, et dixit fíliis suis: « Nunc confortáta est supérbia et castigátio, et tempus eversiónis et ira indignatiónis. Nunc ergo, o fílii, æmulatóres estóte legis; et date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum, et mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis, et accipiétis glóriam magnam et nomen ætérnum.

Abraham, nonne in tentatióne invéntus est fidélis, et " reputátum est ei ad iustítiam "? David, in sua misericórdia, consecútus est sedem regni in sǽcula; Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in cælum; Ananías et Azarías et Mísael credéntes liberáti sunt de flamma; Dániel, in sua simplicitáte, liberátus est de ore leónum.

Et ita cogitáte, per generatiónem et generatiónem, quia omnes qui sperant in eum non infirmántur. Et a verbis viri peccatóris ne timuéritis, quia glória eius stercus et vermis est: hódie extóllitur et cras non inveniétur, quia convérsus est in terram suam, et cogitátio eius périit.

Vos ergo, fílii, confortámini et viríliter ágite in lege, quia in ipsa gloriósi éritis ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 2, 1-3. 4-6. 10-11 (℟.: 13 b)

℟. Beáti omnes qui confídunt in Dómino.

1 Quare fremuérunt gentes,
et pópuli meditáti sunt inánia?
2 Astitérunt reges terræ,
et príncipes convenérunt in unum,
advérsus Dóminum et advérsus christum eius:
3 « Dirumpámus víncula eórum,
et proiciámus a nobis iugum ipsórum! » ℟.

4 Qui hábitat in cælis irridébit eos,
Dóminus subsannábit eos.
5 Tunc loquétur ad eos in ira sua,
et in furóre suo conturbábit eos:
6 « Ego autem constítui regem meum
super Sion, montem sanctum meum! » ℟.

10 Et nunc, reges, intellégite,
erudímini, qui iudicátis terram.
11 Servíte Dómino in timóre,
et exsultáte ei cum tremóre. ℟.

3

Servus meus es tu, elegi te et non abieci te.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 41, 8-10. 13-14

Hæc dicit Dóminus Deus: « Tu, Israel, serve meus, Iacob, quem elégi, semen Abraham amíci mei; in quo apprehéndi te ab extrémis terræ, et a longínquis eius vocávi te; et dixi tibi: " Servus meus es tu, elégi te et non abiéci te. Ne tímeas, quia ego tecum sum; ne declínes, quia ego Deus tuus; confortávi te et auxiliátus sum tibi, et suscépit te déxtera iusti mei ".

Quia ego Dóminus Deus tuus apprehéndens manum tuam dicénsque tibi: " Ne tímeas, ego adiúvi te ".

Noli timére, vermis Iacob, qui mórtui estis ex Israel; ego auxiliátus sum tibi, dicit Dóminus et redémptor tuus sanctus Israel ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 122, 1. 2 (℟.: 2 cd)

℟. Oculi nostri ad Dóminum, donec misereátur nostri.

1 Ad te levávi óculos meos,
qui hábitas in cælis. ℟.

2 Ecce sicut óculi servórum ad manus dominórum suórum,
sicut óculi ancíllæ ad manus dóminæ suæ,
ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum,
donec misereátur nostri. ℟.

4

Ne tradas nos in perpetuum,
propter nomen tuum.

Léctio libri Daniélis prophétæ 3, 25. 34-43

In diébus illis:

Stans Azarías orávit sic, aperiénsque os suum in médio ignis ait: « Ne, quæsumus, tradas nos in perpétuum propter nomen tuum, et ne díssipes testaméntum tuum, neque áuferas misericórdiam tuam a nobis, propter Abraham diléctum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum, quibus locútus es póllicens quod multiplicáres semen eórum sicut stellas cæli, et sicut arénam quæ est in lítore maris.

Quia, Dómine, imminúti sumus plus quam omnes gentes, sumúsque húmiles in univérsa terra hódie propter peccáta nostra, et non est in témpore hoc princeps et dux et prophéta, neque holocáustum neque sacrifícium neque oblátio neque incénsum neque locus primitiárum coram te, ut possímus inveníre misericórdiam tuam.

Sed in ánimo contríto et spíritu humilitátis suscipiámur; sicut in holocáusto aríetum et taurórum et sicut in mílibus agnórum pínguium, sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, quóniam non est confúsio confidéntibus in te.

Et nunc séquimur te in toto corde, et timémus te, et quærimus fáciem tuam. Ne confúndas nos, sed fac nobíscum iuxta mansuetúdinem tuam et secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ, et érue nos in mirabílibus tuis, et da glóriam nómini tuo, Dómine ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 122, 1. 2 (℟.: 3 a)

℟. Miserére nostri, Dómine, miserére nostri.

1 Ad te levávi óculos meos,
qui hábitas in cælis. ℟.

2 Ecce sicut óculi servórum ad manus dominórum suórum,
sicut óculi ancíllæ ad manus dóminæ suæ,
ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum,
donec misereátur nostri. ℟.

Lectio secunda

1

Vobis hoc donatum est pro Christo,
ut etiam pro illo patiamini.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses — 1, 27-30

Fratres:

Tantum digne Evangélio Christi conversámini, ut, sive cum vénero et vídero vos, sive absens áudiam de vobis, quia statis in uno Spíritu, unánimes concertántes fide Evangélii; et in nullo pertérriti ab adversáriis, quod est illis indícium perditiónis, vobis autem salútis,

et hoc a Deo; quia vobis hoc donátum est pro Christo, non solum ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini, idem certámen habéntes, quale et vidístis in me et nunc audítis in me. — Verbum Dómini.

2

Quis filius, quem non corripit pater?

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 12, 2-13

Fratres:

Aspícite in auctórem fídei et consummatórem Iesum, qui, pro gáudio sibi propósito sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera throni Dei sedet. Recogitáte enim eum qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradictiónem, ut ne fatigémini ánimis vestris deficiéntes.

Nondum usque ad sánguinem restitístis advérsus peccátum repugnántes, et oblíti estis exhortatiónis, quæ vobis tamquam fíliis lóquitur: « Fili mi, noli neglégere disciplínam Dómini, neque defícias dum ab eo argúeris. Quem enim díligit Dóminus castígat, flagéllat autem omnem fílium quem récipit ».

Ad disciplínam suffértis. Tamquam fílios vos tractat Deus. Quis enim fílius, quem non córripit pater? Quod si extra disciplínam estis, cuius partícipes facti sunt omnes, ergo adulteríni et non fílii estis.

Deínde patres quidem carnis nostræ habebámus eruditóres et reverebámur; non multo magis obtemperábimus Patri spiríituum et vivémus? Et illi quidem ad témpus paucórum diérum, secúndum quod videbátur illis castigábant; hic autem ad id quod útile est ad participándam sanctitátem eius. Omnis autem disciplína in præsénti quidem vidétur non esse gáudii, sed mæróris; póstea autem fructum pacíficum exercitátis per eam reddit iustítiæ.

Propter quod remíssas manus et solúta génua erígite, et gressus rectos fácite pédibus vestris, ut quod claudum est non extorqueátur, magis autem sanétur.
Verbum Dómini.

3

Exsultatis, modicum nunc si oportet contristari.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 1, 3-9

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui secúndum magnam misericórdiam suam regenerávit nos in spem vivam per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis, in hereditátem incorruptíbilem et incontaminátam et immarcescíbilem, conservátam in cælis propter vos, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam reveléri in témpore novíssimo.

In quo exsultátis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus; ut probátio vestræ fídei multo pretiósior auro, quod perit, per ignem quidem probáto, inveniátur in laudem et glóriam et honórem in revelatióne Iesu Christi: quem, cum non vidéritis, dilígitis; in quem nunc non vidéntes, credéntes autem exsultátis lætítia inenarrábili et glorificáta, reportántes finem fídei vestræ salútem animárum.
Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Mt 5, 10

℟. Allelúia. ℣. Beáti qui persecutiónem patiúntur
propter iustítiam,
quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
℟. Allelúia.

Beati estis, cum maledixerint vobis
et persecuti vos fuerint.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
5, 1-12 a

In illo témpore:

Videns Iesus turbas ascéndit in montem, et, cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius, et apériens os suum docébat eos dicens:

« Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.

Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur.

Beáti misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.

Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti estis, cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia 1 Petr 4, 14

℟. Allelúia. ℣. Si exprobrámini in nómine Christi,
beáti éritis,
quóniam Spíritus Dei super vos requiéscit.
℟. Allelúia.

Eritis odio omnibus propter nomen meum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
10, 17-22

In illo témpore:

Dixit Iesus Apóstolis suis: « Cavéte ab homínibus; tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ad prǽsides et ad reges ducémini propter me, in testimónium illis et géntibus.

Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini; dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis.

Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium, et insúrgent fílii in paréntes et morte eos affícient.

Et éritis ódio ómnibus propter nomen meum; qui autem perseveráverit in finem, hic salvus erit ».

Verbum Dómini.

3

Alleluia — Iac 1, 12

℟. Allelúia. ℣. Beátus vir, qui suffert tentatiónem,
quóniam, cum probátus fúerit,
accípiet corónam vitæ. ℟. Allelúia.

Nolite timere eos qui occidunt corpus

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
10, 26-33

In illo témpore:

Dixit Iesus Apóstolis suis: « Ne timuéritis eos. Nihil enim est opértum quod non revelábitur, et occúltum quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris,

dícite in lúmine, et quod in aure audítis, prædicáte super tecta.

Et nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; sed pótius eum timéte qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénna.

Nonne duo pásseres asse véneunt? Et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. Vestri autem et capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos.

Omnis ergo qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis. Qui autem negáverit me coram homínibus, negábo et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis ».

Verbum Dómini.

4

Alleluia 2 Cor 1, 3 b-4 a

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus Pater misericordiárum
et Deus totíus consolatiónis,
qui consolátur nos in omni tribulatióne
nostra. ℟. Allelúia.

Si me persecuti sunt, et vos persequentur.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
15, 18-21. 26 — 16, 4

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si mundus vos odit, scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Si de mundo essétis, mundus quod suum est dilígeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptérea odit vos mundus. Mementóte sermónis quem ego dixi vobis: “ Non est servus maior dómino suo ”. Si me persecúti sunt, et vos persequéntur; si sermónem

meum servavérunt, et vestrum servábunt. Sed hæc ómnia fácient vobis propter Nomen meum, quia nésciunt eum qui misit me.

Cum autem vénerit Paráclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spíritum veritátis qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me. Sed et vos testimónium perhibétis, quia ab inítio mecum estis.

Hæc locútus sum vobis, ut non scandalizémini. Absque synagógis fácient vos. Sed venit hora, ut omnis qui intérficit vos arbitrétur obséquium se præstáre Deo. Et hæc fácient quia non novérunt Patrem neque me. Sed hæc locútus sum vobis, ut, cum vénerit hora eórum, reminiscámini eórum quia ego dixi vobis ».

Verbum Dómini.

5

Alleluia 1 Petr 4, 14

℟. Allelúia. ℣. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis,
quóniam Spíritus Dei super vos requiéscit.
℟. Allelúia.

Mundus odio eos habuit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 11 b-19

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, serva eos in Nómine tuo quod dedísti mihi, ut sint unum sicut nos. Cum essem cum eis, ego servábam eos in Nómine tuo quod dedísti mihi et custodívi, et nemo ex his périit, nisi fílius perditiónis, ut Scriptúra impleátur.

Nunc autem ad te vénio, et hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in semetípsis.

Ego dedi eis sermónem tuum, et mundus ódio eos hábuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex Malo. De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo.

Sanctífica eos in veritáte. Sermo tuus véritas est. Sicut me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum.

Et pro eis ego sanctífico meípsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte ». — Verbum Dómini.

16. PRO CONVENTU SPIRITALI VEL PASTORALI

Ant. ad introitum Mt 18, 19. 20

Dicit Dóminus:
Ubi sunt duo vel tres congregáti in nómine meo,
ibi sum in médio eórum.

Vel: Col 3, 14-15

Super ómnia caritátem habéte,
quod est vínculum perfectiónis;
et pax Christi exsúltet in córdibus vestris,
in qua et vocáti estis in uno córpore.

Collecta

Infúnde in nobis, quǽsumus, Dómine,
spíritum intellegéntiæ, veritátis et pacis,
ut quæ tibi sunt plácita toto corde noscámus,
et, quæ novérimus,
unánimi voluntátum consensióne sectémur.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, cuius Fílius ómnibus in nómine suo congregátis
promísit seípsum in médio eórum affutúrum,
præsta, quǽsumus,

ut illum præséntem nobíscum sentiámus,
et abundáre in córdibus nostris
grátiam, misericórdiam et pacem
in veritáte et caritáte experiámur.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Missa pro Concilio vel Synodo, pp. 1413-1416.

Super oblata

Respíciat, quǽsumus, cleméntia tua, Dómine,
tuórum múnera famulórum,
ut, quæ sunt in óculis tuis salutária atque recta,
et veráciter intéllegant, et fiduciáliter eloquántur.
Per Christum.

Præfatio II de Spiritu Sancto, p. 1751.

Ant. ad communionem

Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.
Congregávit nos in unum Christi amor.

Post communionem

Da nobis, misericors Deus, ut sancta quæ súmpsimus
et nos in tua voluntáte confírment,
et testes ubíque veritátis effíciant.
Per Christum.

II. PRO REBUS PUBLICIS

17. PRO PATRIA VEL CIVITATE

Collecta

Deus, qui mirábili consílio univérsa dispónis,
súscipe benígnus
quas pro pátria nostra tibi fúndimus preces,
ut sapiéntia moderatórum et honestáte cívium
concórdia et iustítia firméntur
atque fiat cum pace prospéritas perpétua.
Per Dóminum.

18. PRO REMPUBLICAM MODERANTIBUS

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
in cuius manu sunt hóminum corda et iura populórum,
réspice benígnus ad eos qui nos in potestáte moderántur,
ut ubíque terrárum populórum prospéritas,
pacis secúritas et religiónis libértas,
te largiénte, consístant.
Per Dóminum.

19. PRO CŒTU MODERATORUM NATIONUM

Collecta

Deus, qui miro órdine univérsa dispónis
et ineffabíliter gubérnas,
réspice propítius in congregátos moderatóres natiónum,
eísque Spíritum tuæ sapiéntiæ cleménter infúnde,
ut in commúnem salútem et pacem ómnia dispónant
atque a voluntáte tua numquam discédant.
Per Dóminum.

20. PRO SUPREMO NATIONIS MODERATORE

Collecta

Deus, cui potestátes humánæ desérviunt,
da fámulo tuo (regi nostro) N.
prósperum suæ dignitátis efféctum,
in qua, te semper timens tibíque placére conténdens,
pópulo sibi crédito líberam órdinis tranquillitátem
iúgiter procúret et servet.
Per Dóminum.

21. PRO POPULORUM PROGRESSIONE

Ant. ad introitum — 1 Io 3, 17

Qui habúerit substántiam huius mundi,
et víderit fratrem suum necessitátem habére,
et cláuserit víscera sua ab eo,
quómodo cáritas Dei manet in eo?

Collecta

Deus, qui unam dedísti cunctis géntibus oríginem,
et unam ex eis in te voluísti famíliam congregáre,
tuæ caritátis ardóre ómnium corda perfúnde
et fratrum suórum desidério iustæ progressiónis accénde,
ut, per bona quæ cunctis affluénter largíris,
humána singulórum perficiátur persóna,
et ǽquitas atque iustítia, quavis divisióne subláta,
in hóminum societáte firméntur.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Missa pro pace et iustitia servanda, pp. 1506-1515.

Super oblata

Preces ad te clamántium, Dómine, propitiátus exáudi,
et, Ecclésiæ tuæ oblatióne suscépta, præsta,

ut omnes hómines spíritu filiórum Dei repleántur,
quátenus, inæqualitátibus in caritáte superátis,
una fiat in tua pace populórum família.
Per Christum.

Ant. ad communionem Cf. Ps 103, 13. 14. 15

De fructu óperum tuórum, Dómine, satiábitur terra,
ut edúcas panem de terra,
et vinum lætíficet cor hóminis.

Vel: Lc 11, 9

Pétite, et dábitur vobis; quǽrite, et inveniétis;
pulsáte, et aperiétur vobis, dicit Dóminus.

Post communionem

Uno pane refécti,
quo humánam famíliam iúgiter instáuras,
quǽsumus, Dómine,
ut, ex unitátis participatióne sacraménti,
válidum et purum hauriámus amórem
ad progrediéntes pópulos iuvándos,
et ad opus iustítiæ, inspiránte caritáte, perficiéndum.
Per Christum.

22. PRO PACE ET IUSTITIA SERVANDA

A

Ant. ad introitum Cf. Sir 36, 18-19

Da pacem, Dómine, sustinéntibus te,
et exáudi oratiónes servórum tuórum,
et dírige nos in viam iustítiæ.

Collecta

Deus, qui pacíficos revelásti fílios tuos esse vocándos,
præsta, quǽsumus,

ut illam instaurémus sine intermissióne iustítiam,
quæ sola firmam pacem spóndeat et verácem.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui patérnam curam ómnium geris,
concéde propítius,
ut hómines, quibus unam oríginem dedísti,
et unam in pace famíliam constítuant,
et fratérno semper ánimo uniántur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1506-1515.

Super oblata

Fílii tui, pacífici Regis, sacrifícium salutáre,
his sacramentórum signis oblátum,
quibus pax et únitas designántur, quǽsumus, Dómine,
ad concórdiam profíciat
inter omnes fílios tuos confirmándam.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 5, 9

Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.

Vel: Io 14, 27

Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis,
dicit Dóminus.

Post communionem

Largíre nobis, quǽsumus, Dómine, spíritum caritátis,
ut, Córpore et Sánguine Unigéniti tui vegetáti,
pacem inter omnes, quam ipse relíquit,
efficáciter nutriámus.
Per Christum.

B

Aliæ orationes pro pace

Collecta

Deus, cónditor mundi,
sub cuius arbítrio ómnium sæculórum ordo decúrrit,
adésto propítius invocatiónibus nostris
et tranquillitátem pacis præséntibus concéde tempóribus,
ut in láudibus misericórdiæ tuæ
incessábili exsultatióne lætémur.
Per Dóminum.

Vel:

Collecta

Deus pacis, immo pax ipsa,
quem discórdans ánimus non capit,
quem mens cruénta non récipit, præsta,
ut, qui concórdes sunt, boni perseverántiam téneant,
qui discórdes sunt, mali oblivióne sanéntur.
Per Dóminum.

Cf. etiam n. 42: Pro concordia fovenda, p. 1633.

Lectio prima

1

Multiplicabitur eius imperium,
et pacis non erit finis.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 9, 2-7

Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam; habitántibus in regióne umbræ mortis lux orta est eis. Multiplicásti gentem et non magnificásti læti-

tiam. Lætabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe, sicut exsúltant victóres, capta præda, quando dívidunt spólia. Iugum enim óneris eius et virgam úmeri eius et sceptrum exactóris eius superásti, sicut in die Mádian.

Quia omnis violénta prædátio cum tumúltu, et vestiméntum mixtum sánguine erit in combustiónem et cibus ignis.

Párvulus enim natus est nobis, et fílius datus est nobis, et factus est principátus super úmerum eius, et vocábitur nomen eius admirábilis, consiliárius, Deus fortis, pater futúri sǽculi, princeps pacis.

Multiplicábitur eius impérium, et pacis non erit finis; super sólium David et super regnum eius sedébit, ut confírmet illud et corróboret in iudício et iustítia ámodo et usque in sempitérnum. Zelus Dómini exercítuum fáciet hoc. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 71, 2. 3-4 ab. 7-8. 12-13. 17 (℟.: 7)

℟. Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis.

2 Iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.
3 Afferant montes pacem pópulo,
et colles iustítiam.
4 Iudicábit páuperes pópuli,
et salvos fáciet fílios ínopis. ℟.
7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare,
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.
12 Quia liberábit ínopem clamántem
et páuperem cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi,
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

17 Sit nomen eius benedíctum in sǽcula,
ante solem permanébit nomen eius.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificábunt eum. ℟.

2

Erit opus iustitiæ pax.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 32, 15-18

In diébus illis:

Effundétur super nos spíritus de excélso. Et erit desértum in Carmel, et Carmel in saltum reputábitur, et habitábit in solitúdine iudícium, et iustítia in Carmel sedébit, et erit opus iustítiæ pax, et cultus iustítiæ siléntium, et secúritas usque in sempitérnum.

Et sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis et in tabernáculis fidúciæ et in réquie opulénta.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 84, 9 ab-10. 11-12. 13-14 (℟.: cf. 9)

℟. Lóquitur pacem Dóminus ad plebem suam.

9 Audiam quid loquátur Dóminus Deus,
quóniam loquétur pacem
ad plebem suam et sanctos suos.
10 Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus,
ut inhábitet glória in terra nostra. ℟.

11 Misericórdia et véritas obviavérunt sibi,
iustítia et pax osculátæ sunt.
12 Véritas de terra orta est,
et iustítia de cælo prospéxit. ℟.

13 Etenim Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.
14 Iustítia ante eum ambulábit,
et ponet in via gressus suos. ℟.

3

Pacem ei qui longe est
et qui prope creavi.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 57, 15-19

Hæc dicit Excélsus et Sublímis, hábitans æternitátem, et sanctum nomen eius, in excélso et in sancto hábitans, et cum contríto et húmili spíritu, ut vivíficet spíritum humílium et vivíficet cor contritórum: « Non enim in sempitérnum litigábo, neque usque ad finem iráscar, quia spíritus a fácie mea egrediétur, et flatus ego fáciam.

Propter iniquitátem avarítiæ eius irátus sum et percússi eum, abscóndi a te fáciem meam et indignátus sum; et ábiit vagus in via cordis sui. Vias eius vidi et sanávi eum, et redúxi eum, et réddidi consolatiónes ipsi et lugéntibus eius.

Creávi fructum labiórum pacem: pacem ei qui longe est et qui prope, dixit Dóminus; et sanávi eum ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 121, 1-2. 4-5. 6-7. 8-9 (℟.: Sir 36, 18)

℟. Da pacem, Dómine, sustinéntibus te.

1 Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi:
« In domum Dómini íbimus ».
2 Stantes iam sunt pedes nostri
in portis tuis, Ierúsalem. ℟.

4 Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini,
testimónium Israel, ad confiténdum nómini Dómini.
5 Quia illic sedérunt sedes ad iudícium,
sedes domus David. ℟.

6 Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem,
secúri sint diligéntes te.
7 Fiat pax in muris tuis
et secúritas in túrribus tuis. ℟.

8 Propter fratres meos et próximos meos
loquar: « Pax in te! »
9 Propter domum Dómini Dei nostri
exquíram bona tibi. ℟.

Lectio secunda

1

Pax Dei custodiet corda vestra
et intellegentias vestras.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses
4, 6-9

Fratres:

Nihil sollíciti sitis; sed in ómnibus oratióne et obsecratióne cum gratiárum actióne, petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiet corda vestra et intellegéntias vestras in Christo Iesu.

De cétero, fratres, quæcúmque sunt vera, quæcúmque pudíca, quæcúmque iusta, quæcúmque casta, quæcúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus et si qua laus, hæc cogitáte. Quæ et didicístis et accepístis et audístis et vidístis in me, hæc ágite, et Deus pacis erit vobíscum.

Verbum Dómini.

2

Pax Christi dominetur in cordibus vestris.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses 3, 12-15

Fratres:

Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis, si quis advérsus áliquem habet querélam; sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

Super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis, et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore; et grati estóte. — Verbum Dómini.

3

Fructus iustitiæ in pace seminatur, facientibus pacem.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 3, 13-18

Caríssimi:

Quis sápiens et disciplinátus inter vos? Osténdat ex bona conversatióne operatiónem suam in mansuetúdine sapiéntiæ. Quod si zelum amárum habétis, et contentiónes in córdibus vestris, nolíte gloriári et mendáces esse advérsus veritátem.

Non est ista sapiéntia desúrsum descéndens, sed terréna, animális, diabólica. Ubi enim zelus et conténtio, ibi inconstántia et omne opus pravum. Quæ autem desúrsum est sapiéntia primum quidem pudíca est,

deínde pacífica, modésta, suadíbilis, plena misericórdia et frúctibus bonis, non iúdicans, sine simulatióne.
Fructus autem iustítiæ in pace seminátur, faciéntibus pacem. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia — Mt 5, 9

℟. Allelúia. ℣. Beáti pacífici,
quóniam fílii Dei vocabúntur. ℟. Allelúia.

Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam.
Beati pacifici.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
5, 1-12 a

In illo témpore:

Videns Iesus turbas ascéndit in montem, et, cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius, et apériens os suum docébat eos, dicens:

« Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.
Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.
Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.
Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur.
Beáti misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.
Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.
Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.
Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti estis, cum maledíxerint vobis et persecúti vos fúerint et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Mt 5, 9

℟. Allelúia. ℣. Beáti pacífici,
quóniam fílii Dei vocabúntur. ℟. Allelúia.

Ego dico vobis: Non resistere malo.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 5, 38-48

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Audístis quia dictum est: " Oculum pro óculo et dentem pro dente ".

Ego autem dico vobis: Non resístere malo; sed, si quis te percússerit in déxtera maxílla tua, præbe illi et álteram; et ei, qui vult tecum iudício conténdere et túnicam tuam tóllere, remítte ei et pállium; et quicúmque te angariáverit mille passus, vade cum illo duo. Qui petit a te, da ei; et voléntí mutuári a te, ne avertáris.

Audístis quia dictum est: " Díliges próximum tuum " et ódio habébis inimícum tuum.

Ego autem dico vobis: Dilígite inimícos vestros, et oráte pro persequéntibus vos, ut sitis fílii Patris vestri qui in cælis est, quia solem suum oríri facit super malos et bonos, et pluit super iustos et iniústos.

Si enim dilexéritis eos qui vos díligunt, quam mercédem habétis? nonne et publicáni hoc fáciunt? Et si salutavéritis fratres vestros tantum, quid ámplius fácitis? nonne et éthnici hoc fáciunt?

Estóte ergo vos perfécti, sicut Pater vester cæléstis perféctus est ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia Io 14, 27

℟. Allelúia. ℣. Pacem relínquo vobis, dicit Dóminus,
pacem meam do vobis. ℟. Allelúia.

Pacem meam do vobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
14, 23-29

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Si quis díligit me, sermónem meum servábit, et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus et mansiónem apud eum faciémus.

Qui non díligit me, sermónes meos non servat. Et sermo quem audítis non est meus, sed eius qui misit me, Patris.

Hæc locútus sum vobis apud vos manens. Paráclitus autem Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in Nómine meo, ille vos docébit ómnia, et súggeret vobis ómnia quæ dixi vobis.

Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis; non quómodo mundus dat, ego do vobis. Non turbétur cor vestrum neque formídet.

Audístis quia ego dixi vobis: " Vado et vénio ad vos ". Si diligerétis me, gauderétis, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis priúsquam fiat, ut, cum factum fúerit, credátis ».

Verbum Dómini.

4

Alleluia Io 14, 27

℟. Allelúia. ℣. Pacem relínquo vobis, dicit Dóminus,
pacem meam do vobis. ℟. Allelúia.

Pax vobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
20, 19-23

Cum esset sero die illo, prima sabbatórum, et fores essent clausæ, ubi erant discípuli propter metum Iudæórum, venit Iesus et stetit in médio, et dicit eis: « Pax vobis ». Et cum hoc dixísset, osténdit eis manus et latus. Gavísi sunt ergo discípuli, viso Dómino.

Dixit ergo eis íterum: « Pax vobis; sicut misit me Pater, et ego mitto vos ».

Et cum hoc dixísset, insufflávit et dicit eis: « Accípite Spíritum Sanctum: quorum remiséritis peccáta, remíssa sunt eis; quorum retinuéritis, reténta sunt ».

Verbum Dómini.

22 bis. PRO RECONCILIATIONE

Quæ in hac Missa inter parentheses inscribuntur, occasione peculiaris temporis pænitentialis dicuntur.

Ant. ad introitum

Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus.
De quacúmque tribulatióne clamáverint ad me,
exáudiam eos, et ero illórum Dóminus in perpétuum.

Collecta

Deus cleméntiæ et reconciliatiónis,
qui præcípuos dies salútis homínibus præbes
ad te ómnium Creatórem et Patrem agnoscéndum,
(per hoc acceptábile tempus) propítius nos ádiuva,
ut, libénter verbum pacis a te accipiéntes,
ómnia in Christo instaurándi
tuæ deserviámus voluntáti.
Per Dóminum.

Vel, præsertim tempore paschali:

Deus, veræ libertátis auctor,
qui omnes hómines unum vis efformáre pópulum
a servitúte solútum,
(quique grátiæ et benedictiónis tempus nobis præbes,)
concéde, quǽsumus,
ut, increménta libertátis accípiens,
universále salútis sacraméntum
in mundum Ecclésia tua vivídius appáreat
atque in hómines
caritátis maniféstet et operétur mystérium.
Per Dóminum.

Lectio prima

Quærite Dominum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 55, 1-3 c. 6-9

Hæc dicit Dóminus:

« Omnes sitiéntes, veníte ad aquas, et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite; veníte, émite absque argénto et absque ulla commutatióne vinum et lac.

Quare appénditis argéntum non in pánibus, et labórem vestrum non in saturitáte? Audíte, audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra.

Inclináte aurem vestram et veníte ad me; audíte, et vivet ánima vestra; et fériam vobíscum pactum sempitérnum.

Quǽrite Dóminum dum inveníri potest, invocáte eum dum prope est.

Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur

eius, et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscéndum.

Non enim cogitatiónes meæ cogitatiónes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dóminus.

Quia, sicut exaltántur cæli a terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitatiónes meæ a cogitatiónibus vestris ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 50, 3-4. 12-13. 14-15 (℟.: 12 a)

℟. Cor mundum crea in me, Deus.

3 Miserére mei, Deus, secúndum misericórdiam tuam;
et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum
dele iniquitátem meam.
4 Amplius lava me ab iniquitáte mea,
et a peccáto meo munda me. ℟.

12 Cor mundum crea in me, Deus,
et spíritum firmum ínnova in viscéribus meis.
13 Ne proícias me a fácie tua,
et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℟.

14 Redde mihi lætítiam salutáris tui,
et spíritu promptíssimo confírma me.
15 Docébo iníquos vias tuas,
et ímpii ad te converténtur. ℟.

Lectio secunda

Reconciliamini Deo.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 5, 17-21 — 6, 1-2

Fratres:

Si quis est in Christo, nova creatúra; vétera transiérunt, ecce, facta sunt nova.

Omnia autem ex Deo qui reconciliávit nos sibi per Christum et dedit nobis ministérium reconciliatiónis, quóniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis.

Pro Christo ergo legatióne fúngimur tamquam Deo exhortánte per nos: obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo. Eum qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit, ut nos efficerémur iustítia Dei in ipso.

Adiuvántes autem, et exhortámur ne in vácuum grátiam Dei recipiátis: ait enim: « Témpore accépto exaudívi te et in die salútis adiúvi te ». Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. — Verbum Dómini.

Alleluia Mt 5, 9

℟. Allelúia. ℣. Beáti pacífici,
quóniam fílii Dei vocabúntur. ℟. Allelúia.

Evangelium

Prædicare annum Domini acceptum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 4, 14-21

In illo témpore:

Regréssus est Iesus in virtúte Spíritus in Galilǽam. Et fama éxiit per univérsam regiónem de illo. Et ipse docébat in synagógis eórum, et magnificabátur ab ómnibus.

Et venit Názareth, ubi erat nutrítus; et intrávit secúndum consuetúdinem suam die sábbati in synagógam, et surréxit légere. Et tráditus est illi liber prophétæ Isaíæ.

Et, ut revólvit librum, invénit locum, ubi scriptum erat: « Spíritus Dómini super me; propter quod unxit

me evangelizáre paupéribus, misit me prædicáre annum Dómini accéptum.

Et, cum plicuísset librum, réddidit minístro et sedit. Et ómnium in synagóga óculi erant intendéntes in eum.

Cœpit autem dícere ad illos: « Hódie impléta est hæc Scriptúra in áuribus vestris ». — Verbum Dómini.

Vel: Mt 5, 1-12 a: « Gaudete et exsultate », p. 1496.

Super oblata

Memoráre, Dómine, Fílium tuum,
qui est pax et reconciliátio nostra,
mundi peccátum suo sánguine delevísse,
et múnera Ecclésiæ tuæ propítius aspíciens,
da ut, (grátiam huius témporis cum lætítia celebrántes,)
libertátem Christi ad omnes possímus exténdere.
Qui vivit.

Præfatio I de dominicis per annum, p. 752, vel præfatio communis I, p. 773.

Ant. ad communionem Mt 11, 28

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis,
et ego refíciam vos, dicit Dóminus.

Vel: Io 16, 24

Pétite et accipiétis,
ut gáudium vestrum sit plenum, dicit Dóminus.

Post communionem

Sacraméntum Fílii tui, quod súmpsimus,
quǽsumus, Dómine, vires nostras adáugeat,
ut, ex hoc unitátis mystério,
válidum hauriámus amórem
et ubíque tuæ pacis operatóres efficiámur.
Per Christum.

23. TEMPORE BELLI VEL EVERSIONIS

Ant. ad introitum Ier 29, 11. 12. 14

Dicit Dóminus:
Ego cógito cogitatiónes pacis et non afflictiónis;
invocábitis me, et ego exáudiam vos,
et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis.

Vel: Ps 17, 5-7

Circumdedérunt me gémitus mortis,
dolóres inférni circumdedérunt me;
et in tribulatióne mea invocávi Dóminum,
et exaudívit de templo sancto suo vocem meam.

Collecta

Deus mísericors et fortis,
qui bella cónteris deprimísque supérbos,
immanitátes a nobis et lácrimas
dignáre festinánter arcére,
ut omnes in veritáte tui nominári fílii mereámur.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, auctor pacis et amátor,
quem nosse vívere, cui servíre regnáre est,
prótege ab ómnibus impugnatiónibus súpplices tuos,
ut, qui in defensióne tua confídimus,
nullíus hostilitátis arma timeámus.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1521-1528.

Super oblata

Memoráre, Dómine, Fílium tuum, qui est ipse pax,
ódia nostra suo Sánguine peremísse,

et, mala nostra propitiátus aspíciens,
da, ut homínibus quos díligis
pacem hæc hóstia cum tranquillitáte restítuat.
Per Christum.

Ant. ad communionem Io 14, 27

Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis,
dicit Dóminus;
non quómodo mundus dat, ego do vobis.
Non turbétur cor vestrum neque formídet.

Post communionem

Uno pane, qui cor hóminis confírmat, suáviter satiátis,
da nobis, Dómine, et belli furóres superáre felíciter,
et tuam amóris ac iustítiæ legem fírmiter custodíre.
Per Christum.

Lectio prima

1

Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum.

Léctio libri Génesis 4, 3-10

In diébus illis:

Factum est ut offérret Cain de frúctibus terræ múnera Dómino; Abel quoque óbtulit de primogénitis gregis sui et de adípibus eórum. Et respéxit Dóminus ad Abel et ad múnera eius; ad Cain vero et ad múnera illíus non respéxit; iratúsque est Cain veheménter, et cóncidit vultus eius.

Dixítque Dóminus ad eum: « Quare irátus es? et cur cóncidit fácies tua? Nonne, si bene égeris, recípies; sin autem male, statim in fóribus peccátum áderit? Sed sub te erit appetítus eius, et tu domináberis illíus ».

Dixítque Cain ad Abel fratrem suum: « Egrediámur foras ». Cumque essent in agro, consurréxit Cain advérsus fratrem suum Abel, et interfécit eum.

Et ait Dóminus ad Cain: « Ubi est Abel, frater tuus? »

Qui respóndit: « Néscio: num custos fratris mei sum ego? »

Dixítque ad eum: « Quid fecísti? Vox sánguinis fratris tui clamat ad me de terra ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 71, 2. 3-4 ab. 7-8. 12-13. 17 (℟.: 7)

℟. Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis.

2 Iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

3 Afferant montes pacem pópulo,
et colles iustítiam.
4 Iudicábit páuperes pópuli,
et salvos fáciet fílios ínopis. ℟.

7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.
8 Et dominábitur a mari usque ad mare,
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

12 Quia liberábit ínopem clamántem
et páuperem cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi,
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

17 Sit nomen eius benedíctum in sǽcula,
ante solem permanébit nomen eius.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificábunt eum. ℟.

2

Non discent ultra belligerare.

Léctio libri Michǽæ prophétæ 4, 1-4

In novíssimo diérum erit mons domus Dómini præparátus in vértice móntium, et sublímis super colles; et fluent ad eum pópuli.

Et properábunt gentes multæ et dicent: « Veníte, ascendámus ad montem Dómini et ad domum Dei Iacob, et docébit nos de viis suis, et íbimus in sémitis eius; quia de Sion egrediétur lex, et verbum Dómini de Ierúsalem.

Et iudicábit inter pópulos multos, et corrípiet gentes fortes usque in longínquum, et concídent gládios suos in vómeres et hastas suas in ligónes; non sumet gens advérsus gentem gládium et non discent ultra belligeráre.

Et sedébit vir subtus vitem suam et subtus ficum suam, et non erit qui detérreat, quia os Dómini exercítuum locútum est ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 71, 2. 3-4 ab. 7-8. 12-13. 17 (℟.: 7)

℟. Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis.

2 Iúdicet pópulum tuum in iustítia,
et páuperes tuos in iudício. ℟.

3 Afferant montes pacem pópulo,
et colles iustítiam.
4 Iudicábit páuperes pópuli,
et salvos fáciet fílios ínopis. ℟.

7 Florébit in diébus eius iustítia et abundántia pacis,
donec auferátur luna.

8 Et dominábitur a mari usque ad mare,
et a Flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℟.

12 Quia liberábit ínopem clamántem
et páuperem cui non erat adiútor.
13 Parcet páuperi et ínopi,
et ánimas páuperum salvas fáciet. ℟.

17 Sit nomen eius benedíctum in sǽcula,
ante solem permanébit nomen eius.
Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificábunt eum. ℟.

3

Dissipabitur arcus belli.

Léctio libri Zacharíæ prophétæ 9, 9-10

Hæc dicit Dóminus: « Exsúlta satis, fília Sion, iúbila, fília Ierúsalem: ecce Rex tuus véniet tibi iustus et salvátor; ipse pauper, et ascéndens super ásinam et super pullum fílium ásinæ.

Et dispérdam quadrígam ex Ephraim et equum de Ierúsalem; et dissipábitur arcus belli, et loquétur pacem géntibus, et potéstas eius a mari usque ad mare, et a flumínibus usque ad fines terræ ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 84, 9 ab-10. 11-12. 13-14 (℟.: cf. 9)

℟. Lóquitur pacem Dóminus ad plebem suam.

9 Audiam quid loquátur Dóminus Deus,
quóniam loquétur pacem ad plebem suam et sanctos suos.
10 Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus,
ut inhábitet glória in terra nostra. ℟.

11 Misericórdia et véritas obviavérunt sibi,
iustítia et pax osculátæ sunt.
12 Véritas de terra orta est,
et iustítia de cælo prospéxit. ℟.
13 Etenim Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.
14 Iustítia ante eum ambulábit,
et ponet in via gressus suos. ℟.

Lectio secunda

1

*Opera carnis sunt inimicitiæ,
iræ, rixæ, dissensiones.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas
5, 17-26

Fratres:

Caro concupíscit advérsus spíritum, spíritus autem advérsus carnem: hæc enim ínvicem adversántur, ut non quæcúmque vultis illa faciátis. Quod si Spíritu ducímini, non estis sub Lege.

Maniféfsta autem sunt ópera carnis, quæ sunt fornicátio, immundítia, luxúria, idolórum sérvitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, dissensiónes, sectæ, invídiæ, ebrietátes, comessatiónes et his simília. Quæ prædíco vobis, sicut prædíxi, quóniam qui tália agunt Regnum Dei non consequéntur.

Fructus autem Spíritus est cáritas, gáudium, pax, longanímitas, benígnitas, bónitas, fides, mansuetúdo, continéntia. Advérsus huiúsmodi non est Lex. Qui autem sunt Christi Iesu, carnem suam crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis.

Si vívimus Spíritu, Spíritu et ambulémus. Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes. — Verbum Dómini.

2

Omnis amaritudo et ira et indignatio tollatur a vobis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 4, 30 — 5, 2

Fratres:

Nolíte contristáre Spíritum Sanctum Dei, in quo signáti estis in diem redemptiónis.

Omnis amaritúdo et ira et indignátio et clamor et blasphémia tollátur a vobis cum omni malítia. Estóte autem ínvicem benígni, misericórdes, donántes ínvicem, sicut et Deus in Christo donávit vobis.

Estóte ergo imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi, et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos et trádidit se ipsum pro nobis oblatiónem et hóstiam in odórem suavitátis. — Verbum Dómini.

3

Litigatis et belligeratis.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 4, 1-10

Caríssimi:

Unde bella et unde lites in vobis? Nonne hinc, ex concupiscéntiis vestris, quæ mílitant in membris vestris? Concupíscitis et non habétis, occíditis et zelátis et non potéstis adipísci, litigátis et belligerátis. Non habétis, propter quod non postulátis. Pétitis et non accípitis, eo

quod male pétitis, ut in concupiscéntiis vestris insumátis.

Adúlteri, nescítis quia amicítia huius mundi inimíca est Dei? Quicúmque ergo volúerit amícus esse sæculi huius, inimícus Dei constitúitur.

Aut putátis quia inániter Scriptúra dicat: « Ad invídiam concupíscit Spíritus, qui inhábitat in nobis? »

Maiórem autem dat grátiam; propter quod dicit: « Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam ».

Subicímini ígitur Deo; resístite autem diábolo, et fúgiet a vobis; appropiáte Deo, et appropinquábit vobis. Emundáte manus, peccatóres; et purificáte corda, dúplices ánimo. Míseri estóte et lugéte et ploráte; risus vester in luctum convertátur, et gáudium in mærórem.

Humiliámini in conspéctu Dómini, et exaltábit vos.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia — Mt 5, 9

℟. Allelúia. ℣. Beáti pacífici,
quóniam fílii Dei vocabúntur. ℟. Allelúia.

Omnis, qui irascitur fratri suo,
reus erit iudicio.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum — 5, 20-24

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Dico vobis: Nisi abundáverit iustítia vestra plus quam scribárum et pharisæórum, non intrábitis in Regnum cælórum.

Audístis quia dictum est antíquis: " Non occídes "; qui autem occíderit, reus erit iudício.

Ego autem dico vobis: Omnis, qui iráscitur fratri suo, reus erit iudício; qui autem díxerit fratri suo: " Racha ", reus erit concílio; qui autem díxerit: " Fátue ", reus erit gehénnæ ignis.

Si ergo offers munus tuum ad altáre, et ibi recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid advérsum te, relínque ibi munus tuum ante altáre, et vade prius, reconciliáre fratri tuo, et tunc véniens offer munus tuum ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia — Io 13, 34

℟. Allelúia. ℣. Mandátum novum do vobis,
dicit Dóminus:
ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos.
℟. Allelúia.

Ut diligatis invicem sicut dilexi vos.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem — 15, 9-12

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea; sicut ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos ». — Verbum Dómini.

III. IN VARIIS CIRCUMSTANTIIS PUBLICIS

24. INITIO ANNI CIVILIS

Hæc Missa dici nequit in sollemnitate sanctæ Dei Genetricis Mariæ, die 1 ianuarii.

Ant. ad introitum — Ps 64, 12

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ,
et campi tui replebúntur ubertáte.

Vel: — Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, dicit Dóminus, usque ad consummatiónem sǽculi, allelúia.

Collecta

Deus, qui, sine inítio et sine fine,
totíus es princípium creatúræ,
da nobis ita hunc annum,
cuius inítia tibi dedicámus, transígere,
ut et substántiis abundémus,
et sanctitátis opéribus fulgeámus. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1530-1534.

Super oblata

Sacrifícia quæ tibi offérimus
ita tuis óculis, Dómine, sint accépta,
ut omnes, qui inítia huius anni
cum lætítia celebrámus,
réliquum excúrsum eius
in tua mereámur transígere caritáte. Per Christum.

Ant. ad communionem — Hebr 13, 8

Iesus Christus heri et hódie, ipse et in sǽcula.

Post communionem

Adésto, Dómine, pópulis, qui sacra mystéria contigérunt, ut in toto decúrsu huius anni nullis perículis affligántur, qui in tua semper protectióne confídunt.
Per Christum.

Lectio prima

1

Sint luminaria in signa et tempora et dies et annos.

Léctio libri Génesis 1, 14-18

Dixit Deus: « Fiant luminária in firmaménto cæli, et dívidant diem ac noctem, et sint in signa et témpora et dies et annos, ut lúceant in firmaménto cæli et illúminent terram ». Et factum est ita.

Fecítque Deus duo luminária magna: lumináre maius, ut præésset diéi, et lumináre minus, ut præésset nocti, et stellas. Et pósuit eas in firmaménto cæli, ut lucérent super terram, et præéssent diéi ac nocti, et divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quod esset bonum.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 8, 4-5. 6-7 a. 7 b-9 (℟.: 2 a)

℟. Dómine, Dóminus noster,
quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

4 Quando vídeo cælos tuos, ópera digitórum tuórum,
lunam et stellas quæ tu fundásti:
5 quid est homo, quod memor es eius?
aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? ℟.

6 Minuísti eum paulo minus ab ángelis,
glória et honóre coronásti eum;
7 et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. ℟.

Omnia subiecísti sub pédibus eius,
8 oves et boves univérsas,
ínsuper et pécora campi,
9 vólucres cæli et pisces maris,
quæcúmque perámbulant sémitas maris, ℟.

2

Invocabunt nomen meum super filios Israel,
et ego benedicam eis.

Léctio libri Número 6, 22-27

In diébus illis:

Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: « Lóquere Aaron et fíliis eius: sic benedicétis fíliis Israel et dicétis eis: " Benedícat tibi Dóminus et custódiat te; osténdat Dóminus fáciem suam tibi, et misereátur tui. Convértat Dóminus vultum suum ad te et det tibi pacem ".

Invocabúntque nomen meum super fílios Israel, et ego benedícam eis ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 89, 2. 3-4. 5-6. 12-13. 14 et 16 (℟.: 17 c)

℟. Opus mánuum nostrárum confírma, Dómine.

2 Priúsquam montes nasceréntur
aut gignerétur terra et orbis,
a sǽculo et usque in sǽculum tu es Deus. ℟.

3 Redúcis hóminem in púlverem;
et dixísti: « Revertímini, fílii hóminum ».

4 Quóniam mille anni ante óculos tuos
tamquam dies hestérna quæ prætériit,
et custódia in nocte. ℟.

5 Perfúndis eos somno,
erunt mane sicut herba succréscens:
6 mane floret et crescit,
véspere décidit et aréscit. ℟.

12 Dinumeráre dies nostros sic doce nos,
ut inducámus cor ad sapiéntiam.
13 Convértere, Dómine, úsquequo?
Et deprecábilis esto super servos tuos. ℟.

14 Reple nos mane misericórdia tua,
et exsultábimus et delectábimur
ómnibus diébus nostris.
16 Appáreat servis tuis opus tuum,
et decor tuus fíliis eórum. ℟.

Lectio secunda

1

Præterit figura huius mundi.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 7, 29-31

Hoc dico, fratres: Tempus breviátum est: réliquum est ut et qui habent uxóres tamquam non habéntes sint, et qui flent tamquam non flentes, et qui gaudent tamquam non gaudéntes, et qui emunt tamquam non possidéntes, et qui utúntur hoc mundo tamquam non abuténtes; præterit enim figúra huius mundi.

Verbum Dómini.

2

Ignoratis quæ erit in crastinum vita vestra.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 4, 13 b-15

Caríssimi:

Ecce nunc qui dícitis: « Hódie aut crástino íbimus in illam civitátem, et faciémus quidem ibi annum, et mercábimur et lucrum faciémus »: qui ignorátis quæ erit in crástinum vita vestra. Vapor enim estis ad módicum parens, deínceps exterminátur; pro eo ut dicátis: « Si Dóminus volúerit, et vivémus et faciémus hoc aut illud ». — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia 1 Chr 29, 10. 11 b

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es,
Dómine Deus Israel patris nostri;
cuncta quæ in cælo sunt et in terra tua sunt.
℟. Allelúia.

Nolite esse solliciti in crastinum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 6, 31-34

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Nolíte sollíciti esse, dicéntes: " Quid manducábimus? aut: Quid bibémus? aut: Quo operiémur? " Hæc enim ómnia gentes inquírunt; scit enim Pater vester cæléstis quia his ómnibus indigétis.

Quǽrite autem primum Regnum Dei et iustítiam eius, et hæc ómnia adiciéntur vobis.

Nolíte ergo esse sollíciti in crástinum; crástinus enim dies sollícitus erit sibi ipse; súfficit diéi malítia sua ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Per síngulos dies benedícimus te,
et laudámus nomen tuum in sǽculum.
℟. Allelúia.

Et vos estote parati.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 12, 35-40

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sint lumbi vestri præcíncti et lucérnæ ardéntes; et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei.

Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes. Amen dico vobis, quod præcínget se et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt illi.

Hoc autem scitóte quia, si sciret paterfamílias qua hora fur veníret, non síneret perfodíri domum suam.

Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis venit ».

Verbum Dómini.

25. PRO HUMANO LABORE SANCTIFICANDO

A

Ant. ad introitum Gen 1, 1. 27. 31

In princípio creávit Deus cælum et terram.
Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam.
Vidítque Deus cuncta quæ fécerat, et erant valde bona.

Vel: Ps 89, 17

Bónitas tua, Dómine, sit super nos,
et opus mánuum nostrárum secúnda nobis.

Collecta

Rerum cónditor Deus,
qui hóminem iussísti labóris offícia sustinére,
da, ut opus quod incípimus
huius vitæ prosit increméntis,
et regno Christi dilatándo tua benignitáte profíciat.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui humáno labóre
imménsum creatiónis opus
iúgiter pérficis atque gubérnas,
exáudi preces pópuli supplicántis, et præsta,
ut omnes hómines digno potiántur labóre,
quo, suam condiciónem honestántes,
árctius coniúncti frátribus suis váleant inservíre.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1537-1541.

Super oblata

Deus, qui humánum genus præséntium múnerum
et aliménto végetas et rénovas sacraménto,
tríbue, quǽsumus,

ut eórum et corpóribus nostris subsídium non desit
et méntibus. Per Christum.

Præfatio V de dominicis per annum, p. 756.

Ant. ad communionem Col 3, 17

Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere,
ómnia in nómine Dómini Iesu Christi,
grátias agéntes Deo et Patri per ipsum.

Post communionem

Unitátis et caritátis mensæ partícipes effécti,
rogámus, Dómine, cleméntiam tuam,
ut, per ópera quæ nobis impléndа commisísti,
et vitam sustentémus terrénam,
et regnum tuum ædificémus fidéntes. Per Christum.

B

Aliæ orationes

Collecta

Deus, qui naturálium rerum virtútes
hóminum labóri súbdere voluísti, concéde propítius,
ut, opéribus nostris christiáno spíritu inténti,
sincéram caritátem cum frátribus exercére,
et creatióni divínæ perficiéndæ
sóciam óperam præstáre mereámur. Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera supplicántis Ecclésiæ,
et præsta, ut, per humánum quem tibi offérimus labórem,
óperi Christi redemptóris consociári mereámur.
Per Christum.

Post communionem

Gubérna, quǽsumus, Dómine, temporálibus adiuméntis
quos dignáris ætérnis recreáre mystériis. Per Christum.

Lectio prima

1

Replete terram et subicite eam.

Léctio libri Génesis 1, 26 — 2, 3

Ait Deus: « Faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram; et præsit píscibus maris et volatílibus cæli, et béstiis universǽque terræ, omníque réptili, quod movétur in terra ».

Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam; ad imáginem Dei creávit illum; másculum et féminam creávit eos.

Benedixítque illis Deus, et ait: « Créscite et multiplicámini et repléte terram et subícite eam, et dominámini píscibus maris et volatílibus cæli et univérsis animántibus, quæ movéntur super terram ».

Dixítque Deus: « Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem semen super terram, et univérsa ligna, quæ habent in semetípsis seméntem géneris sui, ut sint vobis in escam et cunctis animántibus terræ, omníque vólucri cæli, et univérsis, quæ movéntur in terra, et in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescéndum ».

Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat, et erant valde bona. Et factum est véspere et mane, dies sextus.

Igitur perfécti sunt cæli et terra, et omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus suum, quod fécerat, et requiévit die séptimo ab univérso ópere quod patrárat. Et benedíxit diéi séptimo et sanctificávit illum, quia in ipso cessáverat ab omni ópere suo, quod creávit Deus ut fáceret. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 89, 2. 3-4. 12-13. 14 et 16 (℟.: 17 c)

℟. Opus mánuum nostrárum confírma, Dómine.

2 Priúsquam montes nasceréntur
aut gignerétur terra et orbis,
a sǽculo et usque in sǽculum tu es Deus. ℟.

3 Redúcis hóminem in púlverem;
et dixísti: « Revertímini, fílii hóminum ».
4 Quóniam mille anni ante óculos tuos
tamquam dies hestérna quæ prætériit,
et custódia in nocte. ℟.

12 Dinumeráre dies nostros sic doce nos,
ut inducámus cor ad sapiéntiam.
13 Convértere, Dómine, úsquequo?
Et deprecábilis esto super servos tuos. ℟.

14 Reple nos mane misericórdia tua,
et exsultábimus et delectábimur ómnibus diébus nostris.
16 Appáreat servis tuis opus tuum,
et decor tuus fíliis eórum. ℟.

2

Posuit Dominus hominem in paradiso,
ut operaretur.

Léctio libri Génesis 2, 4 b-9. 15

In die quo fecit Dóminus Deus cælum et terram, et omne virgúltum agri ántequam orirétur in terra, omnémque herbam regiónis priúsquam germináret; non enim plúerat Dóminus Deus super terram, et homo non erat, qui operarétur terram; sed fons ascendébat e terra írrigans univérsam superfíciem terræ.

Formávit ígitur Dóminus Deus hóminem de limo

terræ, et inspirávit in fáciem eius spiráculum vitæ, et factus est homo in ánimam vivéntem.

Plantáverat autem Dóminus Deus paradísum voluptátis a princípio, in quo pósuit hóminem quem formáverat. Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescéndum suáve; lignum étiam vitæ in médio paradísi, lignúmque sciéntiæ boni et mali.

Tulit ergo Dóminus Deus hóminem, et pósuit eum in paradíso voluptátis, ut operarétur et custodíret illum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 126, 1. 2. (℟.: cf. 1)

℟. Dóminus ædíficet nobis domum et custódiat civitátem.

1 Nisi Dóminus ædificáverit domum,
in vanum labórant qui ædíficant eam.
Nisi Dóminus custodíerit civitátem,
frustra vígilat qui custódit eam. ℟.

2 Vanum est vobis ante lucem súrgere,
et sero quiéscere, et manducáre panem labóris.
Verúmtamen dabit ipse diléctis suis duplícia. ℟.

Lectio secunda

Si quis non vult operari, nec manducet.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Thessalonicénses — 3, 6-12. 16

Præcípimus vobis, fratres, in Nómine Dómini nostri Iesu Christi, ut subtrahátis vos ab omni fratre ambulánte inordináte, et non secúndum traditiónem, quam accepérunt a nobis.

Ipsi enim scitis quemádmodum opórteat imitári nos, quóniam non inordináti fúimus inter vos, neque gratis

panem manducávimus ab áliquo sed in labóre et fatigatióne nocte et die operántes, ne quem vestrum gravarémus. Non quasi non habuérimus potestátem, sed ut nosmetípsos formam darémus vobis ad imitándum nos.

Nam et cum essémus apud vos, hoc præcipiebámus vobis: si quis non vult operári, nec mandúcet. Audívimus enim inter vos quosdam ambuláre inordináte, nihil operántes, sed curióse agéntes.

His autem, qui eiúsmodi sunt, præcípimus et obsecrámus in Dómino Iesu Christo, ut cum quiéte operántes suum panem mandúcent.

Ipse autem Dóminus pacis det vobis pacem sempitérnam in omni modo. Dóminus cum ómnibus vobis. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia — Ps 67, 20

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus Dóminus die cotídie; portábit nos Deus salutárium nostrórum. ℟. Allelúia.

Nolite esse solliciti in crastinum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
6, 31-34

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Nolíte sollíciti esse, dicéntes: " Quid manducábimus? aut: Quid bibémus? aut: Quo operiémur? " Hæc enim ómnia gentes inquírunt; scit enim Pater vester cæléstis quia his ómnibus indigétis.

Quǽrite autem primum Regnum Dei et iustítiam eius, et hæc ómnia adiciéntur vobis.

Nolíte ergo esse sollíciti in crástinum; crástinus enim dies sollícitus erit sibi ipse; súfficit diéi malítia sua ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Mt 11, 28

℟. Allelúia. ℣. Veníte ad me,
omnes qui laborátis et oneráti estis,
et ego refíciam vos, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Super pauca fuisti fidelis,
intra in gaudium domini tui.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 25, 14-30

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: « Homo péregre proficíscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est.

Statim abiit qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque; simíliter qui duo accéperat, lucrátus est ália duo; qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terra, et abscóndit pecúniam dómini sui.

Post multum vero témporis, venit dóminus servórum illórum et ponit ratiónem cum eis.

Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: « Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum ».

Ait illi dóminus eius: « Euge, serve bone et fidélis, super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui ».

Accéssit autem et qui duo talénta accéperat et ait: « Dómine, duo talénta tradidísti mihi: ecce ália duo lucrátus sum ».

Ait illi dóminus eius: « Euge, serve bone et fidélis, super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui ».

Accédens autem et qui unum taléntum accéperat ait: « Dómine, novi te quia homo durus es: metis ubi non seminásti, et cóngregas ubi non sparsísti; et timens ábii, et abscóndi taléntum tuum in terra: ecce habes quod tuum est ».

Respóndens autem dóminus eius dixit ei: « Serve male et piger, sciébas quia meto ubi non seminávi, et cóngrego ubi non sparsi; opórtuit ergo te míttere pecúniam meam nummuláriis, et véniens ego recepíssem quod meum est cum usúra.

Tóllite ítaque ab eo taléntum, et date ei qui habet decem talénta; omni enim habénti dábitur, et abundábit; ei autem qui non habet, et quod habet auferétur ab eo.

Et inútilem servum eícite in ténebras exterióres: illic erit fletus et stridor déntium ». — Verbum Dómini.

26. IN CONSERENDIS AGRIS

A

Ant. ad introitum — Ps 89, 17

Bónitas tua, Dómine, sit super nos,
et opus mánuum nostrárum secúnda nobis.

Collecta

Deus, quo iuvánte,
sémina terræ mandámus, tua multiplicánda virtúte,
concéde, ut, quæ nostris scimus deésse labóribus,
per te, qui das solus increméntum, suppleántur abúnde.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1544-1547.

Super oblata

Deus, qui verus es corporálium auctor frúctuum
et spiritálium summus agrícola,
da, quǽsumus, labórum proféctus nostrórum,
ut fructus terræ abundánter capiámus,
et, quæ ab una providéntia sumunt princípium,
ad tuam glóriam semper cooperéntur. Per Christum.

Præfatio V de dominicis per annum, p. 756.

Ant. ad communionem Ps 84, 13

Dóminus dabit benignitátem,
et terra nostra dabit fructum suum.

Post communionem

Qui tuis nos, Dómine, réficis sacraméntis,
mánuum nostrárum adésto labóribus,
ut, qui in te vívimus, movémur et sumus,
terræ semínibus benedictióne concéssa
de segétibus multiplicátis nutriámur. Per Christum.

B

Aliæ orationes

Collecta

Benedictiónem tuam, Dómine Deus,
super pópulum tuum propitiátus infúnde,

quátenus, dante te benignitátem,
terra nostra próferat fructus suos,
quibus ad honórem sancti tui nóminis
grata semper mente fruámur.
Per Dóminum.

Super oblata

Nostris, Dómine, adésto munéribus,
ut, qui de granis fruménti
deférimus tibi panem in tui Corpus Fílii transmutándum
sémini terræ committéndo
per te concéssa benedictióne lætémur.
Per Christum.

Post communionem

Concéde fidélibus tuis, omnípotens Deus,
cóngruam terræ frúctuum largitátem,
quibus temporáliter enutríti,
spiritálibus quoque profíciant increméntis,
ut, quorum in hoc sacraménto pignus accepérunt,
bona consequántur ætérna. Per Christum.

Lectio prima

Protulit terra herbam virentem et facientem semen iuxta genus suum.

Léctio libri Génesis 1, 11-12

Ait Deus: « Gérminet terra herbam viréntem et faciéntem semen, et lignum pomíferum fáciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetípso sit super terram ». Et factum est ita.

Et prótulit terra herbam viréntem et faciéntem semen iuxta genus suum, lignúmque fáciens fructum,

et habens unumquódque seméntem, secúndum spéciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 103, 1-2 a. 14-15. 24. 27-28 (℟.: 24 c)

℟. Impléta est terra creatúra tua, Dómine.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino:
Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.
Confessiónem et decórem induísti,
2 amíctus lúmine sicut vestiménto. ℟.

14 Prodúcis fenum iuméntis,
et herbam serviéntibus hómini.
Edúcens panem de terra,
15 et vinum quod lætíficat cor hóminis.
Exhílarans fáciem in óleo,
panis autem cor hóminis confírmat. ℟.

24 Quam multiplicáta sunt ópera tua, Dómine:
ómnia in sapiéntia fecísti,
impléta est terra creatúra tua. ℟.

27 Omnia a te exspéctant
ut des illis escam in témpore suo.
28 Dante te illis, cólligent,
aperiénte te manum tuam, implebúntur bonis. ℟.

Lectio secunda

Deus panem ad manducandum præstabit.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 9, 8-11

Fratres:
Potens est Deus omnem grátiam abundáre fácere in

vobis, ut, in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est: « Dispérsit, dedit paupéribus, iustítia eius manet in ætérnum ».

Qui autem administrat semen semenánti, et panem ad manducándum præstábit et multiplicábit semen vestrum et augébit increménta frugum iustítiæ vestræ. In ómnibus locupletáti in omnem simplicitátem, quæ operátur per nos gratiárum actiónem Deo.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Ps 125, 5

℟. Allelúia. ℣. Qui séminant in lácrimis
in exsultatióne metent. ℟. Allelúia.

Exiit qui seminat seminare.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
13, 1-9

In illo die, éxiens Iesus de domo sedébat secus mare. Et congregátæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in navículam ascéndens sedéret, et omnis turba stabat in lítore.

Et locútus est eis multa in parábolis, dicens: « Ecce éxiit qui séminat semináre. Et dum séminat, quædam cecidérunt secus viam, et venérunt vólucres et comedérunt ea. Alia autem cecidérunt in petrósa, ubi non habébant terram multam, et contínuo exórta sunt, quia non habébant altitúdinem terræ; sole autem orto, æstuavérunt et, quia non habébant radícem, aruérunt. Alia autem cecidérunt in spinas, et crevérunt spinæ et suffocavérunt ea.

Alia vero cecidérunt in terram bonam, et dabant fructum: áliud centésimum, áliud sexagésimum, áliud trigésimum.

Qui habet aures áudiat ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia 2 Cor 9, 6

℟. Allelúia. ℣. Qui parce séminat, parce et metet;
et qui séminat in benedictiónibus,
de benedictiónibus et metet. ℟. Allelúia.

Homo iacit sementem et dormit, et semen increscit, dum nescit ille.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 4, 26-29

In illo témpore:

Dicébat Iesus turbis: « Sic est Regnum Dei, quemádmodum si homo iáciat seméntem in terram et dórmiat et exsúrgat nocte ac die, et semen gérminet et incréscat, dum nescit ille. Ultro terra fructíficat: primum herbam, deínde spicam, deínde plenum fruméntum in spica.

Et, cum se prodúxerit fructus, statim " mittit falcem, quóniam adest messis " ». — Verbum Dómini.

27. POST COLLECTOS FRUCTUS TERRÆ

Ant. ad introitum Ps 66, 7-8

Terra dedit fructum suum:
benedícat nos Deus, Deus noster.

Collecta

Dómine, Pater bone,
qui terram hómini próvidus tradidísti,

concéde, ut frúctibus ex ea colléctis
vitam sustentáre possímus,
iisdémque ita semper utámur,
ut laudi tuæ et ómnium utilitáti,
te opitulánte, profíciant. Per Dóminum.

Vel:

Grátias tibi reférimus, Dómine,
pro frúctibus, quos in salútem hóminum terra prodúxit.
quátenus, sicut illos
summæ tuæ temperaméntum providéntiæ comparávit,
ita de terra cordis nostri
germen iustítiæ et fructus caritátis fácias exoríri.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1549-1553.

Super oblata

Sanctífica, Dómine, múnera,
quæ tibi de terra fructificánte
cum gratiárum actióne deférimus,
et, qui nobis terrenárum frugum tríbuis ubertátem,
fac mentes nostras cælésti fertilitáte fecúndas.
Per Christum.

Præfatio V de dominicis per annum, p. 756.

Ant. ad communionem — Ps 103, 13. 14. 15

De fructu óperum tuórum, Dómine, satiábitur terra,
ut edúcas panem de terra, et vinum lætíficet cor hóminis.

Post communionem

Da, quǽsumus, Dómine, ut de percéptis terræ frúctibus
hoc salutári mystério tibi grátias exhibéntes,
eódem operánte in nobis,
bona potióra cónsequi mereámur. Per Christum.

Lectio prima

1

Recorderis Domini Dei tui,
quod ipse vires tibi præbuerit.

Léctio libri Deuteronómii 8, 7-18

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo, dicens: « Dóminus Deus tuus introdúcet te in terram bonam, terram rivórum aquarúmque et fóntium, in cuius campis et móntibus erúmpunt fluviórum abýssi, terram fruménti, hórdei, ac vineárum, in qua ficus et malogranáta et olivéta nascúntur, terram ólei ac mellis, ubi absque ulla penúria cómedes panem tuum et rerum ómnium abundántia perfruéris; cuius lápides ferrum sunt et de móntibus eius æris metálla fodiúntur; ut, cum coméderis et satiátus fúeris, benedícas Dómino Deo tuo pro terra óptima, quam dedit tibi.

Obsérva et cave nequándo obliviscáris Dómini Dei tui et néglegas mandáta eius atque iudícia et cæremónias, quas ego præcípio tibi hódie.

Ne, postquam coméderis et satiátus fúeris, domos pulchras ædificáveris et habitáveris in eis, habuerísque arménta boum et óvium greges, argénti et auri cunctarúmque rerum cópiam, elevétur cor tuum, et non reminiscáris Dómini Dei tui, qui edúxit te de terra Ægýpti, de domo servitútis, et ductor tuus fuit in solitúdine magna atque terríbili, in qua erat serpens flatu adúrens et scórpio ac dipsas, et nullæ omníno aquæ, qui edúxit rivos de petra duríssima et cibávit te manna in solitúdine, quod nesciérunt patres tui.

Et postquam afflíxit ac probávit, ad extrémum misértus est tui, ne díceres in corde tuo: " Fortitúdo mea

et robur manus meæ hæc mihi ómnia præstitérunt ”; sed recordéris Dómini Dei tui, quod ipse vires tibi præbúerit, ut impléret pactum suum, super quo iurávit pátribus tuis, sicut præsens índicat dies ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 66, 2-3. 5. 7-8 (℟.: 7)

℟. Terra dedit fructum suum;
benedícat nos Deus, Deus noster.

2 Deus misereátur nostri et benedícat nobis,
illúminet vultum suum super nos.
3 Ut cognoscátur in terra via tua,
in ómnibus géntibus salutáre tuum. ℟.

5 Læténtur et exsúltent gentes,
quóniam iúdicas pópulos in æquitáte,
et gentes in terra dírigis. ℟.

7 Terra dedit fructum suum;
benedícat nos Deus, Deus noster;
8 benedícat nos Deus,
et métuant eum omnes fines terræ. ℟.

2

Implebuntur areæ frumento.

Léctio libri Ioélis prophétæ 2, 21-24. 26-27

Noli timére, terra; exsúlta et lætáre, quóniam magnificávit Dóminus ut fáceret. Nolíte timére, animália regiónis, quia germinavérunt speciósa desérti, quia lignum áttulit fructum suum, ficus et vínea dedérunt virtútem suam.

Et, fílii Sion, exsultáte et lætámini in Dómino Deo vestro, quia dedit vobis doctórem iustítiæ, et descéndere

fáciet ad vos imbrem matutínum et serótinum, sicut in princípio.

Et implebúntur áreæ fruménto, et redundábunt torculária vino et óleo. Et comedétis vescéntes et saturabímini; et laudábitis nomen Dómini Dei vestri, qui fecit mirabília vobíscum, et non confundétur pópulus meus in sempitérnum.

Et sciétis quia in médio Israel ego sum, et ego Dóminus Deus vester, et non est ámplius; et non confundétur pópulus meus in ætérnum. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 66, 2-3. 5. 7-8 (℟.: 4)

℟. Confiteántur tibi pópuli, Deus,
confiteántur tibi pópuli omnes.

2 Deus misereátur nostri et benedícat nobis,
illúminet vultum suum super nos.
3 Ut cognoscátur in terra via tua,
in ómnibus géntibus salutáre tuum. ℟.

5 Læténtur et exsúltent gentes,
quóniam iúdicas pópulos in æquitáte,
et gentes in terra dírigis. ℟.

7 Terra dedit fructum suum;
benedícat nos Deus, Deus noster;
8 benedícat nos Deus,
et métuant eum omnes fines terræ. ℟.

Lectio secunda

Divitibus præcipe non sperare in incerto divitiarum.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Timótheum 6, 6-11. 17-19

Caríssime:

Est quæstus magnus píetas cum sufficiéntia; nihil

enim intúlimus in mundum, quia nec auférre quid póssumus; habéntes autem aliménta et quibus tegámur, his conténti érimus.

Nam qui volunt dívites fíeri íncidunt in tentatiónem et láqueum et desidéria multa stulta et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas; quam quidam appeténtes erravérunt a fide, et inseruérunt se dolóribus multis.

Tu autem, o homo Dei, hæc fuge; sectáre vero iustítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem.

Divítibus huius sǽculi prǽcipe non supérbe sápere neque speráre in incérto divitiárum, sed in Deo qui præstat nobis ómnia abúnde ad fruéndum: bene ágere, dívites fíeri in opéribus bonis, fácile tribúere, communicáre, thesaurizáre sibi fundaméntum bonum in futúrum, ut apprehéndant veram vitam.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Ps 125, 5

℟. Allelúia. ℣. Qui séminant in lácrimis
in exsultatióne metent. ℟. Allelúia.

Si cui res abundant, vita eius non est ex his quæ possidet.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 12, 15-21

In illo témpore:

Dixit Iesus ad turbam: « Vidéte et cavéte ab omni avarítia; quia si cui res abúndant, vita eius non est ex his quæ póssidet ».

Dixit autem similitúdinem ad illos dicens: « Hóminis cuiúsdam dívitis úberes fructus ager áttulit, et cogitábat intra se dicens: " Quid fáciam, quod non hábeo quo cóngregem fructus meos? "

Et dixit: " Hoc fáciam: déstruam hórrea mea et maióra ædificábo, et illuc congregábo omne tríticum et bona mea ". Et dicam ánimæ meæ: " Anima, habes multa bona pósita in annos plúrimos: requiésce, cómede, bibe, epuláre ".

Dixit autem illi Deus: " Stulte, hac nocte ánimam tuam répetunt a te; quæ autem parásti, cuius erunt? "

Sic est qui sibi thesaurízat, et non fit in Deum dives ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Cf. Ps 64, 14

℟. Allelúia. ℣. Coronásti annum benignitáte tua, Deus:
valles abundábunt fruménto;
clamábunt, étenim hymnum dicent.
℟. Allelúia.

Cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens ei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 17, 11-19

In illo témpore:

Factum est, dum iret Iesus in Ierúsalem, et ipse transíbat per médiam Samaríam et Galilǽam.

Et, cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi, qui stetérunt a longe, et levavérunt vocem, dicéntes: « Iesu præcéptor, miserére nostri ».

Quos ut vidit, dixit: « Ite, osténdite vos sacerdótibus ». Et factum est, dum irent, mundáti sunt.

Unus autem ex illis, ut vidit quia sanátus est, regréssus est cum magna voce, magníficans Deum, et cécidit in fáciem ante pedes eius grátias agens ei. Et hic erat Samaritánus.

Respóndens autem Iesus dixit: « Nonne decem mundáti sunt? et novem ubi sunt? Non sunt invénti qui redírent ut darent glóriam Deo, nisi hic alienígena? »

Et ait illi: « Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit ». — Verbum Dómini.

Sumi possunt etiam lectiones de Missa Pro gratiis Deo reddendis, ut infra pp. 1604-1617.

28. TEMPORE FAMIS VEL PRO FAME LABORANTIBUS

A

Ant. ad introitum Ps 73, 20. 19

Réspice, Dómine, in testaméntum tuum,
et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Collecta

Deus, qui bonus et omnípotens
ómnibus próvides creatúris,
efficácem da nobis dilectiónem
erga fratres cibórum inópiam patiéntes,
ut, fame depúlsa,
líbero ac secúro corde tibi váleant deservíre.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1556-1567.

Super oblata

Réspice, Dómine, oblatiónem,
quam tibi de tuis datis óptimis exhibémus,

ut, quæ divínæ abundántiam vitæ
et unitátem in caritáte signíficat,
ad æquam nos partitiónem
mutuúmque impéllat fraternitátis offícium.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 11, 28

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis,
et ego refíciam vos, dicit Dóminus.

Post communionem

Deus, Pater omnípotens,
súpplices te rogámus,
ut panis vivus, qui de cælo descéndit,
ad fratres ínopes nos róboret sublevándos.
Per Christum.

B

Aliæ orationes, ab ipsis esurientibus dicendæ

Collecta

Deus, qui mortem non fecísti,
et escam præbes omni carni,
tuórum famem famulórum miserátus expélle,
ut lætius corda nostra et expedítius
tibi váleant deservíre.
Per Dóminum.

Super oblata

Tibi, Dómine, de nostra egestáte
hæc múnera libénter offérimus,
a tua benignitáte supplíciter exorántes,
ut tuæ sint nobis largitiónis primítiæ salutáris.
Per Christum.

Post communionem

Qui cibum cæléstem, Dómine,
a tua largitáte suscépimus, quǽsumus,
ut spem nobis et robur sic cónferat ad labórem,
ut efficáciter nostris fratrúmque necessitátibus
subveníre possímus. Per Christum.

Lectio prima

1

Advenam et pupillum et viduam auferre manipulum relictum patieris.

Léctio libri Deuteronómii 24, 17-22

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo, dicens: « Non pervértes iudícium ádvenæ et pupílli, nec áuferes pígnoris loco víduæ vestiméntum. Meménto quod servíeris in Ægýpto, et erúerit te Dóminus Deus tuus inde; idcírco præcípio tibi ut fácias hanc rem.

Quando messúeris ségetem in agro tuo et oblítus manípulum relíqueris, non revertéris ut tollas illum; sed ádvenam et pupíllum et víduam auférre patiéris, ut benedícat tibi Dóminus Deus tuus in omni ópere mánuum tuárum.

Si fruges collégeris olivárum, quidquid remánserit in arbóribus non revertéris ut cólligas; sed relínques ádvenæ, pupíllo ac víduæ. Si vindemiáveris víneam tuam, non cólliges remanéntes racémos, sed cedent in usus ádvenæ, pupílli ac víduæ.

Meménto quod et tu servíeris in Ægýpto, et idcírco præcípio tibi ut fácias hanc rem ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 21, 23-24. 26-27. 28 et 31-32 (℟.: 27 a)

℟. Edent páuperes, et saturabúntur.

23 Narrábo nomen tuum frátribus meis,
in médio ecclésiæ laudábo te.
24 Qui timétis Dóminum, laudáte eum,
univérsum semen Iacob, glorificáte eum.
Métuat eum omne semen Israel. ℟.

26 Apud te laus mea in ecclésia magna;
vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.
27 Edent páuperes, et saturabúntur,
et laudábunt Dóminum qui requírunt eum:
« Vivant corda eórum in sæculum sæculi ». ℟.

28 Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum
univérsi fines terræ,
et adorábunt in conspéctu eius
univérsæ famíliæ géntium.
31 Et semen meum sérviet ipsi.
Narrábitur de Dómino generatióni ventúræ,
32 et annuntiábunt iustítiam eius
pópulo qui nascétur: « Hæc fecit Dóminus ». ℟.

2

Si comedi buccellam meam solus,
et non comedit pupillus ex ea.

Léctio libri Iob 31, 16-20. 24-25. 31-32

Si negávi, quod volébant, paupéribus, et óculos víduæ exspectáre feci, si comédi buccéllam meam solus, et non comédit pupíllus ex ea (quia ab infántia mea crevit mecum miserátio et de útero matris meæ egréssa est mecum).

Si despéxi pereúntem, eo quod non habúerit indu-

méntum, et absque operiménto páuperem; si non benedixérunt mihi látera eius, et de velléribus óvium meárum calefáctus est.

Si putávi aurum robur meum, et obrízo dixi: « Fidúcia mea »; si lætátus sum super multis divítiis meis, et quia plúrima répperit manus mea.

Si non dixérunt viri tabernáculi mei: « Quis det de cárnibus eius, ut saturémur? » Foris non mansit peregrínus; óstium meum viatóri pátuit. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 111, 1-2. 3-4. 5-7 a. 7 bc-8. 9 (℟.: cf. 1 a. 9 a)

℟. Beátus vir qui donat paupéribus.
vel Allelúia.

1 Beátus vir qui timet Dóminum,
in mandátis eius cupit nimis.
2 Potens in terra erit semen eius,
generátio rectórum benedicétur. ℟.

3 Glória et divítiæ in domo eius,
et iustítia eius manet in sæculum sæculi.
4 Exórtum est in ténebris lumen rectis,
miséricors et miserátor et iustus. ℟.

5 Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat,
dispónet res suas in iudício,
6 quia in ætérnum non commovébitur.
7 In memória ætérna erit iustus. ℟.

Ab auditióne mala non timébit.
Parátum cor eius, sperans in Dómino,
8 confirmátum est cor eius, non timébit,
donec despíciat inimícos suos. ℟.

9 Distríbuit, dedit paupéribus;
iustítia eius manet in sæculum sæculi,
cornu eius exaltábitur in glória. ℟.

3

Frange esurienti panem tuum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 58, 6-11

Hæc dicit Dóminus: « Dissólve colligatiónes impietátis, solve fascículos depriméntes, dimítte eos qui confrácti sunt líberos et omne onus dirúmpe.

Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam; cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et sánitas tua cítius oriétur, et anteíbit fáciem tuam iustítia tua, et glória Dómini cólliget te; tunc invocábis, et Dóminus exáudiet; clamábis, et dicet: " Ecce adsum ". Si abstúleris de médio tui caténam, et desíeris exténdere dígitum et loqui quod non prodest; cum effúderis esuriénti ánimam tuam et ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua et ténebræ tuæ erunt sicut merídies.

Et réquiem tibi dabit Dóminus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam, et ossa tua liberábit; et eris quasi hortus irríguus et sicut fons aquárum, cuius non defícient aquæ ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 111, 1-2. 3-4. 5-7 a. 7 bc-8. 9 (℟.: cf. 1 a. 9 a)

℟. Beátus vir qui donat paupéribus.
vel Allelúia.

1 Beátus vir qui timet Dóminum,
in mandátis eius cupit nimis.
2 Potens in terra erit semen eius,
generátio rectórum benedicétur. ℟.

3 Glória et divítiæ in domo eius,
et iustítia eius manet in sǽculum sǽculi.
4 Exórtum est in ténebris lumen rectis,
miséricors et miserátor et iustus. ℟.

5 Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat,
dispónet res suas in iudício,
6 quia in ætérnum non commovébitur.
7 In memória ætérna erit iustus. ℟.

Ab auditióne mala non timébit.
Parátum cor eius, sperans in Dómino,
8 confirmátum est cor eius, non timébit,
donec despíciat inimícos suos. ℟.

9 Distríbuit, dedit paupéribus;
iustítia eius manet in sǽculum sǽculi,
cornu eius exaltábitur in glória. ℟.

4

Discipuli, prout quis habebat,
proposuerunt singuli eorum in ministerium
mittere habitantibus in Iudæa fratribus.

Léctio Actuum Apostolórum 11, 27-30

In his diébus supervenérunt ab Hierosólymis prophétæ Antiochíam; et surgens unus ex eis nómine Agabus, significávit per Spíritum famem magnam futúram in univérso orbe terrárum, quæ facta est sub Cláudio. Discípuli autem, prout quis habébat, proposuérunt sínguli eórum in ministérium míttere habitántibus in Iudǽa frátribus. Quod et fecérunt, mitténtes ad presbýteros per manum Bárnabæ et Sauli. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 106, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9 (℟.: 1)

℟. Confitémini Dómino,
quóniam in sǽculum misericórdia eius.
vel Allelúia.

2 Dicant qui redémpti sunt a Dómino,
quos redémit de manu adversárii,
3 et de regiónibus congregávit eos,
a solis ortu et occásu,
ab aquilóne et mari. ℟.

4 Erravérunt in solitúdine, in inaquóso,
viam civitátis habitatiónis non invenérunt.
5 Esuriéntes et sitiéntes,
ánima eórum in ipsis defécit. ℟.

6 Et clamavérunt ad Dóminum, cum tribularéntur,
et de necessitátibus eórum erípuit eos.
7 Et dedúxit eos in viam rectam,
ut irent in civitátem habitatiónis. ℟.

8 Confiteántur Dómino propter misericórdiam eius
et mirabília eius in fílios hóminum;
9 quia satiávit ánimam sitiéntem,
et ánimam esuriéntem replévit bonis. ℟.

Lectio secunda

1

Vestra abundantia illorum inopiam suppleat.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 8, 1-5. 9-15

Notam fácimus vobis, fratres, grátiam Dei, quæ data est in Ecclésiis Macedóniæ, quod in multo expe-

riménto tribulatiónis abundántia gáudii ipsórum, et altíssima paupértas eórum abundávit in divítias simplicitátis eórum; quia secúndum virtútem testimónium reddo, et supra virtútem voluntárii fuérunt, cum multa exhortatióne obsecrántes nos grátiam et communicatiónem ministérii, quod fit in sanctos. Et non sicut sperávimus, sed semetípsos dedérunt primum Dómino, deínde nobis per voluntátem Dei.

Scitis enim grátiam Dómini nostri Iesu Christi, quóniam propter vos egénus factus est, cum esset dives; ut illíus inópia vos dívites essétis. Et consílium in hoc do; hoc enim vobis útile est, qui non solum fácere, sed et velle cœpístis ab anno prióre; nunc vero et facto perfícite, ut, quemádmodum promptus est ánimus velle, ita sit et perfícere ex eo quod habétis.

Si enim volúntas prompta est, secúndum id quod habet, accépta est; non secúndum quod non habet; non enim ut áliis sit remíssio, vobis autem tribulátio; sed ex æqualitáte.

In præsénti témpore vestra abundántia illórum inópiam súppleat, ut et illórum abundántia vestram inópiam súppleat, ut fiat æquálitas, sicut scriptum est: « Qui multum non abundávit, et qui módicum non minorávit ». — Verbum Dómini.

2

Unusquisque prout destinavit corde suo,
non ex tristitia aut ex necessitate.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 9, 6-15

Fratres:

Qui parce séminat, parce et metet; et qui séminat

in benedictiónibus, in benedictiónibus et metet. Unusquísque prout destinávit corde suo, non ex tristítia aut ex necessitáte; hílarem enim datórem díligit Deus.

Potens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis, ut, in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est: « Dispérsit, dedit paupéribus, iustítia eius manet in ætérnum ».

Qui autem admínistrat semen semínánti, et panem ad manducándum præstábit et multiplicábit semen vestrum et augébit increménta frugum iustítiæ vestræ; ut in ómnibus locupletáti in omnem simplicitátem, quæ operátur per nos gratiárum actiónem Deo.

Quóniam ministérium huius offícii non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed étiam abúndat per multas gratiárum actiónes Deo, per probatiónem ministérii huius glorificántes Deum in obœdiéntia confessiónis vestræ in Evangélium Christi, et simplicitáte communiónis in illos et in omnes, et ipsórum obsecratióne pro vobis, desiderántium vos propter eminéntem grátiam Dei in vobis. Grátias Deo super inenarrábili dono eius. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia **Mt 25, 34**

℟. Allelúia. ℣. Veníte, benedícti Patris mei,
dicit Dóminus;
possidéte parátum vobis Regnum
a constitutióne mundi. ℟. Allelúia.

Esurivi, et dedistis mihi manducare.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
25, 31-46

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Cum vénerit Fílius hóminis in glória sua, et omnes ángeli cum eo, tunc sedébit super thronum glóriæ suæ, et congregabúntur ante eum omnes gentes, et separábit eos ab ínvicem, sicut pastor ségregat oves ab hædis: et státuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinístris.

Tunc dicet Rex his qui a dextris eius erunt: " Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis Regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre; sitívi, et dedístis mihi bíbere; hospes eram, et collegístis me; nudus, et operuístis me; infírmus, et visitástis me; in cárcere eram, et venístis ad me ".

Tunc respondébunt ei iusti dicéntes: " Dómine, quando te vídimus esuriéntem et pávimus, aut sitiéntem et dédimus tibi potum? quando autem te vídimus hóspitem et collégimus, aut nudum et cooperúimus? quando autem te vídimus infírmum aut in cárcere et vénimus ad te? "

Et respóndens Rex dicet illis: " Amen dico vobis, quámdiu fecístis uni de his frátribus meis mínimis, mihi fecístis ".

Tunc dicet et his qui a sinístris erunt: " Discédite a me, maledícti, in ignem ætérnum, qui præparátus est diábolo et ángelis eius. Esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre; sitívi, et non dedístis mihi potum; hospes eram, et non collegístis me; nudus, et non operuístis me; infírmus et in cárcere, et non visitástis me ".

Tunc respondébunt et ipsi dicéntes: " Dómine,

quando te vídimus esuriéntem aut sitiéntem aut hóspitem aut nudum aut infírmum vel in cárcere, et non ministrávimus tibi? ”

Tunc respondébit illis dicens: “ Amen dico vobis, quámdiu non fecístis uni de mínimis his, nec mihi fecístis ”.

Et ibunt hi in supplícium ætérnum, iusti autem in vitam ætérnam ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia 2 Cor 8, 9

℟. Allelúia. ℣. Iesus Christus egénus factus est,
cum esset dives,
ut illíus inópia vos dívites essétis.
℟. Allelúia.

Date illis vos manducare.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 6, 34-44

In illo témpore:

Vidit multam turbam Iesus, et misértus est super eos, quia erant « sicut oves non habéntes pastórem », et cœpit docére illos multa.

Et, cum iam hora multa facta esset, accessérunt discípuli eius dicéntes: « Desértus est locus hic, et hora iam est multa; dimítte illos, ut, eúntes in villas et vicos in circúitu, emant sibi quod mandúcent ».

Respóndens autem ait illis: « Date illis vos manducáre ».

Et dicunt ei: « Eúntes emámus denáriis ducéntis panes, et dábimus eis manducáre ».

Et dicit eis: « Quot panes habétis? Ite, vidéte ».

Et, cum cognovíssent, dicunt: « Quinque, et duos pisces ».

Et præcépit illis ut accúmbere fácerent omnes secúndum contubérnia super víride fenum. Et discubuérunt secúndum áreas per centénos et per quinquagénos.

Et, accéptis quinque pánibus et duóbus píscibus, íntuens in cælum benedíxit et fregit panes, et dabat discípulis suis, ut pónerent ante eos, et duos pisces divísit ómnibus.

Et manducavérunt omnes et saturáti sunt. Et sustulérunt fragménta duódecim cóphinos plenos, et de píscibus. Et erant qui manducavérunt panes quinque mília virórum. — Verbum Dómini.

3

Alleluia 2 Cor 8, 9

℟. Allelúia. ℣. Iesus Christus egénus factus est,
cum esset dives,
ut illíus inópia vos dívites essétis.
℟. Allelúia.

Cum facis convivium, voca pauperes.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 14, 12-14

In illo témpore:

Dicébat Iesus príncipi pharisæórum qui se invitáverat: « Cum facis prándium aut cenam, noli vocáre amícos tuos neque fratres tuos neque cognátos neque vicínos dívites, ne forte et ipsi te reinvítent, et fiat tibi retribútio.

Sed, cum facis convívium, voca páuperes, débiles, claudos, cæcos. Et beátus eris, quia non habent retribúere tibi; retribuétur enim tibi in resurrectióne iustórum ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia Mt 25, 34

℟. Allelúia. ℣. Veníte, benedícti Patris mei,
dicit Dóminus;
possidéte parátum vobis Regnum
a constitutióne mundi. ℟. Allelúia.

Quidam pauper, nomine Lazarus,
iacebat ad ianuam divitis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 16, 19-31

In illo témpore:

Dixit Iesus pharisǽis: « Homo quidam erat dives, et induebátur púrpura et bysso, et epulabátur cotídie spléndide. Quidam autem pauper, nómine Lázarus, iacébat ad iánuam eius ulcéribus plenus, et cúpiens saturári de his quæ cadébant de mensa dívitis; sed et canes veniébant et lingébant úlcera eius.

Factum est autem ut morerétur pauper, et portarétur ab ángelis in sinum Abrahæ; mórtuus est autem et dives, et sepúltus est.

Et in inférno élevans óculos suos, cum esset in torméntis, vidébat Abraham a longe, et Lázarum in sinu eius; et ipse clamans dixit: " Pater Abraham, miserére mei et mitte Lázarum, ut intíngat extrémum dígiti sui in aquam, ut refrígeret linguam meam, quia crúcior in hac flamma ".

At dixit Abraham: " Fili, recordáre quia recepísti bona tua in vita tua, et Lázarus simíliter mala; nunc autem hic consolátur, tu vero cruciáris. Et in his ómnibus inter nos et vos chaos magnum firmátum est, ut hi, qui volunt hinc transíre ad vos, non possint, neque inde ad nos transmeáre ".

Et ait: “ Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei (hábeo enim quinque fratres), ut testétur illis, ne et ipsi véniant in locum hunc tormentórum ”.

Ait autem Abraham: “ Habent Móysem et prophétas: áudiant illos ”.

At ille dixit: “ Non, pater Abraham; sed, si quis ex mórtuis íerit ad eos, pæniténtiam agent ”.

Ait autem illi: “ Si Móysem et prophétas non áudiunt, neque, si quis ex mórtuis resurréxerit, credent ” ». — Verbum Dómini.

29. PRO PROFUGIS ET EXSULIBUS

Ant. ad introitum — Ps 90, 11

Angelis suis Deus mandávit de te,
ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Vel: — Ier 29, 11. 12. 14

Dicit Dóminus:
Ego cógito cogitatiónes pacis et non afflictiónis;
invocábitis me, et ego exáudiam vos,
et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis.

Collecta

Dómine, cui nullus est aliénus,
nemo ab opitulatióne longínquus,
prófugos et éxsules, segregátos hómines
puerósque dispérsos propítius intuére,
ut illis réditus in pátriam,
nobis erga egénum et ádvenam a te benígnitas tribuátur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1569-1574.

Super oblata

Dómine, qui tuum voluísti Fílium pónere ánimam suam,
ut in unum tuos dispérsos fílios congregáret,
præsta, ut hæc pacífica oblátio
communiónem obtíneat animórum,
et caritátem fraternitátis adáugeat.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 90, 2

Refúgium meum et fortitúdo mea,
Deus meus, sperábo in eum.

Post communionem

Dómine, qui nos uno pane et uno cálice refecísti,
da nobis humanitátem in ádvenas ac derelíctos
sincéro corde sectári,
ut omnes in terra vivéntium
congregári dénique mereámur. Per Christum.

Lectio prima

1

Amat Deus peregrinum et dat ei
victum atque vestitum.

Léctio libri Deuteronómii — 10 17-19

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo dicens: « Dóminus Deus vester ipse est Deus deórum et Dóminus dominántium, Deus magnus et potens et terríbilis, qui persónam non áccipit nec múnera, facit iudícium pupíllo et víduæ, amat peregrínum et dat ei victum atque vestítum. Et

vos ergo amáte peregrínos, quia et ipsi fuístis ádvenæ in terra Ægýpti ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 106, 33-34. 35-36. 41-42 (℟.: 1)

℟. Confitémini Dómino,
quóniam in sæculum misericórdia eius.

vel Allelúia.

33 Pósuit flúmina in desértum,
et éxitus aquárum in sitim,
34 terram fructíferam in salsúginem,
a malítia inhabitántium in ea. ℟.

35 Pósuit desértum in stagna aquárum,
et terram sine aqua in éxitus aquárum.
36 Et collocávit illic esuriéntes,
et constituérunt civitátem habitatiónis. ℟.

41 Et suscépit páuperem de inópia,
et pósuit sicut oves famílias.
42 Vidébunt recti et lætabúntur,
et omnis iníquitas oppilábit os suum. ℟.

2

Advenam auferre manipulum relictum patieris.

Léctio libri Deuteronómii 24, 17-22

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo, dicens: « Non pervértes iudícium ádvenæ et pupílli, nec áuferes pígnoris loco víduæ vestiméntum. Meménto quod servíeris in Ægýpto, et erúerit te Dóminus Deus tuus inde; idcírco præcípio tibi ut fácias hanc rem.

Quando messúeris ségetem in agro tuo et oblítus manípulum relíqueris, non revertéris ut tollas illum; sed ádvenam et pupíllum et víduam auférre patiéris, ut benedícat tibi Dóminus Deus tuus in omni ópere mánuum tuárum.

Si fruges collégeris olivárum, quidquid remánserit in arbóribus non revertéris ut cólligas; sed relínques ádvenæ, pupíllo ac víduæ. Si vindemiáveris víneam tuam, non cólliges remanéntes racémos, sed cedent in usus ádvenæ, pupílli ac víduæ.

Meménto quod et tu servíeris in Ægýpto, et idcírco præcípio tibi ut fácias hanc rem ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 120, 1-2. 3-4. 5-6. 7-8 (℟.: 2)

℟. Auxílium meum a Dómino,
qui fecit cælum et terram.

1 Levábo óculos meos in montes:
unde véniet auxílium mihi?
2 Auxílium meum a Dómino,
qui fecit cælum et terram. ℟.

3 Non dabit in commotiónem pedem tuum,
neque dormitábit qui custódit te.
4 Ecce non dormitábit neque dórmiet,
qui custódit Israel. ℟.

5 Dóminus custódit te,
Dóminus umbráculum tuum,
ad manum déxteram tuam.
6 Per diem sol non percútiet te,
neque luna per noctem. ℟.

7 Dóminus custódiet te ab omni malo;
custódiet ánimam tuam Dóminus.
8 Dóminus custódiet intróitum tuum et éxitum tuum,
ex hoc nunc et usque in sæculum. ℟.

Lectio secunda

1

Hospitalitatem sectantes.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 12, 9-16 b

Fratres:

Diléctio sine simulatióne, odiéntes malum, adhæréntes bono, caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem præveniéntes, sollicitúdine non pigri, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, in tribulatióne patiéntes, oratióni instántes, necessitátibus sanctórum communicántes, hospitalitátem sectántes.

Benedícite persequéntibus; benedícite et nolíte maledícere. Gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus, idípsum ínvicem sentiéntes, non alta sapiéntes, sed humílibus consentiéntes. — Verbum Dómini.

2

Significant se patriam inquirere.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 11, 13-16

Iuxta fidem defúncti sunt omnes patriárchæ, non accéptis promissiónibus, sed a longe eas aspiciéntes et salutántes, et confiténtes, quia peregríni et hóspites sunt supra terram.

Qui enim hæc dicunt signíficant se pátriam inquírere. Et, si quidem illíus meminíssent de qua exíerant, habébant útique tempus reverténdi. Nunc autem meliórem áppetunt, id est cæléstem.

Ideo non confúnditur Deus vocári Deus eórum; parávit enim illis civitátem. — Verbum Dómini.

3

Hospitalitatem nolite oblivisci.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 13, 1-3. 14-16

Fratres:

Cáritas fraternitátis máneat in vobis, et hospitalitátem nolíte oblivísci; per hanc enim quidam nesciéntes hospítio recepérunt ángelos. Mementóte vinctórum tamquam simul vincti, laborántium tamquam et ipsi in córpore morántes.

Non habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per Iesum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium Nómini eius. Beneficéntiæ autem et communiónis nolíte oblivísci; tálibus enim hóstiis oblectátur Deus.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Hebr 13, 14

℟. Allelúia. ℣. Non habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. ℟. Allelúia.

Accipe puerum et matrem eius, et fuge in Ægyptum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 2, 13-15. 19-23

Cum recessíssent magi, ecce ángelus Dómini appáret in somnis Ioseph, dicens: « Surge, et áccipe púerum et matrem eius, et fuge in Ægýptum; et esto ibi usque

dum dicam tibi: futúrum est enim ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum ».

Qui consúrgens accépit púerum et matrem eius nocte, et recéssit in Ægýptum. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis, ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: « Ex Ægýpto vocávi fílium meum ».

Defúncto autem Heróde, ecce appáret ángelus Dómini in somnis Ioseph in Ægýpto, dicens: « Surge, et áccipe púerum et matrem eius, et vade in terram Israel; defúncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri ».

Qui surgens accépit púerum et matrem eius, et venit in terram Israel. Audiens autem quia Archeláus regnáret in Iudǽa pro Heróde patre suo, tímuit illo ire; et, admónitus in somnis, secéssit in partes Galilǽæ. Et véniens habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth, ut adimplerétur quod dictum est per prophétas: « Nazarǽus vocábitur ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia 2 Cor 1, 3 b-4 a

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus Pater misericordiárum
et Deus totíus consolatiónis,
qui consolátur nos in omni tribulatióne
nostra. ℟. Allelúia.

Quis est meus proximus?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 25-37

In illo témpore:

Ecce quidam legisperítus surréxit tentans Iesum, dicens: « Magíster, quid faciéndo vitam ætérnam possidébo? »

At ille dixit ad eum: « In Lege quid scriptum est? quómodo legis? »

Ille autem respóndens dixit: « " Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex ómnibus víribus tuis, et ex omni mente tua " et " próximum tuum sicut teípsum " ».

Dixítque illi: « Recte respondísti; hoc fac et vives ».

Ille autem volens iustificáre seípsum dixit ad Iesum: « Et quis est meus próximus? »

Suscípiens autem Iesus dixit: « Homo quidam descendébat ab Ierúsalem in Iéricho, et íncidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum, et, plagis impósitis, abiérunt semivívo relícto. Accidit autem ut sacérdos quidam descénderet eádem via, et, viso illo, præterívit. Simíliter et levíta, cum esset secus locum et vidéret eum, pertránsiit.

Samaritánus autem quidam iter fáciens venit secus eum, et videns eum misericórdia motus est. Et appropians alligávit vúlnera eius, infúndens óleum et vinum; et impónens illum in iuméntum suum, duxit in stábulum et curam eius egit.

Et áltera die prótulit duos denários et dedit stabulário, et ait: " Curam illíus habe, et, quodcúmque supererogáveris, ego, cum redíero, reddam tibi ".

Quis horum trium vidétur tibi próximus fuísse illi qui íncidit in latrónes? »

At ille dixit: « Qui fecit misericórdiam in illum ».

Et ait illi Iesus: « Vade, et tu fac simíliter ».

Verbum Dómini.

30. PRO CAPTIVITATE DETENTIS

Ant. ad introitum — Ps 87, 2-3

Dómine, Deus salútis meæ,
in die clamávi et nocte coram te.
Intret in conspéctu tuo orátio mea,
inclína aurem tuam ad precem meam.

Collecta

Deus, cuius Fílius,
ad rediméndum genus humánum a captivitáte peccáti,
formam servi accípere dignátus est,
da fámulis tuis in vínculis constitútis,
ut illa libertáte potiántur,
qua omnes hómines, fílios tuos, voluísti donári.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Missis in quacumque necessitate, pp. 1593-1601, vel pro christianis persecutione vexatis, pp. 1489-1499.

Super oblata

Per humánæ redemptiónis salutáre sacraméntum,
quod tibi, Dómine, offérimus, præsta,
ut fámuli tui a captivitáte solvántur,
et ánimæ perpétua gáudeant libertáte.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Ps 68, 31. 34

Laudábo nomen Dei cum cántico,
et magnificábo eum in laude.
Quóniam exaudívit páuperes Dóminus,
et vinctos suos non despéxit.

Post communionem

Nostræ libertátis prétium recoléntes,
tuam, Dómine, pro frátribus nostris

implorámus cleméntiam,
ut a vínculis solvántur,
et servi fiant iustítiæ tuæ.
Per Christum.

31. PRO DETENTIS IN CARCERE

Collecta

Omnípotens et miséricors Deus,
cui soli patent córdium secréta,
qui iustum agnóscis et ímpium iustificáre vales,
exáudi preces nostras
pro fámulis tuis in cárcere deténtis, et præsta,
ut per patiéntiam et spem in afflictióne sublevéntur,
et cítius váleant sine offensióne ad própria revérti.
Per Dóminum.

Vel, pro detentis in carcere propter Evangelium, orationes ut supra, n. 15, p. 1487.

32. PRO INFIRMIS

Ant. ad introitum — Ps 6, 3-4

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum;
sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea,
et ánima mea turbáta est valde.

Vel: — Cf. Is 53, 4

Vere languóres nostros Dóminus tulit,
et dolóres nostros ipse portávit.

Collecta

Deus, qui languóres nostros
voluísti ab unigénito Fílio tuo portári,
ut infirmitátis et patiéntiæ virtútem osténderes humánæ,
preces nostras pro frátribus in ægritúdine pósitis

benígnus exáudi, et præsta,
ut, qui dolóribus, ærúmnis aliísve morbis premúntur,
et inter eos qui beáti prædicántur se séntiant eléctos,
et Christo pro mundi salúte patiénti se sciant unítos.
Per Dóminum.

Vel:

Omnípotens sempitérne Deus,
salus ætérna credéntium,
exáudi nos pro fámulis tuis infírmis,
pro quibus misericórdiæ tuæ implorámus auxílium,
ut, réddita sibi sanitáte,
gratiárum tibi in Ecclésia tua réferant actiónes.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1579-1587.

Super oblata

Deus, cuius nútibus vitæ nostræ moménta decúrrunt,
súscipe preces et hóstias,
quibus tuam pro frátribus ægrotántibus
misericórdiam implorámus,
ut, de quorum perículo metúimus,
de eórum salúte lætémur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Col 1, 24

Adímpleo, quæ desunt passiónum Christi in carne mea,
pro córpore eius, quod est Ecclésia.

Post communionem

Deus, infirmitátis humánæ singuláre præsídium,
auxílii tui super infírmos fámulos tuos osténde virtútem,
ut, ope misericórdiæ tuæ adiúti,
Ecclésiæ tuæ sanctæ incólumes repræsentári mereántur.
Per Christum.

Lectio prima

1

Vidi lacrimas tuas, et ecce sanavi te.

Léctio libri secúndi Regum 20, 1-6

In diébus illis ægrotávit Ezechías rex usque ad mortem; et venit ad eum Isaías, fílius Amos, prophéta, dixítque ei: « Hæc dicit Dóminus Deus: Præcipe dómui tuæ, moriéris enim tu et non vives ».

Qui convértit fáciem suam ad paríetem, et orávit Dóminum dicens: « Obsecro, Dómine: meménto, quæso, quómodo ambuláverim coram te in veritáte et in corde perfécto, et quod plácitum est coram te fécerim ». Flevit ítaque Ezechías fletu magno.

Et ántequam egrederétur Isaías médiam partem átrii, factus est sermo Dómini ad eum, dicens: « Revértere et dic Ezechíæ duci pópuli mei: Hæc dicit Dóminus Deus David patris tui: Audívi oratiónem tuam et vidi lácrimas tuas, et ecce sanávi te: die tértio ascéndes templum Dómini.

Et addam diébus tuis quíndecim annos; sed et de manu regis Assyriórum liberábo te et civitátem hanc, et prótegam urbem istam propter me et propter David servum meum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 101, 3. 24-25. 19-21 (℟.: 2)

℟. Dómine, exáudi oratiónem meam,
et clamor meus ad te véniat.

3 Non abscóndas fáciem tuam a me;
in quacúmque die tríbulor,
inclína ad me aurem tuam.
In quacúmque die invocávero te,
velóciter exáudi me. ℟.

24 Humiliávit in via virtútem meam,
abbreviávit dies meos.
Dicam: « Deus meus,
25 ne áuferas me in dimídio diérum meórum;
in generatiónem et generatiónem sunt anni tui ». ℟.

19 Scribántur hæc pro generatióne áltera,
et pópulus qui creábitur laudábit Dóminum.
20 Quia prospéxit de excélso sanctuário suo,
Dóminus de cælo in terram aspéxit;
21 ut audíret gémitus compeditórum,
ut sólveret fílios mortis. ℟.

2

Vere languores nostros ipse tulit.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 53, 1-5. 10-11

Quis crédidit audítui nostro? et brácchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti.

Non est spécies ei neque decor, et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum; despéctum et novíssimum virórum, virum dolórum et sciéntem infirmitátem, et quasi abscónditus vultus eius et despéctus, unde nec reputávimus eum.

Vere languóres nostros ipse tulit et dolóres nostros ipse portávit; et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, disciplína pacis nostræ super eum, et livóre eius sanáti sumus.

Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte. Si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu eius dirigétur.

Pro eo quod laborávit ánima eius, vidébit et saturábitur. In sciéntia sua iustificábit ipse iustus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Is 38, 10. 11. 12 abcd. 16 (℟.: 17 b)

℟. Tu, Dómine, eruísti ánimam meam, ut non períret.

10 Ego dixi: « In dimídio diérum meórum
vadam ad portas ínferi:
quæsívi resíduum annórum meórum ». ℟.

11 Dixi: « Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium;
non aspíciam hóminem ultra
et habitatórem quiétis. ℟.

12 Generátio mea abláta est et convolúta est a me
quasi tabernáculum pastórum;
præcísa est velut a texénte vita mea;
dum adhuc ordírer, succídit me. ℟.

16 Dómine, si sic vívitur,
et in tálibus vita spíritus mei,
corrípies me et vivificábis me ». ℟.

3

Ceteri qui in insula habebant infirmitates accedebant ad Paulum et curabantur.

Léctio Actuum Apostolórum 28, 7-10

In diébus illis:

In illis locis erant prǽdia príncipis ínsulæ Mélitæ, nómine Públii, qui nos suscípiens tríduo benígne hospí-

tio recépit. Cóntigit autem patrem Públii fébribus et dysentéria vexátum iacére. Ad quem Paulus intrávit, et, cum orásset et imposuísset ei manus, sanávit eum.

Quo facto et céteri qui in ínsula habébant infirmitátes accedébant et curabántur. Qui étiam multis honóribus nos honoravérunt, et navigántibus imposuérunt quæ necessária erant.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 101, 3. 24-25. 19-21 (℟.: 2)

℟. Dómine, exáudi oratiónem meam,
et clamor meus ad te véniat.

3 Non abscóndas fáciem tuam a me;
in quacúmque die tríbulor,
inclína ad me aurem tuam.
In quacúmque die invocávero te,
velóciter exáudi me. ℟.

24 Humiliávit in via virtútem meam,
abbreviávit dies meos.
Dicam: « Deus meus,
25 ne áuferas me in dimídio diérum meórum;
in generatiónem et generatiónem sunt anni tui ». ℟.

19 Scribántur hæc pro generatióne áltera,
et pópulus qui creábitur laudábit Dóminum.
20 Quia prospéxit de excélso sanctuário suo,
Dóminus de cælo in terram aspéxit;
21 ut audíret gémitus compeditórum,
ut sólveret fílios mortis. ℟.

Lectio secunda

1

In mortem tradimur propter Iesum.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 4, 10-18

Fratres:

Semper mortificatiónem Iesu in córpore circumferéntes, ut et vita Iesu in córpore nostro manifestétur. Semper enim nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis.

Habéntes autem eúndem Spíritum fídei, sicut scriptum est: « Crédidi, propter quod locútus sum »; et nos crédimus, propter quod et lóquimur, sciéntes quóniam qui suscitávit Dóminum Iesum, et nos cum Iesu suscitábit, et constítuet vobíscum. Omnia enim propter vos, ut grátia abúndans per multos, gratiárum actiónem abundáre fáciat in glóriam Dei.

Propter quod non defícimus; sed, licet is qui foris est noster homo corrúmpitur, tamen is qui intus est noster renovátur de die in diem. Id enim, quod in præsénti est leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitátem ætérnum glóriæ pondus operátur nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur: quæ enim vidéntur temporália sunt, quæ autem non vidéntur ætérna sunt.

Verbum Dómini.

2

Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 12, 7 b-10

Fratres:

Datus est mihi stímulus carni, ángelus Sátanæ, ut me colaphízet, ne extóllar.

Propter quod ter Dóminum rogávi ut discéderet a me, et dixit mihi: « Súfficit tibi grátia mea, nam virtus in infirmitáte perfícitur ». Libentíssime ígitur pótius gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

Propter quod pláceo mihi in infirmitátibus, in contuméliis, in necessitátibus, in persecutiónibus et in angústiis pro Christo: cum enim infírmor, tunc potens sum. — Verbum Dómini.

3

Oratio fidei salvabit infirmum.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 5, 13-16

Caríssimi:

Tristátur áliquis vestrum? Oret. Æquo ánimo est? Psallat.

Infirmátur quis in vobis? Advocet presbýteros Ecclésiæ et orent super eum, unguéntes eum óleo in Nómine Dómini; et orátio fídei salvábit infírmum, et allevábit eum Dóminus, et, si peccáta operátus fúerit, dimitténtur ei.

Confitémini ergo altérutrum peccáta et oráte pro ínvicem, ut sanémini. Multum enim valet deprecátio iusti óperans. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Mt 8, 17

℟. Allelúia. ℣. Ipse infirmitátes nostras accépit,
et ægrotatiónes nostras portávit.
℟. Allelúia.

Ipse infirmitates nostras accepit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 8, 14-17

In illo témpore:

Cum venísset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacéntem et febricitántem. Et tétigit manum eius, et dimísit eam febris, et surréxit et ministrábat ei.

Véspere autem facto, obtulérunt ei multos dæmónia habéntes, et eiciébat spíritus verbo, et omnes male habéntes curávit, ut adimplerétur quod dictum est per Isaíam prophétam dicéntem: « Ipse infirmitátes nostras accépit, et ægrotatiónes portávit ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia 2 Cor 1, 3 b-4 a

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus Pater misericordiárum
et Deus totíus consolatiónis,
qui consolátur nos in omni tribulatióne
nostra. ℟. Allelúia.

Super ægrotos manus imponent, et bene habebunt.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 16, 15-20

In illo témpore:

Appárens Iesus Undecim dixit eis: « Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur.

Signa autem eos qui credíderint hæc sequéntur: in Nómine meo dæmónia eícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et, si mortíferum quid bíberint, non eos nocébit, super ægrótos manus impónent, et bene habébunt ».

Et Dóminus quidem Iesus, postquam locútus est eis, assúmptus est in cælum et sedit a dextris Dei.

Illi autem profécti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte sequéntibus signis. — Verbum Dómini.

3

Alleluia Mt 8, 17

℟. Allelúia. ℣. Ipse infirmitátes nostras accépit,
et ægrotatiónes nostras portávit. ℟. Allelúia.

Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 22, 39-43

In illo témpore:

Egréssus Iesus e cenáculo, ibat secúndum consuetúdinem in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum et discípuli.

Et, cum pervenísset ad locum, dixit illis: « Oráte, ne intrétis in tentatiónem ».

Et ipse avúlsus est ab eis quantum iactus est lápidis; et, pósitis génibus, orábat dicens: « Pater, si vis, transfer cálicem istum a me; verúmtamen non mea volúntas, sed tua fiat ».

Appáruit autem illi ángelus de cælo confórtans eum. Et factus in agonía prolíxius orábat. — Verbum Dómini.

4

Alleluia — Col 1, 24 b

℟. Allelúia. ℣. Adímpleo ea quæ desunt passiónum
Christi in carne mea
pro córpore eius, quod est Ecclésia.
℟. Allelúia.

Omnem palmitem, qui fert fructum, purgat eum, ut fructum plus afferat.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 1-8

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est.

Omnem pálmitem in me non feréntem fructum tollit eum, et omnem qui fert fructum purgat eum, ut fructum plus áfferat. Iam vos mundi estis propter sermónem quem locútus sum vobis.

Manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite, sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potéstis fácere.

Si quis in me non mánserit, missus est foras sicut palmes et áruit, et cólligunt eos, et in ignem mittunt, et ardent. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis pétite, et fiet vobis.

In hoc glorificátus est Pater meus, ut fructum multum afferátis et efficiámini mei discípuli ».
Verbum Dómini.

33. PRO MORIENTIBUS

Ant. ad introitum — Rom 14, 7-8

Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi móritur:
sive enim vívimus, Dómino vívimus;
sive mórimur, Dómino mórimur.
Sive ergo vívimus sive mórimur, Dómini sumus.

Vel: — Cf. Is 53, 4

Vere languóres nostros Dóminus tulit,
et dolóres nostros ipse portávit.

Collecta

Omnípotens et misericors Deus,
qui humáno géneri, per ipsum mortis institútum,
ætérnæ vitæ áditum misericórditer reserásti,
réspice propítius fámulum tuum
extrémo agóne laborántem,
ut, consociátus Fílii tui passióni
et eius sánguine signátus,
tibi váleat immaculátus præsentári. Per Dóminum.

Vel, pro hodie morituris:

Omnípotens et misericors Deus,
qui amórem tuum creatúris ómnibus ubíque maniféstas,
audi benígne preces
quas pro hódie moritúris effúndimus,
ut, pretióso sánguine Fílii tui redémpti,
absque peccáti mácula de hoc mundo váleant exíre
atque in sinu misericórdiæ tuæ perénniter requiéscere.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Missis pro infirmis, pp. 1579-1587, vel ad postulandam gratiam bene moriendi, pp. 1639-1644.

Super oblata

Súscipe, Deus, hóstiam, quam tibi pro fámulo tuo
in extrémo vitæ constitúto fidénter offérimus,
et da per eam univérsa illíus delícta purgári,
ut, qui tuæ dispositiónis ærúmnis in hac vita prémitur,
in futúra réquiem consequátur ætérnam. Per Christum.

Ant. ad communionem — Col 1, 24

Adímpleo, quæ desunt passiónum Christi in carne mea,
pro córpore eius, quod est Ecclésia.

Vel: — Io 6, 54

Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem,
habet vitam ætérnam, dicit Dóminus,
et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Post communionem

Per huius, Dómine, sacraménti virtútem,
fámulum tuum dignáre cleménter tua grátia sustinére,
ut in hora mortis
contra se inimícum prævalére non vídeat,
sed cum Angelis tuis
tránsitum habére mereátur ad vitam. Per Christum.

34. TEMPORE TERRÆMOTUS

Collecta

Deus, qui fundásti terram super stabilitátem suam,
parce metuéntibus, propitiáre supplícibus,
ut, treméntis terræ perículis pénitus amótis,
cleméntiam tuam iúgiter sentiámus,
et, tua protectióne secúri, tibi serviámus gratánter.
Per Dóminum.

35. AD PETENDAM PLUVIAM

Collecta

Deus, in quo vívimus, movémur et sumus,
plúviam nobis tríbue congruéntem,
ut, præséntibus subsídiis sufficiénter adiúti,
sempitérna fiduciálius appetámus.
Per Dóminum.

36. AD POSTULANDAM SERENITATEM

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
qui nos et castigándo sanas
et ignoscéndo consérvas,
præsta supplícibus tuis,
ut optáta áeris serenitáte lætémur,
et pietátis tuæ donis
ad glóriam nóminis tui salutémque nostram
semper utámur.
Per Dóminum.

37. AD REPELLENDAS TEMPESTATES

Collecta

Deus, cuius nutu univérsa obœ́diunt eleménta,
te súpplices exorámus,
ut, sedátis terréntibus procéllis,
in matériam tránseat laudis comminátio potestátis.
Per Dóminum.

38. IN QUACUMQUE NECESSITATE

A

Ant. ad introitum

Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus:
de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me,
exáudiam eos, et ero illórum Dóminus in perpétuum.

Collecta

Deus, refúgium nostrum in labóribus,
virtus in languóribus, solámen in flétibus,
parce pópulo tuo, ut, dignis flagellatiónibus castigátus,
in tua miseratióne dénique respíret.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1593-1601.

Super oblata

Súscipe, quǽsumus, Dómine, preces et oblatiónes nostras,
ut, qui peccatórum nostrórum flagéllis percútimur,
miseratiónis tuæ grátia liberémur.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mt 11, 28

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis,
et ego refíciam vos, dicit Dóminus.

Post communionem

Tribulatiónem nostram,
quǽsumus, Dómine, propítius réspice,
et iram tuæ indignatiónis,
quam pro peccátis nostris iuste merémur,
per passiónem Fílii tui, propitiátus avérte.
Per Christum.

B

Ant. ad introitum Ps 43, 24-27

Exsúrge, quare obdórmis, Dómine?
Exsúrge, et ne repéllas in finem.
Quare fáciem tuam avértis,
oblivísceris tribulatiónem nostram?
Adhǽsit in terra venter noster:
exsúrge, Dómine, ádiuva nos
et rédime nos propter misericórdiam tuam.

Collecta

Omnípotens et miséricors Deus,
afflictiónem nostram propitiátus inténde,
et ita filiórum tuórum onus álleva fidémque confírma,
ut in patérna semper providéntia tua
sine dubitatióne confídant. Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1593-1601.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera, quæ tibi fidénter offérimus,
et, quam mæróris amaritúdinem sustinémus,
fac ut in suavitátis sacrifícium convertátur. Per Christum.

Ant. ad communionem Io 16, 23-24

Si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis.
Pétite et accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum,
dicit Dóminus.

Post communionem

Te súpplices, Dómine, exorámus,
ut, dápibus recreáti munitíque divínis,
et futúros labóres fórtiter ággredi valeámus,
et fratres in pressúra pósitos impénsius confirmémus.
Per Christum.

Lectio prima

1

Converte luctum nostrum in gaudium.

Léctio libri Esther 13, 8-11. 16-17

In diébus illis:

Mardochǽus deprecátus est Dóminum, memor ómnium óperum eius, et dixit: « Dómine, Dómine, rex omnípotens, in dicióne enim tua cuncta sunt pósita; et non est qui possit tuæ resístere voluntáti, si decréveris salváre Israel. Tu fecísti cælum et terram, et quidquid cæli ámbitu continétur. Dóminus ómnium es, nec est qui resístat maiestáti tuæ.

Ne despícias partem tuam, quam redemísti tibi de Ægýpto. Exáudi deprecatiónem meam, et propítius esto sorti et funículo tuo; et convérte luctum nostrum in gáudium, ut vivéntes laudémus nomen tuum, Dómine, et ne claudas ora te canéntium ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 84, 2-4. 5-6. 7-8 (℟.: 8)

℟. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam,
et salutáre tuum da nobis.

2 Complacuísti tibi, Dómine, in terra tua,
convertísti captivitátem Iacob.
3 Remisísti iniquitátem plebis tuæ,
operuísti ómnia peccáta eórum.
4 Contraxísti omnem iram tuam,
revertísti a furóre indignatiónis tuæ. ℟.

5 Convérte nos, Deus, salutáris noster,
et avérte iram tuam a nobis.
6 Numquid in ætérnum irascéris nobis,
aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem? ℟.

7 Nonne tu convérsus vivificábis nos,
et plebs tua lætábitur in te?
8 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam,
et salutáre tuum da nobis. ℟.

2

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

Léctio libri Lamentatiónum 3, 17-26

Repúlsa est a pace ánima mea, oblítus sum bonórum, et dixi: « Périit finis meus, et spes mea a Dómino ».

Recordáre paupertátis et transgressiónis meæ, absínthii et fellis; memória memor ero et tabéscet in me ánima mea: hæc récolens in corde meo, ídeo sperábo.

Misericórdiæ Dómini, quia non sumus consúmpti, quia non defecérunt miseratiónes eius. Novi dilúculo, multa est fides tua.

« Pars mea Dóminus », dixit ánima mea; proptérea exspectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum; bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 79, 2 ac et 3 b. 5-7 (℟.: 4 b)

℟. Illústra fáciem tuam, Dómine, et salvi érimus.

2 Qui pascis Israel, inténde,
qui sedes super chérubim, effúlge,
3 éxcita poténtiam tuam, et veni. ℟.
5 Dómine Deus virtútum,
quoúsque irascéris super oratiónem pópuli tui?

6 Cibásti nos pane lacrimárum,
et potum dedísti nobis in lácrimis copióse.
7 Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris,
et inimíci nostri subsannavérunt nos. ℟.

3

Erue nos in mirabilibus tuis.

Léctio libri Daniélis prophétæ 3, 25. 34-43

In diébus illis:

Stans Azarías orávit sic, aperiénsque os suum in médio ignis ait: « Ne, quǽsumus, tradas nos in perpétuum propter nomen tuum, et ne díssipes testaméntum tuum, neque áuferas misericórdiam tuam a nobis, propter Abraham diléctum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum, quibus locútus es póllicens quod multiplicáres semen eórum sicut stellas cæli et sicut arénam, quæ est in lítore maris.

Quia, Dómine, imminúti sumus plus quam omnes gentes, sumúsque húmiles in univérsa terra hódie propter peccáta nostra, et non est in témpore hoc princeps et dux et prophéta, neque holocáustum neque sacrifícium neque oblátio neque incénsum neque locus primitiárum coram te, ut possímus inveníre misericórdiam tuam; sed in ánimo contríto et spíritu humilitátis suscipiámur.

Sicut in holocáusto aríetum et taurórum, et sicut in mílibus agnórum pínguium, sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, quóniam non est confúsio confidéntibus in te.

Et nunc séquimur te in toto corde, et timémus te, et quǽrimus fáciem tuam. Ne confúndas nos, sed fac nobíscum iuxta mansuetúdinem tuam et secúndum mul-

titúdinem misericórdiæ tuæ, et érue nos in mirabílibus tuis, et da glóriam nómini tuo, Dómine ».
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 122, 1. 2 (℟.: 3 a)

℟. Miserére nostri, Dómine, miserére nostri.

1 Ad te levávi óculos meos,
qui hábitas in cælis. ℟.

2 Ecce sicut óculi servórum
ad manus dominórum suórum,
sicut óculi ancíllæ ad manus dóminæ suæ,
ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum,
donec misereátur nostri. ℟.

4

Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Ioánnis apóstoli
21, 1-5 a. 6 b-7

Ego Ioánnes vidi cælum novum et terram novam. Primum enim cælum et prima terra abiérunt, et mare iam non est. Et civitátem sanctam Ierúsalem novam vidi descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Et audívi vocem magnam de throno, dicéntem: « Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis; et ipsi pópuli eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus; et abstérget omnem lácrimam ab óculis eórum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra: quia prima abiérunt ».

Et dixit qui sedébat super throno: « Ecce nova

fácio ómnia. Ego sum alpha et ómega, princípium et finis. Ego sitiénti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vícerit hereditábit hæc, et ero illi Deus et ille erit mihi fílius ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius — Ps 122, 1. 2 (℟.: cf. 2 cd)

℟. Oculi nostri ad Dóminum, donec misereátur nostri.

1 Ad te levávi óculos meos,
qui hábitas in cælis. ℟.

2 Ecce sicut óculi servórum
ad manus dominórum suórum,
sicut óculi ancíllæ ad manus dóminæ suæ,
ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum,
donec misereátur nostri. ℟.

Lectio secunda

1

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
8, 18-30

Fratres:

Exístimo quod non sunt condígnæ passiónes huius témporis ad futúram glóriam quæ reveląnda est in nobis. Nam exspectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspéctat. Vanitáti enim creatúra subiécta est, non volens, sed propter eum qui subiécit eam in spe: quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei.

Scimus enim quod omnis creatúra congemíscit et compárturit usque adhuc. Non solum autem, sed et

nos ipsi primítias Spíritus habéntes, et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum exspectántes, redemptiónem córporis nostri.

Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ vidétur non est spes; nam quod videt quis sperat? Si autem quod non vidémus sperámus, per patiéntiam exspectámus.

Simíliter autem et Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram: nam quid orémus sicut opórtet, nescímus; sed ipse Spíritus interpéllat gemítibus inenarrabílibus. Qui autem scrutátur corda scit quid desíderet Spíritus, quia secúndum Deum póstulat pro sanctis.

Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, his qui secúndum propósitum vocáti sunt. Nam quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii eius, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus.

Quos autem prædestinávit, hos et vocávit; et quos vocávit, hos et iustificávit; quos autem iustificávit, illos et glorificávit. — Verbum Dómini.

2

Neque mors neque vita poterit nos separare a caritate Dei.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános

8, 31 b-39

Fratres:

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donábit?

Quis accusábit advérsus eléctos Dei? Deus qui iustíficat; quis est qui condémnet? Christus Iesus, qui

mórtuus est, immo qui suscitátus est, qui et est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

Quis nos separábit a caritáte Christi? tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? Sicut scriptum est: « Propter te mortificámur tota die, æstimáti sumus ut oves occisiónis ».

Sed in his ómnibus supervíncimus per eum qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors neque vita, neque ángeli neque principátus, neque instántia neque futúra, neque virtútes, neque altitúdo neque profúndum, neque ália quælibet creatúra póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Iesu Dómino nostro. — Verbum Dómini.

3

Beatus vir, qui suffert tentationem.

Léctio Epístolæ beáti Iacóbi apóstoli 1, 2-4. 12

Omne gáudium existimáte, fratres mei, cum in tentatiónibus váriis incidéritis, sciéntes quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum hábeat, ut sitis perfécti et íntegri in nullo deficiéntes.

Beátus vir, qui suffert tentatiónem, quia, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Ps 32, 22

℟. Allelúia. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, quemádmodum sperávimus in te. ℟. Allelúia.

Omnis qui petit accipit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
7, 7-11

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Pétite, et dábitur vobis; quǽrite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis.

Omnis enim qui petit áccipit, et qui quærit ínvenit, et pulsánti aperiétur.

Aut quis est ex vobis homo, quem si petíerit fílius suus panem, numquid lápidem pórriget ei? aut si piscem petíerit, numquid serpéntem pórriget ei?

Si ergo vos, cum sitis mali, nostis dona bona dare fíliis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona peténtibus se ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia 2 Cor 1, 3 b-4 a

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus Pater misericordiárum
et Deus totíus consolatiónis,
qui consolátur nos in omni tribulatióne
nostra. ℟. Allelúia.

Quis est iste, quia et ventus et mare obœdiunt ei?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 4, 35-40

In illa die, cum sero esset factum, ait Iesus discípulis suis: « Transeámus contra ». Et dimitténtes turbam, assúmunt eum ut erat in navi, et áliæ naves erant cum illo.

Et exóritur procélla magna venti, et fluctus mittébant in navem ita ut iam implerétur navis.

Et erat ipse in puppi supra cervícal dórmiens; et

éxcitant eum et dicunt ei: « Magíster, non ad te pértinet quia perímus? »

Et exsúrgens comminátus est vento, et dixit mari: « Tace, obmutésce ». Et cessávit ventus, et facta est tranquíllitas magna.

Et ait illis: « Quid tímidi estis? necdum habétis fidem? » Et timuérunt magno timóre, et dicébant ad altérutrum: « Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obœ́diunt ei? » — Verbum Dómini.

3

Alleluia Iac 1, 12

℟. Allelúia. ℣. Beátus vir, qui suffert tentatiónem,
quóniam, cum probátus fúerit,
accípiet corónam vitæ. ℟. Allelúia.

Deus faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 18, 1-8

In illo témpore:

Dicébat Iesus discípulis suis parábolam, quóniam opórtet semper oráre et non defícere, dicens: « Iudex quidam erat in quadam civitáte, qui Deum non timébat et hóminem non reverebátur.

Vídua autem erat in civitáte illa; et veniébat ad eum dicens: “ Víndica me de adversário meo ”. Et nolébat per multum tempus.

Post hæc autem dixit intra se: “ Etsi Deum non tímeo nec hóminem revéreor, tamen, quia molésta est mihi hæc vídua, vindicábo illam, ne in novíssimo véniens suggíllet me ” ».

Ait autem Dóminus: « Audíte quid iudex iniquitátis dicit. Deus autem non fáciet vindíctam electórum

suórum clamántium ad se die ac nocte, et patiéntiam habébit in illis?

Dico vobis: cito fáciet vindíctam illórum. Verúmtamen Fílius hóminis véniens, putas, invéniet fidem in terra? » — Verbum Dómini.

39. PRO GRATIIS DEO REDDENDIS

A

Ant. ad introitum Eph 5, 19-20

Cantáte et psállite in córdibus vestris Dómino,
grátias agéntes semper pro ómnibus
in nómine Dómini nostri Iesu Christi Deo et Patri.

Collecta

Deus, qui fámulos tuos in tribulatióne pósitos
semper miserátus exáudis,
pro benignitáte tua grátias agéntes,
te súpplices deprecámur,
ut, líberi a malis ómnibus,
in gáudio tibi iúgiter serviámus.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1604-1617.

Super oblata

Dómine, qui Fílium tuum dedísti nobis,
ut nos a morte omníque malo benígnus eríperet,
quǽsumus, ut hoc sacrifícium cleménter accípias,
quod ab ærúmnis líberi
tibi in gratiárum offérimus actiónem.
Per Christum.

Præfatio communis IV, p. 776.

Ant. ad communionem Ps 137, 1

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo,
quóniam audísti verba oris mei.

Vel: Ps 115, 12-13

Quid retríbuam Dómino
pro ómnibus quæ retríbuit mihi?
Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo.

Post communionem

Omnípotens Deus, qui per hunc panem vitæ
fámulos tuos et a peccáti vínculo liberáre
et vires eórum dignáris tua pietáte refícere,
da nobis in spem glóriæ sine intermissióne profícere.
Per Christum.

B

Aliæ orationes

Collecta

Deus, Pater donórum ómnium,
a quo descéndere confitémur
quidquid habémus aut sumus,
benefícia doce nos imménsæ tuæ pietátis agnóscere,
ac te sincéro corde totáque nostra virtúte dilígere.
Per Dóminum.

Super oblata

Pro collátis donis
sacrifícium tibi, Dómine, laudis offérimus,
supplíciter deprecántes,
ut quod imméritis contulísti
ad nóminis tui glóriam referámus. Per Christum.

Post communionem

Deus, qui nobis in cibum spiritálem reddidísti
Fílii tui sacraméntum salutáre,
quod tibi in actiónem obtúlimus gratiárum,
da nobis ita virtútis et gáudii munéribus confirmári,
ut tibi servíre devótius
et nova benefícia cónsequi mereámur.
Per Christum.

Lectio prima

1

Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo.

Léctio libri primi Regum 8, 55-61

In diébus illis:

Stetit Sálomon rex et benedíxit omni ecclésiæ Israel voce magna, dicens: « Benedíctus Dóminus, qui dedit réquiem pópulo suo Israel, iuxta ómnia quæ locútus est; non cécidit ne unus quidem sermo ex ómnibus bonis, quæ locútus est per Móysen servum suum.

Sit Dóminus Deus noster nobíscum, sicut fuit cum pátribus nostris, non derelínquens nos neque proíciens; sed inclínet corda nostra ad se, ut ambulémus in univérsis viis eius, et custodiámus mandáta eius et cæremónias eius et iudícia, quæcúmque mandávit pátribus nostris.

Et sint sermónes mei isti, quibus deprecátus sum coram Dómino, appropinquántes Dómino Deo nostro die ac nocte, ut fáciat iudícium servo suo et pópulo suo

Israel per síngulos dies, ut sciant omnes pópuli terræ quia Dóminus ipse est Deus et non est ultra absque eo.

Sit quoque cor nostrum perféctum cum Dómino Deo nostro, ut ambulémus in decrétis eius, et custodiámus mandáta eius sicut et hódie ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

1 Chr 29, 10 bc. 11. 12 (℟.: 13 b)

℟. Laudámus nomen tuum ínclitum, Dómine.

vel Allelúia.

10 Benedíctus es, Dómine Deus Israel patris nostri,
ab ætérno in ætérnum. ℟.

11 Tua est, Dómine, magnificéntia et poténtia
et glória atque victória,
et tibi laus;
cuncta enim, quæ in cælo sunt et in terra, tua sunt.
Tuum, Dómine, regnum,
et tu es super omnes príncipes. ℟.

12 Tuæ divítiæ et tua est glória;
tu domináris ómnium,
in manu tua virtus et poténtia,
in manu tua magnitúdo et impérium ómnium. ℟.

2

Deus magna fecit in omni terra.

Léctio libri Sirácidæ 50, 24-26

Oráte Deum ómnium, qui magna fecit in omni terra, qui auxit dies nostros a ventre matris nostræ, et fecit nobíscum secúndum suam misericórdiam.

Det nobis iucunditátem cordis, et fíeri pacem in diébus nostris in Israel per dies sempitérnos; crédere

Israel nobíscum esse Dei misericórdiam, ut líberet nos in diébus suis. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 137, 1-2 a. 2 bc-3. 4-5 (℟.: 2 bc)

℟. Confitébor nómini tuo, Dómine,
propter misericórdiam tuam et veritátem tuam.

1 Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo,
quóniam audísti verba oris mei.
In conspéctu angelórum psallam tibi,
2 adorábo ad templum sanctum tuum. ℟.

Et confitébor nómini tuo
propter misericórdiam tuam et veritátem tuam.
3 In quacúmque die invocávero te, exáudi me;
multiplicábis in ánima mea virtútem. ℟.

4 Confitebúntur tibi, Dómine, omnes reges terræ,
quia audiérunt elóquia oris tui.
5 Et cantábunt vias Dómini,
quóniam magna est glória Dómini. ℟.

3

Recordabor laudem Domini super multitudinem bonorum domui Israel.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 63, 7-9

Miseratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus, quæ réddidit nobis Dóminus, et super multitúdinem bonórum dómui Israel, quæ largítus est eis secúndum indulgéntiam suam et secúndum multitúdinem misericordiárum suárum.

Et dixit: « Verúmtamen pópulus meus est, fílii non negántes »; et factus est eis salvátor. In omni tribulatióne eórum non est tribulátus, et ángelus faciéi eius salvávit eos. In dilectióne sua et in indulgéntia sua ipse redémit eos, et portávit eos et elevávit eos cunctis diébus sǽculi. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 144, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9. 10-11 (℟.: 1 b)

℟. Benedícam nómini tuo, Dómine, in ætérnum.

2 Per síngulos dies benedícam tibi,
et laudábo nomen tuum
in sǽculum et in sǽculum sǽculi.
3 Magnus Dóminus et laudábilis nimis,
et magnitúdinis eius non est investigátio. ℟.

4 Generátio generatióni laudábit ópera tua,
et poténtiam tuam pronuntiábunt.
5 Magnificéntiam glóriæ maiestátis tuæ loquéntur,
et mirabília tua enarrábunt. ℟.

6 Et virtútem terribílium tuórum dicent,
et magnitúdinem tuam narrábunt.
7 Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt,
et iustítia tua exsultábunt. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Suávis Dóminus univérsis,
et miseratiónes eius super ómnia ópera eius. ℟.

10 Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;
et sancti tui benedícant tibi.
11 Glóriam regni tui dicant,
et poténtiam tuam loquántur. ℟.

4

Rex Israel Dominus in medio tui.

Léctio libri Sophoníæ prophétæ 3, 14-15

Lauda, fília Sion; iúbila, Israel; lætáre et exsúlta in omni corde, fília Ierúsalem: ábstulit Dóminus iudícium tuum, avértit inimícos tuos; rex Israel Dóminus in médio tui, non timébis malum ultra.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 112, 1-2. 3-4. 5-6. 7-8 (℟.: 2)

℟. Sit nomen Dómini benedíctum in sǽcula.

vel Allelúia.

1 Laudáte, púeri Dómini,
laudáte nomen Dómini.
2 Sit nomen Dómini benedíctum
ex hoc nunc et usque in sǽculum. ℟.

3 A solis ortu usque ad occásum
laudábile nomen Dómini.
4 Excélsus super omnes gentes Dóminus,
super cælos glória eius. ℟.

5 Quis sicut Dóminus Deus noster,
qui in altis hábitat,
6 et humília réspicit
in cælo et in terra? ℟.

7 Súscitans de terra ínopem,
de stércore érigens páuperem,
8 ut cóllocet eum cum princípibus,
cum princípibus pópuli sui. ℟.

Lectio secunda

1

Gratias ago Deo meo semper pro vobis.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 1, 3-9

Fratres:

Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo.

Grátias ago Deo meo semper pro vobis, in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu; quia in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo et in omni sciéntia, sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis.

Ita ut nihil vobis desit in ulla donatióne, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri Iesu Christi; qui et confirmábit vos usque ad finem sine crímine, in die Dómini nostri Iesu Christi.

Fidélis Deus, per quem vocáti estis in communiónem Fílii eius Iesu Christi Dómini nostri.

Verbum Dómini.

2

In laudem gloriæ gratiæ suæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 1, 3-14

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus in Christo; sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti

in conspéctu eius in caritáte; qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Iesum Christum in ipsum, secúndum beneplácitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in Diléćto.

In quo habémus redemptiónem per sánguinem eius, remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ eius, qua superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia; notum fáciens nobis mystérium voluntátis suæ, secúndum beneplácitum eius, quod propósuit in eo, in dispensatiónem plenitúdinis témporum, recapituláre ómnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra.

In ipso, in quo étiam sorte vocáti sumus, prædestináti secúndum propósitum eius, qui ómnia operátur secúndum consílium voluntátis suæ, ut simus in laudem glóriæ eius, qui ante sperávimus in Christo; in quo et vos, cum audissétis verbum veritátis, Evangélium salútis vestræ, in quo et credéntes signáti estis Spíritu promissiónis Sancto, qui est árrabon hereditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus. — Verbum Dómini.

3

Gratias agentes Deo Patri per Christum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses
3, 12-17

Fratres:

Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis, si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

Super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis; et pax Christi dominétur in córdi-

bus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore; et grati estóte.

Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis et cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo. Et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Iesu, grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia — Ps 137, 1 bc

℟. Allelúia. ℣. Confitébor tibi, Dómine,
in toto corde meo,
quóniam audísti verba oris mei.
℟. Allelúia.

Omnis qui petit accipit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 7, 7-11

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Pétite, et dábitur vobis; quǽrite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis. Omnis enim qui petit áccipit, et qui quærit ínvenit, et pulsánti aperiétur.

Aut quis est ex vobis homo, quem si petíerit fílius suus panem, numquid lápidem pórriget ei? aut si piscem petíerit, numquid serpéntem pórriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis dona bona dare fíliis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona peténtibus se ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater,
Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Abscondisti hæc a sapientibus
et revelasti ea parvulis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
11, 25-30

In illo témpore, respóndens Iesus dixit: « Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis.

Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo; et nemo novit Fílium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre.

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos.

Tóllite iugum meum super vos, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde; et " inveniétis réquiem animábus vestris "; iugum enim meum suáve et onus meum leve est ».

Verbum Dómini.

3

Alleluia Cf. Ps 65, 16

℟. Allelúia. ℣. Veníte, audíte, et narrábo vobis
quanta fecit Dóminus ánimæ meæ.
℟. Allelúia.

Annuntia quanta tibi Dominus fecerit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 5, 18-20

In illo témpore:

Cum ascénderet Iesus navem, qui dæmónio vexátus fúerat deprecabátur eum ut esset cum illo.

Et non admísit eum, sed ait illi: « Vade in domum tuam ad tuos, et annúntia illis quanta tibi Dóminus fécerit, et misértus sit tui ».

Et ábiit et cœpit prædicáre in Decápoli quanta sibi fecísset Iesus, et omnes mirabántur. — Verbum Dómini.

4

Alleluia Lc 1, 49

℟. Allelúia. ℣. Fecit mihi magna qui potens est,
et sanctum nomen eius. ℟. Allelúia.

Magnificat anima mea Dominum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 1, 39-55

Exsúrgens María in diébus illis ábiit in montána cum festinatióne, in civitátem Iudæ. Et intrávit in domum Zacharíæ et salutávit Elísabeth.

Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero eius, et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, et exclamávit voce magna, et dixit:

« Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta quæ crédidit, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt ei a Dómino ».

Et ait María:

« Magníficat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo Salvatóri meo, quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.

Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes: quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum Nomen eius, et misericórdia eius in progénies et progénies timéntibus eum.

Fecit poténtiam in brácchio suo, dispérsit supérbos mente cordis sui, depósuit poténtes de sede et exaltávit húmiles, esuriéntes implévit bonis et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, memorári misericórdiæ, sicut locútus est ad patres nostros, Abraham et sémini eius in sǽcula ». — Verbum Dómini.

5

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater,
Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 17-24

In illo témpore:

Revérsi sunt ad Iesum septuagínta duo cum gáudio dicéntes: « Dómine, étiam dæmónia subiciúntur nobis in Nómine tuo ».

Et ait illis: « Vidébam Sátanam sicut fulgur de cælo cadéntem. Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes et scorpiónes, et supra omnem virtútem ini-

míci; et nihil vobis nocébit. Verúmtamen in hoc nolíte gaudére quia spíritus vobis subiciúntur; gaudéte autem quod nómina vestra scripta sunt in cælis ».

In ipsa hora exsultávit Spíritu Sancto et dixit: « Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quod abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Etiam, Pater, quia sic plácuit ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo scit qui sit Fílius, nisi Pater; et qui sit Pater, nisi Fílius et cui volúerit Fílius reveláre ».

Et convérsus ad discípulos seórsum dixit: « Beáti óculi qui vident quæ vidétis. Dico vobis: Multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt; et audíre quæ audítis, et non audiérunt ».

Verbum Dómini.

6

Alleluia 1 Th 5, 18

℟. Allelúia. ℣. In ómnibus grátias ágite:
hæc est enim volúntas Dei in Christo Iesu
in ómnibus vobis. ℟. Allelúia.

Cecidit in faciem ante pedes eius,
gratias agens ei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 17, 11-19

In illo témpore:

Factum est, dum iret Iesus in Ierúsalem, transíbat per médiam Samaríam et Galilǽam.

Et, cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi, qui stetérunt a longe et levavérunt vocem dicéntes: « Iesu præcéptor, miserére nostri ».

Quos ut vidit, dixit: « Ite, osténdite vos sacerdótibus ». Et factum est, dum irent, mundáti sunt.

Unus autem ex illis, ut vidit quia sanátus est, regréssus est cum magna voce, magníficans Deum, et cécidit in fáciem ante pedes eius, grátias agens ei. Et hic erat Samaritánus.

Respóndens autem Iesus dixit: « Nonne decem mundáti sunt? et novem ubi sunt? Non sunt invénti qui redírent ut darent glóriam Deo, nisi hic alienígena? »

Et ait illi: « Surge, vade: fides tua te salvum fecit ». — Verbum Dómini.

7

Alleluia — Io 15, 11

℟. Allelúia. ℣. Hæc locútus sum vobis, dicit Dóminus,
ut gáudium meum in vobis sit,
et gáudium vestrum impleátur.
℟. Allelúia.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem — 15, 9-17

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea; sicut ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne.

Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos. Maiórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis.

Vos amíci mei estis, si faciétis quæ ego præcípio

vobis. Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid facit dóminus eius: vos autem dixi amícos, quia ómnia quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

Non vos me elegístis; sed ego elégi vos et pósui vos, ut vos eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat; ut, quodcúmque petiéritis Patrem in Nómine meo, det vobis.

Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem ».

Verbum Dómini.

8

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Te Deum laudámus,
te Dóminum confitémur:
te per orbem terrárum
sancta confitétur Ecclésia. ℟. Allelúia.

Gaudium vestrum nemo tollit a vobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
16, 20-22

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Amen, amen dico vobis, quia plorábitis et flébitis vos, mundus autem gaudébit. Vos contristabímini, sed tristítia vestra vertétur in gáudium.

Múlier, cum parit, tristítiam habet, quia venit hora eius; cum autem pepérerit púerum, iam non méminit pressúræ propter gáudium, quia natus est homo in mundum.

Et vos ígitur nunc quidem tristítiam habétis; íterum autem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum, et gáudium vestrum nemo tollet a vobis ».

Verbum Dómini.

IV. PRO QUIBUSDAM NECESSITATIBUS PARTICULARIBUS

40. PRO REMISSIONE PECCATORUM

Ant. ad introitum — Cf. Sap. 11, 24. 25. 27

Miseréris ómnium, Dómine,
et nihil odísti eórum quæ fecísti,
dissímulans peccáta hóminum propter pæniténtiam,
et parcens illis, quia tu es Dóminus Deus noster.

Collecta

Súpplicum preces, quǽsumus, Dómine,
propitiátus exáudi,
et confiténtium tibi parce peccátis,
ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.
Per Dóminum.

Vel:

Propitiáre, Dómine, pópulo tuo,
et ab ómnibus absólve peccátis,
ut, quod nostris offensiónibus promerémur,
tua indulgéntia repellátur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1619-1632.

Super oblata

Hóstias tibi, Dómine,
placatiónis et laudis offérimus,
ut et delícta nostra miserátus absólvas,
et nutántia corda tu dírigas.
Per Christum.

Præfatio IV de dominicis per annum, p. 755.

Ant. ad communionem Lc 15, 10

Gáudium erit coram Angelis Dei
super uno peccatóre pæniténtiam agénte.

Post communionem

Præsta nobis, miséricors Deus,
ut, percipiéntes hoc múnere véniam peccatórum,
illa deínceps vitáre tua grátia valeámus,
et tibi sincéro corde servíre.
Per Christum.

Lectio prima

1

Revertatur ad Dominum, quoniam multus est ad ignoscendum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 55, 6-9

Quǽrite Dóminum, dum inveníri potest; invocáte eum, dum prope est. Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum et miserébitur eius; et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscéndum.

Non enim cogitatiónes meæ cogitatiónes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dóminus. Quia sicut exaltántur cæli a terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitatiónes meæ a cogitatiónibus vestris.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 1-2. 3-4. 8-9. 11-12 (℟.: 10 a)

℟. Non secúndum peccáta nostra Dóminus fecit nobíscum.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.

8 Miserátor et misericors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Non in perpétuum conténdet,
neque in ætérnum irascétur. ℟.

11 Quóniam, quantum exaltátur cælum a terra,
præváluit misericórdia eius super timéntes eum;
12 quantum distat ortus ab occidénte,
longe fecit a nobis iniquitátes nostras. ℟.

2

Convertimini et agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 18, 21-23. 30-32

Hæc dicit Dóminus:

« Si ímpius égerit pæniténtiam ab ómnibus peccátis suis, quæ operátus est, et custodíerit ómnia præcépta mea et fécerit iudícium et iustítiam, vita vivet et non moriétur; ómnium iniquitátum eius, quas operátus est, non recordábor; in iustítia sua, quam operátus est, vivet.

Numquid voluntátis meæ est mors ímpii? dicit Dóminus Deus, et non ut convertátur a viis suis et vivat?

Idcírco unumquémque iuxta vias suas iudicábo, domus Israel, ait Dóminus Deus.

Convertímini et ágite pæniténtiam ab ómnibus iniquitátibus vestris, et non erit vobis in ruínam iníquitas; proícite a vobis omnes prævaricatiónes vestras, in quibus prævaricáti estis, et fácite vobis cor novum et spíritum novum; et quare moriémini, domus Israel?

Quia nolo mortem moriéntis, dicit Dóminus Deus, revertímini et vívite ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 50, 3-4. 5-6 a. 12-13. 14 et 17 (℟.: cf. 3 a)

℟. Miserére, Dómine, quia peccávimus.

3 Miserére mei, Deus, secúndum misericórdiam tuam;
et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum
dele iniquitátem meam.
4 Amplius lava me ab iniquitáte mea,
et a peccáto meo munda me. ℟.

5 Quóniam iniquitátem meam ego cognósco,
et peccátum meum contra me est semper.
6 Tibi, tibi soli peccávi, et malum coram te feci. ℟.

12 Cor mundum crea in me, Deus,
et spíritum firmum ínnova in viscéribus meis.
13 Ne proícias me a fácie tua,
et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℟.

14 Redde mihi lætítiam salutáris tui,
et spíritu promptíssimo confírma me.
17 Dómine, lábia mea apéries,
et os meum annuntiábit laudem tuam. ℟.

3

Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.

Léctio libri Ioélis prophétæ 2, 12-18

Nunc dicit Dóminus: « Convertímini ad me in toto corde vestro, in ieiúnio et in fletu et in planctu, et scíndite corda vestra et non vestiménta vestra, et convertímini ad Dóminum Deum vestrum, quia benígnus et miséricors est, pátiens et multæ misericórdiæ et præstábilis super malítia. Quis scit, si convertátur et ignóscat et relínquat post se benedictiónem, sacrifícium et libámen Dómino Deo vestro?

Cánite tuba in Sion, sanctificáte ieiúnium, vocáte cœtum, congregáte pópulum, sanctificáte ecclésiam, coadunáte senes, congregáte párvulos et sugéntes úbera; egrediátur sponsus de cubíli suo, et sponsa de thálamo suo.

Inter vestíbulum et altáre plorábunt sacerdótes minístri Dómini, et dicent: " Parce, Dómine, parce pópulo tuo et ne des hereditátem tuam in oppróbrium, ut dominéntur eis natiónes. Quare dicunt in pópulis: Ubi est Deus eórum? " »

Zelátus est Dóminus terram suam, et pepércit pópulo suo. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 1-2. 3-4. 8-9. 11-12 (℟.: 8 a)

℟. Miserátor et misericors Dóminus.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino;
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Non in perpétuum conténdet,
neque in ætérnum irascétur. ℟.

11 Quóniam, quantum exaltátur cælum a terra,
præváluit misericórdia eius super timéntes eum;
12 quantum distat ortus ab occidénte,
longe fecit a nobis iniquitátes nostras. ℟.

4

Conversi sunt Ninivitæ de via sua mala.

Léctio libri Ionæ prophétæ 3, 1-10

Factum est verbum Dómini ad Ionam secúndo, dicens: « Surge, et vade in Níniven civitátem magnam; et prǽdica in ea prædicatiónem, quam ego loquor ad te ».
Et surréxit Ionas et ábiit in Níniven iuxta verbum Dómini; et Nínive erat cívitas magna itínere trium diérum.
Et cœpit Ionas introíre in civitátem itínere diéi unius, et clamávit et dixit: « Adhuc quadragínta dies, et Nínive subvertétur ».
Et credidérunt viri Ninivítæ in Deum; et prædicavérunt ieiúnium, et vestíti sunt saccis a maióre usque ad minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive, et surréxit de sólio suo, et abiécit vestiméntum suum a se, et indútus est sacco et sedit in cínere.
Et clamávit et dixit in Nínive, ex ore regis et prín-

cipum eius, dicens: « Hómines et iuménta et boves et pécora non gustent quidquam nec pascántur, et aquam non bibant; et operiántur saccis hómines et iuménta et clament ad Dóminum in fortitúdine, et convertátur vir a via sua mala et ab iniquitáte, quæ est in mánibus eórum. Quis scit, si convertátur et ignóscat Deus et revertátur a furóre iræ suæ, et non períbimus? »

Et vidit Deus ópera eórum, quia convérsi sunt de via sua mala, et misértus est Deus super malítiam, quam locútus fúerat ut fáceret eis, et non fecit.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 129, 1-2. 3-4. 5-6 a. 6 b-7. 8 (℟.: 3)

℟. Si iniquitátes observáveris, Dómine, quis sustinébit?

1 De profúndis clamávi ad te, Dómine;
2 Dómine, exáudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendéntes
in vocem deprecatiónis meæ. ℟.

3 Si iniquitátes observáveris, Dómine,
Dómine, quis sustinébit?
4 Quia apud te propitiátio est,
et timébimus te. ℟.

5 Sustínui te, Dómine;
sustínuit ánima mea in verbo eius,
6 sperávit ánima mea in Dómino. ℟.

Magis quam custódes auróram,
7 speret Israel in Dómino.
Quia apud Dóminum misericórdia,
et copiósa apud eum redémptio. ℟.

8 Et ipse rédimet Israel
ex ómnibus iniquitátibus eius. ℟.

Lectio secunda

1

Existimate vos mortuos quidem peccato,
viventes autem Deo.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
6, 2-4. 12-14

Fratres:

Qui mórtui sumus peccáto, quómodo adhuc vivémus in illo? An ignorátis quia quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu, in morte ipsíus baptizáti sumus?
Consepúlti ergo sumus cum illo per baptísmum in mortem, ut, quemádmodum suscitátus est Christus a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus.
Non ergo regnet peccátum in vestro mortáli córpore, ut obœdiátis concupiscéntiis eius. Neque exhibeátis membra vestra arma iniustítiæ peccáto; sed exhibéte vos Deo tamquam ex mórtuis vivéntes, et membra vestra arma iustítiæ Deo.
Peccátum enim vobis non dominábitur; non enim sub Lege estis, sed sub grátia. — Verbum Dómini.

2

Sanguis Iesu mundat nos ab omni peccato.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli
1, 5 — 2, 2

Caríssimi:

Hæc est annuntiátio, quam audívimus a Iesu Christo et annuntiámus vobis, quóniam Deus lux est, et ténebræ

in eo non sunt ullæ. Si dixérimus quóniam communiónem habémus cum eo, et in ténebris ambulámus, mentímur et non fácimus veritátem; si autem in luce ambulémus, sicut ipse est in luce, communiónem habémus ad ínvicem, et sanguis Iesu, Fílii eius, mundat nos ab omni peccáto. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus, et véritas in nobis non est.

Si confiteámur peccáta nostra, fidélis est et iustus, ut remíttat nobis peccáta et emúndet nos ab omni iniustítia. Si dixérimus quóniam non peccávimus, mendácem fácimus eum, et verbum eius non est in nobis.

Filíoli mei, hæc scribo vobis ut non peccétis; sed si quis peccáverit, advocátum habémus ad Patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est propitiátio pro peccátis nostris: non pro nostris autem tantum, sed étiam pro totíus mundi. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Cf. Ap 1, 5 ab

℟. Allelúia. ℣. Iesu Christe, testis es fidélis,
primogénitus mortuórum;
dilexísti nos et lavísti peccáta nostra
in sánguine tuo.
℟. Allelúia.

Glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 9, 1-8

In illo témpore:

Ascéndens Iesus in navículam transfretávit, et ve-

nit in civitátem suam. Et ecce offerébant ei paralýticum iacéntem in lecto.

Et videns Iesus fidem illórum, dixit paralýtico: « Confíde, fili, remittúntur peccáta tua ».

Et ecce quidam de scribis dixérunt intra se: « Hic blasphémat ».

Et, cum vidísset Iesus cogitatiónes eórum, dixit: « Ut quid cogitátis mala in córdibus vestris? Quid enim est facílius dícere: " Dimittúntur peccáta tua ", aut dícere: " Surge et ámbula? " Ut sciátis autem quóniam Fílius hóminis habet potestátem in terra dimitténdi peccáta, tunc ait paralýtico: " Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam " ».

Et surréxit et ábiit in domum suam.

Vidéntes autem turbæ, timuérunt et glorificavérunt Deum, qui dedit potestátem talem homínibus.

Verbum Dómini.

2

Alleluia — Mc 1, 15

℟. Allelúia. ℣. Appropinquávit Regnum Dei;
pænitémini et crédite Evangélio. ℟. Allelúia.

Pænitemini et credite Evangelio.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Marcum
1, 1-8. 14-15

Inítium Evangélii Iesu Christi Fílii Dei.

Sicut scriptum est in Isaía prophéta: « Ecce ego mitto ángelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ». Vox clamántis in desérto: « Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas eius ».

Fuit Ioánnes in desérto baptízans, et prædicans

baptísmum pæniténtiæ in remissiónem peccatórum. Et egrediebátur ad illum omnis Iudǽæ régio, et Hierosolymítæ univérsi, et baptizabántur ab illo in Iordáne flúmine confiténtes peccáta sua.

Et erat Ioánnes vestítus pilis caméli, et zona pellícea circa lumbos eius, et locústas et mel silvéstre edébat; et prædicábat dicens: « Venit fórtior me post me, cuius non sum dignus procúmbens sólvere corrígiam calceamentórum eius. Ego baptizávi vos aqua, ille vero baptizábit vos in Spíritu Sancto ».

Postquam autem tráditus est Ioánnes, venit Iesus in Galilǽam prǽdicans Evangélium Dei, et dicens: « Implétum est tempus, et appropinquávit Regnum Dei; pænitémini et crédite Evangélio ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia — Cf. Ap 1, 5 ab

℟. Allelúia. ℣. Iesu Christe, testis es fidélis,
primogénitus mortuórum;
dilexísti nos et lavísti peccáta nostra
in sánguine tuo. ℟. Allelúia.

Remissa sunt peccata eius multa,
quoniam dilexit multum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam — 7, 36-50

In illo témpore:

Rogábat Iesum quidam de pharisǽis ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum pharisǽi discúbuit. Et ecce múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quod accúbuit in domo pharisǽi, áttulit alabástrum unguénti; et stans retro secus pedes eius flens, lácrimis cœpit rigáre pedes eius, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes eius et unguénto ungébat.

Videns autem pharisǽus, qui vocáverat eum, ait intra se dicens: « Hic, si esset prophéta, sciret útique quæ et qualis múlier quæ tangit eum, quia peccátrix est ».

Et respóndens Iesus dixit ad illum: « Simon, hábeo tibi áliquid dícere ».

At ille ait: « Magíster, dic ».

« Duo debitóres erant cuídam fœneratóri: unus debébat denários quingéntos et álius quinquagínta. Non habéntibus illis unde rédderent, donávit utrísque. Quis ergo eórum plus díliget eum? »

Respóndens Simon dixit: « Æstimo quia is cui plus donávit ».

At ille dixit ei: « Recte iudicásti ».

Et convérsus ad mulíerem, dixit Simóni: « Vides hanc mulíerem? Intrávi in domum tuam, aquam pédibus meis non dedísti; hæc autem lácrimis rigávit pedes meos, et capíllis suis tersit. Osculum mihi non dedísti; hæc autem, ex quo intrávi, non cessávit osculári pedes meos. Oleo caput meum non unxísti; hæc autem unguénto unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remíssa sunt peccáta eius multa, quóniam diléxit multum. Cui autem minus dimíttitur, minus díligit ».

Dixit autem ad illam: « Remíssa sunt peccáta tua ».

Et cœpérunt qui simul accumbébant dícere intra se: « Quis est hic, qui étiam peccáta dimíttit? »

Dixit autem ad mulíerem: « Fides tua te salvam fecit; vade in pace ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia Ez 33, 11

℟. Allelúia. ℣. Nolo mortem ímpii, dicit Dóminus, sed ut convertátur et vivat. ℟. Allelúia.

Gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam
15, 1-3. 11-32

In illo témpore:

Erant appropinquántes Iesu omnes publicáni et peccatóres, ut audírent illum.

Et murmurábant pharisǽi et scribæ dicéntes: « Hic peccatóres récipit et mandúcat cum illis ».

Et ait ad illos parábolam istam dicens: « Homo quidam habébat duos fílios, et dixit adulescéntior ex illis patri: " Pater, da mihi portiónem substántiæ, quæ me contíngit ". Et divísit illis substántiam.

Et non post multos dies, congregátis ómnibus, adulescéntior fílius péregre proféctus est in regiónem longínquam; et ibi dissipávit substántiam suam vivéndo luxurióse.

Et, postquam ómnia consummásset, facta est fames válida in regióne illa, et ipse cœpit egére. Et ábiit et adhǽsit uni cívium regiónis illíus, et misit illum in villam suam, ut pásceret porcos. Et cupiébat saturári de síliquis, quas porci manducábant; et nemo illi dabat.

In se autem revérsus dixit: " Quanti mercenárii patris mei abúndant pánibus, ego autem hic fame péreo! Surgam et ibo ad patrem meum et dicam illi: Pater, peccávi in cælum et coram te: et iam non sum dignus vocári fílius tuus: fac me sicut unum de mercenáriis tuis ".

Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsíus, et misericórdia motus est; et accúrrens cécidit supra collum eius, et osculátus est illum.

Dixítque ei fílius: " Pater, peccávi in cælum et coram te: iam non sum dignus vocári fílius tuus ".

Dixit autem pater ad servos suos: " Cito proférte stolam primam et indúite illum, et date ánulum in manum eius et calceaménta in pedes; et addúcite vítulum saginátum, occídite et manducémus et epulémur; quia hic fílius meus mórtuus erat et revíxit, períerat et invéntus est ". Et cœpérunt epulári.

Erat autem fílius eius sénior in agro, et cum veníret et appropinquáret dómui, audívit symphóniam et choros; et vocávit unum de servis, et interrogávit quæ hæc essent.

Isque dixit illi: " Frater tuus venit, et occídit pater tuus vítulum saginátum, quia salvum illum recépit ". Indignátus est autem et nolébat introíre; pater ergo illíus egréssus cœpit rogáre illum.

At ille respóndens dixit patri suo: " Ecce tot annis sérvio tibi, et numquam mandátum tuum prætérii, et numquam dedísti mihi hædum, ut cum amícis meis epulárer; sed postquam fílius tuus hic, qui devorávit substántiam tuam cum meretrícibus, venit, occidísti illi vítulum saginátum ".

At ipse dixit illi: " Fili, tu semper mecum es, et ómnia mea tua sunt. Epulári autem et gaudére oportébat, quia frater tuus hic mórtuus erat et revíxit, períerat et invéntus est " ». — Verbum Dómini.

5

Alleluia Mc 1, 15

℟. Allelúia. ℣. Appropinquávit Regnum Dei;
pænitémini et crédite Evangélio.
℟. Allelúia.

Mittit Iesus apostolos prædicare pænitentiam in remissionem peccatorum

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 24, 46-48

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sic scriptum est, Christum pati et resúrgere a mórtuis die tértia, et prædicári in nómine eius pæniténtiam in remissiónem peccatórum in omnes gentes, incipiéntibus ab Ierúsalem. Vos estis testes horum ». — Verbum Dómini.

41. AD POSTULANDAM CARITATEM

Ant. ad introitum Ez 36, 26. 27. 28

Dicit Dóminus:
Auferam cor lapídeum de carne vestra,
et dabo vobis cor cárneum,
et spíritum meum ponam in médio vestri:
et éritis mihi in pópulum, et ego ero vobis in Deum.

Collecta

Corda nostra, quǽsumus, Dómine,
tuæ Spíritu caritátis inflámma,
ut tuæ digna semper ac plácita maiestáti cogitáre
et te in frátribus sincére dilígere valeámus.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Missis pro unitate christianorum, pp. 1454-1470, vel pro pace et iustitia servanda, pp. 1506-1515.

Super oblata

Propítius, Dómine, quǽsumus, hæc dona sanctífica,
et, hóstiæ spiritális oblatióne suscépta, concéde,
ut caritátem tuam ad omnes possímus exténdere.
Per Christum.

Ant. ad communionem 1 Cor 13, 13

Nunc autem manent fides, spes, cáritas, tria hæc: maior autem horum est cáritas.

Post communionem

Quos uno pane cæléstì satiásti,
quǽsumus, Dómine,
ut Sancti Spíritus grátia perfúndas,
et abundánter refícias perféctæ dulcédine caritátis.
Per Christum.

42. PRO CONCORDIA FOVENDA

Ant. ad introitum Act 4, 32. 33

Multitúdinis credéntium erat cor unum et ánima una.
Et virtúte magna reddébant Apóstoli
testimónium resurrectiónis Iesu Christi Dómini nostri;
et grátia magna erat in ómnibus illis, allelúia.

Collecta

Deus, summa únitas et vera cáritas,
da fidélibus tuis cor unum et ánimam unam,
ut Ecclésiæ tuæ corpus concórdia vígeat,
et, quæ veritátis confessióne nítitur,
stábili unitáte firmétur.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Missis pro unitate christianorum, pp. 1454-1470, vel pro pace et iustitia servanda, pp. 1506-1515.

Super oblata

Deus, qui nos ad imáginem tuam
sacraméntis rénovas et præcéptis,
gressus nostros in sémitis tuis pérfice miserátus,

ut caritátis donum, quod a nobis sperári fecísti,
per hæc quæ offérimus sacrifícia tríbuas apprehéndi.
Per Christum.

Præfatio de unitate, p. 1450.

Ant. ad communionem — Io 17, 20. 21

Rogo, Pater, pro eis qui creditúri sunt in me,
ut ipsi in nobis unum sint,
ut credat mundus quia tu me misísti, dicit Dóminus.

Post communionem

Súmpsimus, Dómine, sacraméntum unitátis;
præsta nobis, quǽsumus,
sancta unanimitáte in domo tua vivéntibus,
pacem habére quam trádimus,
pacem serváre quam súmimus.
Per Christum.

43. PRO FAMILIA

Ant. ad introitum — Eph 6, 2-3

Honóra patrem tuum et matrem tuam,
quod est mandátum primum in promissióne,
ut bene sit tibi et sis longǽvus super terram.

Collecta

Deus, cuius in ordinatióne
socíetas familiáris firmum suum habet fundaméntum,
réspice famulórum tuórum preces miserátus, et præsta,
ut, exémpla sanctæ Famíliæ Unigéniti tui
domésticis virtútibus caritatísque obséquio sectántes,
in lætítia domus tuæ prǽmiis fruámur ætérnis.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Missa pro sponsis, pp. 1288-1314.

Super oblata

Hóstiam tibi placatiónis offérimus, Dómine,
supplíciter deprecántes,
ut famílias nostras
in tua grátia fírmiter et pace constítuas.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Is 49, 15

Numquid oblivísci potest múlier infántem suum?
Et si illa oblíta fúerit,
ego tamen non oblivíscar tui, dicit Dóminus.

Post communionem

Quos cæléstibus réficis sacraméntis,
fac, clementíssime Pater,
sanctæ Famíliæ Unigéniti tui exémpla iúgiter imitári,
ut, post ærúmnas sǽculi,
eius consórtium consequántur ætérnum.
Per Christum.

44. PRO FAMILIARIBUS ET AMICIS

Ant. ad introitum — Cf. Ps 121, 6. 8

Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem,
et abundántia diligéntibus te.
Propter fratres meos et próximos meos
loquébar pacem de te.

Collecta

Deus, qui caritátis dona,
per grátiam Sancti Spíritus,

tuórum fidélium córdibus infudísti,
da fámulis tuis,
pro quibus tuam deprecámur cleméntiam,
salútem mentis et córporis,
ut te tota virtúte díligant,
et, quæ tibi sunt plácita, tota dilectióne perfíciant.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Missis pro unitate christianorum, pp. 1454-1470, vel pro pace et iustitia servanda, pp. 1506-1515.

Super oblata

Miserére, Dómine, fámulis tuis,
pro quibus hoc laudis sacrifícium
tuæ offérimus maiestáti,
ut, per hæc sancta,
supérnæ benedictiónis grátiam obtíneant,
et glóriam ætérnæ beatitúdinis acquírant.
Per Christum.

Ant. ad communionem — Mt 12, 50

Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei,
qui in cælis est,
ipse meus frater et soror et mater est, dicit Dóminus.

Post communionem

Te quǽsumus, Dómine, suméntes divína mystéria,
ut fámulis tuis, quibus dedísti in nos caritátem,
indulgéntiam tríbuas peccatórum,
consolatiónem vitæ gubernationémque perpétuam,
quátenus nos omnes, tibi unánimes serviéntes,
ante fáciem tuam congaudéntes perveníre mereámur.
Per Christum.

45. PRO AFFLIGENTIBUS NOS

Ant. ad introitum Lc 6, 27. 28

Dilígite inimícos vestros, dicit Dóminus;
benefácite his qui odérunt vos;
benedícite maledicéntibus vobis,
et oráte pro calumniántibus vos.

Collecta

Deus, qui caritátis tuæ præcépto voluísti,
ut nos affligéntibus amórem impendámus sincérum,
da nobis ita novæ legis sequi mandáta,
ut bona pro malis réddere
et álii aliórum ónera portáre studeámus.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Missis pro unitate christianorum, pp. 1454-1470, vel pro pace et iustitia servanda, pp. 1506-1515.

Super oblata

Pacem cum ómnibus habére cupiéntes,
tibi, Dómine, pro his qui nobis adversántur
hoc sacrifícium offérimus,
et Fílii tui mortem commemorámus,
per quam, cum inimíci essémus, tibi reconciliáti sumus.
Per Christum.

Ant. ad communionem Mt 5, 9-10

Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.
Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Post communionem

Per hæc pacis nostræ mystéria,
da nos, Deus, cum ómnibus esse pacíficos,

et eos qui nobis adversántur
tibi gratos effícere, nobísque placátos.
Per Christum.

46. AD POSTULANDAM GRATIAM BENE MORIENDI

Ant. ad introitum Ps 22, 4

Si ambulávero in médio umbræ mortis,
non timébo mala,
quóniam tu mecum es, Dómine, Deus meus.
Virga tua et báculus tuus ipsa me consoláta sunt.

Collecta

Deus, qui nos ad imáginem tuam creásti,
et pro nobis Fílium tuum mortem subíre voluísti,
concéde supplícibus tuis
ita vigiláre omni témpore orántes,
ut absque peccáti mácula de hoc mundo exíre,
et in sinu misericórdiæ tuæ
cum exsultatióne requiéscere mereámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1639-1644.

Super oblata

Sicut mortem nostram occidísti, Dómine,
morte Unigéniti tui,
ita eiúsdem sacraménti virtúte præsta,
ut, voluntáti tuæ obœdiéntes usque ad mortem,
cum pace et fidúcia de hoc sǽculo exíre,
et ipsíus resurrectiónis
partícipes éffici tuo múnere valeámus.
Per Christum.

Præfatio communis V, p. 777, vel VI, p. 778.

Ant. ad communionem Rom 14, 7-8

Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi móritur:
sive enim vívimus, Dómino vívimus;
sive mórimur, Dómino mórimur.
Sive ergo vívimus, sive mórimur, Dómini sumus.

Vel: Lc 21, 36

Vigiláte, omni témpore orántes,
ut digni habeámini stare ante Fílium hóminis.

Post communionem

Immortalitátis pígnora, Dómine,
per hæc mystéria consecúti,
pro nostræ mortis éxitu
pietátis tuæ auxílium súpplices implorámus,
ut, inimíci superátis insídiis,
in sinu glóriæ tuæ reficiámur ætérnæ.
Per Christum.

Lectio prima

Præcipitabit mortem in sempiternum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 25, 6-10 a

In die illa:

Fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc convívium pínguium, convívium vindémiæ, pínguium medullatórum, vindémiæ defæcátæ. Et præcipitábit in monte isto fáciem vínculi colligáti super omnes

pópulos, et telam quam ordítus est super omnes natiónes.

Præcipitábit mortem in sempitérnum, et áuferet Dóminus Deus lácrimam ab omni fácie, et oppróbrium pópuli sui áuferet de univérsa terra, quia Dóminus locútus est.

Et dicet in die illa: « Ecce Deus noster iste, exspectávimus eum, et salvábit nos; iste Dóminus, sustinúimus eum, exsultábimus et lætábimur in salutári eius. Quia requiéscet manus Dómini in monte isto ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 30, 2 et 6. 8 bc-9. 15-16. 17 et 25 (℟.: Lc 23, 46)

℟. Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum.

2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum;
in iustítia tua líbera me.
6 In manus tuas comméndo spíritum meum;
redemísti me, Dómine, Deus veritátis. ℟.

8 Quóniam respexísti humilitátem meam,
agnovísti necessitátes ánimæ meæ,
9 nec conclusísti me in mánibus inimíci,
statuísti in loco spatióso pedes meos. ℟.

15 Ego autem in te sperávi, Dómine;
dixi: « Deus meus es tu,
in mánibus tuis sortes meæ ».
16 Eripe me de manu inimicórum meórum
et a persequéntibus me. ℟.

17 Illústra fáciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericórdia tua.
25 Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum,
omnes qui sperátis in Dómino. ℟.

Lectio secunda

Sive vivimus sive morimur, Domini sumus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
14, 7-9. 10 b-12

Fratres:

Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus; sive mórimur, Dómino mórimur: sive ergo vívimus sive mórimur, Dómini sumus.

In hoc enim Christus et mórtuus est et vixit, ut et mortuórum et vivórum dominétur.

Omnes stábimus ante tribúnal Dei. Scriptum est enim: « Vivo ego, dicit Dóminus, quóniam mihi flectétur omne genu, et omnis lingua confitébitur Deo ». Itaque unusquísque nostrum pro se ratiónem reddet Deo.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Mt 24, 42 a. 44

℟. Allelúia. ℣. Vigiláte et estóte paráti,
quia qua nescítis hora
Fílius hóminis ventúrus est. ℟. Allelúia.

Ecce Sponsus, exite obviam ei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
25, 1-13

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc:

« Símile erit Regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso.

Quinque autem ex eis erant fátuæ et quinque prudéntes. Fátuæ enim, accéptis lampádibus suis, non sumpsérunt óleum secum; prudéntes vero accepérunt óleum in vasis cum lampádibus suis.

Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt.

Média autem nocte, clamor factus est: " Ecce sponsus, exíte óbviam ei ". Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas.

Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: " Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur ".

Respondérunt prudéntes dicéntes: " Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis ".

Dum autem irent émere, venit sponsus; et quæ parátæ erant intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est iánua.

Novíssime autem véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: " Dómine, Dómine, áperi nobis ". At ille respóndens ait: " Amen dico vobis, néscio vos ".

Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia — Lc 21, 36

℟. Allelúia. ℣. Vigiláte, omni témpore orántes,
ut digni habeámini stare
ante Fílium hóminis. ℟ Allelúia.

Qua hora non putatis, Filius hominis venit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes;

et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei.

Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes; amen dico vobis quod præcínget se et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt illi.

Hoc autem scitóte, quia, si sciret paterfamílias qua hora fur veníret, non sineret perfodíri domum suam. Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis venit ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia — Ap 2, 10 c

℟. Allelúia. ℣. Esto fidélis usque ad mortem,
dicit Dóminus,
et dabo tibi corónam vitæ. ℟. Allelúia.

Vigilate, omni tempore orantes.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 21, 34-36

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Atténdite vobis, ne forte gravéntur corda vestra in crápula et ebrietáte et curis huius vitæ, et supervéniat in vos repentína dies illa; tamquam láqueus enim supervéniet in omnes qui sedent super fáciem omnis terræ.

Vigiláte ítaque, omni témpore orántes, ut possítis fúgere ista ómnia quæ futúra sunt, et stare ante Fílium hóminis ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia Io 13, 1

℟. Allelúia. ℣. Sciens Iesus quia venit hora eius,
ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem,
cum dilexísset suos qui erant in mundo,
in finem diléxit eos. ℟. Allelúia.

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 23, 39-46

In illo témpore:

Unus de his qui pendébant latrónibus blasphemábat Iesum dicens: « Nonne tu es Christus? Salvum fac temetípsum et nos ».

Respóndens autem alter, increpábat illum dicens: « Neque tu times Deum, quod in eádem damnatióne es? Et nos quidem iuste, nam digna factis recípimus; hic vero nihil mali gessit ».

Et dicébat: « Iesu, meménto mei, cum véneris in Regnum tuum ».

Et dixit illi: « Amen dico tibi: hódie mecum eris in paradíso ».

Et erat iam fere hora sexta, et ténebræ factæ sunt in univérsa terra usque in horam nonam. Et obscurátus est sol, et velum templi scissum est médium.

Et clamans voce magna Iesus ait: « Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum ».

Et hæc dicens, exspirávit. — Verbum Dómini.

MISSÆ VOTIVÆ

1. DE SANCTISSIMA TRINITATE

Dicitur, cum colore albo, Missa de sollemnitate ut infra:

Ant. ad introitum

Benedíctus sit Deus Pater,
unigenitúsque Dei Fílius,
Sanctus quoque Spíritus,
quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Collecta

Deus Pater, qui, Verbum veritátis
et Spíritum sanctificatiónis mittens in mundum,
admirábile mystérium tuum homínibus declarásti,
da nobis, in confessióne veræ fídei,
ætérnæ glóriam Trinitátis agnóscere,
et Unitátem adoráre in poténtia maiestátis.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1649-1655.

Super oblata

Sanctífica, quǽsumus, Dómine Deus noster,
per tui nóminis invocatiónem,
hæc múnera nostræ servitútis,
et per ea nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum.
Per Christum.

Præfatio: De mysterio sanctissimæ Trinitatis.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui cum unigénito Fílio tuo et Spíritu Sancto
unus es Deus, unus es Dóminus:
non in uníus singularitáte persónæ,
sed in uníus Trinitáte substántiæ.

Quod enim de tua glória, reveládnte te, crédimus,
hoc de Fílio tuo,
hoc de Spíritu Sancto,
sine discretióne sentímus.

Ut, in confessióne veræ sempiternǽque Deitátis,
et in persónis propríetas,
et in esséntia únitas,
et in maiestáte adorétur æquálitas.

Quem laudant Angeli atque Archángeli,
Chérubim quoque ac Séraphim,
qui non cessant clamáre cotídie, una voce dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Ant. ad communionem Gal 4, 6

Quóniam autem estis fílii,
misit Deus Spíritum Fílii sui
in corda vestra clamántem:
Abba, Pater.

Post communionem

Profíciat nobis ad salútem córporis et ánimæ,
Dómine Deus noster, huius sacraménti suscéptio,
et sempitérnæ sanctæ Trinitátis
eiusdémque indivíduæ Unitátis conféssio.
Per Christum.

Lectio prima

1

Dominator Domine Deus, misericors et clemens.

Léctio libri Exodi 34, 4 b-6. 8-9

In diébus illis:

De nocte consúrgens Móyses ascéndit in montem Sínai, sicut præcéperat ei Dóminus, portans secum tábulas.

Cumque descendísset Dóminus per nubem, stetit Móyses cum eo ínvocans nomen Dómini. Quo transeúnte coram eo, ait: « Dominátor Dómine Deus, miséricors et clemens, pátiens et multæ miseratiónis ac verax ».

Festinúsque Móyses curvátus est pronus in terram et adórans ait: « Si invéni grátiam in conspéctu tuo, Dómine, óbsecro ut gradiáris nobíscum (pópulus enim duræ cervícis est), et áuferas iniquitátes nostras atque peccáta, nosque possídeas ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Dan 3, 52. 53. 54. 55. 56.

52 Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum,
et benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum.
℟. Et laudábile et superexaltátum in ómnibus sǽculis.
53 Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ.
℟. Et superlaudábilis et supergloriósus in sǽcula.
54 Benedíctus es in throno regni tui.
℟. Et superlaudábilis et superexaltátus in sǽcula.
55 Benedíctus es, qui intuéris abýssos
et sedes super chérubim.
℟. Et laudábilis et superexaltátus in sǽcula.
56 Benedíctus es in firmaménto cæli.
℟. Et laudábilis et gloriósus in sǽcula.

2

Dominus ipse est Deus in cælo sursum et in terra deorsum, et non est alius.

Léctio libri Deuteronómii 4, 32-34. 39-40

Locútus est Móyses pópulo dicens:

« Intérroga de diébus antíquis, qui fuérunt ante te ex die, quo creávit Deus hóminem super terram, a summo cælo usque ad summum eius, si facta est aliquándo huiuscémodi res, aut unquam cógnitum est, ut audíret pópulus vocem Dei loquéntis de médio ignis, sicut tu audísti, et vixísti; si fecit Deus ut ingrederétur et tólleret sibi gentem de médio natiónum per tentatiónes, signa atque porténta, per pugnam et robústam manum extentúmque brácchium et horríbiles visiónes, iuxta ómnia quæ fecit pro vobis Dóminus Deus vester in Ægýpto, vidéntibus óculis tuis.

Scito ergo hódie et cogitáto in corde tuo, quod Dóminus ipse sit Deus in cælo sursum et in terra deórsum, et non sit álius. Custódi præcépta eius atque mandáta, quæ ego præcípio tibi, ut bene sit tibi et fíliis tuis post te et permáneas multo témpore super terram, quam Dóminus Deus tuus datúrus est tibi ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 32, 4-5. 6 et 9. 18-19. 20 et 22 (℟.: 12 b)

℟. Beátus pópulus, quem elégit Dóminus
in hereditátem sibi.

4 Quia rectum est verbum Dómini,
et ómnia ópera eius in fide.
5 Díligit iustítiam et iudícium,
misericórdia Dómini plena est terra. ℟.

6 Verbo Dómini cæli facti sunt,
et spíritu oris eius omnis virtus eórum.
9 Quóniam ipse dixit, et facta sunt,
ipse mandávit, et creáta sunt. ℟.

18 Ecce óculi Dómini super metuéntes eum,
in eos qui sperant super misericórdia eius,
19 ut éruat a morte ánimas eórum,
et alat eos in fame. ℟.

20 Anima nostra sústinet Dóminum,
quóniam adiútor et protéctor noster est.
22 Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos,
quemádmodum sperávimus in te. ℟.

3

Antequam terra fieret, Sapientia iam concepta erat.

Léctio libri Proverbiórum 8, 22-31

Hæc lóquitur Sapiéntia Dei:

« Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio.

Ab ætérno ordináta sum et ex antíquis, ántequam terra fíeret.

Nondum erant abýssi, et ego iam concépta eram, necdum fontes aquárum erúperant, necdum montes gravi mole constíterant, ante colles ego parturiébar: adhuc terram non fécerat et flúmina et cárdines orbis terræ.

Quando præparábat cælos, áderam; quando certa lege et gyro vallábat abýssos; quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum; quando circúmdabat mari términum suum et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos; quando appendébat fundaménta terræ, cum eo eram cuncta compónens et delectábar per

síngulos dies ludens coram eo omni témpore, ludens in orbe terrárum, et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 8, 4-5. 6-7. 8-9 (℟.: 2 a)

℟. Dómine, Dóminus noster,
quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

4 Quando vídeo cælos tuos, ópera digitórum tuórum,
lunam et stellas quæ tu fundásti:
5 quid est homo, quod memor es eius?
aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? ℟.

6 Minuísti eum paulo minus ab Angelis,
glória et honóre coronásti eum:
7 et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.
Omnia subiecísti sub pédibus eius. ℟.

8 Oves et boves univérsas, ínsuper et pécora campi,
9 vólucres cæli et pisces maris,
quæcúmque perámbulant sémitas maris. ℟.

Lectio secunda

1

Gratia Iesu Christi et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 13, 11-13

Fratres:

Gaudéte, perfécti estóte, exhortámini ínvicem, idem sápite, pacem habéte, et Deus dilectiónis et pacis erit vobíscum.

Salutáte ínvicem in ósculo sancto.

Salútant vos sancti omnes.

Grátia Dómini Iesu Christi et cáritas Dei et communicátio Sancti Spíritus cum ómnibus vobis.

Verbum Dómini.

2

Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater!

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 8, 14-17

Fratres:

Quicúmque Spíritu Dei agúntur, hi fílii Dei sunt. Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis Spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: « Abba, Pater! » Ipse Spíritus testimónium reddit una cum spíritu nostro quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et herédes; herédes quidem Dei, coherédes autem Christi, si tamen compátimur ut et conglorificémur. — Verbum Dómini.

3

Ad Deum per Christum in caritate diffusa per Spiritum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 5, 1-5

Fratres:

Iustificáti ígitur ex fide, pacem habémus ad Deum per Dóminum nostrum Iesum Christum, per quem et accéssum habémus fide in grátiam istam in qua stamus et gloriámur in spe glóriæ Dei. Non solum autem, sed et gloriámur in tribulatiónibus, sciéntes quod tribu-

látio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio vero spem; spes autem non confúndit, quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum qui datus est nobis. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Ap 1, 8

℟. Allelúia. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto, Deo qui est, et qui erat, et qui ventúrus est.
℟. Allelúia.

Misit Deus Filium, ut salvetur mundus per ipsum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 3, 16-18

In illo témpore: Dixit Iesus Nicodémo:

« Sic diléxit Deus mundum, ut Fílium suum Unigénitum daret, ut omnis qui credit in eum non péreat sed hábeat vitam ætérnam. Non enim misit Deus Fílium in mundum ut iúdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. Qui credit in eum non iudicátur: qui autem non credit iam iudicátus est, quia non crédidit in Nómine Unigéniti Fílii Dei ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Ap 1, 8

℟. Allelúia. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto, Deo qui est, et qui erat, et qui ventúrus est.
℟. Allelúia.

Baptizantes eos in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 28, 16-20

In illo témpore:

Undecim discípuli abiérunt in Galilǽam, in Montem ubi constitúerat illis Iesus, et vidéntes eum adoravérunt, quidam autem dubitavérunt.

Et accédens Iesus locútus est eis dicens: « Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in Nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti, docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis: et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem sǽculi ».

Verbum Dómini.

3

Alleluia Ap 1, 8

℟. Allelúia. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto, Deo qui est, et qui erat, et qui ventúrus est.
℟. Allelúia.

Quæcumque habet Pater, mea sunt; Spiritus de meo accipiet et annuntiabit vobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 16, 12-15

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis:

« Adhuc multa hábeo vobis dícere, sed non potéstis portáre modo: cum autem vénerit ille, Spíritus veritátis, ducet vos in omni veritáte: non enim loquétur a semetípso, sed quæcúmque áudiet loquétur, et quæ ventúra sunt annuntiábit vobis. Ille me glorificábit, quia de meo accípiet et annuntiábit vobis. Omnia quæcúmque habet Pater, mea sunt; proptérea dixi quia de meo áccipit et annuntiábit vobis ». — Verbum Dómini.

2. DE MYSTERIO SANCTÆ CRUCIS

Dicitur, cum colore rubro, Missa de festo Exaltationis sanctæ Crucis, die 14 septembris, ut infra:

Ant. ad introitum Cf. Gal 6, 14

Nos autem gloriári opórtet
in cruce Dómini nostri Iesu Christi,
in quo est salus, vita et resurréctio nostra,
per quem salváti et liberáti sumus.

Collecta

Deus, qui Unigénitum tuum crucem subíre voluísti,
ut salvum fáceret genus humánum,
præsta, quǽsumus,
ut, cuius mystérium in terra cognóvimus,
eius redemptiónis prǽmia in cælo cónsequi mereámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1658-1682.

Super oblata

Hæc oblátio, Dómine, quǽsumus,
ab ómnibus nos purget offénsis,
quæ in ara crucis totíus mundi tulit offénsam.
Per Christum.

Præfatio: De victoria crucis gloriosæ.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus:

Qui salútem humáni géneris
in ligno crucis constituísti,
ut, unde mors oriebátur, inde vita resúrgeret;
et, qui in ligno vincébat,
in ligno quoque vincerétur:
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam laudant Angeli,
adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes.
Cæli cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim,
sócia exsultatióne concélebrant.

Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas,
deprecámur, súpplici confessióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Dici potest etiam præfatio de Passione Domini, I, p. 751.

Ant. ad communionem — Io 12, 32

Ego si exaltátus fúero a terra,
omnes traham ad meípsum, dicit Dóminus.

Post communionem

Refectióne tua sancta enutríti,
Dómine Iesu Christe, súpplices deprecámur,
ut, quos per lignum crucis vivíficæ redemísti,
ad resurrectiónis glóriam perdúcas.
Qui vivis.

Lectio prima

1

Præcepta de cena paschali.

Léctio libri Exodi 12, 1-8. 11-14

In diébus illis:

Dixit Dóminus ad Móysen et Aaron in terra Ægýpti: « Mensis iste vobis princípium kménsium primus erit in ménsibus anni.

Loquímini ad univérsum cœtum filiórum Israel, et dicite eis: " Décima die mensis huius tollat unusquísque agnum per famílias et domos suas. Sin autem minor est númerus ut suffícere possit ad vescéndum agnum, assúmet vicínum suum, qui iunctus est dómui suæ, iuxta númerum animárum quæ suffícere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque mácula, másculus, annículus; iuxta quem ritum tollétis et hædum.

Et servábitis eum usque ad quartam décimam diem mensis huius; immolabítque eum univérsa multitúdo filiórum Israel ad vésperam. Et sument de sánguine eius, ac ponent super utrúmque postem et in superlimináribus domórum, in quibus cómedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni et ázymos panes cum lactúcis agréstibus.

Sic autem comedétis illum: renes vestros accingétis, et calceaménta habébitis in pédibus, tenéntes báculos in mánibus, et comedétis festinánter; est enim Phase (id est tránsitus) Dómini.

Et transíbo per terram Ægýpti nocte illa, percutiámque omne primogénitum in terra Ægýpti ab hómine usque ad pecus, et in cunctis diis Ægýpti fáciam iudícia: Ego Dóminus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus éritis; et vidébo sángui-

nem, et transíbo vos; nec erit in vobis plaga dispérdens, quando percússero terram Ægýpti.

Habébitis autem hunc diem in monuméntum; et celebrábitis eam sollémnem Dómino in generatiónibus vestris, cultu sempitérno " ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 117, 16 ab-18. 19-21. 22-23 (℟.: 1)

℟. Confitémini Dómino,
quóniam in sæculum misericórdia eius.

vel Allelúia.

16 Déxtera Dómini fecit virtútem,
déxtera Dómini exaltávit me;
17 non móriar, sed vivam,
et narrábo ópera Dómini.
18 Castígans castigávit me Dóminus,
et morti non trádidit me. ℟.

19 Aperíte mihi portas iustítiæ,
ingréssus in eas confitébor Dómino;
20 hæc porta Dómini, iusti intrábunt in eam.
21 Confitébor tibi, quóniam exaudísti me,
et factus es mihi in salútem. ℟.

22 Lápidem quem reprobavérunt ædificántes,
hic factus est in caput ánguli;
23 a Dómino factum est istud,
et est mirábile in óculis nostris. ℟.

2

Morte turpissima condemnemus eum.

Léctio libri Sapiéntiæ 2, 1 a. 12-22

Dixérunt ímpii cogitántes apud se non recte: « Cir-

cumveniámus iustum, quóniam inútilis est nobis, et contrárius est opéribus nostris, et impróperat nobis peccáta legis, et diffámat in nos peccáta disciplínæ nostræ.

Promíttit se sciéntiam Dei habére et fílium Dei se nóminat; factus est nobis in traductiónem cogitatiónum nostrárum; gravis est nobis étiam ad vidéndum; quóniam dissímilis est áliis vita illíus et immutátæ sunt viæ eius.

Tamquam nugáces æstimáti sumus ab illo, et ábstinet se a viis nostris tamquam ab immundítiis; et præfert novíssima iustórum, et gloriátur patrem se habére Deum.

Videámus ergo si sermónes illíus veri sint, et tentémus quæ ventúra sunt illi, et sciémus quæ erunt novíssima illíus. Si enim est verus fílius Dei, suscípiet illum et liberábit eum de mánibus contrariórum.

Contumélia et torménto interrogémus eum, ut sciámus reveréntiam eius et probémus patiéntiam illíus.

Morte turpíssima condemnémus eum; erit enim ei respéctus ex sermónibus illíus ».

Hæc cogitavérunt et erravérunt; excæcávit enim illos malítia eórum. Et nesciérunt sacraménta Dei, neque mercédem speravérunt iustítiæ, nec iudicavérunt honórem animárum sanctárum.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 21, 8-9. 17-18 a. 19-20. 23-24 (℟.: Mt 26, 42)

℟. Pater mi, fiat volúntas tua.

8 Omnes vidéntes me derisérunt me;
torquéntes lábia movérunt caput:
9 « Sperávit in Dómino, erípiat eum;
salvum fáciat eum, quóniam vult eum ». ℟.

17 Quóniam circumdedérunt me canes multi,
concílium malignántium obsédit me.
Fodérunt manus meas et pedes meos,
18 et dinumerávi ómnia ossa mea. ℟.

19 Divisérunt sibi vestiménta mea,
et super vestem meam misérunt sortem.
20 Tu autem, Dómine, ne elongáveris,
fortitúdo mea, ad adiuvándum me festína. ℟.

23 Narrábo nomen tuum frátribus meis,
in médio ecclésiæ laudábo te.
24 Qui timétis Dóminum, laudáte eum,
univérsum semen Iacob, glorificáte eum.
Métuat eum omne semen Israel. ℟.

3

Faciem meam non averti ab increpantibus.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 50, 4-9 a

Dóminus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum qui lassus est verbo. Erigit mane, mane érigit mihi aurem, ut áudiam quasi magístrum. Dóminus Deus apéruit mihi aurem, ego autem non contradíco; retrórsum non ábii.

Corpus meum dedi percutiéntibus et genas meas velléntibus; fáciem meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me.

Dóminus Deus auxiliátor meus, ídeo non sum confúsus, ídeo pósui fáciem meam ut petram duríssimam, et scio quóniam non confúndar. Iuxta est qui iustíficat me, quis contradícet mihi? Stemus simul, quis est adversárius meus? accédat ad me.

Ecce Dóminus Deus auxiliátor meus, quis est qui condémnet me? — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 30, 2 et 6. 12-13. 15-16. 17 et 25 (℟.: Lc 23, 46)

℟. Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum.

2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum;
in iustítia tua líbera me.
6 In manus tuas comméndo spíritum meum;
redemísti me, Dómine, Deus veritátis. ℟.

12 Apud omnes inimícos meos factus sum oppróbrium,
et vicínis meis valde, et timor notis meis:
qui vidébant me foras, fugiébant a me.
13 Oblivióni a corde datus sum tamquam mórtuus;
factus sum tamquam vas pérditum. ℟.

15 Ego autem in te sperávi, Dómine;
dixi: « Deus meus es tu,
16 in mánibus tuis sortes meæ ».
Eripe me de manu inimicórum meórum
et a persequéntibus me. ℟.

17 Illústra fáciem tuam super servum tuum,
salvum me fac in misericórdia tua.
25 Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum,
omnes qui sperátis in Dómino. ℟.

4

Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 52, 13 — 53, 12

Ecce intélleget servus meus, exaltábitur et elevábitur et sublímis erit valde. Sicut obstupuérunt super te multi, sic inglórius erit inter viros aspéctus eius, et forma eius inter fílios hóminum. Iste aspérget gentes multas, super ipsum continébunt reges os suum, quia

quibus non est narrátum de eo vidérunt, et qui non audiérunt contempláti sunt.

Quis crédidit audítui nostro? et brácchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti.

Non est spécies ei neque decor; et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum; despéctum et novíssimum virórum, virum dolórum et sciéntem infirmitátem, et quasi abscónditus vultus eius et despéctus, unde nec reputávimus eum.

Vere languóres nostros ipse tulit et dolóres nostros ipse portávit, et nos putávimus eum quasi leprósum et percússum a Deo et humiliátum.

Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, disciplína pacis nostræ super eum, et livóre eius sanáti sumus. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit, et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum.

Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum; sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum.

De angústia et de iudício sublátus est. Generatiónem eius quis enarrábit? quia abscíssus est de terra converséntium; propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua, eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore eius.

Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte. Si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu eius dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima eius, vidébit et saturábitur. In sciéntia sua iustificábit ipse iustus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit.

Ideo dispértiam ei plúrimos, et fórtium dívidet spólia, pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est; et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.
Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 68, 8-10. 15-16. 17-19 (℟.: 14 c)

℟. In multitúdine misericórdiæ tuæ,
exáudi me, Dómine.

8 Quóniam propter te sustínui oppróbrium,
opéruit confúsio fáciem meam;
9 extráneus factus sum frátribus meis,
et peregrínus fíliis matris meæ.
10 Quóniam zelus domus tuæ comédit me,
et oppróbria exprobrántium tibi
cecidérunt super me. ℟.

15 Eripe me de luto, ut non infígar,
erípiar ab iis qui odérunt me,
et de profúndis aquárum.
16 Non me demérgat fluctus aquárum,
neque absórbeat me profúndum;
neque úrgeat super me púteus os suum. ℟.

17 Exáudi me, Dómine,
quóniam benígna est misericórdia tua;
secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum
réspice in me.
18 Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo,
quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.
19 Accéde ad ánimam meam, víndica eam,
propter inimícos meos rédime me. ℟.

5

Videbunt in quem transfixerunt.

Léctio libri Zacharíæ prophétæ 12, 10-11; 13, 6-7

Hæc dicit Dóminus: « Effúndam super domum David et super habitatóres Ierúsalem spíritum grátiæ et precum, et aspícient ad me quem confixérunt, et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Ierúsalem, sicut planctus Adadrémmon in campo Magéddon.

Et dicétur ei: "Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? " Et dicet: " His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me ".

Frámea, suscitáre super pastórem meum et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, et dispergéntur oves, et convértam manum meam ad párvulos ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 68, 20-21. 22 et 27. 31 et 33-34 (℟.: cf. 21 cd)

℟. Exspectávi commiseràntem, sed non fuit,
et consolántes, sed non invéni.

20 Tu scis oppróbrium meum
et confusiónem meam et reveréntiam meam.
In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me;
21 oppróbrium contrívit cor meum, et elángui.
Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit,
et qui consolarétur, et non invéni. ℟.

22 Et dedérunt in escam meam fel,
et in siti mea potavérunt me acéto.
27 Quóniam quem tu percussísti persecúti sunt,
et super dolórem eius, quem vulnerásti, addidérunt. ℟.

31 Laudábo nomen Dei cum cántico,
et magnificábo eum in laude.
33 Vídeant húmiles et læténtur;
quǽrite Deum, et vivet cor vestrum.
34 Quóniam exaudívit páuperes Dóminus,
et vinctos suos non despéxit. ℟.

Lectio secunda

1

Nos prædicamus Christum crucifixum.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 1, 18-25

Fratres:

Verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est enim: « Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo ». Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor huius sǽculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam huius mundi?

Nam, quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes.

Quóniam et Iudǽi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt; nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Iudǽis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis, Iudǽis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam; quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus, et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

Verbum Dómini.

2

Ipse est pax nostra,
qui solvit inimicitiam in carne sua.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
2, 13-18

Fratres:

Nunc in Christo Iesu vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope in sánguine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit útraque unum et médium paríetem macériæ solvit, inimicítiam, in carne sua, Legem mandatórum in decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem, fáciens pacem, et reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítiam in semetípso.

Et véniens evangelizávit pacem vobis, qui longe fuístis, et pacem his qui prope; quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno Spíritu ad Patrem.

Verbum Dómini.

3

Humiliavit semetipsum:
propter quod et Deus illum exaltavit.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses
2, 6-11

Fratres:

Christus Iesus, cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo, sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus: et hábitu invéntus ut homo, humiliávit semetípsum factus obœdiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Propter quod et Deus illum exaltávit et donávit illi Nomen, quod est super omne nomen, ut in Nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium et terréstrium et infernórum, et omnis lingua confiteátur « Dóminus Iesus Christus! », in glóriam Dei Patris.

Verbum Dómini.

4

Ad cognoscendum Christum
et virtutem resurrectionis eius
et communionem passionum illius.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses
3, 8-14

Fratres:

Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntiam sciéntiae Christi Iesu Dómini mei: propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens meam iustítiam, quæ ex Lege est; sed illam, quæ per fidem est Christi, quæ ex Deo est iustítia in fide; ad cognoscéndum illum et virtútem resurrectiónis eius et communiónem passiónum illíus, confórmans me morti eius, si quo modo occúrram ad resurrectiónem quæ est ex mórtuis.

Non quod iam accéperim aut iam perféctus sim; pérsequor autem, si umquam comprehéndam, sicut et comprehénsus sum a Christo Iesu.

Fratres, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem: quæ quidem retro sunt oblivíscens, ad ea vero quæ ante sunt exténdens me, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Iesu.

Verbum Dómini.

5

Didicit obœdientiam et factus est auctor salutis æternæ.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 5, 7-9

Christus in diébus carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui possit salvum illum a morte fácere, cum clamóre válido et lácrimis ófferens, et exaudítus pro sua reveréntia.

Et quidem, cum esset Fílius, dídicit ex his quæ passus est obœdiéntiam, et consummátus factus est ómnibus obœdiéntibus sibi auctor salútis ætérnæ.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Per lignum servi facti sumus,
et per sanctam crucem liberáti sumus;
fructus árboris sedúxit nos,
Fílius Dei redémit nos. ℟. Allelúia.

Oportet Filium hominis multa pati.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 8, 31-34

In illo témpore:

Cœpit Iesus docére discípulos suos: « Opórtet Fílium hóminis multa pati et reprobári a senióribus et a summis sacerdótibus et scribis, et occídi, et post tres dies resúrgere ». Et palam verbum loquebátur.

Et apprehéndens eum Petrus cœpit increpáre eum. Qui convérsus, et videns discípulos suos, commi-

nátus est Petro et dicit: « Vade retro me, Sátana, quóniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hóminum ».

Et, convocáta turba cum discípulis suis, dixit eis: « Si quis vult post me sequi, déneget se ipsum, et tollat crucem suam, et sequátur me ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Phil 2, 8-9

℟. Allelúia. ℣. Christus factus est pro nobis obœdiens
usque ad mortem, mortem autem crucis.
Propter quod et Deus exaltávit illum,
et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. ℟. Allelúia.

Apprehendentes filium dilectum occiderunt et eiecerunt extra vineam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 12, 1-12

In illo témpore:

Cœpit Iesus summis sacerdótibus et scribis et senióribus in parábolis loqui: « Víneam pastinávit homo, et circúmdedit sæpem, et fodit lacum, et ædificávit turrim, et locávit eam agrícolis, et péregre proféctus est.

Et misit ad agrícolas in témpore servum, ut ab agrícolis accíperet de fructu víneæ. Qui apprehénsum eum cæcidérunt et dimisérunt vácuum. Et íterum misit ad illos álium servum, et illum in cápite vulneravérunt et contuméliis affecérunt. Et álium misit, et illum occidérunt, et plures álios, quosdam cædéntes, álios vero occidéntes.

Adhuc unum habébat, fílium diléctum: misit illum

ad eos novíssimum, dicens: " Reverebúntur fílium meum ".

Colóni autem illi dixérunt ad ínvicem: " Hic est heres: veníte, occidámus eum, et nostra erit heréditas ". Et apprehendéntes eum occidérunt et eiecérunt extra víneam.

Quid ergo fáciet dóminus víneæ? Véniet et perdet colónos et dabit víneam áliis. Nec Scriptúram hanc legístis: " Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli; a Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris "? »

Et quærébant eum tenére, et timuérunt turbam; cognovérunt enim, quóniam ad eos parábolam hanc díxerit. Et, relícto eo, abiérunt. — Verbum Dómini.

3

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi,
quia per crucem tuam redemísti mundum.
℟. Allelúia.

Videte manus meas et pedes meos.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 24, 35-48

In illo témpore:

Narrábant discípuli quæ gesta erant in via, et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Dum hæc autem loquúntur, stetit Iesus in médio eórum et dicit eis: « Pax vobis ». Conturbáti vero et contérriti existimábant se spíritum vidére.

Et dixit eis: « Quid turbáti estis, et quare cogitatiónes ascéndunt in corda vestra? Vidéte manus meas et pedes meos, quia ipse ego sum; palpáte me et vidéte,

quia spíritus carnem et ossa non habet, sicut me vidétis habére ».

Et, cum hoc dixísset, osténdit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credéntibus præ gáudio et mirántibus, dixit eis: « Habétis hic áliquid quod manducétur? » At illi obtulérunt ei partem piscis assi. Et sumens coram eis manducávit.

Et dixit ad eos: « Hæc sunt verba quæ locútus sum ad vos, cum adhuc essem vobíscum, quóniam necésse est impléri ómnia quæ scripta sunt in lege Móysis et prophétis et psalmis de me ». Tunc apéruit illis sensum, ut intellégerent Scriptúras.

Et dixit eis: « Sic scriptum est, Christum pati, et resúrgere a mórtuis die tértia, et prædicári in nómine eius pæniténtiam in remissiónem peccatórum in omnes gentes, incipiéntibus ab Ierúsalem.

Vos estis testes horum ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia Phil 2, 8-9

℟. Allelúia. ℣. Christus factus est pro nobis obœdiens
usque ad mortem, mortem autem crucis.
Propter quod et Deus exaltávit illum,
et dedit illi nomen, quod est super omne
nomen. ℟. Allelúia.

Si exaltatus fuero a terra, omnes traham ad meipsum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 12, 31-36 a

In illo témpore:

Dixit Iesus ad turbam: « Nunc iudícium est huius mundi, nunc princeps huius mundi eiciétur foras.

Et ego, si exaltátus fúero a terra, omnes traham ad meípsum ». Hoc autem dicébat signíficans qua morte esset moritúrus.

Respóndit ergo ei turba: « Nos audívimus ex Lege quia Christus manet in ætérnum, et quómodo tu dicis: " Opórtet exaltári Fílium hóminis? " Quis est iste Fílius hóminis? »

Dixit ergo eis Iesus: « Adhuc módicum tempus lumen in vobis est. Ambuláte dum lucem habetis, ut non ténebræ vos comprehéndant; et qui ámbulat in ténebris nescit quo vadat.

Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis fiátis ». — Verbum Dómini.

Lectiones de Passione Domini

1

Alleluia Phil 2, 8-9

℟. Allelúia. ℣. Christus factus est pro nobis obœdiens
usque ad mortem, mortem autem crucis.
Propter quod et Deus exaltávit illum,
et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. ℟. Allelúia.

Tristis est anima mea usque ad mortem.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 14, 32-41

In illo témpore:

Venit Iesus cum Duódecim in prædium, cui nomen Gethsémani, et ait discípulis suis: « Sedéte hic, donec orem ». Et assúmit Petrum et Iacóbum et Ioánnem secum, et cœpit pavére et tædére.

Et ait illis: « Tristis est ánima mea usque ad mortem; sustinéte hic et vigiláte ».

Et, cum processísset páululum, procidébat super terram; et orábat ut, si fíeri posset, transíret ab eo hora, et dicébat: « Abba, Pater, ómnia tibi possibília sunt: transfer cálicem hunc a me; sed non quod ego volo, sed quod Tu ». Et venit et invénit eos dormiéntes.

Et ait Petro: « Simon dormis? Non potuísti una hora vigiláre? Vigiláte et oráte, ut non intrétis in tentatiónem: spíritus quidem promptus, caro vero infírma ».

Et íterum ábiens orávit eúndem sermónem dicens.

Et véniens dénuo invénit eos dormiéntes; erant enim óculi illórum ingraváti, et ignorábant quid respondérent ei.

Et venit tértio, et ait illis: « Dormíte iam et requiéscite? Súfficit: venit hora: ecce tráditur Fílius hóminis in manus peccatórum ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Adóramus te, Christe, et benedícimus tibi,
quia per crucem tuam redemísti mundum.
℟. Allelúia.

Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
26, 47-56

Loquénte Iesu ad discípulos suos, ecce Iudas, unus de Duódecim, venit; et cum eo turba multa cum gládiis

et fústibus, missi a princípibus sacerdótum et senióribus pópuli.

Qui autem trádidit eum dedit illis signum dicens: « Quemcúmque osculátus fúero, ipse est, tenéte eum ».

Et conféstim accédens ad Iesum dixit: « Ave, Rabbi ». Et osculátus est eum.

Iesus autem dixit illi: « Amíce, ad quod venísti! »

Tunc accessérunt et manus iniecérunt in Iesum et tenuérunt eum. Et ecce unus ex his, qui erant cum Iesu, exténdens manum exémit gládium suum; et percútiens servum príncipis sacerdótum, amputávit aurículam eius.

Tunc ait illi Iesus: « Convérte gládium tuum in locum suum; omnes enim qui accéperint gládium, gládio períbunt. An putas quia non possum rogáre Patrem meum, et exhibébit mihi modo plus quam duódecim legiónes angelórum? Quómodo ergo implebúntur Scriptúræ, quia sic opórtet fíeri? »

In illa hora dixit Iesus turbis: « Tamquam ad latrónem exístis cum gládiis et fústibus comprehéndere me? Cotídie sedébam docens in templo, et non me tenuístis. Hoc autem totum factum est, ut impleréntur Scriptúræ prophetárum ».

Tunc discípuli omnes, relícto eo, fugérunt.

Verbum Dómini.

3

Alleluia — Phil 2, 8-9

℟. Allelúia. ℣. Christus factus est pro nobis obœdiens
usque ad mortem, mortem autem crucis.
Propter quod et Deus exaltávit illum,
et dedit illi nomen, quod est super omne
nomen. ℟. Allelúia.

Omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum
14, 55-65

In illo témpore:

Summi sacerdótes et omne concílium quærébant advérsus Iesum testimónium, ut eum morte affícerent, nec inveniébant. Multi enim testimónium falsum dicébant advérsus eum, et conveniéntia testimónia non erant.

Et quidam surgéntes falsum testimónium ferébant advérsus eum, dicéntes: « Nos audívimus eum dicéntem: " Ego dissólvam templum hoc manu factum, et intra tríduum áliud non manu factum ædificábo " ». Et ne ita quidem convéniens erat testimónium illórum.

Et exsúrgens summus sacérdos in médium interrogávit Iesum, dicens: « Non respóndes quidquam ad ea quæ isti testántur advérsum te? »

Ille autem tacébat et nihil respóndit.

Rursum summus sacérdos interrogábat eum, et dicit ei: « Tu es Christus, Fílius Benedícti? »

Iesus autem dixit: « Ego sum; et vidébitis Fílium hóminis a dextris sedéntem Virtútis, et veniéntem cum núbibus cæli ».

Summus autem sacérdos, scindens vestiménta sua, ait: « Quid adhuc necessárii sunt nobis testes? Audístis blasphémiam; quid vobis vidétur? »

Qui omnes condemnavérunt eum esse reum mortis.

Et cœpérunt quidam conspúere eum, et veláre fáciem eius, et cólaphis eum cædere, et dícere ei: « Prophetíza ». Et minístri álapis eum cædébant.

Verbum Dómini.

4

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Per lignum servi facti sumus,
et per sanctam crucem liberáti sumus;
fructus árboris sedúxit nos,
Fílius Dei redémit nos. ℟. Allelúia.

Quid vultis faciam regi Iudæorum? Crucifige eum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 15, 1-15

In illo témpore:

Conféstim mane consílium faciéntes summi sacerdótes cum senióribus et scribis, id est univérsum concílium, vinciéntes Iesum duxérunt et tradidérunt Piláto.

Et interrogávit eum Pilátus: « Tu es rex Iudæórum? »

At ille respóndens ait illi: « Tu dicis ». Et accusábant eum summi sacerdótes in multis.

Pilátus autem rursum interrogábat eum dicens: « Non respóndes quidquam? Vide in quantis te accúsant ».

Iesus autem ámplius nihil respóndit, ita ut mirarétur Pilátus.

Per diem autem festum dimíttere solébat illis unum ex vinctis, quem péterent. Erat autem qui dicebátur Barábbas, vinctus cum seditiósis, qui in seditióne fécerant homicídium. Et, cum ascendísset turba, cœpit rogáre, sicut faciébat illis.

Pilátus autem respóndit eis et dixit: « Vultis dimíttam vobis regem Iudæórum? » Sciébat enim quod per invídiam tradidíssent eum summi sacerdótes.

Pontífices autem concitavérunt turbam, ut magis Barábbam dimítteret eis.

Pilátus autem íterum respóndens aiébat illis: « Quid ergo vultis fáciam regi Iudæórum? »

At illi íterum clamavérunt: « Crucifíge eum ».

Pilátus vero dicébat eis: « Quid enim mali fecit? »

At illi magis clamavérunt: « Crucifíge eum ».

Pilátus autem, volens pópulo satisfácere, dimísit illis Barábbam, et trádidit Iesum flagéllis cæsum ut crucifigerétur. — Verbum Dómini.

5

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi,
quia per crucem tuam redemísti mundum.
℟. Allelúia.

Induunt eum purpuram et imponunt ei plectentes spineam coronam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 15, 16-20

In illo témpore:

Mílites duxérunt Iesum intro in átrium, quod est prætórium, et cónvocant totam cohórtem. Et índuunt eum purpuram et impónunt ei plecténtes spíneam corónam.

Et cœpérunt salutáre eum: « Ave, rex Iudæórum ». Et percutiébant caput eius arúndine, et conspuébant eum, et ponéntes génua adorábant eum.

Et, postquam illusérunt ei, exuérunt illum púrpuram et induérunt eum vestiméntis suis; et edúcunt illum ut crucifígerent eum. — Verbum Dómini.

6

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi,
quia per crucem tuam redemísti mundum.
℟. Allelúia.

Iesus, iterum clamans voce magna, emisit spiritum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
27, 33-50

In illo témpore:

Venérunt mílites in locum qui dícitur Gólgotha, quod est Calváriæ Locus. Et dedérunt Iesu vinum bíbere cum felle mixtum, et, cum gustásset, nóluit bíbere.

Postquam autem crucifixérunt eum, divisérunt vestiménta eius sortem mitténtes. Et sedéntes servábant eum ibi.

Et imposuérunt super caput eius causam ipsíus scriptam: « Hic est Iesus, rex Iudæórum ». Tunc crucifigúntur cum eo duo latrónes, unus a dextris et unus a sinístris.

Prætereúntes autem blasphemábant eum movéntes cápita sua, et dicéntes: « Qui déstruis templum et in tríduo illud reædíficas! salva temetípsum: si Fílius Dei es, descénde de cruce ». Simíliter et príncipes sacerdótum, illudéntes cum scribis et senióribus, dicébant: « Alios salvos fecit, seípsum non potest salvum fácere: rex Israel est, descéndat nunc de cruce, et credémus in eum. Confídit in Deo: líberet nunc, si vult eum; dixit enim: "Dei Fílius sum" ». Idípsum autem et latrónes, qui crucifíxi erant cum eo, improperábant ei.

A sexta autem hora ténebræ factæ sunt super univérsam terram usque ad horam nonam.

Et circa horam nonam clamávit Iesus voce magna dicens: « Eli, Eli, lema sabactháni? » hoc est: « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquísti me? »

Quidam autem ex illic stántibus audiéntes dicébant: « Elíam vocat iste ». Et contínuo currens unus ex eis accéptam spóngiam implévit acéto, et impósuit arúndini, et dabat ei bíbere.

Céteri vero dicébant: « Sine, videámus an véniat Elías líberans eum ».

Iesus autem, íterum clamans voce magna, emísit spíritum. — Verbum Dómini.

7

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Per lignum servi facti sumus,
et per sanctam crucem liberáti sumus;
fructus árboris sedúxit nos,
Fílius Dei redémit nos. ℟. Allelúia.

Pater, in manus tuas commendo spíritum meum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

23, 33-34. 39-46

In illo témpore:

Postquam venérunt mílites in locum qui vocátur Calváriæ, ibi crucifixérunt Iesum et latrónes, unum a dextris et álterum a sinístris.

Iesus autem dicébat: « Pater, dimítte illis; non enim sciunt quid fáciunt ».

Dividéntes vero vestiménta eius misérunt sortes.

Unus autem de his qui pendébant latrónibus blasphemábat eum, dicens: « Nonne tu es Christus? Salvum fac temetípsum et nos ».

Respóndens autem alter increpábat illum dicens:

« Neque tu times Deum, quod in eádem damnatióne es? Et nos quidem iuste, nam digna factis recípimus; hic vero nihil mali gessit ».

Et dicébat: « Iesu, meménto mei, cum véneris in Regnum tuum ».

Et dixit illi: « Amen dico tibi: hódie mecum eris in paradíso ».

Et erat iam fere hora sexta, et ténebræ factæ sunt in univérsa terra usque in horam nonam. Et obscurátus est sol, et velum templi scissum est médium.

Et clamans voce magna Iesus ait: « Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum ».

Et hæc dicens exspirávit. — Verbum Dómini.

8

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Per lignum servi facti sumus,
et per sanctam crucem liberáti sumus;
fructus árboris sedúxit nos,
Fílius Dei redémit nos. ℟. Allelúia.

Latus eius aperuit, et exivit sanguis et aqua.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
19, 28-37

In illo témpore:

Sciens Iesus quia iam ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dicit: « Sítio ».

Vas pósitum erat acéto plenum; spóngiam ergo plenam acéto hyssópo circumponéntes obtulérunt ori eius.

Cum ergo accepísset Iesus acétum, dixit: « Consummátum est ». Et, inclináto cápite, trádidit spíritum.

Iudǽi ergo, quóniam Parascéve erat, ut non re-

manérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies illíus sábbati), rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur.

Venérunt ergo mílites, et primi quidem fregérunt crura, et alteríus qui crucifíxus est cum eo.

Ad Iesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum iam mórtuum, non fregérunt eius crura; sed unus mílitum láncea latus eius apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Et qui vidit testimónium perhíbuit, et verum est eius testimónium. Et ille scit quia vera dicit, ut et vos credátis.

Facta sunt enim hæc ut Scriptúra impleátur: « Os non comminuétur eius ». Et íterum ália Scriptúra dicit: « Vidébunt in quem transfixérunt ».

Verbum Dómini.

9

Alleluia — Phil 2, 8-9

℟. Allelúia. ℣. Christus factus est pro nobis obœdiens
usque ad mortem, mortem autem crucis.
Propter quod et Deus exaltávit illum,
et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. ℟. Allelúia.

Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum
15, 33-39; 16, 1-6

Facta hora sexta, ténebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam.

Et hora nona exclamávit Iesus voce magna: « Heloi, Heloi, lema sabactháni? » quod est interpretátum: « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquísti me? »

Et quidam de circumstántibus audiéntes dicébant: « Ecce Elíam vocat ».

Currens autem unus et implens spóngiam acéto, circumponénsque cálamo, potum dabat ei, dicens: « Sínite, videámus si véniat Elías ad deponéndum eum ».

Iesus autem, emíssa voce magna, exspirávit.

Et velum templi scissum est in duo, a sursum usque deórsum.

Videns autem centúrio, qui ex advérso stabat, quia sic clamans exspirásset ait: « Vere homo hic Fílius Dei erat ».

Et, cum transísset sábbatum, María Magdaléne et María Iacóbi et Salóme emérunt arómata, ut veniéntes úngerent eum. Et valde mane prima sabbatórum véniunt ad monuméntum, orto iam sole.

Et dicébant ad ínvicem: « Quis revólvet nobis lápidem ab óstio monuménti? » Et respiciéntes vident revolútum lápidem; erat quippe magnus valde.

Et introeúntes in monuméntum, vidérunt iúvenem sedéntem in dextris, coopértum stola cándida, et obstupuérunt.

Qui dicit illis: « Nolíte expavéscere. Iesum quǽritis Nazarénum crucifíxum: surréxit, non est hic. Ecce locus ubi posuérunt eum ». — Verbum Dómini.

---

3. DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

Dicitur, cum colore albo, Missa de sollemnitate Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, ut infra:

Ant. ad introitum Ps 80, 17

Cibávit eos ex ádipe fruménti,
et de petra melle saturávit eos.

Collecta

Deus, qui nobis sub sacraménto mirábili
passiónis tuæ memóriam reliquísti,
tríbue, quǽsumus,
ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári,
ut redemptiónis tuæ fructum in nobis iúgiter sentiámus.
Qui vivis.

Lectiones ut infra, pp. 1687-1705.

Super oblata

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine,
unitátis et pacis propítius dona concéde,
quæ sub oblátis munéribus mýstice designántur.
Per Christum.

Præfatio de Ss.ma Eucharistia, pp. 760-761.

Ant. ad communionem — Io 6, 57

Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem,
in me manet et ego in eo, dicit Dóminus.

Post communionem

Fac nos, quǽsumus, Dómine,
divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri,
quam pretiósi Córporis et Sánguinis tui
temporális percéptio præfigúrat.
Qui vivis.

Vel, prouti sequitur:

A

Ant. ad introitum — Ps 77, 23-25

Iánuas cæli apéruit Dóminus,
et pluit illis manna ad manducándum,

et panem cæli dedit eis:
panem angelórum manducávit homo.

Collecta

Deus, qui humánæ redemptiónis opus
per Unigéniti tui paschále mystérium implevísti,
concéde propítius,
ut, qui Christi mortem et resurrectiónem
in sacramentórum signis annuntiámus fidénter,
salvatiónis tuæ contínuum experiámur augméntum.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1687-1705.

Super oblata

Salútis nostræ memoriále celebrántes,
cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus,
ut hoc sacraméntum pietátis
fiat nobis signum unitátis et vínculum caritátis.
Per Christum.

Præfatio de Ss.ma Eucharistia, pp. 760-761.

Ant. ad communionem — Io 6, 51-52

Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi,
dicit Dóminus.
Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum;
et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Post communionem

Sanctíficet nos, quǽsumus, Dómine,
mensæ cæléstis participátio,
ut, per Corpus et Sánguinem Christi,
fratérnitas cuncta copulétur.
Per Christum.

B

Hæc Missa dicitur etiam tamquam Missa votiva de D. N. Iesu Christo summo et æterno sacerdote.

Ant. ad introitum Ps 109, 4

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum:
Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órdinem Melchísedech.

Collecta

Deus, qui ad glóriam tuam et géneris humáni salútem Christum voluísti
summum æternúmque constitúere sacerdótem,
præsta, ut pópulus, quem sánguine suo tibi acquisívit,
ex eius memoriális participatióne,
virtútem crucis ipsíus cápiat et resurrectiónis.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1687-1705.

Super oblata

Concéde nobis, quǽsumus, Dómine,
hæc digne frequentáre mystéria,
quia, quóties huius hóstiæ commemorátio celebrátur,
opus nostræ redemptiónis exercétur.
Per Christum.

Præfatio de Ss.ma Eucharistia, pp. 760-761.

Ant. ad communionem 1 Cor 11, 24-25

Hoc Corpus, quod pro vobis tradétur;
hic calix novi testaménti est in meo Sánguine,
dicit Dóminus.
Hoc fácite, quotiescúmque súmitis,
in meam commemoratiónem.

Post communionem

Quǽsumus, Dómine, ut, huius participatióne sacrifícii
quod in sui commemoratiónem
Fílius tuus præcépit offérri,
nosmetípsos cum illo oblatiónem fácias tibi sempitérnam.
Per Christum.

Lectio prima

1

Panem et vinum obtulit.

Léctio libri Génesis 14, 18-20

In diébus illis:

Melchísedech rex Salem, próferens panem et vinum (erat enim sacérdos Dei altíssimi), benedíxit Abram et ait: « Benedíctus Abram Deo excélso, qui creávit cælum et terram, et benedíctus Deus excélsus, quo protegénte, hostes in mánibus tuis sunt ». Et dedit ei décimas ex ómnibus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 109, 1. 2. 3. 4. (℟. 4 bc)

℟. Tu es sacérdos in ætérnum,
secúndum órdinem Melchísedech.

1 Dixit Dóminus Dómino meo: « Sede a dextris meis,
donec ponam inimícos tuos
scabéllum pedum tuórum ». ℟.

2 Virgam poténtiæ tuæ emíttet Dóminus ex Sion:
domináre in médio inimicórum tuórum. ℟.

3 Tecum principátus in die virtútis tuæ,
in splendóribus sanctis,
ex útero matutíni velut rorem génui te. ℟.

4 Iurávit Dóminus et non pænitébit eum:
« Tu es sacérdos in ætérnum
secúndum órdinem Melchísedech ». ℟.

2

Ego pluam vobis panes de cælo.

Léctio libri Exodi 16, 2-4. 12-15

In diébus illis:

Murmurávit omnis congregátio filiórum Israel contra Móysen et Aaron in solitúdine; dixerúntque fílii Israel ad eos: « Utinam mórtui essémus per manum Dómini in terra Ægýpti, quando sedebámus super ollas cárnium, et comedebámus panem in saturitáte. Cur eduxístis nos in desértum istud, ut occiderétis omnem multitúdinem fame? »

Dixit autem Dóminus ad Móysen: « Ecce ego pluam vobis panes de cælo: egrediátur pópulus, et cólligat quæ sufficiunt per síngulos dies, ut tentem eum utrum ámbulet in lege mea an non.

Audívi murmuratiónes filiórum Israel; lóquere ad eos: " Véspere comedétis carnes, et mane saturabímini pánibus, scietísque quod ego sum Dóminus Deus vester " ».

Factum est ergo véspere, et ascéndens cotúrnix coopéruit castra; mane quoque ros iácuit per circúitum castrórum. Cumque operuísset superfíciem terræ, appáruit in solitúdine minútum, et quasi pilo tusum, in similitúdinem pruínæ super terram.

Quod cum vidíssent fílii Israel, dixérunt ad ínvicem: « Manhu? » quod signíficat: « Quid est hoc? » Ignorábant enim quid esset.

Quibus ait Móyses: « Iste est panis, quem Dóminus dedit vobis ad vescéndum ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 77, 3-4 a et 7 ab. 23-24. 25 et 54 (℟.: 24 b)

℟. Panem cæli dedit eis Dóminus.

3 Quanta audívimus et cognóvimus ea,
et patres nostri narravérunt nobis,
4 non occultábimus a fíliis eórum,
7 ut ponant in Deo spem suam,
et non obliviscántur óperum Dei. ℟.

23 Mandávit núbibus désuper,
et iánuas cæli apéruit;
24 et pluit illis manna ad manducándum,
et panem cæli dedit eis. ℟.

25 Panem angelórum manducávit homo,
cibária misit eis ad abundántiam.
54 Et indúxit eos in fines sanctificatiónis suæ,
in montem quem acquisívit déxtera eius. ℟.

3

Hic est sanguis fœderis,
quod pepigit Dominus vobiscum.

Léctio libri Exodi 24, 3-8

In diébus illis:

Venit Móyses, et narrávit plebi ómnia verba Dómini atque iudícia; respondítque omnis pópulus una voce: « Omnia verba Dómini, quæ locútus est, faciémus ».

Scripsit autem Móyses univérsos sermónes Dómini; et mane consúrgens, ædificávit altáre ad radíces montis, et duódecim título per duódecim tribus Israel;

misítque iúvenes de fíliis Israel, et obtulérunt holocáusta, immolaverúntque víctimas pacíficas Dómino, vítulos.

Tulit ítaque Móyses dimídiam partem sánguinis, et misit in cratéras; partem autem resíduam fudit super altáre.

Assuménsque volúmen fœderis legit, audiénte pópulo; qui dixérunt: « Omnia quæ locútus est Dóminus faciémus, et érimus obœdiéntes ».

Ille vero sumptum sánguinem respérsit in pópulum, et ait: « Hic est sanguis fœderis, quod pépigit Dóminus vobíscum super cunctis sermónibus his ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 115, 12-13. 15 et 16 bc. 17-18 (℟.: 1 Cor 10, 16)

℟. Calix benedictiónis
communicátio sánguinis Christi est.

vel Allelúia.

12 Quid retríbuam Dómino
pro ómnibus quæ retríbuit mihi?
13 Cálicem salutáris accípiam,
et nomen Dómini invocábo. ℟.

15 Pretiósa in conspéctu Dómini
mors sanctórum eius.
16 Ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.
Dirupísti víncula mea: ℟.

17 tibi sacrificábo hóstiam laudis,
et nomen Dómini invocábo.
18 Vota mea Dómino reddam
coram omni pópulo eius. ℟.

4

Dedit tibi cibum, quod ignorabas
tu et patres tui.

Léctio libri Deuteronómii 8, 2-3. 14 b-16 a

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo, dicens: « Recordáberis cuncti itíneris, per quod addúxit te Dóminus Deus tuus quadragínta annis per desértum, ut afflígeret te atque tentáret; et nota fíerent quæ in tuo ánimo versabántur, utrum custodíres mandáta illíus an non.

Afflíxit te penúria et dedit tibi cibum manna, quod ignorábas tu et patres tui, ut osténderet tibi quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egréditur de ore Dei.

Et reminiscéris Dómini Dei tui, qui edúxit te de terra Ægýpti, de domo servitútis, et ductor tuus fuit in solitúdine magna atque terríbili, in qua erat serpens flatu adúrens et scórpio ac dipsas, et nullæ omníno aquæ; qui edúxit rivos de petra duríssima, et cibávit te manna in solitúdine, quod nesciérunt patres tui ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 144, 10-11. 15-16. 17-18 (℟.: cf. 16)

℟. Aperis tu manum tuam, Dómine, et sátias nos.

10 Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;
et sancti tui benedícant tibi.
11 Glóriam regni tui dicant et poténtiam tuam loquántur. ℟.

15 Oculi ómnium in te sperant,
et tu das illis escam in témpore opportúno.

16 Aperis tu manum tuam,
et imples omne ánimal in beneplácito. ℟.
17 Iustus Dóminus in ómnibus viis suis,
et sanctus in ómnibus opéribus suis.
18 Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum,
ómnibus invocántibus eum in veritáte. ℟.

5

Ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei.

Léctio libri primi Regum 19, 4-8

In diébus illis:

Perréxit Elías in desértum viam uníus diéi.

Cumque venísset et sedéret subter unam iuníperum, petívit ánimæ suæ ut morerétur, et ait: « Súfficit mihi, Dómine: tolle ánimam meam, neque enim mélior sum quam patres mei ». Proiecítque se et obdormívit in umbra iuníperi.

Et ecce ángelus Dómini tétigit eum, et dixit illi: « Surge et cómede ».

Respéxit, et ecce ad caput suum subcinerícius panis et vas aquæ; comédit ergo et bibit, et rursum obdormívit.

Reversúsque est ángelus Dómini secúndo, et tétigit eum dixítque illi: « Surge, cómede, grandis enim tibi restat via ».

Qui, cum surrexísset, comédit et bibit, et ambulávit in fortitúdine cibi illíus quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, usque ad montem Dei Horeb.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 77, 3-4 a et 7 ab. 23-24. 25 et 54 (℟.: 24 b)

℟. Panem cæli dedit eis Dóminus.

3 Quanta audívimus et cognóvimus ea,
et patres nostri narravérunt nobis,
4 non occultábimus a fíliis eórum,
7 ut ponant in Deo spem suam,
et non obliviscántur óperum Dei. ℟.

23 Mandávit núbibus désuper,
et iánuas cæli apéruit;
24 et pluit illis manna ad manducándum,
et panem cæli dedit eis. ℟.

25 Panem angelórum manducávit homo,
cibária misit eis ad abundántiam.
54 Et indúxit eos in fines sanctificatiónis suæ,
in montem quem acquisívit déxtera eius. ℟.

6

Comedite panem meum et bibite vinum,
quod miscui vobis.

Léctio libri Proverbiórum 9, 1-6

Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem, immolávit víctimas suas, míscuit vinum et propósuit mensam suam.

Misit ancíllas suas ut vocárent ad arcem et ad mœnia civitátis: « Si quis est párvulus, véniat ad me ».

Et insipiéntibus locúta est: « Veníte, comédite panem meum et bíbite vinum quod míscui vobis, relínquite infántiam et vívite, et ambuláte per vias prudéntiæ ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 147, 12-13. 14-15. 19-20 (℟.: Io 6, 59 b)

℟. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum.
vel Allelúia.

12 Lauda, Ierúsalem, Dóminum;
colláuda Deum tuum, Sion.
13 Quóniam confortávit seras portárum tuárum,
benedíxit fíliis tuis in te. ℟.

14 Qui ponit fines tuos pacem,
et ádipe fruménti sátiat te.
15 Qui emíttit elóquium suum terræ,
velóciter currit verbum eius. ℟.

19 Qui annúntiat verbum suum Iacob,
iustítias et iudícia sua Israel.
20 Non fecit táliter omni natióni,
et iudícia sua non manifestávit eis. ℟.

Lectio secunda

1

Unus panis, unum corpus multi sumus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 10, 16-17

Fratres:

Calix benedictiónis cui benedícimus, nonne communicátio sánguinis Christi est? Et panis quem frángimus, nonne communicátio córporis Christi est?

Quóniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participámur.

Verbum Dómini.

2

Quotiescumque manducabitis panem hunc
et calicem bibetis,
mortem Domini annuntiatis.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 11, 23-26

Fratres:

Ego accépi a Dómino, quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Iesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem et grátias agens fregit et dixit: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis est: hoc fácite in meam commemoratiónem ».

Simíliter et cálicem, postquam cenátum est, dicens: « Hic calix novum Testaméntum est in meo sánguine: hoc fácite, quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónem ».

Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiátis, donec véniat. — Verbum Dómini.

3

Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 9, 11-15

Christus, cum advénit póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est non huius creatiónis, neque per sánguinem hircórum et vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta.

Si enim sanguis hircórum et taurórum et cinis vítulæ aspérsus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem car-

nis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum ætérnum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis ad serviéndum Deo vivénti?

Et ídeo Novi Testaménti mediátor est; ut, morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióre Testaménto, repromissiónem accípiant qui vocáti sunt ætérnæ hereditátis.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia — Io 6, 57

℟. Allelúia. ℣. Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem,
in me manet et ego in eo, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum
14, 12-16. 22-26

Primo die azymórum, quando pascha immolábant, dicunt Iesu discípuli eius: « Quo vis eámus et parémus ut mandúces pascha? »

Et mittit duos ex discípulis suis, et dicit eis: « Ite in civitátem, et occúrret vobis homo lagénam aquæ báiulans: sequímini eum et, quocúmque introíerit, dícite dómino domus: Magíster dicit: “ Ubi est reféctio mea, ubi pascha cum discípulis meis mandúcem? ” Et ipse vobis demonstrábit cenáculum grande stratum parátum: et illic paráte nobis ».

Et abiérunt discípuli et venérunt in civitátem et invenérunt sicut díxerat illis, et paravérunt pascha.

Et, manducántibus illis, accépit Iesus panem et benedícens fregit, et dedit eis, et ait: « Súmite: hoc est corpus meum ». Et, accépto cálice, grátias agens dedit eis, et bibérunt ex illo omnes.

Et ait illis: « Hic est sanguis meus novi testaménti, qui pro multis effúnditur. Amen dico vobis: Iam non bibam de genímine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in Regno Dei ».

Et, hymno dicto, exiérunt in montem Olivárum.

Verbum Dómini.

2

Alleluia Io 6, 51-52

℟. Allelúia. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cælo
descéndi, dicit Dóminus;
si quis manducáverit ex hoc pane,
vivet in ætérnum. ℟. Allelúia.

Manducaverunt et saturati sunt omnes.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 9, 11 b-17

In illo témpore:

Loquebátur Iesus turbis de Regno Dei, et eos qui cura indigébant sanábat.

Dies autem cœperat declináre, et accedéntes Duódecim dixérunt illi: « Dimítte turbam, ut eúntes in castélla villásque, quæ circa sunt, devértant et invéniant escas; quia hic in loco desérto sumus ».

Ait autem ad illos: « Vos date illis manducáre ».

At illi dixérunt: « Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces; nisi forte nos eámus et emá-

mus in omnem hanc turbam escas ». Erant enim fere viri quinque mília.

Ait autem ad discípulos suos: « Fácite illos discúmbere per convívia ad quinquagénos ». Et ita fecérunt, et discúmbere fecérunt omnes.

Accéptis autem quinque pánibus et duóbus píscibus, respéxit in cælum et benedíxit illis, et fregit, et dabat discípulis suis, ut pónerent ante turbam.

Et manducavérunt et saturáti sunt omnes. Et sublátum est quod supérfuit illis, fragmentórum cóphini duódecim. — Verbum Dómini.

3

Alleluia Io 6, 57

℟. Allelúia. ℣. Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem,
in me manet et ego in eo, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Cognoverunt eum in fractione panis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 24, 13-35

Ecce duo ex discípulis Iesu ibant ipsa die prima sábbati in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Ierúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus quæ accíderant.

Et factum est, dum fabularéntur et secum quǽrerent, et ipse Iesus appropínquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent.

Et ait ad illos: « Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes? » Et stetérunt tristes.

Et respóndens unus, cui nomen Cléopas, dixit ei: « Tu solus peregrínus es in Ierúsalem, et non cognovísti quæ facta sunt in illa his diébus? »

Quibus ille dixit: « Quæ? »

Et illi dixérunt ei: « De Iesu Nazaréno, qui fuit vir prophéta, potens in ópere et sermóne coram Deo et omni pópulo; et quómodo eum tradidérunt summi sacerdótes et príncipes nostri in damnatiónem mortis et crucifixérunt eum.

Nos autem sperabámus quia ipse esset redemptúrus Israel; at nunc super hæc ómnia tértia dies hódie quod hæc facta sunt. Sed et mulíeres quædam ex nostris terruérunt nos; quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum et, non invénto córpore eius, venérunt dicéntes se étiam visiónem angelórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum et ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum vero non vidérunt ».

Et ipse dixit ad eos: « O stulti et tardi corde ad credéndum in ómnibus quæ locúti sunt prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, et intráre in glóriam suam? » Et incípiens a Móyse et ómnibus prophétis interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant.

Et appropinquavérunt castéllo quo ibant, et ipse se finxit lóngius ire, et coegérunt illum dicéntes: « Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est iam dies ». Et intrávit ut manéret cum illis.

Et factum est, dum recúmberet cum illis, accépit panem, et benedíxit ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum; et ipse evánuit ab eis.

Et dixérunt ad ínvicem: « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loquerétur nobis in via, et aperíret nobis Scriptúras? »

Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Ierúsalem; et invenérunt congregátos Undecim et eos qui cum ipsis

erant, dicéntes: « Surréxit Dóminus vere et appáruit Simóni ». Et ipsi narrábant quæ gesta erant in via, et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.
Verbum Dómini.

4

Alleluia Io 6, 58

℟. Allelúia. ℣. Sicut misit me vivens Pater,
et ego vivo propter Patrem;
et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me,
dicit Dóminus. ℟. Allelúia.

Distribuit discumbentibus quantum volebant.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 6, 1-15

In illo témpore:

Abiit Iesus trans mare Galilǽæ, quod est Tiberíadis, et sequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant signa quæ faciébat super his qui infirmabántur. Súbiit autem in montem Iesus et ibi sedébat cum discípulis suis. Erat autem próximum Pascha, dies festus Iudæórum.

Cum sublevásset ergo óculos Iesus, et vidísset quia multitúdo magna venit ad eum, dicit ad Philíppum: « Unde emémus panes, ut mandúcent hi? » Hoc autem dicébat tentans eum, ipse enim sciébat quid esset factúrus.

Respóndit ei Philíppus: « Ducentórum denariórum panes non sufficiunt eis, ut unusquísque módicum quid accípiat ».

Dicit ei unus ex discípulis eius, Andréas, frater Simónis Petri: « Est puer hic qui habet quinque panes hordeáceos et duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos? »

Dixit Iesus: « Fácite hómines discúmbere ». Erat autem fenum multum in loco. Discubuérunt ergo viri, número quasi quinque mília.

Accépit ergo panes Iesus et, cum grátias egísset, distríbuit discumbéntibus, simíliter et ex píscibus, quantum volébant.

Ut autem impléti sunt, dixit discípulis suis: « Collígite quæ superavérunt fragménta, ne quid péreat ». Collegérunt ergo et implevérunt duódecim cóphinos fragmentórum ex quinque pánibus hordeáceis, quæ superfuérunt his qui manducavérunt.

Illi ergo hómines cum vidíssent quod Iesus fécerat signum, dicébant: « Hic est vere prophéta, qui venit in mundum ».

Iesus ergo, cum cognovísset quia ventúri essent ut ráperent eum et fácerent eum regem, secéssit íterum in montem ipse solus. — Verbum Dómini.

5

Alleluia — Io 6, 51-52

℟. Allelúia. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cælo
descéndi, dicit Dóminus;
si quis manducáverit ex hoc pane,
vivet in ætérnum. ℟. Allelúia.

Qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 6, 24-35

In illo témpore:

Cum vidísset turba quia Iesus non esset ibi, neque discípuli eius, ascendérunt ipsi navículas et venérunt Caphárnaum quæréntes Iesum.

Et, cum inveníssent eum trans mare, dixérunt ei: « Rabbi, quando huc venísti? »

Respóndit eis Iesus et dixit: « Amen, amen dico vobis, quǽritis me, non quia vidístis signa, sed quia manducástis ex pánibus et saturáti estis. Operámini non cibum qui perit, sed cibum qui pérmanet in vitam ætérnam, quem Fílius hóminis vobis dabit: hunc enim Pater signávit Deus ».

Dixérunt ergo ad eum: « Quid faciémus ut operémur ópera Dei? »

Respóndit Iesus et dixit eis: « Hoc est opus Dei, ut credátis in eum, quem misit ille ».

Dixérunt ergo ei: « Quod ergo tu facis signum, ut videámus et credámus tibi? Quid operáris? Patres nostri manna manducavérunt in desérto, sicut scriptum est: " Panem de cælo dedit eis manducáre " ».

Dixit ergo eis Iesus: « Amen, amen dico vobis, non Móyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est qui descéndit de cælo et dat vitam mundo ».

Dixérunt ergo ad eum: « Dómine, semper da nobis panem hunc ».

Dixit eis Iesus: « Ego sum panis vitæ; qui venit ad me non esúriet, et qui credit in me non sítiet umquam ». — Verbum Dómini.

6

Alleluia — Io 6, 51-52

℟. Allelúia. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cælo
descéndi, dicit Dóminus;
si quis manducáverit ex hoc pane,
vivet in ætérnum. ℟. Allelúia.

Ego sum panis qui de cælo descendi.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

6, 41-52 a

In illo témpore:

Murmurábant Iudǽi de Iesu, quia dixísset: « Ego sum panis qui de cælo descéndi ». Et dicébant: « Nonne hic est Iesus fílius Ioseph, cuius nos nóvimus patrem et matrem? Quómodo dicit nunc: " De cælo descéndi? " »

Respóndit Iesus et dixit eis: « Nolíte murmuráre in ínvicem. Nemo potest veníre ad me, nisi Pater, qui misit me, tráxerit eum; et ego resuscitábo eum in novíssimo die. Est scriptum in prophétis: " Et erunt omnes docíbiles Dei ". Omnis, qui audívit a Patre et dídicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam: nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem. Amen, amen dico vobis: qui credit habet vitam ætérnam.

Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducavérunt in desérto manna et mórtui sunt. Hic est panis de cælo descéndens, ut, si quis ex ipso manducáverit, non moriátur. Ego sum panis vivus qui de cælo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum; panis autem quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ».

Verbum Dómini.

7

Alleluia Io 6, 57

℟. Allelúia. ℣. Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem,
in me manet et ego in eo, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Caro mea verus est cibus,
et sanguis meus verus est potus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 6, 51-59

In illo témpore:

Dixit Iesus turbis Iudæórum:

« Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane vivet in ætérnum; panis autem quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ».

Litigábant ergo Iudǽi ad ínvicem dicéntes: « Quómodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducándum? »

Dixit ergo eis Iesus: « Amen, amen dico vobis, nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis et bibéritis eius sánguinem, non habétis vitam in vobismetípsis. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem habet vitam ætérnam, et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Caro enim mea verus est cibus, et sanguis meus verus est potus. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem in me manet, et ego in illo.

Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cælo descéndit. Non sicut manducavérunt patres et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem vivet in ætérnum ». — Verbum Dómini.

8

Alleluia Io 6, 58

℟. Allelúia. ℣. Sicut misit me vivens Pater,
et ego vivo propter Patrem;
et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me,
dicit Dóminus. ℟. Allelúia.

Iesus accipit panem et dat eis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 21, 1-14

In illo témpore:

Manifestávit se íterum Iesus discípulis ad mare Tiberíadis. Manifestávit autem sic: Erant simul Simon Petrus et Thomas, qui dícitur Dídymus, et Nathánael, qui erat a Cana Galilǽæ, et fílii Zebedǽi et álii ex discípulis eius duo.

Dicit eis Simon Petrus: « Vado piscári ».

Dicunt ei: « Venímus et nos tecum ». Exiérunt, et ascendérunt in navem; et illa nocte nihil prendidérunt.

Mane autem iam facto, stetit Iesus in lítore; non tamen sciébant discípuli quia Iesus est.

Dicit ergo eis Iesus: « Púeri, numquid pulmentárium habétis? »

Respondérunt ei: « Non ». Ille autem dixit eis: « Míttite in déxteram navígii rete, et inveniétis ». Misérunt ergo; et iam non valébant illud tráhere a multitúdine píscium.

Dicit ergo discípulus ille, quem diligébat Iesus, Petro: « Dóminus est ».

Simon ergo Petrus, cum audísset quia Dóminus est, túnicam succínxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. Alii autem discípuli navígio venérunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cúbitis ducéntis) trahéntes rete píscium. Ut ergo descendérunt in terram, vident prunas pósitas et piscem superpósitum et panem.

Dicit eis Iesus: « Afférte de píscibus quos prendidístis nunc ». Ascéndit ergo Simon Petrus et traxit rete in terram plenum magnis píscibus, centum quinquagínta tribus. Et, cum tanti essent, non est scissum rete.

Dicit eis Iesus: « Veníte, prandéte ».

Nemo autem audébat discipulórum interrogáre eum: « Tu quis es? », sciéntes quia Dóminus est.

Venit Iesus, et áccipit panem, et dat eis, et piscem simíliter. Hoc iam tértio manifestátus est Iesus discípulis cum resurrexísset a mórtuis. — Verbum Dómini.

4. DE SANCTISSIMO NOMINE IESU

In hac Missa adhibetur color albus.

Ant. ad introitum — Phil 2, 10-11

In nómine Iesu omne genu flectátur,
cæléstium, terréstrium et infernórum;
et omnis lingua confiteátur
quia Dóminus Iesus Christus in glória est Dei Patris.

Collecta

Sanctíssimum Iesu nomen venerántibus,
nobis, Dómine, concéde propítius,
ut, eius in hac vita dulcédine perfruéntes,
sempitérno gáudio in pátria repleámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1707-1713.

Super oblata

In eius nómine, Pater omnípotens,
múnera nostra dignáre suscípere,
in quo quidquid petiérimus
nos certe consecutúros esse confídimus,
ipso Fílio tuo benigníssime pollicénte.
Qui vivit.

Ant. ad communionem Act 4, 12

Non est áliud nomen sub cælo datum homínibus,
in quo opórteat nos salvos fíeri.

Post communionem

Tua nobis, quǽsumus, Dómine, miseratióne concéde,
ut in his sacris mystériis
Dóminum Iesum dignis obséquiis venerémur,
in cuius nómine voluísti omne genu flecti,
omnésque hómines inveníre salútem. Per Christum.

Lectio prima

1

Ego sum qui sum. Hoc nomen mihi in æternum.

Léctio libri Exodi 3, 13-15

In diébus illis:

Audiens Móyses vocem Dómini de médio rubi, dixit ad eum: « Ecce ego vadam ad fílios Israel, et dicam eis: " Deus patrum vestrórum misit me ad vos ". Si díxerint mihi: " Quod est nomen eius? " quid dicam eis? »

Dixit Deus ad Móysen: « Ego sum qui sum ». Ait: « Sic dices fíliis Israel: " Qui est " misit me ad vos ».

Dixítque íterum Deus ad Móysen: « Hæc dices fíliis Israel: " Dóminus Deus patrum vestrórum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in ætérnum, et hoc memoriále meum in generatiónem et generatiónem " ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 112, 1-2. 3-4. 5-6 (℟.: 2)

℟. Sit nomen Dómini benedíctum in sǽcula.

vel Allelúia.

1 Laudáte, púeri Dómini,
laudáte nomen Dómini.
2 Sit nomen Dómini benedíctum
ex hoc nunc et usque in sǽculum. ℟.

3 A solis ortu usque ad occásum
laudábile nomen Dómini.
4 Excélsus super omnes gentes Dóminus,
super cælos glória eius. ℟.

5 Quis sicut Dóminus Deus noster,
qui in altis hábitat,
6 et humília réspicit
in cælo et in terra? ℟.

2

Laudabo nomen tuum assidue.

Léctio libri Sirácidæ 51, 11-17

Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ quæ a sǽculo sunt, quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium. Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecátus sum.

Invocávi Dóminum, patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adiutório.

Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti

me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo; proptérea confitébor et laudem dicam tibi et benedícam nómini Dómini. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Is 12, 2-3. 4 bcd. 5-6 (℟.: 4 b)

℟. Confitémini Dómino et invocáte nomen eius.

2 Ecce Deus salvátor meus,
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.
3 Hauriétis aquas in gáudio
de fóntibus salvatóris. ℟.

4 Confitémini Dómino et invocáte nomen eius,
notas fácite in pópulis adinventiónes eius;
mementóte quóniam excélsum est nomen eius. ℟.

5 Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit,
annuntiáte hoc in univérsa terra.
6 Exsúlta et lauda, habitátio Sion,
quia magnus in médio tui Sanctus Israel. ℟.

Lectio secunda

1

Cum omnibus qui invocant Nomen Domini nostri Iesu Christi.

Inítium Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 1, 1-3

Paulus, vocátus apóstolus Christi Iesu per voluntátem Dei, et Sósthenes frater, Ecclésiæ Dei, quæ est Corínthi, sanctificátis in Christo Iesu, vocátis sanctis,

cum ómnibus qui ínvocant Nomen Dómini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsórum et nostro: grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo.
Verbum Dómini.

2

Donavit illi Nomen, quod est super omne nomen.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses
2, 6-11

Christus Iesus, cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo, sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum factus obœ́diens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Propter quod et Deus illum exaltávit, et donávit illi Nomen, quod est super omne nomen, ut in Nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium et terréstrium et infernórum, et omnis lingua confiteátur: « Dóminus Iesus Christus », in glóriam Dei Patris. — Verbum Dómini.

3

Omnia facite in Nomine Domini Iesu.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Colossénses
3, 12-17

Fratres:

Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, mansuetúdinem, patiéntiam, supportántes ínvicem et donántes vobis ipsis, si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos.

Super ómnia autem hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis; et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore; et grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, cánticis spiritálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo.

Et omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Iesu, grátias agéntes Deo Patri per ipsum. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia — Dan 3, 52 b

℟. Allelúia. ℣. Benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum, et laudábile et superexaltátum in sǽcula. ℟. Allelúia.

Vocabis nomen eius Iesum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 1, 18-25

Iesu Christi generátio sic erat: Cum esset desponsáta mater eius María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

Hæc autem eo cogitánte, ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens: « Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam, quod enim in ea natum est de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium, et vocábis nomen eius Iesum; ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum ».

Hoc autem totum factum est, ut adimplerétur id quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: « Ecce virgo in útero habébit et páriet fílium, et vocábunt nomen eius Emmánuel », quod est interpretátum « Nobíscum-Deus ».

Exsúrgens autem Ioseph a somno, fecit sicut præcépit ei ángelus Dómini, et accépit cóniugem suam; et non cognoscébat eam donec péperit fílium: et vocávit nomen eius Iesum. — Verbum Dómini.

2

Alleluia — Dan 3, 52 b

℟. Allelúia. ℣. Benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum, et laudábile et superexaltátum in sǽcula. ℟. Allelúia.

Vocatum est nomen eius Iesus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam — 2, 16-21

In illo témpore:

Venérunt pastóres festinántes usque Béthlehem et invenérunt Maríam et Ioseph et infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem notum fecérunt verbum, quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes qui audiérunt miráti sunt de his quæ dicta erant a pastóribus ad ipsos.

María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. Et revérsi sunt pastóres glorificántes et laudántes Deum, in ómnibus quæ audíerant et víderant, sicut dictum est ad illos.

Et postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur, vocátum est nomen eius Iesus, quod vocátum est ab Angelo priúsquam in útero conciperétur.

Verbum Dómini.

3

Alleluia Ps 95, 2

℟. Allelúia. ℣. Cantáte Dómino
et benedícite nómini eius,
annuntiáte de die in diem salutáre eius.
℟. Allelúia.

Si quid petieritis me in Nomine meo,
ego faciam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
14, 6-14

In illo témpore:

Dicit Iesus ad Thomam: « Ego sum via et véritas et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovístis me, et Patrem meum útique cognoscétis: et ámodo cognóscitis eum et vidístis eum ».

Dicit ei Philíppus: « Dómine, osténde nobis Patrem, et súfficit nobis ».

Dicit ei Iesus: « Tanto témpore vobíscum sum, et non cognovísti me, Philíppe? Qui vidit me vidit Patrem. Quómodo tu dicis: " Osténde nobis Patrem? " Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens facit ópera sua. Crédite mihi quia ego in Patre et Pater in me est. Alióquin propter ópera ipsa crédite.

Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, ópera quæ ego fácio, et ipse fáciet; et maióra horum fáciet, quia ego ad Patrem vado. Et quodcúmque petiéritis in Nómine meo hoc fáciam, ut glorificétur Pater in Fílio. Si quid petiéritis me in Nómine meo, ego fáciam ».

Verbum Dómini.

5. DE PRETIOSISSIMO SANGUINE D. N. IESU CHRISTI

In hac Missa adhibetur color ruber.

Ant. ad introitum Ap 5, 9-10

Redemísti nos, Dómine, in Sánguine tuo,
ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne,
et fecísti nos Deo nostro regnum.

Collecta

Deus, qui pretióso Unigéniti tui Sánguine
univérsos hómines redemísti,
consérva in nobis opus misericórdiæ tuæ,
ut, nostræ salútis mystérium iúgiter recoléntes,
eiúsdem fructum cónsequi mereámur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1715-1723.

Super oblata

Maiestáti tuæ, Dómine,
oblatiónis nostræ múnera proferéntes,
ad novi testaménti Mediatórem Iesum
his mystériis accedámus,
eiúsque aspersiónem Sánguinis salutíferam innovémus.
Qui vivit.

Præfatio I de Passione Domini, p. 751.

Ant. ad communionem Cf. 1 Cor 10, 16

Calix benedictiónis, cui benedícimus,
communicátio Sánguinis Christi est;
et panis, quem frángimus,
participátio Córporis Dómini est.

Post communionem

Cibo refécti, Dómine, potúque salútis,
Salvatóris nostri, quǽsumus,
semper Sánguine perfundámur,
qui fons aquæ nobis fiat
in vitam saliéntis ætérnam.
Per Christum.

Vel:

Refécti cibo potúque cælésti,
quǽsumus, omnípotens Deus,
ut ab hóstium deféndas formídine,
quos pretióso Fílii tui Sánguine redemísti.
Qui vivit.

Lectio prima

1

Cum viderit Dominus sanguinem in superliminari et in utroque poste, transcendet ostium domus.

Léctio libri Exodi 12, 21-27

In diébus illis:

Vocávit Móyses omnes senióres filiórum Israel, et dixit ad eos: « Ite, tolléntes ánimal per famílias vestras, et immoláte Phase. Fasciculúmque hyssópi tíngite in sánguine qui est in límine, et aspérgite ex eo superliminâre et utrúmque postem.

Nullus vestrum egrediátur óstium domus suæ usque mane; transíbit enim Dóminus percútiens Ægýptios; cumque víderit sánguinem in superlimінári et in utró-

que poste, transcéndet óstium domus, et non sinet percussórem íngredi domos vestras et lǽdere.

Custódi verbum istud legítimum tibi et fíliis tuis, usque in ætérnum. Cumque introiéritis terram, quam Dóminus datúrus est vobis, ut pollícitus est, observábitis cæremónias istas.

Et, cum díxerint vobis fílii vestri: " Quæ est ista relígio? ", dicétis eis: " Víctima tránsitus Dómini est, quando transívit super domos filiórum Israel in Ægýpto, percútiens Ægýptios, et domos nostras líberans " ».

Incurvatúsque pópulus adorávit.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 115, 12-13. 15-16 bc. 17-18 (℟.: 1 Cor 10, 16)

℟. Calix benedictiónis
communicátio sánguinis Christi est.

vel Allelúia.

12 Quid retríbuam Dómino
pro ómnibus quæ retríbuit mihi?
13 Cálicem salutáris accípiam,
et nomen Dómini invocábo. ℟.

15 Pretiósa in conspéctu Dómini
mors sanctórum eius.
16 Ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ,
dirupísti víncula mea. ℟.

17 Tibi sacrificábo hóstiam laudis,
et nomen Dómini invocábo.
18 Vota mea Dómino reddam
coram omni pópulo eius. ℟.

2

Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.

Léctio libri Exodi 24, 3-8

In diébus illis:

Venit Móyses, et narrávit plebi ómnia verba Dómini atque iudícia; respondítque omnis pópulus una voce: « Omnia verba Dómini, quæ locútus est, faciémus ».

Scripsit autem Móyses univérsos sermónes Dómini; et mane consúrgens, ædificávit altáre ad radíces montis, et duódecim título per duódecim tribus Israel; misítque iúvenes de fíliis Israel, et obtulérunt holocáusta, immolaverúntque víctimas pacíficas Dómino, vítulos.

Tulit ítaque Móyses dimídiam partem sánguinis, et misit in cratéras; partem autem resíduam fudit super altáre.

Assuménsque volúmen fœderis legit, audiénte pópulo; qui dixérunt: « Omnia quæ locútus est Dóminus faciémus, et érimus obœdiéntes ».

Ille vero sumptum sánguinem respérsit in pópulum, et ait: « Hic est sanguis fœderis, quod pépigit Dóminus vobíscum super cunctis sermónibus his ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 39, 2 et 4 ab. 7-8 a. 8 b-9. 10 (℟.: 8 a. 9 a)

℟. Ecce vénio, Dómine, ut fáciam voluntátem tuam.

2 Exspéctans exspectávi Dóminum,
et inténdit mihi.

4 Et immísit in os meum cánticum novum,
carmen Deo nostro. ℟.

7 Sacrifícium et oblatiónem noluísti,
aures autem fodísti mihi.
Holocáustum et pro peccáto non postulásti,
8 tunc dixi: « Ecce vénio. ℟.

In volúmine libri scriptum est de me
9 fácere voluntátem tuam.
Deus meus, vólui,
et lex tua in præcórdiis meis ». ℟.

10 Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna;
ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. ℟.

Lectio secunda

1

Per proprium sanguinem introivit semel in Sancta.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 9, 11-15

Christus, cum advénit póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est non huius creatiónis, neque per sánguinem hircórum et vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta.

Si enim sanguis hircórum et taurórum et cinis vítulæ aspérsus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum ætérnum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis ad serviéndum Deo vivénti?

Et ídeo novi Testaménti mediátor est; ut, morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum,

quæ erant sub prióre Testaménto, repromissiónem accípiant qui vocáti sunt ætérnæ hereditátis.

Verbum Dómini.

2

Accessistis ad sanguinem aspersionis, melius loquentem quam Abel.

Léctio Epístolæ ad Hebrǽos 12, 18-19. 22-24

Fratres:

Non accessístis ad tractábilem et ardéntem ignem et túrbinem et calíginem et procéllam et tubæ sonum et vocem verbórum, quam qui audiérunt recusavérunt ne ultra eis fíeret verbum.

Sed accessístis ad Sion montem et civitátem Dei vivéntis, Ierúsalem cæléstem, et multa mília angelórum, frequéntiam, et Ecclésiam primogenitórum, qui conscrípti sunt in cælis, et iúdicem Deum ómnium, et spíritus iustórum qui consummáti sunt, et Testaménti novi mediatórem Iesum, et sánguinem aspersiónis, mélius loquéntem quam Abel. — Verbum Dómini.

3

Redempti estis pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 1, 17-21

Caríssimi:

Si patrem invocátis eum, qui sine acceptióne personárum iúdicat secúndum uniuscuiúsque opus, in ti-

móre incolátus vestri témpore conversámini, sciéntes quod non corruptibílibus argénto vel auro redémpti estis de vana vestra conversatióne a pátribus trádita, sed pretióso sánguine quasi Agni incontamináti et immaculáti Christi, præcógniti quidem ante constitutiónem mundi, manifestáti autem novíssimis tempóribus propter vos, qui per ipsum fidéles estis in Deum, qui suscitávit eum a mórtuis et dedit ei glóriam, ut fides vestra et spes esset in Deum.

Verbum Dómini.

4

Tres sunt qui testificantur:
Spiritus et aqua et sanguis.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli

5, 4-7 a. 8 b

Caríssimi:

Omne quod natum est ex Deo vincit mundum, et hæc est victória, quæ vicit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Iesus est Fílius Dei?

Hic est qui venit per aquam et sánguinem, Iesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et in sánguine. Et Spíritus est qui testificátur, quóniam Spíritus est véritas.

Quia tres sunt qui testificántur: Spíritus et aqua et sanguis, et hi tres in unum sunt.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Cf. Ap 1, 5 ab

℟. Allelúia. ℣. Iesu Christe, testis es fidélis,
primogénitus mortuórum;
dilexísti nos, et lavísti peccáta nostra
in sánguine tuo. ℟. Allelúia.

Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum
14, 12-16. 22-26

Primo die azymórum, quando pascha immolábant, dicunt Iesu discípuli eius: « Quo vis eámus et parémus ut mandúces pascha? »

Et mittit duos ex discípulis suis, et dicit eis: « Ite in civitátem, et occúrret vobis domo lagénam aquæ báiulans: sequímini eum et, quocúmque introíerit, dícite dómino domus: " Magíster dicit: Ubi est reféctio mea, ubi pascha cum discípulis meis mandúcem? " Et ipse vobis demonstrábit cenáculum grande stratum parátum et illic paráte nobis ».

Et abiérunt discípuli et venérunt in civitátem et invenérunt sicut díxerat illis et paravérunt pascha.

Et, manducántibus illis, accépit Iesus panem et benedícens fregit, et dedit eis, et ait: « Súmite: hoc est corpus meum ». Et, accépto cálice, grátias agens dedit eis, et bibérunt ex illo omnes.

Et ait illis: « Hic est sanguis meus novi testaménti, qui pro multis effúnditur. Amen dico vobis: Iam non bibam de genímine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in Regno Dei ».

Et, hymno dicto, exiérunt in montem Olivárum.

Verbum Dómini.

2

Alleluia Cf. Ap 1, 5 ab

℟. Allelúia. ℣. Iesu Christe, testis es fidélis,
primogénitus mortuórum;
dilexísti nos, et lavísti peccáta nostra
in sánguine tuo.
℟. Allelúia.

Induunt eum purpuram et imponunt ei plectentes spineam coronam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 15, 16-20

In illo témpore:

Mílites duxérunt Iesum in átrium quod est prætórium, et cónvocant totam cohórtem. Et índuunt eum púrpuram et impónunt ei plecténtes spíneam corónam.

Et cœpérunt salutáre eum: « Ave, rex Iudæórum ». Et percutiébant caput eius arúndine, et conspuébant eum, et ponéntes génua adorábant eum.

Et, postquam illusérunt ei, exuérunt illum púrpuram et induérunt eum vestiméntis suis; et edúcunt illum ut crucifígerent eum. — Verbum Dómini.

3

Alleluia Ap 5, 9

℟. Allelúia. ℣. Dignus es, Dómine, accípere librum
et aperíre signácula eius,
quóniam occísus es, et redemísti nos Deo
in sánguine tuo.
℟. Allelúia.

Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 22, 39-44

In illo témpore:

Ibat Iesus secúndum consuetúdinem in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum et discípuli.

Et, cum pervenísset ad locum, dixit illis: « Oráte, ne intrétis in tentatiónem ».

Et ipse avúlsus est ab eis quantum iactus est lápidis et, pósitis génibus, orábat dicens: « Pater, si vis, transfer cálicem istum a me; verúmtamen non mea volúntas, sed tua fiat ».

Appáruit autem illi ángelus de cælo confórtans eum. Et, factus in agonía, prolíxius orábat.

Et factus est sudor eius sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. — Verbum Dómini.

4

Alleluia Ap 5, 9

℟. Allelúia. ℣. Dignus es, Dómine, accípere librum
et aperíre signácula eius,
quóniam occísus es, et redemísti nos Deo
in sánguine tuo. ℟. Allelúia.

Latus eius aperuit, et exivit sanguis et aqua.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 31-37

Iudǽi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Venérunt ergo mílites, et primi

quidem fregérunt crura et alteríus qui crucifíxus est cum eo.

Ad Iesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum iam mórtuum, non fregérunt eius crura, sed unus mílitum láncea latus eius apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Et qui vidit testimónium perhíbuit, et verum est eius testimónium, et ille scit quia vera dicit, ut et vos credátis.

Facta sunt enim hæc, ut Scriptúra impleátur: « Os non comminuétur eius ». Et íterum ália Scriptúra dicit: « Vidébunt in quem transfixérunt ». — Verbum Dómini.

6. DE SACRATISSIMO CORDE IESU

Dicitur, cum colore albo, Missa de sollemnitate, ut infra:

Ant. ad introitum — Ps 32, 11. 19

Cogitatiónes Cordis eius in generatióne et generatiónem, ut éruat a morte ánimas eórum et alat eos in fame.

Collecta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut qui, dilécti Fílii tui Corde gloriántes,
eius præcípua in nos benefícia recólimus caritátis,
de illo donórum fonte cæléstì
supereffluéntem grátiam mereámur accípere.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui nobis in Corde Fílii tui,
nostris vulneráto peccátis,
infinítos dilectiónis thesáuros
misericórditer largíri dignáris,

concéde, quǽsumus,
ut, illi devótum pietátis nostræ præstántes obséquium,
dignæ quoque satisfactiónis exhibeámus offícium.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1727-1748.

Super oblata

Réspice, quǽsumus, Dómine,
ad ineffábilem Cordis dilécti Fílii tui caritátem,
ut quod offérimus sit tibi munus accéptum
et nostrórum expiátio delictórum. Per Christum.

Præfatio: De immensa caritate Christi.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
Qui, mira caritáte, exaltátus in cruce,
pro nobis trádidit semetípsum,
atque de transfíxo látere sánguinem fudit et aquam,
ex quo manárent Ecclésiæ sacraménta,
ut omnes, ad Cor apértum Salvatóris attrácti,
iúgiter haurírent e fóntibus salútis in gáudio.
Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Ant. ad communionem Io 7, 37-38

Dicit Dóminus:
Si quis sitit, véniat ad me et bibat.
Qui credit in me,
flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ.

Vel: Io 19, 34

Unus mílitum láncea latus eius apéruit,
et contínuo exívit sanguis et aqua.

Post communionem

Sacraméntum caritátis, Dómine,
sancta nos fáciat dilectióne fervére,
qua, ad Fílium tuum semper attrácti,
ipsum in frátribus agnóscere discámus.
Per Christum.

Vel prouti sequitur:

Ant. ad introitum Ps 32, 11. 19

Cogitatiónes Cordis eius in generatióne et generatiónem,
ut éruat a morte ánimas eórum et alat eos in fame.

Collecta

Fac nos, Dómine Deus, Cordis Fílii tui virtútibus índui
et afféctibus inflammári,
ut, eius imágini confórmes effécti,
ætérnæ redemptiónis mereámur esse partícipes.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1727-1748.

Super oblata

Deus, Pater misericordiárum,
qui propter nímiam caritátem, qua dilexísti nos,
Unigénitum tuum nobis ineffábili bonitáte donásti,

præsta, quǽsumus, ut, cum ipso in unum consummáti,
dignum tibi offerámus obséquium.
Per Christum.

Præfatio de Ss.mo Corde Iesu, p. 1725.

Ant. ad communionem Io 7, 37-38

Dicit Dóminus:
Si quis sitit, véniat ad me et bibat.
Qui credit in me,
flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ.

Vel: Io 19, 34

Unus mílitum láncea latus eius apéruit,
et contínuo exívit sanguis et aqua.

Post communionem

Tui sacraménti caritátis partícipes effécti,
cleméntiam tuam, Dómine, supplíciter implorámus,
ut Christo conformémur in terris,
et eius glóriæ consórtes fíeri mereámur in cælis.
Per Christum.

Lectio prima

1

Dominator Domine Deus, misericors et clemens.

Léctio libri Exodi 34, 4 b-7 a. 8-9

In diébus illis:

De nocte consúrgens Móyses ascéndit in montem Sínai, sicut præcéperat ei Dóminus, portans secum tábulas.

Cumque descendísset Dóminus per nubem, stetit Móyses cum eo ínvocans nomen Dómini.

Quo transeúnte coram eo, ait: « Dominátor Dómine Deus, miséricors et clemens, pátiens et multæ miseratiónis ac verax, qui custódis misericórdiam in mília, qui aufers iniquitátem et scélera atque peccáta ».

Festinúsque Móyses curvátus est pronus in terram, et adórans ait: « Si invéni grátiam in conspéctu tuo, Dómine, óbsecro ut gradiáris nobíscum (pópulus enim duræ cervícis est), et áuferas iniquitátes nostras atque peccáta, nosque possídeas ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 24, 4 bc-5 ab. 6 et 7 bc. 8-9. 10 et 14 (℟.: 6 a)

℟. Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine.

4 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi,
et sémitas tuas édoce me.
5 Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus salútis meæ. ℟.

6 Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,
et misericordiárum tuárum, quóniam a sæculo sunt.
7 Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu,
propter bonitátem tuam, Dómine. ℟.

8 Dulcis et rectus Dóminus,
propter hoc peccatóres viam docébit;
9 díriget mansuétos in iudício,
docébit mites vias suas. ℟.

10 Univérsæ viæ Dómini misericórdia et véritas
custodiéntibus testaméntum eius et testimónia eius.
14 Familiáriter aget Dóminus cum timéntibus eum,
ut testaméntum suum maniféstet illis. ℟.

2

Dilexit vos Dominus et elegit vos.

Léctio libri Deuteronómii 7, 6-11

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo dicens: « Pópulus sanctus es Dómino Deo tuo. Te elégit Dóminus Deus tuus, ut sis ei pópulus peculiáris de cunctis pópulis qui sunt super terram.

Non quia cunctas gentes número vincebátis, vobis iunctus est Dóminus et elégit vos, cum ómnibus sitis pópulis paucióres; sed quia diléxit vos Dóminus et custodívit iuraméntum, quod iurávit pátribus vestris, eduxítque vos in manu forti et redémit de domo servitútis, de manu Pharaónis regis Ægýpti.

Et scies quia Dóminus Deus tuus ipse est Deus fortis et fidélis, custódiens pactum et misericórdiam diligéntibus se, et his qui custódiunt præcépta eius in mille generatiónes; et reddens odiéntibus se statim, ita ut dispérdat eos et ultra non dífferat, prótinus eis restítuens quod meréntur.

Custódi ergo præcépta et cæremónias atque iudícia, quæ ego mando tibi hódie ut fácias ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 32, 1-2. 4-5. 11-12. 18-19. 20-21 (℟.: 5 b)

℟. Misericórdia Dómini plena est terra.

1 Exsultáte, iusti, in Dómino;
rectos decet collaudátio.
2 Confitémini Dómino in cíthara,
in psaltério decem chordárum psállite illi. ℟.

4 Quia rectum est verbum Dómini,
et ómnia ópera eius in fide.
5 Díligit iustítiam et iudícium,
misericórdia Dómini plena est terra. ℟.

11 Consílium autem Dómini in ætérnum manet,
cogitatiónes cordis eius in generatióne et generatiónem.
12 Beáta gens cui Dóminus est Deus,
pópulus, quem elégit in hereditátem sibi. ℟.

18 Ecce óculi Dómini super metuéntes eum,
in eos qui sperant super misericórdia eius,
19 ut éruat a morte ánimas eórum,
et alat eos in fame. ℟.

20 Anima nostra sústinet Dóminum,
quóniam adiútor et protéctor noster est;
21 quia in eo lætábitur cor nostrum,
et in nómine sancto eius sperávimus. ℟.

3

Amavit eos elegitque semen eorum post eos.

Léctio libri Deuteronómii 10, 12-22

In diébus illis:

Locútus est Móyses pópulo, dicens: « Et nunc, Israel, quid Dóminus Deus tuus petit a te, nisi ut tímeas Dóminum Deum tuum, et ámbules in viis eius et díligas eum; ac sérvias Dómino Deo tuo in toto corde tuo et in tota ánima tua, custodiásque mandáta Dómini et cæremónias eius, quas ego hódie præcípio tibi, ut bene sit tibi?

En Dómini Dei tui cælum est et cælum cæli, terra et ómnia quæ in ea sunt; et tamen pátribus tuis conglutinátus est Dóminus et amávit eos elegítque semen

eórum post eos, id est vos de cunctis géntibus, sicut hódie comprobátur.

Circumcídite ígitur præpútium cordis vestri, et cervícem vestram ne indurétis ámplius, quia Dóminus Deus vester ipse est Deus deórum et Dóminus dominántium, Deus magnus et potens et terríbilis, qui persónam non áccipit nec múnera, facit iudícium pupíllo et víduæ, amat peregrínum et dat ei victum atque vestítum. Et vos ergo amáte peregrínos, quia et ipsi fuístis ádvenæ in terra Ægýpti.

Dóminum Deum tuum timébis et ei soli sérvies, ipsi adhærébis iurabísque in nómine illíus. Ipse est laus tua et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnália et terribília, quæ vidérunt óculi tui.

In septuagínta animábus descendérunt patres tui in Ægýptum; et ecce nunc multiplicávit te Dóminus Deus tuus sicut astra cæli ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 24, 4 bc-5 ab. 6 et 7 bc. 8-9. 10 et 14 (℟.: 6 a)

℟. Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine.

4 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi,
et sémitas tuas édoce me.
5 Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus salútis meæ. ℟.

6 Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,
et misericordiárum tuárum, quóniam a sæculo sunt.
7 Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu,
propter bonitátem tuam, Dómine. ℟.

8 Dulcis et rectus Dóminus,
propter hoc peccatóres viam docébit;
9 díriget mansuétos in iudício,
docébit mites vias suas. ℟.

10 Univérsæ viæ Dómini misericórdia et véritas
custodiéntibus testaméntum eius et testimónia eius.
14 Familiáriter aget Dóminus cum timéntibus eum,
ut testaméntum suum maniféstet illis. ℟.

4

Si mulier infantem suum oblita fuerit,
ego tamen non obliviscar tui.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 49, 13-15

Laudáte, cæli, et exsúlta, terra; iubiláte, montes, laudem, quia consolátus est Dóminus pópulum suum et páuperum suórum miserébitur.

Et dixit Sion: « Derelíquit me Dóminus, et Dóminus oblítus est mei ». « Numquid oblivísci potest múlier infántem suum, ut non misereátur fílio úteri sui? Et si illa oblíta fúerit, ego tamen non oblivíscar tui ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7 (℟.: 9 a)

℟. Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.

2 Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.
3 In Dómino gloriábitur ánima mea,
áudiant mansuéti et læténtur. ℟.

4 Magnificáte Dóminum mecum,
et exaltémus nomen eius in idípsum.
5 Exquisívi Dóminum, et exaudívit me,
et ex ómnibus terróribus meis erípuit me. ℟.

6 Respícite ad eum et illuminámini,
et fácies vestræ non confundéntur.
7 Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum
et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum. ℟.

5

In caritate perpetua dilexi te.

Léctio libri Ieremíæ prophétæ 31, 1-4

« In témpore illo, dicit Dóminus, ero Deus univérsis cognatiónibus Israel, et ipsi erunt mihi in pópulum ».

Hæc dicit Dóminus: « Invénit grátiam in desérto pópulus, qui remánserat a gládio; vadet ad réquiem suam Israel. Longe Dóminus appáruit mihi. Et in caritáte perpétua diléxi te; ídeo attráxi te míserans, rursúmque ædificábo te, et ædificáberis, virgo Israel: adhuc ornáberis týmpanis tuis, et egrediéris in choro ludéntium ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Is 12, 2-3. 4 bcd. 5-6 (℟.: 3)

℟. Hauriétis aquas in gáudio
de fóntibus Salvatóris.

2 Ecce Deus salvátor meus,
fiduciáliter agam et non timébo,
quia fortitúdo mea et laus mea Dóminus,
et factus est mihi in salútem.
3 Hauriétis aquas in gáudio
de fóntibus Salvatóris. ℟.

4 Confitémini Dómino et invocáte nomen eius,
notas fácite in pópulis adinventiónes eius,
mementóte quóniam excélsum est nomen eius. ℟.

5 Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit,
annuntiáte hoc in univérsa terra.
6 Exsúlta et lauda, habitátio Sion,
quia magnus in médio tui Sanctus Israel. ℟.

6

Ego pascam oves meas et ego eas accubare faciam.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 34, 11-16

Hæc dicit Dóminus Deus: « Ecce ego ipse requíram oves meas, et visitábo eas: sicut vísitat pastor gregem suum in die quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum, sic visitábo oves meas, et liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis et calíginis.

Et edúcam eas de pópulis, et congregábo eas de terris, et indúcam eas in terram suam, et pascam eas in móntibus Israel, in rivis et in cunctis sédibus terræ.

In páscuis ubérrimis pascam eas, et in móntibus excélsis Israel erunt páscua eárum: ibi requiéscent in herbisviréntibus, et in páscuis pínguibus pascéntur super montes Israel.

Ego pascam oves meas et ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus. Quod períerat requíram, et quod abiéctum erat redúcam, et quod confráctum fúerat alligábo, et quod infírmum fúerat consolidábo, et quod pingue et forte custódiam, et pascam illas in iudício ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3. 4. 5. 6 (℟.: 1)

℟. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
in páscuis viréntibus me collocávit,
2 super aquas quiétis edúxit me,
ánimam meam refécit.

3 Dedúxit me super sémitas iustítiæ
propter nomen suum. ℟.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

7

Conversum est in me cor meum.

Léctio libri Osée prophétæ 11, 1 b. 3-4. 8 c-9

Hæc dicit Dóminus: « Puer Israel et diléxi eum, et ex Ægýpto vocávi fílium meum. Et ego, quasi nutrícius Ephraim, portábam eos in brácchiis meis, et nesciérunt quod curárem eos.

In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis; et ero eis quasi exáltans iugum super maxíllas eórum, et declinávi ad eum ut vescerétur.

Convérsum est in me cor meum, páriter conturbáta est pænitúdo mea. Non fáciam furórem iræ meæ, non convértar ut dispérdam Ephraim, quóniam Deus ego et non homo; in médio tui sanctus, et non ingrédiar civitátem ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 102, 1-2. 3-4. 6-7. 8 et 10 (℟.: 17)

℟. Misericórdia Dómini ab ætérno super timéntes eum.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
2 Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivísci omnes retributiónes eius. ℟.

3 Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
4 qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℟.

6 Fáciens iustítias Dóminus,
et iudícium ómnibus iniúriam patiéntibus.
7 Notas fecit vias suas Móysi,
fíliis Israel adinventiónes suas. ℟.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
10 Non secúndum peccáta nostra fecit nobis,
neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis. ℟.

Lectio secunda

1

Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
5, 5-11

Fratres:

Spes non confúndit, quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis.

Adhuc enim Christus, cum adhuc infírmi essémus,

secúndum tempus pro ímpiis mórtuus est. Vix enim pro iusto quis móritur; nam pro bono fórsitan quis et áudeat mori.

Comméndat autem suam caritátem Deus in nos, quóniam, cum adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. Multo ígitur magis iustificáti nunc in sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum.

Si enim, cum inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii eius, multo magis reconciliáti salvi érimus in vita ipsíus. Non solum autem, sed et gloriámur in Deo per Dóminum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus.

Verbum Dómini.

2

Secundum divitias gratiæ eius,
qua superabundavit in nobis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
1, 3-10

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus in Christo; sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritáte; qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Iesum Christum in ipsum, secúndum beneplácitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in Dilécto.

In quo habémus redemptiónem per sánguinem eius, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ eius, qua superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia; notum fáciens nobis mystérium voluntátis suæ secúndum beneplácitum eius, quod propósuit in eo in

dispensatiónem plenitúdinis témporum, recapituláre ómnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra sunt.
Verbum Dómini.

3

Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
3, 8-12

Fratres:

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes quæ sit dispensátio mystérii abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit; ut innotéscat nunc principátibus et potestátibus in cæléstibus per Ecclésiam multifórmis sapiéntia Dei, secúndum propósitum sæculórum, quod fecit in Christo Iesu Dómino nostro, in quo habémus fidúciam et accéssum in confidéntia per fidem eius. — Verbum Dómini.

4

Scire supereminentem scientiæ caritatem Christi.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios
3, 14-19

Fratres:

Flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Iesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis et in terra nominátur; ut det vobis, secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum eius in interiórem hóminem; habitáre Christum per fidem in córdibus vestris; in caritáte radicáti et fundáti, ut valeátis com-

prehéndere cum ómnibus sanctis quæ sit latitúdo et longitúdo et sublímitas et profúndum; scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. — Verbum Dómini.

5

In visceribus Christi Iesu.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses
1, 8-11

Fratres:

Testis mihi est Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Christi Iesu. Et hoc oro, ut cáritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia et omni sensu, ut probétis potióra, ut sitis sincéri et sine offénsa in diem Christi, repléti fructu iustítiæ, qui est per Iesum Christum in glóriam et laudem Dei. — Verbum Dómini.

6

Dilexit nos.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 4, 7-16

Caríssimi, diligámus ínvicem, quóniam cáritas ex Deo est; et omnis qui díligit, ex Deo natus est et cognóscit Deum. Qui non díligit non cognóvit Deum, quóniam Deus cáritas est. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum.

In hoc est cáritas, non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse diléxit nos, et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris.

Caríssimi, si sic Deus diléxit nos, et nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit umquam. Si dili-

gámus ínvicem, Deus in nobis manet, et cáritas eius in nobis consummáta est. In hoc cognóscimus quóniam in ipso manémus, et ipse in nobis, quóniam de Spíritu suo dedit nobis.

Et nos vídimus et testificámur quóniam Pater misit Fílium salvatórem mundi. Quisquis conféssus fúerit: « Iesus est Fílius Dei », Deus in ipso manet, et ipse in Deo.

Et nos cognóvimus et credídimus caritáti quam habet Deus in nobis. Deus cáritas est, et qui manet in caritáte in Deo manet, et Deus in eo manet.

Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia — Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater,
Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Mitis sum et humilis corde.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 11, 25-30

In illo témpore, respóndens Iesus dixit: « Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus et revelásti ea párvulis.

Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te.

Omnia mihi trádita sunt a Patre meo; et nemo novit Fílium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre.

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos.

Tóllite iugum meum super vos, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde; et " inveniétis réquiem animábus vestris "; iugum enim meum suáve, et onus meum leve est ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Mt 11, 29 ab

℞. Allelúia. ℣. Tóllite iugum meum super vos,
dicit Dóminus,
et díscite a me, quia mitis sum
et húmilis corde. ℞. Allelúia.

Gaudium erit in cælo super uno peccatore pænitentiam agente.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 15, 1-10

In illo témpore:

Erant appropinquántes Iesu omnes publicáni et peccatóres, ut audírent illum.

Et murmurábant pharisǽi et scribæ dicéntes: « Hic peccatóres récipit et mandúcat cum illis! »

Et ait ad illos parábolam istam, dicens: « Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et, si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonagintanóvem in desérto, et vadit ad illam quæ períerat, donec invéniat illam?

Et, cum invénerit eam, impónit in úmeros suos gaudens, et véniens domum cónvocat amícos et vicínos, dicens illis: " Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam, quæ períerat ".

Dico vobis: Ita gáudium erit in cælo super uno peccatóre pæniténtiam agénte, quam super nonagintanóvem iustis, qui non índigent pæniténtia.

Aut quæ múlier habens drachmas decem; si perdíderit drachmam unam, nonne accéndit lucérnam et evérrit domum, et quærit diligénter, donec invéniat?

Et, cum invénerit, cónvocat amícas et vicínas, dicens: " Congratulámini mihi, quia invéni drachmam, quam perdíderam ".

Ita, dico vobis, gáudium fit coram ángelis Dei super uno peccatóre pæniténtiam agénte ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia Mt 11, 28

℟. Allelúia. ℣. Veníte ad me, omnes qui laborátis
et oneráti estis,
et ego refíciam vos, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam
15, 1-3. 11-32

In illo témpore:

Erant appropinquántes Iesu omnes publicáni et peccatóres, ut audírent illum.

Et murmurábant pharisæi et scribæ dicéntes: « Hic peccatóres récipit et mandúcat cum illis! »

Et ait ad illos parábolam istam, dicens: « Homo quidam habébat duos fílios, et dixit adulescéntior ex illis patri: " Pater, da mihi portiónem substántiæ, quæ me contíngit ". Et divísit illis substántiam.

Et non post multos dies, congregátis ómnibus, adulescéntior fílius péregre proféctus est in regiónem longínquam; et ibi dissipávit substántiam suam vivéndo luxurióse.

Et, postquam ómnia consummásset, facta est fames válida in regióne illa, et ipse cœpit egére. Et ábiit et adhǽsit uni cívium regiónis illíus, et misit illum in villam suam, ut pásceret porcos. Et cupiébat saturári de síliquis, quas porci manducábant; et nemo illi dabat.

In se autem revérsus dixit: " Quanti mercenárii patris mei abúndant pánibus, ego autem hic fame péreo! Surgam et ibo ad patrem meum et dicam illi: Pater, peccávi in cælum et coram te: et iam non sum dignus vocári fílius tuus: fac me sicut unum de mercenáriis tuis ".

Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsíus, et misericórdia motus est; et accúrrens cécidit super collum eius, et osculátus est illum.

Dixítque ei fílius: " Pater, peccávi in cælum et coram te: iam non sum dignus vocári fílius tuus ".

Dixit autem pater ad servos suos: " Cito proférte stolam primam et indúite illum, et date ánulum in manum eius, et calceaménta in pedes, et addúcite vítulum saginátum, occídite, et manducémus et epulémur; quia hic fílius meus mórtuus erat, et revíxit: períerat, et invéntus est ". Et cœpérunt epulári.

Erat autem fílius eius sénior in agro, et cum veníret et appropinquáret dómui, audívit symphóniam et choros; et vocávit unum de servis, et interrogávit quæ hæc essent.

Isque dixit illi: " Frater tuus venit, et occídit pater tuus vítulum saginátum, quia salvum illum recépit ". Indignátus est autem et nolébat introíre; pater ergo illíus egréssus cœpit rogáre illum.

At ille respóndens dixit patri suo: " Ecce tot annis sérvio tibi, et numquam mandátum tuum prætérii, et numquam dedísti mihi hædum, ut cum amícis meis

epulárer; sed postquam fílius tuus hic, qui devorávit substántiam tuam cum meretrícibus, venit, occidísti illi vítulum saginátum ".

At ipse dixit illi: " Fili, tu semper mecum es, et ómnia mea tua sunt. Epulári autem et gaudére oportébat, quia frater tuus hic mórtuus erat, et revíxit; períerat, et invéntus est " ». — Verbum Dómini.

4

Alleluia Io 10, 14

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus,
et cognósco oves meas,
et cognóscunt me meæ. ℟. Allelúia.

Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 10, 11-18

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus. Mercenárius et qui non est pastor, cuius non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit — et lupus rapit eas et dispérgit, — quia mercenárius est et non pértinet ad eum de óvibus.

Ego sum pastor bonus et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem; et ánimam meam pono pro óvibus.

Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli, et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fient unus grex, unus pastor.

Proptérea me Pater díligit, quia ego pono ánimam meam, ut íterum sumam eam. Nemo tollit eam a me,

sed ego pono eam a meípso. Potestátem hábeo ponéndi eam, et potestátem hábeo íterum suméndi eam: hoc mandátum accépi a Patre meo ». — Verbum Dómini.

5

Alleluia Io 15, 9

℟. Allelúia. ℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos; manéte in dilectióne mea, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Manete in me, et ego in vobis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 1-8

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum tollit eum, et omnem qui fert fructum purgat eum, ut fructum plus áfferat. Iam vos mundi estis propter sermónem quem locútus sum vobis.

Manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite, sic nec vos, nisi in me manséritis.

Ego sum vitis, vos pálmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, missus est foras sicut palmes et áruit, et cólligunt eos et in ignem mittunt, et ardent.

Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis pétite, et fiet vobis. In hoc glorificátus est Pater meus, ut fructum multum afferátis, et efficiámini mei discípuli ».

Verbum Dómini.

6

Alleluia Io 15, 9

℟. Allelúia. ℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos; manéte in dilectióne mea, dicit Dóminus. ℟. Allelúia.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 15, 9-17

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea; sicut ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in eius dilectióne.

Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Maiórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam quis ponat pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis.

Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid facit dóminus eius: vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

Non vos me elegístis, sed ego elégi vos et pósui vos, ut vos eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat, ut, quodcúmque petiéritis Patrem in Nómine meo, det vobis.

Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem.

Verbum Dómini.

7

Alleluia Io 10, 14

℟. Allelúia. ℣. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus,
et cognósco oves meas,
et cognóscunt me meæ. ℟. Allelúia.

Dilexisti eos, sicut me dilexisti.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
17, 20-26

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater sancte, non pro his rogo tantum, sed et pro eis qui creditúri sunt per verbum eórum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis sint, ut mundus credat quia tu me misísti.

Et ego glóriam, quam dedísti mihi, dedi illis ut sint unum sicut nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummáti in unum, ut cognóscat mundus quia tu me misísti et dilexísti eos, sicut me dilexísti.

Pater, quod dedísti mihi, volo, ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut vídeant glóriam meam, quam dedísti mihi; quia dilexísti me ante constitutiónem mundi. Pater iuste, et mundus te non cognóvit; ego autem te cognóvi, et hi cognovérunt quia tu me misísti.

Et notum feci eis Nomen tuum et notum fáciam, ut diléctio, qua dilexísti me, in ipsis sit, et ego in ipsis ».

Verbum Dómini.

8

Alleluia 1 Io 4, 10 b

℟. Allelúia. ℣. Deus prior diléxit nos,
et misit Fílium suum
propitiatiónem pro peccátis nostris.
℟. Allelúia.

Latus eius aperuit, et exivit sanguis et aqua.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
19, 31-37

Iudǽi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Venérunt ergo mílites, et primi quidem fregérunt crura et alteríus qui crucifíxus est cum eo.

Ad Iesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum iam mórtuum, non fregérunt eius crura, sed unus mílitum láncea latus eius apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Et qui vidit testimónium perhíbuit, et verum est eius testimónium, et ille scit quia vera dicit, ut et vos credátis.

Facta sunt enim hæc ut Scriptúra impleátur: « Os non comminuétur eius ». Et íterum ália Scriptúra dicit: « Vidébunt in quem transfixérunt ».

Verbum Dómini.

7. DE SPIRITU SANCTO

In hac Missa adhibetur color ruber.

A

Ant. ad introitum Rom 5, 5; 8, 11

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris,
per inhabitántem Spíritum eius in nobis.

Collecta

Deus, qui corda fidélium
Sancti Spíritus illustratióne docuísti,

da nobis in eódem Spíritu recta sápere,
et de eius semper consolatióne gaudére.
Per Dóminum.

Lectiones de dominica Pentecostes, ut infra, pp. 1753-1761, vel in conferenda Confirmatione, ut supra, pp. 1228-1247.

Super oblata

Múnera, quǽsumus, Dómine, obláta sanctífica,
et corda nostra
Sancti Spíritus illustratióne emúnda.
Per Christum.

Præfatio I de Spiritu Sancto: De missione Spiritus a Domino in Ecclesiam.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.
Qui, ascéndens super omnes cælos
sedénsque ad déxteram tuam,
promíssum Spíritum Sanctum
in fílios adoptiónis effúdit.
Quaprópter nunc et usque in sǽculum,
cum omni milítia Angelórum,
devóta tibi mente concínimus,
clamántes atque dicéntes:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Ant. ad communionem Ps 67, 29

Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis,
a templo sancto tuo, quod est in Ierúsalem.

Post communionem

Sancti Spíritus, Dómine,
corda nostra mundet infúsio,
et sui roris íntima aspersióne fecúndet.
Per Christum.

B

Ant. ad introitum Cf. Io 14, 26; 15, 26

Cum vénerit Spíritus veritátis,
docébit vos omnem veritátem, dicit Dóminus.

Collecta

Mentes nostras, quǽsumus, Dómine,
Paráclitus qui a te procédit illúminet,
et indúcat in omnem,
sicut tuus promísit Fílius, veritátem.
Qui tecum.

Vel:

Deus, cui omne cor patet et omnis volúntas lóquitur,
et quem nullum latet secrétum,
purífica per infusiónem Spíritus Sancti
cogitatiónes cordis nostri,
ut te perfécte dilígere
et digne laudáre mereámur.
Per Dóminum.

Lectiones de dominica Pentecostes, ut infra, pp. 1753-1761, vel in conferenda Confirmatione, ut supra, pp. 1228-1247.

Super oblata

Inténde, quǽsumus, Dómine, spiritálem hóstiam
altáribus tuis piæ devotiónis stúdio propósitam,
et da fámulis tuis spíritum rectum,
ut fides eórum hæc dona tibi concíliet,
et comméndet humílitas. Per Christum.

Præfatio II de Spiritu Sancto: De actione Spiritus in Ecclesia.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui síngulis quibúsque tempóribus aptánda dispénsas,
mirísque modis Ecclésiæ tuæ gubernácula moderáris.
Virtúte enim Spíritus Sancti
ita eam adiuváre non désinis,
ut súbdito tibi semper afféctu
nec in tribulatióne supplicáre defíciat,
nec inter gáudia grátias reférre desístat,
per Christum Dóminum nostrum.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Ant. ad communionem Io 15, 26; 16, 14

Spíritus qui a Patre procédit,
ille me clarificábit, dicit Dóminus.

Post communionem

Dómine Deus noster,
qui nos vegetáre dignátus es cæléstibus aliméntis,
suavitátem Spíritus tui
penetrálibus nostri cordis infúnde,
ut, quæ temporáli devotióne percépimus,
sempitérno múnere capiámus.
Per Christum.

C

Ant. ad introitum Lc 4, 18

Spíritus Dómini super me,
evangelizáre paupéribus misit me, dicit Dóminus.

Collecta

Deus, qui univérsam Ecclésiam tuam
in omni gente et natióne sanctíficas,
in totam mundi latitúdinem Spíritus tui dona defúnde,
ut, quod in ipsis evangélicæ prædicatiónis exórdiis
tua est operáta dignátio,
nunc quoque per credéntium corda diffúndat.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, cuius Spíritu régimur,
cuius protectióne servámur,
præténde nobis misericórdiam tuam,
et exorábilis tuis esto supplícibus,
ut in te credéntium fides
tuis semper benefíciis adiuvétur.
Per Dóminum.

Lectiones de dominica Pentecostes, ut infra, pp. 1753-1761, vel in conferenda Confirmatione, ut supra, pp. 1228-1247.

Super oblata

Sacrifícia, Dómine, tuis obláta conspéctibus,
ignis Spíritus sanctíficet,
qui discipulórum Fílii tui corda succéndit.
Per Christum.

Præfatio de Spiritu Sancto I, p. 1749, vel II, p. 1751.

Ant. ad communionem Ps 103, 30

Emítte Spíritum tuum, et creabúntur,
et renovábis fáciem terræ.

Post communionem

Hæc nobis, Dómine, múnera sumpta profíciant,
ut illo iúgiter Spíritu ferveámus,
quem Apóstolis tuis ineffabíliter infudísti.
Per Christum.

Lectio prima

1

Vocatum est Babel,
quia ibi confusum est labium universæ terræ.

Léctio libri Génesis 11, 1-9

Erat terra lábii uníus et sermónum eorúndem. Cúmque proficisceréntur de oriénte, invenérunt campum in terra Sénnaar, et habitavérunt in eo.

Dixítque alter ad próximum suum: « Veníte, faciámus láteres, et coquámus eos igni ». Habuerúntque láteres pro saxis, et bitúmen pro cæménto. Et dixérunt: « Veníte, faciámus nobis civitátem et turrim, cuius culmen pertíngat ad cælum, et celebrémus nomen nostrum ántequam dividámur in univérsas terras ».

Descéndit autem Dóminus, ut vidéret civitátem et turrim, quam ædificábant fílii Adam; et dixit: « Ecce unus est pópulus et unum lábium ómnibus: cœperúntque hoc fácere, nec desístent a cogitatiónibus suis, donec eas ópere cómpleant. Veníte ígitur, descendámus et confundámus ibi linguam eórum, ut non áudiat unusquísque vocem próximi sui ».

Atque ita divísit eos Dóminus ex illo loco in univérsas terras; et cessavérunt ædificáre civitátem. Et idcírco vocátum est nomen eius Babel, quia ibi confúsum est lábium univérsæ terræ; et inde dispérsit eos Dóminus super fáciem cunctárum regiónum ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius ut infra, p. 1757.

2

Descendit Dominus coram omni plebe super montem Sinai.

Léctio libri Exodi 19, 3-8 a. 16-20 b

In diébus illis:

Móyses ascéndit ad Deum, vocavítque eum Dóminus de monte, et ait: « Hæc dices dómui Iacob, et annuntiábis fíliis Israel:

" Vos ipsi vidístis quæ fécerim Ægýptiis, quómodo portáverim vos super alas aquilárum et assúmpserim mihi. Si ergo audiéritis vocem meam, et custodiéritis pactum meum, éritis mihi in pecúlium de cunctis pópulis; mea est enim omnis terra. Et vos éritis mihi in regnum sacerdotále et gens sancta ". Hæc sunt verba quæ loquéris ad fílios Israel ».

Venit Móyses et, convocátis maióribus natu pópuli,

expósuit omnes sermónes quos mandáverat Dóminus. Respondítque omnis pópulus simul: « Cuncta, quæ locútus est Dóminus, faciémus ».

Iamque advénerat tértius dies, et mane inclarúerat; et ecce cœpérunt audíri tonítrua ac micáre fúlgura, et nubes densíssima operíre montem, clangórque búcinæ veheméntius perstrepébat; et tímuit pópulus qui erat in castris. Cumque eduxísset eos Móyses in occúrsum Dei de loco castrórum, stetérunt ad radíces montis.

Totus autem mons Sínai fumábat, eo quod descendísset Dóminus super eum in igne, et ascénderet fumus ex eo quasi de fornáce; erátque omnis mons terríbilis. Et sónitus búcinæ paulátim crescébat in maius, et prolíxius tendebátur. Móyses loquebátur, et Deus respondébat ei. Descendítque Dóminus super montem Sínai in ipso montis vértice, et vocávit Móysen in cacúmen eius. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius ut infra, p. 1757.

3

Ossa arida, intromittam in vos spiritum, et vivetis.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ 37, 1-14

In diébus illis:

Facta est super me manus Dómini, et edúxit me in spíritu Dómini, et dimísit me in médio campi, qui erat plenus óssibus; et circumdúxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super fáciem campi, siccáque veheménter.

Et dixit ad me: « Fili hóminis, putásne vivent ossa ista? » Et dixi: « Dómine Deus, tu nosti ».

Et dixit ad me: « Vaticináre de óssibus istis, et dices eis: “ Ossa árida, audite verbum Dómini ”. Hæc dicit Dóminus Deus óssibus his: “ Ecce ego intromíttam in vos spíritum, et vivétis: et dabo super vos nervos, et succréscere fáciam super vos carnes, et superexténdam in vobis cutem, et dabo vobis spíritum, et vivétis, et sciétis quia ego Dóminus ” ».

Et prophetávi sicut præcéperat mihi. Factus est autem sónitus, prophetánte me, et ecce commótio, et accessérunt ossa ad ossa, unumquódque ad iunctúram suam. Et vidi, et ecce super ea nervi et carnes ascendérunt, et exténta est in eis cutis désuper. Et spíritum non habébant.

Et dixit ad me: « Vaticináre ad spíritum, vaticináre, fili hóminis, et dices ad spíritum: “ Hæc dicit Dóminus Deus: A quáttuor ventis veni, spíritus, et insúffla super interféctos istos, et revivíscant ” ».

Et prophetávi sicut præcéperat mihi, et ingréssus est in ea spíritus, et vixérunt, steterúntque super pedes suos, exércitus grandis nimis valde.

Et dixit ad me: « Fili hóminis, ossa hæc univérsa domus Israel est. Ipsi dicunt: “ Aruérunt ossa nostra, et périit spes nostra, et abscíssi sumus ”. Proptérea vaticináre et dices ad eos: “ Hæc dicit Dóminus Deus:

Ecce ego apériam túmulos vestros, et edúcam vos de sepúlcris vestris, pópulus meus, et indúcam vos in terram Israel; et sciétis quia ego Dóminus, cum aperúero sepúlcra vestra, et edúxero vos de túmulis vestris, pópule meus, et dédero spíritum meum in vobis, et vixéritis, et requiéscere vos fáciam super humum vestram, et sciétis quia ego Dóminus: locútus sum et feci ”, ait Dóminus Deus ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius ut infra, p. 1757.

4

Super servos meos et ancillas effundam Spiritum meum.

Léctio libri Ioélis prophétæ 2, 28-32

Hæc dicit Dóminus:

« Effúndam spíritum meum super omnem carnem, et prophetábunt fílii vestri et fíliæ vestræ, senes vestri sómnia somniábunt, et iúvenes vestri visiónes vidébunt; sed et super servos meos et ancíllas in diébus illis effúndam spíritum meum.

Et dabo prodígia in cælo et in terra, sánguinem et ignem et vapórem fumi. Sol convertétur in ténebras, et luna in sánguinem, ántequam véniat Dies Dómini magnus et horríbilis.

Et erit: omnis qui invocáverit nomen Dómini salvus erit, quia in monte Sion et in Ierúsalem erit salvátio, sicut dixit Dóminus, et in resíduis quos Dóminus vocáverit ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 103, 1-2 a. 24 et 35 c. 27-28. 29 bc-30 (℟.: cf. 30)

℟. Emítte Spíritum tuum, Dómine,
et rénova fáciem terræ.

vel Allelúia.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino:
Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.
Confessiónem et decórem induísti,
2 amíctus lúmine sicut vestiménto. ℟.

24 Quam multiplicáta sunt ópera tua, Dómine:
ómnia in sapiéntia fecísti,
impléta est terra creatúra tua.
35 Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟.

27 Omnia a te exspéctant,
ut des illis escam in témpore suo.
28 Dante te illis, cólligent,
aperiénte te manum tuam, implebúntur bonis. ℟.
29 Revocábis spíritum eórum, et defícient,
et in púlverem suum reverténtur.
30 Emíttes spíritum tuum, et creabúntur,
et renovábis fáciem terræ. ℟.

5

Repleti sunt omnes Spiritu Sancto et cœperunt loqui.

Léctio Actuum Apostolórum 2, 1-11

Cum compleréntur dies Pentecóstes erant omnes páriter in eódem loco. Et factus est repénte de cælo sonus tamquam adveniéntis spíritus veheméntis et replévit totam domum ubi erant sedéntes: et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquam ignis, sedítque supra síngulos eórum, et repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui áliis linguis prout Spíritus dabat éloqui illis.

Erant autem in Ierúsalem habitántes Iudǽi, viri religiósi ex omni natióne quæ sub cælo est; facta autem hac voce, convénit multitúdo et confúsa est, quóniam audiébat unusquísque lingua sua illos loquéntes. Stupébant autem et mirabántur dicéntes:

« Nonne ecce omnes isti qui loquúntur Galilǽi sunt? Et quómodo nos audímus unusquísque própria lingua nostra in qua nati sumus? Parthi et Medi et Ælamítæ, et qui hábitant Mesopotámiam, Iudǽam quoque et Cappadóciam, Pontum et Asiam, Phrýgiam quoque et Pamphýliam, Ægýptum et partes Líbyæ quæ

est circa Cyrénem, et ádvenæ Románi, Iudǽi quoque et prosélyti, Cretes et Arabes, audímus loquéntes eos nostris linguis magnália Dei ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 103, 1 ab et 24 ac. 29 bc-30. 31 et 34 (℟.: cf. 30)

℟. Emítte Spíritum tuum, Dómine,
et rénova fáciem terræ.

vel Allelúia.

1 Bénedic, ánima mea, Dómino:
Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.
24 Quam multiplicáta sunt ópera tua, Dómine:
impléta est terra creatúra tua. ℟.

29 Revocábis spíritum eórum, et defícient,
et in púlverem suum reverténtur.
30 Emíttes spíritum tuum, et creabúntur,
et renovábis fáciem terræ. ℟.

31 Sit glória Dómini in sǽculum;
lætétur Dóminus in opéribus suis.
34 Iucúndum sit ei elóquium meum,
ego vero delectábor in Dómino. ℟.

Lectio secunda

1

Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
8, 22-27

Fratres:

Scimus quod omnis creatúra congemíscit et compár-turit usque adhuc; non solum autem, sed et nos ipsi

primítias Spíritus habéntes, et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum exspectántes, redemptiónem córporis nostri. Spe enim salvi facti sumus; spes autem quæ vidétur non est spes; nam quod videt quis sperat? Si autem quod non vidémus sperámus, per patiéntiam exspectámus.

Simíliter autem et Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram; nam quid orémus sicut opórtet nescímus, sed ipse Spíritus interpéllat gemítibus inenarrabílibus; qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus, quia secúndum Deum póstulat pro sanctis.

Verbum Dómini.

2

In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 12, 3 b-7. 12-13

Fratres:

Nemo potest dícere: « Dóminus Iesus! » nisi in Spíritu Sancto.

Divisiónes vero gratiárum sunt, idem autem Spíritus; et divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus; et divisiónes operatiónum sunt, idem vero Deus, qui operátur ómnia in ómnibus. Unicuíque autem datur manifestátio Spíritus ad utilitátem.

Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, ómnia autem membra córporis cum sint multa unum corpus sunt, ita et Christus: étenim in uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus, sive Iudǽi sive Græci, sive servi sive líberi, et omnes unum Spíritum potáti sumus. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Veni, Sancte Spíritus,
reple tuórum corda fidélium;
et tui amóris in eis ignem accénde.
℟. Allelúia.

Flumina fluent aquæ vivæ.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
7, 37-39

In novíssimo die magno festivitátis stabat Iesus et clamávit dicens:

« Si quis sitit véniat ad me et bibat qui credit in me. Sicut dixit Scriptúra, flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ ».

Hoc autem dixit de Spíritu quem acceptúri erant credéntes in eum: nondum enim erat Spíritus, quia Iesus nondum fúerat glorificátus. — Verbum Dómini.

2

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Veni, Sancte Spíritus,
reple tuórum corda fidélium;
et tui amóris in eis ignem accénde.
℟. Allelúia.

Sicut misit me Pater, ego mitto vos:
accipite Spiritum Sanctum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
20, 19-23

Cum esset sero die illo prima sabbatórum, et fores

essent clausæ ubi erant discípuli propter metum Iudæórum, venit Iesus et stetit in médio et dicit eis: « Pax vobis ». Et hoc cum dixísset, osténdit eis manus et latus. Gavísi sunt ergo discípuli viso Dómino.

Dixit ergo eis íterum: « Pax vobis: sicut misit me Pater, et ego mitto vos ». Et cum hoc dixísset, insufflávit et dicit eis: « Accípite Spíritum Sanctum: quorum remiséritis peccáta, remíssa sunt eis, quorum retinuéritis, reténta sunt ». — Verbum Dómini.

8. DE BEATA MARIA VIRGINE

A

Sumitur Missa de Communi B. Mariæ Virginis, p. 940, iuxta diversa anni tempora. Lectiones sumuntur de eodem Communi, pp. 947-975.

B

DE BEATA MARIA ECCLESIÆ MATRE

Ant. ad introitum Cf. Act 1, 14

Erant discípuli perseverántes unanímiter
in oratióne cum María, matre Iesu.

Collecta

Deus, misericordiárum Pater,
cuius Unigénitus, cruci affíxus,
beátam Maríam Vírginem, Genetrícem suam,
Matrem quoque nostram constítuit,
concéde, quǽsumus,
ut, eius cooperánte caritáte, Ecclésia tua
in dies fecúndior prolis sanctitáte exsúltet
et in grémium suum
cunctas attrahat famílias populórum.
Per Dóminum.

Pro lectionibus sumuntur textus aptiores ex iis qui proponuntur in Communi B. Mariæ Virginis, pp. 947-975.

Super oblata

Súscipe, Dómine, oblatiónes nostras
et in mystérium salútis convérte,
cuius virtúte
et caritáte Vírginis Maríæ, Ecclésiæ Matris, inflammémur
et óperi redemptiónis cum ea árctius sociári mereámur.
Per Christum.

Præfatio: De Maria, forma et matre Ecclesiæ.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnipotens ætérne Deus:
Et te in celebratióne beátæ Maríæ Vírginis
débitis magnificáre præcóniis.

Quæ Verbum tuum immaculáto corde suscípiens
virgíneo méruit sinu concípere
atque, páriens Conditórem, Ecclésiæ fovit exórdia.

Quæ iuxta crucem testaméntum divínæ caritátis accípiens
univérsos hómines in fílios assúmpsit,
Christi morte ad supérnam vitam generátos.

Quæ, cum Apóstoli Promíssum exspectárent tuum,
supplicatiónem suam discipulórum précibus iungens,
exémplar éxstitit orántis Ecclésiæ.

Ad glóriam autem evécta cælórum,
Ecclésiam peregrinántem matérno proséquitur amóre
eiúsque gressus ad pátriam tuétur benígna,
donec dies Dómini gloriósus advéniat.

Et ídeo cum Sanctis et Angelis univérsis
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Ant. ad communionem Cf. Io 2, 1. 11

Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ,
et erat mater Iesu ibi;
tunc fecit inítium signórum Iesus
et manifestávit glóriam suam,
et credidérunt in eum discípuli eius.

Vel: Cf. Io 19, 26-27

Ex cruce pendens
dixit Iesus discípulo, quem diligébat:
Ecce mater tua.

Post communionem

Sumpto, Dómine, pígnore redemptiónis et vitæ,
súpplices adprecámur,
ut Ecclésia tua, matérna Vírginis ope,
et Evangélii præcónio univérsas gentes erúdiat
et Spíritus effusióne orbem terrárum adímpleat.
Per Christum.

C

DE SS.MO NOMINE MARIÆ

Sumitur Missa de Communi B. Mariæ Virginis, p. 940, iuxta diversa anni tempora, cum sequenti collecta:

Collecta

Deus, cuius Fílius in ara crucis exspírans
beatíssimam Vírginem Maríam
Matrem vóluit esse nostram, quam suam elégerat,
concéde propítius,
ut, qui sub eius præsídium secúre confúgimus,
matérno invocáto nómine confortémur. Per Dóminum.

Lectiones aptiores sumuntur de eodem Communi, pp. 947-975.

9. DE SANCTIS ANGELIS

A

In hac Missa adhibetur color albus.

Ant. ad introitum — Ps 102, 20

Benedícite Dóminum, omnes Angeli eius;
poténtes virtúte, qui fácitis verbum eius,
ad audiéndam vocem sermónum eius.

Collecta

Deus, qui miro órdine
Angelórum ministéria hominúmque dispénsas,
concéde propítius,
ut, a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur,
ab his in terra vita nostra muniátur. Per Dóminum.

Lectiones de festo Ss. Archangelorum, die 29 septembris, ut infra, pp. 1769-1771; vel Ss. Angelorum Custodum, die 2 octobris, ut infra, pp. 1767-1768.

Super oblata

Hóstias tibi, Dómine, laudis offérimus,
supplíciter deprecántes, ut eásdem,

angélico ministério in conspéctum tuæ maiestátis delátas,
et placátus accípias,
et ad salútem nostram proveníre concédas.
Per Christum.

Præfatio de Angelis, p. 764.

Ant. ad communionem Ps 137, 1

In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

Post communionem

Pane cæléstí reféсti, súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, eius fortitúdine roboráti,
sub Angelórum fidéli custódia,
fortes, salútis progrediámur in via.
Per Christum.

B

Dici potest etiam Missa de Ss. Angelis Custodibus, ut die 2 octobris, ut infra:

Ant. ad introitum Dan 3, 58

Benedícite, omnes Angeli Dómini, Dóminum,
hymnum dícite, et superexaltáte eum in sǽcula.

Collecta

Deus, qui ineffábili providéntia
sanctos Angelos tuos
ad nostram custódiam míttere dignáris,
largíre supplícibus tuis,
et eórum semper protectióne defféndi,
et ætérna societáte gaudére.
Per Dóminum.

Lectio prior

Præcedet te angelus meus.

Léctio libri Exodi 23, 20-23 a

Hæc dicit Dóminus:

« Ecce ego mittam ángelum meum, qui præcédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum quem parávi. Obsérva eum et audi vocem eius, nec contemnéndum putes, quia non dimíttet cum peccáveris, et est nomen meum in illo. Quod si audíeris vocem eius et féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, et afflígam affligéntes te. Præcedétque te ángelus meus ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 90, 1-2. 3-4. 5-6. 10-11 (℟.: 11)

℟. Angelis suis mandábit de te,
ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

1 Qui hábitat in protectióne Altíssimi,
sub umbra Omnipoténtis commorábitur.
2 Dicet Dómino: « Refúgium meum
et fortitúdo mea, Deus meus, sperábo in eum ». ℟.

3 Quóniam ipse liberábit te de láqueo venántium
et a verbo malígno.
4 Alis suis obumbrábit tibi,
et sub pennas eius confúgies. ℟.

5 Scutum et loríca véritas eius;
non timébis a timóre noctúrno,
6 a sagítta volánte in die,
a peste perambulánte in ténebris,
ab extermínio vastánte in merídie. ℟.

10 Non accédet ad te malum,
et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.
11 Quóniam ángelis suis mandábit de te,
ut custódiant te in ómnibus viis tuis. ℟.

Alleluia Ps 102, 21

℟. Allelúia. ℣. Benedícite Dómino, omnes virtútes eius,
minístri eius, qui fácitis voluntátem eius.
℟. Allelúia.

Evangelium

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 18, 1-5. 10

In illa hora accessérunt discípuli ad Iesum dicéntes: « Quis, putas, maior est in Regno cælórum? »

Et ádvocans párvulum, státuit eum in médio eórum et dixit: « Amen dico vobis: Nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in Regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est maior in Regno cælórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in Nómine meo, me súscipit.

Vidéte ne contemnátis unum ex his pusíllis; dico enim vobis, quia ángeli eórum in cælis semper vident fáciem Patris mei qui in cælis est ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera,
quæ pro sanctórum Angelórum tuórum
veneratióne deférimus,
et concéde propítius,

ut, perpétuis eórum præsídiis,
a præséntibus perículis liberémur,
et ad vitam felíciter perveniámus ætérnam.
Per Christum.

Præfatio de Angelis, p. 764.

Ant. ad communionem — Ps 137, 1

In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

Post communionem

Quos tantis, Dómine, in vitam ætérnam
dignáris páscere sacraméntis,
angélico ministério dírige in viam salútis et pacis.
Per Christum.

Lectio prior *

Milia milium ministrabant ei.

Léctio libri Daniélis prophétæ — 7, 9-10. 13-14

Aspiciébam donec throni pósiti sunt, et antíquus diérum sedit. Vestiméntum eius cándidum quasi nix, et capílli cápitis eius quasi lana munda, thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accénsus. Flúvius ígneus rapidúsque egrediebátur a fácie eius, mília mílium ministrábant ei, et décies mílies centéna mília assistébant ei. Iudícium sedit, et libri apérti sunt.

Aspiciébam ergo in visióne noctis, et ecce cum núbibus cæli quasi fílius hóminis veniébat, et usque ad antíquum diérum pervénit. Et in conspéctu eius obtulérunt eum, et dedit ei potestátem et honórem et re-

gnum, et omnes pópuli, tribus et linguæ ipsi sérvient; potéstas eius, potéstas ætérna, quæ non auferétur, et regnum eius, quod non corrumpétur.

Verbum Dómini.

Vel

Michael et angeli eius prœliabantur cum dracone.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Ioánnis apóstoli

12, 7-12 a

Factum est prœ́lium in cælo: Míchael et ángeli eius ut prœliaréntur cum dracóne, et draco pugnávit et ángeli eius; et non váluit, neque locus invéntus est eórum ámplius in cælo. Et proiéctus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui vocátur Diábolus et Sátanas, qui sedúcit univérsum orbem, proiéctus est in terram, et ángeli eius cum illo proiécti sunt.

Et audívi vocem magnam in cælo dicéntem: « Nunc facta est salus et virtus et Regnum Dei nostri et potéstas Christi eius, quia proiéctus est accusátor fratrum nostrórum, qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte; et ipsi vicérunt illum propter sánguinem Agni et propter verbum testimónii sui; et non dilexérunt ánimam suam usque ad mortem. Proptérea lætámini, cæli, et qui habitátis in eis ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 137, 1-2 a. 2 b-3. 4-5 (℟.: 1 c)

℟. In conspéctu angelórum psallam tibi, Dómine.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo,
quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu angelórum psallam tibi,
2 adorábo ad templum sanctum tuum. ℟.

Et confitébor nómini tuo
propter misericórdiam tuam et veritátem tuam,
quóniam magnificásti super omne nomen elóquium tuum.
3 In quacúmque die invocávero te, exáudi me;
multiplicábis in ánima mea virtútem. ℟.

4 Confitebúntur tibi, Dómine, omnes reges terræ,
quia audiérunt elóquia oris tui.
5 Et cantábunt vias Dómini,
quóniam magna est glória Dómini. ℟.

Alleluia Ps 102, 21

℟. Allelúia. ℣. Benedícite Dómino, omnes virtútes eius,
minístri eius, qui fácitis voluntátem eius.
℟. Allelúia.

Evangelium

Videbitis angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 47-51

In illo témpore:

Vidit Iesus Nathánael veniéntem ad se, et dicit de eo: « Ecce vere Israelíta, in quo dolus non est ».

Dicit ei Nathánael: « Unde me nosti? »

Respóndit Iesus et dixit ei: « Priúsquam te Philíppus vocáret, cum esses sub ficu, vidi te ».

Respóndit ei Nathánael: « Rabbi, tu es Fílius Dei, tu rex es Israel ».

Respóndit Iesus et dixit ei: « Quia dixi tibi: " Vidi te sub ficu ", credis? maióra his vidébis ».

Et dicit ei: « Amen, amen dico vobis: Vidébitis cælum apértum, et ángelos Dei ascendéntes et descendéntes supra Fílium hóminis ». — Verbum Dómini.

10. DE S. IOSEPH

In hac Missa adhibetur color albus.

A

Ant. ad introitum Lc 12, 42

Ecce fidélis servus et prudens,
quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

Collecta

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Ioseph
sanctíssimæ Genetrícis Fílii tui sponsum
elígere dignátus es,
præsta, quǽsumus,
ut, quem protectórem venerámur in terris,
intercessórem habére mereámur in cælis.
Per Dóminum.

Lectiones de sollemnitate S. Ioseph, die 19 martii, ut infra, pp. 1773-1776, vel de memoria S. Ioseph Opificis, die 1 maii, ut infra, pp. 1778-1780.

Super oblata

Laudis hóstiam immolatúri, Pater sancte,
supplíciter postulámus,
ut in ministério nostro beáti Ioseph précibus foveámur,
cui dedísti Unigénitum tuum
vice in terris custodíre patérna. Per Christum.

Præfatio de S. Ioseph (Et te in veneratióne), p. 765.

Ant. ad communionem Mt 25, 21

Euge, serve bone et fidélis: intra in gáudium Dómini tui.

Post communionem

His recreáti, Dómine, vivíficis sacraméntis,
in iustítia tibi semper et sanctitáte vivámus,
beáti Ioseph exémplo et intercessióne,
qui magnis tuis perficiéndis mystériis
vir iustus et obœ́diens ministrávit. Per Christum.

B

Dici potest, pro opportunitate, etiam Missa de sollemnitate, ut die 19 martii, ut infra:

Ant. ad introitum Lc 12, 42

Ecce fidélis servus et prudens,
quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut humánæ salútis mystéria,
cuius primórdia beáti Ioseph fidéli custódiæ commisísti,
Ecclésia tua, ipso intercedénte, iúgiter servet impléndа.
Per Dóminum.

Lectio prima

Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius.

Léctio libri secúndi Samuélis 7, 4-5 a. 12-14 a. 16

In diébus illis:

Ecce sermo Dómini ad Nathan dicens: « Vade et

lóquere ad servum meum David: Hæc dicit Dóminus: " Cum compléti fúerint dies tui, et dormíeris cum pátribus tuis, suscitábo semen tuum post te, quod egrediétur de útero tuo, et firmábo regnum eius. Ipse ædificábit domum nómini meo, et stabíliam thronum regni eius usque in sempitérnum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in fílium.

Et fidélis erit domus tua et regnum tuum usque in ætérnum ante fáciem tuam, et thronus tuus erit firmus iúgiter " ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 88, 2-3. 4-5. 27 et 29 (℟.: 37)

℟. Semen eius in ætérnum manébit.

2 Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo,
in generatiónem et generatiónem
annuntiábo veritátem tuam in ore meo.
3 Quóniam dixísti:
« In ætérnum misericórdia ædificábitur »,
in cælis firmábitur véritas tua. ℟.

4 « Dispósui testaméntum elécto meo,
iurávi David servo meo:
5 Usque in ætérnum confirmábo semen tuum,
et ædificábo in generatiónem et generatiónem
sedem tuam ». ℟.

27 « Ipse invocábit me: " Pater meus es tu,
Deus meus et refúgium salútis meæ ".
29 In ætérnum servábo illi misericórdiam meam,
et testaméntum meum fidéle ipsi ». ℟.

Lectio secunda

Contra spem in spe credidit.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
4, 13. 16-18. 22

Fratres:

Non per Legem promíssio Abrahæ aut sémini eius, ut heres esset mundi, sed per iustítiam fídei.

Ideo ex fide, ut secúndum grátiam, ut firma sit promíssio omni sémini, non ei qui ex Lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, (qui est pater ómnium nostrum, sicut scriptum est: « Patrem multárum géntium pósui te »), ante Deum cui crédidit, qui vivíficat mórtuos et vocat ea quæ non sunt quasi sint. Qui contra spem in spe crédidit, ut fíeret pater multárum géntium, secúndum quod dictum est: « Sic erit semen tuum ».

Ideo et reputátum est illi ad iustítiam.

Verbum Dómini.

Alleluia Ps 83, 5

℟. Allelúia. ℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine,
in sǽcula sæculórum laudábunt te.
℟. Allelúia.

Evangelium *

Ioseph fecit sicut præcepit ei angelus Domini.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
1, 16. 18-21. 24 a

Iacob génuit Ioseph virum Maríæ, de qua natus est Iesus, qui vocátur Christus.

Iesu Christi autem generátio sic erat: Cum esset desponsáta mater eius María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto; Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

Hæc autem eo cogitánte, ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens: « Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium, et vocábis nomen eius Iesum; ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum ».

Exsúrgens autem Ioseph a somno, fecit sicut præcépit ei ángelus Dómini. — Verbum Dómini.

Vel

Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

2, 41-51 a

Ibant paréntes Iesu per omnes annos in Ierúsalem, in die festo Paschæ. Et, cum factus esset annórum duódecim, ascendéntibus illis secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Iesus in Ierúsalem, et non cognovérunt paréntes eius. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos.

Et non inveniéntes, regréssi sunt in Ierúsalem requiréntes eum.

Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum

audiébant, super prudéntia et respónsis eius. Et vidéntes eum admiráti sunt.

Et dixit mater eius ad illum: « Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te ».

Et ait ad illos: « Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his quæ Patris mei sunt opórtet me esse? » Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad illos.

Et descéndit cum eis et venit Názareth; et erat súbditus illis. — Verbum Dómini.

Super oblata

Quǽsumus, Dómine, ut, sicut beátus Ioseph
Unigénito tuo, nato de María Vírgine,
pia devotióne desérviit,
ita et nos mundo corde
tuis altáribus mereámur ministráre.
Per Christum.

Præfátio de S. Ioseph (Et te in veneratióne), p. 765.

Ant. ad communionem Mt 25, 21

Euge, serve bone et fidélis:
intra in gáudium Dómini tui.

Post communionem

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine,
quam de beáti Ioseph sollemnitáte lætántem
ex huius altáris alimónia satiásti,
perpétua protectióne defénde,
et tua in ea propitiátus dona custódi.
Per Christum.

C

Vel dici potest, pro opportunitate, etiam Missa de S. Ioseph Opifice, ut die 1 maii, ut infra:

Ant. ad introitum Ps 127, 1-2

Beátus omnis, qui timet Dóminum,
qui ámbulat in viis eius.
Labóres mánuum tuárum manducábis,
beátus es, et bene tibi erit.

Collecta

Rerum cónditor, Deus,
qui legem labóris humáno géneri statuísti,
concéde propítius,
ut, sancti Ioseph exémplo et patrocínio,
ópera perficiámus quæ præcipis,
et prǽmia consequámur quæ promíttis. Per Dóminum.

Lectio prior *

Replete terram et subicite eam.

Léctio libri Génesis 1, 26 — 2, 3

Ait Deus:

« Faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram; et præsit píscibus maris et volatílibus cæli et béstiis universǽque terræ omníque réptili, quod movétur in terra ».

Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam; ad imáginem Dei creávit illum: másculum et féminam creávit eos.

Benedixítque illis Deus et ait: « Créscite et multiplicámini et repléte terram et subícite eam, et dominámini píscibus maris et volatílibus cæli et univérsis animántibus, quæ movéntur super terram ».

Dixítque Deus: « Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem semen super terram, et univérsa ligna, quæ habent in semetípsis seméntem géneris sui, ut sint vobis in escam et cunctis animántibus terræ omníque vólucri cæli, et univérsis quæ movéntur in terra et in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescéndum ».

Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat, et erant valde bona. Et factum est véspere et mane, dies sextus.

Igitur perfécti sunt cæli et terra et omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus suum, quod fécerat, et requiévit die séptimo ab univérso ópere quod patrárat. Et benedíxit diéi séptimo et sanctificávit illum, quia in ipso cessáverat ab omni ópere suo, quod creávit Deus ut fáceret. — Verbum Dómini.

Vel

Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Colosśénses
3, 14-15. 17. 23-24

Fratres:

Super ómnia hæc caritátem, quod est vínculum perfectiónis, et pax Christi dominétur in córdibus vestris, ad quam et vocáti estis in uno córpore, et grati estóte.

Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in Nómine Dómini Iesu, grátias agéntes Deo Patri per ipsum.

Quodcúmque fácitis, ex ánimo operámini, sicut Dómino et non homínibus; sciéntes quod a Dómino accipiétis retributiónem hereditátis. Dómino Christo servíte. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 89, 2. 3-4. 12-13. 14 et 16 (℟.: 17 c)

℟. Opus mánuum nostrárum confírma, Dómine.
vel Allelúia.

2 Priúsquam montes nasceréntur
aut gignerétur terra et orbis,
a sǽculo et usque in sǽculum tu es Deus. ℟.

3 Redúcis hóminem in púlverem;
et dixísti: « Revertímini, fílii hóminum ».
4 Quóniam mille anni ante óculos tuos
tamquam dies hestérna quæ prætériit,
et custódia in nocte. ℟.

12 Dinumeráre dies nostros sic doce nos,
ut inducámus cor ad sapiéntiam.
13 Convértere, Dómine, úsquequo?
Et deprecábilis esto super servos tuos. ℟.

14 Reple nos mane misericórdia tua,
et exsultábimus et delectábimur ómnibus diébus nostris.
16 Appáreat servis tuis opus tuum,
et decor tuus fíliis eórum. ℟.

Alleluia

Ps 67, 20

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus Dóminus die cotídie;
portábit nos Deus salutárium nostrórum.
℟. Allelúia.

Evangelium

Nonne hic est fabri filius?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 13, 54-58

In illo témpore:

Véniens Iesus in pátriam suam, docébat eos in syna-

góga eórum, ita ut miraréntur et dícerent: « Unde huic sapiéntia hæc et virtútes? Nonne hic est fabri fílius? Nonne mater eius dícitur María, et fratres eius Iacóbus et Ioseph et Simon et Iudas? Et soróres eius nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic ómnia ista? » Et scandalizabántur in eo.

Iesus autem dixit eis: « Non est prophéta sine honóre nisi in pátria et in domo sua ».

Et non fecit ibi virtútes multas propter incredulitátem illórum. — Verbum Dómini.

Super oblata

Fons totíus misericórdiæ, Deus,
réspice ad múnera nostra,
quæ in commemoratióne beáti Ioseph
maiestáti tuæ deférimus,
et concéde propítius,
ut obláta dona fiant præsídia supplicántium.
Per Christum.

Præfatio de S. Ioseph (Et te in veneratióne), p. 765.

Ant. ad communionem Col 3, 17

Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere,
ómnia in nómine Dómini, grátias agéntes Deo.

Post communionem

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis,
súpplices te rogámus,
ut, exémplo beáti Ioseph,
caritátis tuæ in córdibus nostris testimónia geréntes,
perpétuæ pacis fructu iúgiter perfruámur.
Per Christum.

11. DE OMNIBUS SANCTIS APOSTOLIS

In hac Missa adhibetur color ruber.

Ant. ad introitum Io 15, 16

Non vos me elegístis, sed ego elégi vos,
ut eátis et fructum afferátis,
et fructus vester máneat, dicit Dóminus.

Collecta

Beatórum Apostolórum honóre contínuo
Ecclésia tua, Dómine, semper exsúltet,
ut his præsúlibus gubernétur,
quorum doctrína gaudet et méritis. Per Dóminum.

Lectiones de festo Ss. Simonis et Iudæ, die 28 octobris, ut infra:

Lectio prior

Superædificati super fundamentum Apostolorum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 2, 19-22

Fratres:

Iam non estis extránei et ádvenæ, sed estis concíves sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu; in quo omnis ædificátio compácta crescit in templum sanctum in Dómino; in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 18, 2-3. 4-5 (℟.: 5 a)

℟. In omnem terram exívit sonus eórum.

2 Cæli enárrant glóriam Dei,
et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

3 Dies diéi erúctat verbum,
et nox nocti índicat sciéntiam. ℟.
4 Non sunt loquélæ neque sermónes,
quorum non intellegántur voces.
5 In omnem terram exívit sonus eórum,
et in fines orbis terræ verba eórum. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Te Deum laudámus,
te Dóminum confitémur;
te gloriósus Apostolórum chorus laudat,
Dómine. ℟. Allelúia.

Evangelium

Elegit duodecim ex ipsis,
quos et Apostolos nominavit.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 6, 12-19

Factum est in illis diébus éxiit Iesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei.

Et cum dies factus esset, vocávit discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis, quos et Apóstolos nominávit: Simónem, quem et cognominávit Petrum, et Andréam fratrem eius, et Iacóbum et Ioánnem, et Philíppum et Bartholomǽum, et Matthǽum et Thomam, et Iacóbum Alphǽi et Simónem, qui vocátur Zelótes, et Iudam Iacóbi et Iudam Iscarioth, qui fuit próditor.

Et descéndens cum illis, stetit in loco campéstri, et turba multa discipulórum eius, et multitúdo copiósa plebis ab omni Iudǽa et Ierúsalem et marítima Tyri et Sidónis, qui venérunt ut audírent eum et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis curabántur.

Et omnis turba quærébant eum tángere, quia virtus de illo exíbat et sanábat omnes. — Verbum Dómini.

Super oblata

Effúnde in nos, Dómine,
quem in Apóstolos effudísti abúnde,
Spíritum Sanctum tuum,
ut cognoscámus ea, quæ per eos nobis donásti,
et sacrifícium laudis ad glóriam tuam rite offerámus.
Per Christum.

Præfatio de Apostolis, pp. 766-767.

Ant. ad communionem — Mt 19, 28

Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes,
iudicántes duódecim tribus Israel, dicit Dóminus.

Post communionem

Fac nos, Deus, cum exsultatióne et simplicitáte cordis
perseveráre in doctrína Apostolórum,
in fractióne panis communicántes et oratiónibus.
Per Christum.

12. DE SS. PETRO ET PAULO, APOSTOLIS

In hac Missa adhibetur color ruber. Dicitur Missa ut in Vigilia sollemnitatis eorundem apostolorum, ut infra:

Ant. ad introitum

Petrus apóstolus et Paulus doctor géntium,
ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

Collecta

Da nobis, quǽsumus, Dómine Deus noster,
beatórum apostolórum Petri et Pauli
intercessiónibus sublevári,
ut per quos Ecclésiæ tuæ
supérni múneris rudiménta donásti,

per eos subsídia perpétuæ salútis impéndas. Per Dóminum.

Lectiones de memoria dedicationis basilicarum eorundem Apostolorum, die 18 novembris, ut infra:

Lectio prior

Sic venimus Romam.

Léctio Actuum Apostolórum 28, 11-16. 30-31

Post menses tres, navigávimus in nave alexandrína, quæ in ínsula Mélita hiemáverat, cui erat insígne Cástorum. Et, cum venissémus Syracúsam, mánsimus ibi tríduo. Inde solvéntes devénimus Rhégium, et post unum diem, superveniénte austro, secúnda die vénimus Putéolos; ubi, invéntis frátribus, rogáti sumus manére apud eos dies septem, et sic vénimus Romam.

Et inde, cum audíssent de nobis fratres, occurrérunt nobis usque ad Appii Forum et Tres Tabérnas; quos cum vidísset Paulus, grátias agens Deo, accépit fidúciam.

Cum pervenissémus autem Romam, permíssum est Paulo manére síbimet cum custodiénte se mílite.

Mansit autem biénnio toto in suo condúcto; et suscipiébat omnes qui ingrediebántur ad eum, prǽdicans Regnum Dei et docens quæ sunt de Dómino Iesu Christo cum omni fidúcia, sine prohibitióne.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 97, 1. 2-3 ab. 3 c-4. 5-6 (℟.: 2 b)

℟. In conspéctu géntium revelávit Dóminus
iustítiam suam.

1 Cantáte Dómino cánticum novum,
quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera eius,
et brácchium sanctum eius. ℟.

2 Notum fecit Dóminus salutáre suum,
in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.
3 Recordátus est misericórdiæ suæ
et veritátis suæ dómui Israel. ℟.

Vidérunt omnes términi terræ
salutáre Dei nostri.
4 Iubiláte Deo, omnis terra,
erúmpite, exsultáte et psállite. ℟.

5 Psállite Dómino in cíthara,
in cíthara et voce psalmi;
6 in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ,
iubiláte in conspéctu regis Dómini. ℟.

Alleluia

℟. Allelúia. ℣. Te Deum laudámus,
te Dóminum confitémur;
te gloriósus Apostolórum chorus laudat,
Dómine. ℟. Allelúia.

Evangelium

Iube me venire ad te super aquas.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
14, 22-33

Postquam saturáta est turba, statim iussit Iesus discípulos ascéndere in navículam, et præcédere eum trans fretum, donec dimítteret turbas. Et, dimíssis turbis, ascéndit in montem solus oráre. Véspere autem facto, solus erat ibi.

Navícula autem iam multis stádiis a terra distábat, flúctibus iactáta; erat enim contrárius ventus.

Quarta autem vigília noctis, venit ad eos ámbulans supra mare.

Discípuli autem, vidéntes eum supra mare ambulántem, turbáti sunt dicéntes: « Phantásma est »; et præ timóre clamavérunt.

Statímque Iesus locútus est eis, dicens: « Habéte fidúciam: ego sum, nolíte timére ».

Respóndens autem ei Petrus, dixit: « Dómine, si tu es, iube me veníre ad te super aquas ».

At ipse ait: « Veni ». Et descéndens Petrus de navícula, ambulávit super aquas et venit ad Iesum.

Videns vero ventum válidum tímuit, et cum cœpísset mergi, clamávit dicens: « Dómine, salvum me fac ».

Contínuo autem Iesus, exténdens manum, apprehéndit eum, et ait illi: « Módicæ fídei, quare dubitásti? » Et, cum ascendíssent in navículam, cessávit ventus.

Qui autem in navícula erant, adoravérunt eum, dicéntes: « Vere Fílius Dei es ». — Verbum Dómini.

Super oblata

Múnera, Dómine, tuis altáribus adhibémus,
de beatórum apostolórum Petri et Pauli
sollemnitátibus gloriántes,
ut quantum sumus de nostro mérito formidántes,
tantum de tua benignitáte gloriémur salvandi.
Per Christum.

Præfatio: De duplici missione Petri et Pauli in Ecclesia.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Quia nos beáti apóstoli Petrus et Paulus
tua dispositióne lætíficant:
hic princeps fídei confiténdæ,
ille intellegéndæ clarus assértor;
hic relíquiis Israel instítuens Ecclésiam primitívam,
ille magíster et doctor géntium vocandárum.
Sic divérso consílio unam Christi famíliam congregántes,
par mundo venerábile, una coróna sociávit.

Et ídeo cum Sanctis et Angelis univérsis
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Vel præfatio I de Apostolis, p. 766.

Ant. ad communionem — Io 21, 15. 17

Simon Ioánnis, díligis me plus his?
Dómine, tu ómnia nosti, tu scis, Dómine, quia amo te.

Post communionem

Cæléstibus sacraméntis, quǽsumus, Dómine,
fidéles tuos corróbora,
quos Apostolórum doctrína illuminásti.
Per Christum.

13. DE S. PETRO, APOSTOLO

In hac Missa adhibetur color ruber.

Ant. ad introitum — Lc 22, 32

Dicit Dóminus Simóni Petro:
Ego rogávi pro te, ut non defíciat fides tua,
et tu aliquándo convérsus, confírma fratres tuos.

Collecta

Deus, qui beáto Petro apóstolo tuo,
collátis clávibus regni cæléstis,
ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti,
concéde, ut, intercessiónis eius auxílio,
a peccatórum nostrórum néxibus liberémur.
Per Dóminum.

Lectiones de festo Cathedræ S. Petri, die 22 februarii, pp. 914.

Super oblata

Oblatiónem pópuli tui, quǽsumus, Dómine,
súscipe propítius in commemoratióne beáti Petri apóstoli,
quem ad confiténdum te Deum vivum tuúmque Fílium
secréta revelatióne docuísti,
et gloriósa fecísti passióne
Magístro suo testimónium perhibére.
Per Christum.

Præfatio I de Apostolis, p. 766.

Ant. ad communionem Mt 16, 16. 18

Dixit Petrus ad Iesum: Tu es Christus, Fílius Dei vivi.
Respóndit Iesus: Tu es Petrus,
et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Post communionem

Ad convívium, Dómine, salútis admíssi,
beáti Petri apóstoli memóriam venerántes,
gratánter expóscimus,
ut Fílio tuo, qui solus verba vitæ habet,
iúgiter hæreámus,
quátenus oves gregis tui fidéles
ad páscua felíciter deducámur ætérna.
Per Christum.

14. DE S. PAULO, APOSTOLO

In hac Missa adhibetur color ruber.

Ant. ad introitum 2 Tim 1, 12; 4, 8

Scio cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem iustus iudex.

Collecta

Dómine Deus,
qui beátum Paulum apóstolum
ad prædicándum Evangélium mirabíliter designásti,
da fide mundum univérsum ímbui,
quam ipse coram régibus gentibúsque portávit,
ut iúgiter Ecclésia tua cápiat augméntum.
Per Dóminum.

Lectiones de festo Conversionis S. Pauli, die 25 ianuarii, pp. 889.

Super oblata

Illo nos, quǽsumus, Dómine, divína tractántes,
fídei lúmine Spíritus perfúndat,
quo beátum Paulum apóstolum
ad glóriæ tuæ propagatiónem collustrávit.
Per Christum.

Præfatio I de Apostolis, p. 766.

Ant. ad communionem Gal 2, 20

In fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me,
et trádidit semetípsum pro me.

Post communionem

Córporis et Sánguinis Fílii tui, Dómine,
communióne reféctis,
concéde, ut ipse Christus sit nobis vívere,

nihílque ab eius nos séparet caritáte,
et, beáto monénte Apóstolo,
in dilectióne cum frátribus ambulémus.
Per Christum.

15. DE UNO SANCTO APOSTOLO

Dicitur Missa ut in eius festivitate. Si vero una cum alio Apostolo celebratur, et textus Missæ minus concordant cum ipso, dicitur, cum colore rubro, Missa quæ sequitur.

Ant. ad introitum Ps 95, 2-3

Annuntiáte de die in diem salutáre Dei,
annuntiáte inter gentes glóriam eius.

Collecta

Róbora in nobis, Dómine, fidem,
qua Fílio tuo beátus N. apóstolus sincéro ánimo adhǽsit,
et præsta, ut, ipso deprecánte,
Ecclésia tua
cunctis géntibus salútis fiat sacraméntum.
Per Dóminum.

Sumuntur lectiones ut in eius festivitate. Si vero una cum alio Apostolo celebratur, et textus lectionum Missæ minus concordant cum ipso, lectiones sumuntur de Missa Ss. Simonis et Iudæ, die 28 octobris, ut supra, pp. 1782-1783.

Super oblata

Beáti N. apóstoli commemoratióne
tibi múnera deferéntes,
quǽsumus, Dómine,
ut, eius exémplo, digne Evangélio Christi conversántes,
fídei evangélicæ collaborémus.
Per Christum.

Præfatio II de Apostolis, p. 767.

Ant. ad communionem Lc 22, 29-30

Ego dispóno vobis,
sicut dispósuit mihi Pater meus, regnum,
ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo,
dicit Dóminus.

Post communionem

Súmpsimus, Dómine, pignus salútis ætérnæ,
memóriam beáti N. apóstoli celebrántes,
quod sit nobis, quǽsumus,
vitæ præséntis auxílium páriter et futúræ.
Per Christum.

16. DE OMNIBUS SANCTIS

In hac Missa adhibetur color albus.

Ant. ad introitum

Gaudent in cælis ánimæ Sanctórum,
qui Christi vestígia sunt secúti:
ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Collecta

Deus, omnis fons sanctitátis,
fac nos in nostra unumquémque vocatióne
digne ambuláre,
intercedéntibus Sanctis tuis,
quibus divisiónes gratiárum in terra
et unam in cælo mercédem gloriósam contulísti.
Per Dóminum.

Lectiones de sollemnitate Omnium Sanctorum, die 1 novembris, ut infra:

Lectio prima

Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Ioánnis apóstoli
7, 2-4. 9-14

Ego Ioánnes vidi álterum ángelum ascendéntem ab ortu solis, habéntem sigíllum Dei vivi; et clamávit voce magna quáttuor ángelis, quibus datum est nocére terræ et mari, dicens: « Nolíte nocére terræ neque mari neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum ». Et audívi númerum signatórum: centum quadragínta quáttuor mília signáti, ex omni tribu filiórum Israel.

Post hæc vidi: et ecce turba magna, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus et tríbubus et pópulis et linguis, stantes ante thronum et in conspéctu Agni, amícti stolas albas, et palmæ in mánibus eórum, et clamant voce magna dicéntes: « Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno ».

Et omnes ángeli stabant in circúitu throni et seniórum et quáttuor animálium; et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, et adoravérunt Deum dicéntes: « Amen. Benedíctio et glória et sapiéntia et gratiárum áctio et honor et virtus et fortitúdo Deo nostro in sǽcula sæculórum. Amen ».

Et respóndit unus de senióribus dicens mihi: « Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt et unde venérunt? »

Et dixi illi: « Dómine mi, tu scis ».

Et dixit mihi: « Hi sunt qui véniunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas et dealbavérunt eas in sánguine Agni ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 23, 1-2. 3-4 ab. 5-6 (℟.: 6)

℟. Hæc est generátio quæréntium fáciem tuam, Dómine.

1 Dómini est terra et plenitúdo eius,
orbis terrárum et qui hábitant in eo.
2 Quia ipse super mária fundávit eum,
et super flúmina firmávit eum. ℟.

3 Quis ascéndet in montem Domini,
aut quis stabit in loco sancto eius?
4 Innocens mánibus et mundo corde,
qui non accépit in vanum nomen eius. ℟.

5 Hic accípiet benedictiónem a Dómino,
et iustificatiónem a Deo salutári suo.
6 Hæc est generátio quæréntium eum,
quæréntium fáciem Dei Iacob. ℟.

Lectio secunda

Videbimus Deum sicuti est.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 3, 1-3

Caríssimi:

Vidéte qualem caritátem dedit nobis Pater, ut fílii Dei nominémur: et sumus! Propter hoc mundus non cognóscit nos, quia non cognóvit eum.

Caríssimi, nunc fílii Dei sumus, et nondum manifestátum est quid érimus. Scimus quóniam, cum ipse apparúerit, símiles ei érimus; quóniam vidébimus eum sícuti est.

Et omnis qui habet spem hanc in eo, castíficat se, sicut ille castus est.

Verbum Dómini.

Alleluia Mt 11, 28

℟. Allelúia. ℣. Veníte ad me, omnes qui laborátis
et oneráti estis,
et ego refíciam vos, dicit Dóminus.
℟. Allelúia.

Evangelium

Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
5, 1-12 a

In illo témpore:

Videns Iesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius. Et apériens os suum, docébat eos dicens:

« Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.

Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur.

Beáti misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.

Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti estis, cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Grata tibi sint, Dómine, múnera,
quæ pro cunctórum offérimus honóre Sanctórum,
et concéde,
ut, quos iam crédimus de sua immortalitáte secúros,
sentiámus de nostra salúte sollícitos.
Per Christum.

Præfatio de Sanctis, pp. 768-769.

Ant. ad communionem Mt 5, 8-10

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt;
beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur;
beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam,
quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Post communionem

Deus, qui nos uno pane réficis et una spe susténtas,
tua nos páriter grátia corróbora, ut omnes,
cum Sanctis tuis unum in Christo corpus et unus spíritus,
ad glóriam cum ipso resurgámus.
Per Christum.

MISSÆ DEFUNCTORUM

Quamvis integræ Missæ, cum suis antiphonis et orationibus, commoditatis causa, proponantur, omnes textus cum aliis commutari possunt, præsertim ad orationes quod attinet, mutatis tamen genere aut numero, pro cuiusvis circumstantiæ opportunitate.

Item in orationibus, quæ pro exsequiis aut pro anniversario proponuntur, si in aliis circumstantiis adhibentur, omittantur verba, quæ minus apta evadant.

I. IN EXSEQUIIS

A

Ant. ad introitum Cf. 4 Esd 2, 34-35

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine,
et lux perpétua lúceat eis.

Collecta

Deus, Pater omnípotens,
cuius Fílium mórtuum fuísse et resurrexísse
fides nostra fatétur,
concéde propítius,
ut hoc mystério fámulus tuus N., qui in illo dormívit,
per illum resúrgere lætétur.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere,
te súpplices exorámus pro fámulo tuo N.,
quem (hódie) ad te migráre iussísti,
ut, quia in te sperávit et crédidit,
concédas eum ad veram pátriam perdúci,
et gáudiis pérfrui sempitérnis.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1828-1866.

Super oblata

Pro fámuli tui N. salúte
hóstias tibi, Dómine, supplíciter offérimus
tuam cleméntiam deprecántes,
ut, qui Fílium tuum pium Salvatórem esse non dubitávit,
misericórdem Iúdicem invéniat.
Per Christum.

Præfatio de defunctis, pp. 779-783.

Ant. ad communionem Cf. 4 Esd 2, 35. 34

Lux ætérna lúceat eis, Dómine,
cum Sanctis tuis in ætérnum, quia pius es.
Réquiem ætérnam dona eis, Dómine,
et lux perpétua lúceat eis,
cum Sanctis tuis in ætérnum, quia pius es.

Post communionem

Dómine Deus, cuius Fílius in sacraménto Córporis sui viáticum nobis relíquit,
concéde propítius, ut per hoc frater noster N.
ad ipsam Christi pervéniat mensam ætérnam.
Per Christum.

B

Ant. ad introitum

Apériat ei Dóminus paradísi iánuam,
ut ad illam pátriam revertátur,
ubi mors non est, ubi ætérnum gáudium persevérat.

Collecta

Deus, misericórdia peccatórum
et tuórum beatitúdo Sanctórum,
da, quǽsumus, fámulo tuo N.,
cuius depositiónis (hódie)
offícia humanitátis persólvimus,
cum eléctis tuis beáti múneris portiónem,
ut eum, a mortalitátis néxibus absolútum,
in die resurrectiónis ante fáciem tuam
præsentári concédas.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1828-1866.

Super oblata

Adésto, Dómine, quǽsumus,
pro fámulo tuo N.,
cuius in die depositiónis
hoc sacrifícium tibi placatiónis offérimus,
ut, si qua ei peccáti mácula inhǽsit
aut vítium humánum infécit,
dono tuæ pietátis indúlgeas et abstérgeas.
Per Christum.

Præfatio de defunctis, pp. 779-783.

Ant. ad communionem — Phil 3, 20-21

Salvatórem exspectámus
Dóminum nostrum Iesum Christum,
qui reformábit corpus humilitátis nostræ
configurátum córpori claritátis suæ.

Post communionem

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut fámulus tuus N.,
qui (hódie) de hoc sǽculo migrávit,
his sacrifíciis purgátus et a peccátis expedítus,
resurrectiónis suscípiat gáudia sempitérna.
Per Christum.

C. Aliæ orationes pro Missa exsequiali

Collecta

Deus, cui soli cómpetit vitam post mortem præstáre,
líbera fámulum tuum N. ab ómnibus peccátis,
ut, qui Christi tui resurrectiónem crédidit,
témpore resurrectiónis gloriósus tibi iungátur.
Per Dóminum.

Super oblata

Omnípotens et miséricors Deus,
his sacrifíciis áblue, quǽsumus, fámulum tuum N.
a peccátis suis in sánguine Christi,
ut, quem mundásti aqua baptísmatis,
indesinénter purífices indulgéntia pietátis.
Per Christum.

Post communionem

Sumpto sacraménto Unigéniti tui,
qui pro nobis immolátus resurréxit in glória,
te, Dómine, supplíciter exorámus pro fámulo tuo N.
ut, paschálibus mystériis mundátus,
futúræ resurrectiónis múnere gloriétur.
Per Christum.

II. IN ANNIVERSARIO

A

Ant. ad introitum — Ap 21, 4

Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum,
et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor,
neque dolor erit ultra, quia prima transiérunt.

Collecta

Deus, glória fidélium et vita iustórum,
cuius Fílii morte et resurrectióne redémpti sumus,
propitiáre fámulo tuo N.,
ut, qui resurrectiónis nostræ mystérium agnóvit,
ætérnæ beatitúdinis gáudia percípere mereátur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1828-1866.

Super oblata

Múnera, quǽsumus, Dómine,
quæ tibi pro fámulo tuo N. offérimus,
placátus inténde,
ut, remédiis purgátus cæléstibus,
in tua glória semper vivus sit et beátus.
Per Christum.

Præfatio de defunctis, pp. 779-783.

Ant. ad communionem Io 11, 25; 3, 36; 5, 24

Ego sum resurréctio et vita,
dicit Dóminus.
Qui credit in me,
habet vitam ætérnam,
et in iudícium non venit,
sed tránsiet de morte ad vitam.

Post communionem

Sacris reparáti mystériis,
te, Dómine, supplíciter exorámus,
ut fámulus N., a delíctis ómnibus emundátus,
ætérno resurrectiónis múnere ditári mereátur.
Per Christum.

B

Ant. ad introitum

Dómine Iesu, concéde réquiem ætérnam eis,
pro quibus tuum pretiósum effudísti Sánguinem.

Collecta

Quǽsumus, Dómine, ut fámulo tuo N.,
cuius depositiónis diem commemorámus,

rorem misericórdiæ tuæ perénnem infúndas,
et Sanctórum tuórum largíri dignéris consórtium.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1828-1866.

Super oblata

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris
pro fámulo tuo N.,
cuius hódie ánnua dies ágitur,
ut, per hoc sacrifícium propitiatiónis et laudis,
eum Sanctórum tuórum consórtio sociáre dignéris.
Per Christum.

Præfatio de defunctis, pp. 779-783.

Ant. ad communionem

Qui es, Dómine, réquies post labórem,
qui es vita post mortem,
tu dona eis réquiem sempitérnam.

Post communionem

Précibus nostris et sacrifíciis, Dómine,
pro fámulo tuo N. benígne suscéptis,
te súpplices deprecámur,
ut, si quæ ei máculæ peccáti adhæsérunt,
remissiónis tuæ misericórdia deleántur.
Per Christum.

C. Aliæ orationes in anniversario

Collecta

Concéde, quǽsumus, Dómine,
per beátam Fílii tui passiónem,
fámulo tuo N. remissiónem,

quam semper optávit, peccatórum,
ut, te in veritáte cognóscens,
visióne tua iúgiter pérfrui mereátur.
Per Dóminum.

Super oblata

Sacrifícium tibi, Dómine, pro fámulo tuo N.
supplíciter offérimus,
ut, qui te iam dono tuæ illuminatiónis agnóvit,
tibi adhærére perpétuo lætétur.
Per Christum.

Post communionem

Repléti alimónia reparatiónis et vitæ, quæsumus, Dómine,
ut per eam frater noster N.,
ab ómnibus peccátis emundátus,
ad cæléste váleat transíre consórtium.
Per Christum.

D. Aliæ orationes in anniversario

Collecta

Deus indulgentiárum, da fámulo tuo N.,
cuius anniversárium depositiónis diem celebrámus,
refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem
et lúminis claritátem.
Per Dóminum.

Super oblata

Supplicátio tibi nostra, Dómine,
et grata páriter exsístat oblátio,
ut fámulo tuo N., pro cuius salúte defértur,
plenitúdinem tuæ redemptiónis acquírat.
Per Christum.

Post communionem

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut fámulus tuus N.,
pro quo hoc sacrifícium tuæ obtúlimus maiestáti,
per huius virtútem sacraménti
a peccátis ómnibus expiátus,
lucis perpétuæ, te miseránte, recípiat beatitúdinem.
Per Christum.

III. IN VARIIS COMMEMORATIONIBUS

A. Pro uno defuncto

Ant. ad introitum

Apériat ei Dóminus paradísi iánuam,
ut ad illam pátriam revertátur,
ubi mors non est, ubi gáudium ætérnum persevérat.

Collecta

Deus, Pater omnípotens,
qui nos crucis mystério confirmásti
et Fílii tui resurrectiónis sacraménto signásti,
concéde propítius fámulo tuo N.,
ut, mortalitátis néxibus expedítus,
electórum tuórum aggregétur consórtio.
Per Dóminum.

Vel:

Inclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras,
quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur,
ut fámulum tuum N.,
quem in hoc sǽculo tuo pópulo misericórditer aggregásti,

in pacis ac lucis regióne constítuas,
et Sanctórum tuórum concédas esse consórtem.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1828-1866.

Super oblata

Propitiáre, quǽsumus, Dómine, fámulo tuo N.,
pro quo hóstiam tibi laudis immolámus,
te supplíciter deprecántes,
ut, per hæc piæ placatiónis offícia,
resúrgere mereátur ad vitam.
Per Christum.

Præfatio de defunctis, pp. 779-783.

Ant. ad communionem — Io 6, 37

Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet, dicit Dóminus,
et eum qui venit ad me, non eíciam foras.

Post communionem

Vitálibus refécti sacraméntis, quǽsumus, Dómine,
ut frater noster N.,
quem testaménti tui partícipem effecísti,
huius mystérii purificátus virtúte,
in pace Christi sine fine lætétur.
Per Christum.

B. Pro uno defuncto

Ant. ad introitum — Iob 19, 25. 26

Scio quod Redémptor meus vivit,
et in novíssimo die de terra surrectúrus sum,
et in carne mea vidébo Deum meum.

Collecta

Absólve, quǽsumus, Dómine, fámulum tuum N.
ab omni vínculo delictórum,
ut, qui in hoc sǽculo Christo méruit conformári,
in resurrectiónis glória
inter Sanctos tuos resuscitátus respíret.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1828-1866.

Super oblata

Annue nobis, quǽsumus, Dómine,
ut fámulo tuo N. hæc prosit oblátio,
quam immolándo, totíus mundi tribuísti relaxári delícta.
Per Christum.

Præfatio de defunctis, pp. 779-783.

Ant. ad communionem — Cf. Io 6, 50

Hic est panis de cælo descéndens, dicit Dóminus;
si quis ex ipso manducáverit, non moriétur in ætérnum.

Post communionem

Prosit, quǽsumus, Dómine, fámulo tuo N.
sacrifícium Ecclésiæ tuæ,
ut, cum Sanctis, Christi consórtium invéniat,
cuius misericórdiæ consecútus est sacraméntum.
Per Christum.

C. Pro pluribus aut pro omnibus defunctis

Ant. ad introitum

Dona eis, Dómine, réquiem sempitérnam
et imple splendóribus ánimas eórum.

Collecta

Deus, qui Unigénitum tuum, devícta morte,
ad cæléstia transíre fecísti,
concéde fámulis tuis (N. et N.),
ut, huius vitæ mortalitáte devícta,
te conditórem et redemptórem
possint perpétuo contemplári.
Per Dóminum.

Vel:

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor,
fámulis tuis remissiónem cunctórum tríbue peccatórum,
ut indulgéntiam, quam semper optavérunt,
piis supplicatiónibus consequántur.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1828-1866.

Super oblata

Hóstias, quǽsumus, Dómine,
quas tibi pro fámulis tuis offérimus,
propitiátus inténde,
ut, quibus fídei christiánæ méritum contulísti,
dones et prǽmium.
Per Christum.

Præfatio de defunctis, pp. 779-783.

Ant. ad communionem 1 Io 4, 9

Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum,
ut vivámus per eum.

Post communionem

Multíplica, Dómine, his sacrifíciis suscéptis,
super fámulos tuos defúnctos misericórdiam tuam,

et, quibus donásti baptismi grátiam,
da eis æternórum plenitúdinem gaudiórum.
Per Christum.

Vel:

Fámulis tuis, quǽsumus, Dómine,
orátio profíciat supplicántium,
ut eos, his sacrifíciis, et a peccátis ómnibus éxuas,
et ætérnæ salvatiónis fácias esse partícipes.
Per Christum.

D. Pro pluribus aut pro omnibus defunctis

Ant. ad introitum Io 3, 16

Sic Deus diléxit mundum,
ut Fílium suum unigénitum daret;
ut omnis qui credit in ipsum non péreat,
sed hábeat vitam ætérnam.

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
vita mortálium et exsultátio Sanctórum,
te súpplices exorámus pro fámulis tuis (N. et N.),
ut, mortalitátis néxibus expedíti,
regnum tuum in glória possídeant sempitérna.
Per Dóminum.

Vel:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui vivórum domináris simul et defunctórum,
omniúmque miseréris,
te supplíciter exorámus,
ut, pro quibus effúndimus preces,
pietátis tuæ cleméntia

delictórum suórum véniam consequántur,
et de te beáti congáudeant ac te sine fine colláudent.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1828-1866.

Super oblata

Pro fámulis tuis N. et N.
et ómnibus in Christo dormiéntibus
hóstiam, Dómine, súscipe benígnus oblátam,
ut, per hoc sacrifícium singuláre vínculis mortis exúti,
vitam mereántur ætérnam.
Per Christum.

Præfatio de defunctis, pp. 779-783.

Ant. ad communionem — Phil 3, 20-21

Salvatórem exspectámus
Dóminum nostrum Iesum Christum,
qui reformábit corpus humilitátis nostræ
configurátum córpori claritátis suæ.

Post communionem

Divína participántes mystéria,
quǽsumus, omnípotens Deus,
ut hæc éadem nobis profíciant ad salútem,
et fámulis tuis defúnctis,
pro quibus tuam deprecámur cleméntiam,
prosint ad indulgéntiam.
Per Christum.

E. Pro pluribus aut pro omnibus defunctis

Ant. ad introitum — Ap 14, 13

Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur.
Amodo requiéscant a labóribus suis:
ópera enim illórum sequúntur illos.

Collecta

Deus, cuius miseratióne fidéles requiéscunt,
fámulis tuis N. et N. et ómnibus in Christo quiescéntibus
da propítius véniam peccatórum,
ut, a cunctis reátibus absolúti,
Christi tui resurrectióni sociéntur.
Qui tecum vivit.

Vel:

Quǽsumus, Dómine,
fámulis tuis defúnctis misericórdiam concéde perpétuam
ut eis profíciat in ætérnum
quod in te speravérunt et credidérunt.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1828-1866.

Super oblata

Múnera, Dómine, quǽsumus,
quæ pro tuórum réquie famulórum offérimus,
placátus inténde,
ut, per hæc salútis humánæ subsídia,
tuórum número redemptórum sorte perpétua censeántur.
Per Christum.

Præfatio de defunctis, pp. 779-783.

Ant. ad communionem

Pro quorum memória Corpus et Sanguis Christi súmitur,
dona eis, Dómine, réquiem sempitérnam.

Post communionem

Súmpsimus, Dómine, redemptiónis sacraménta,
tuam cleméntiam obsecrántes,
ut, te miseránte, nobis vivéntibus tutélam obtíneant,
et defúnctis nostris véniam sempitérnam.
Per Christum.

Vel:

Inveniant, quǽsumus, Dómine, fámuli tui,
omnésque in Christo quiescéntes,
lucis ætérnæ consórtium,
qui, in hac luce pósiti, tuum consecúti sunt sacraméntum.
Per Christum.

IV. ORATIONES PRO DEFUNCTIS

1. PRO PAPA

A

Collecta

Deus, fidélis remunerátor animárum,
præsta, ut fámulus tuus Papa noster N.,
quem Petri constituísti vicárium
et Ecclésiæ tuæ pastórem,
grátiæ et miseratiónis tuæ mystériis,
quæ fidénter dispensávit in terris,
lætánter apud te perpétuo fruátur in cælis.
Per Dóminum.

Super oblata

Quǽsumus, Dómine, ut, per hæc piæ placatiónis offícia,
fámulum tuum Papam nostrum N.
beáta retribútio comitétur,
et misericórdia tua nobis grátiæ dona concíliet.
Per Christum.

Post communionem

Divínæ tuæ communiónis refécti sacraméntis,
quǽsumus, Dómine,
ut fámulus tuus Papa noster N.

quem Ecclésiæ tuæ
visíbile voluísti fundaméntum unitátis in terris,
beatitúdini gregis tui felíciter aggregétur.
Per Christum.

B

Collecta

Deus, qui Ecclésiæ tuæ fámulum tuum Papam nostrum N.
ineffábili tua dispositióne præésse voluísti,
præsta, quǽsumus, ut, qui Fílii tui vices gerébat in terris,
ab ipso in glória recipiátur ætérna.
Per Dóminum.

Super oblata

Múnera, Dómine, supplicántis Ecclésiæ réspice propítius,
et, huius sacrifícii virtúte, concéde,
ut fámulus tuus Papa noster N.,
quem sacerdótem magnum tuo gregi præfecísti,
in electórum tuórum número constítuas sacerdótum.
Per Christum.

Post communionem

Caritátis tuæ, Dómine, suméntes sacra subsídia,
quǽsumus, ut fámulus tuus Papa noster N.
misericórdiam tuam in Sanctórum glória
perpétuo colláudet, qui fidélis éxstitit
mysteriórum tuórum dispensátor in terris.
Per Christum.

C

Collecta

Deus, immortális pastor animárum,
réspice pópulum supplicántem, et præsta,
ut fámulus tuus Papa noster N.

qui Ecclésiæ tuæ in caritáte præfuit,
fidélis dispensatóris remuneratiónem
cum grege sibi crédito misericórditer consequátur.
Per Dóminum.

Super oblata

Oblatiónem pacíficam pópuli tui, quǽsumus, Dómine,
propítius intuére,
qua fámulum tuum Papam nostrum N.
tuæ misericórdiæ fidénter commíttimus, et præsta,
ut, qui tuæ caritátis et pacis
in humána família fuit instruméntum,
eárum fructu cum Sanctis tuis perpétuo lætári mereátur.
Per Christum.

Post communionem

Ad mensam ætérni accedéntes convívii,
misericórdiam tuam, Dómine,
pro fámulo tuo Papa nostro N.
supplíciter implorámus,
ut veritátis possessióne tandem congáudeat,
in qua pópulum tuum fidénter confirmávit.
Per Christum.

2. PRO EPISCOPO

A. Pro Episcopo diœcesano

Collecta

Da, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut fámulus tuus N. epíscopus noster,
cui famíliæ tuæ curam tradidísti,
cum multíplici labóris fructu
gáudia Dómini sui ingrediátur ætérna.
Per Dóminum.

Super oblata

Imménsam cleméntiam tuam, Dómine,
supplíciter implorámus,
ut hoc sacrifícium,
quod fámulus tuus N. epíscopus noster,
dum esset in córpore,
maiestáti tuæ pro salúte fidélium óbtulit,
ipsi nunc prosit ad véniam.
Per Christum.

Post communionem

Prosit, quǽsumus, Dómine,
fámulo tuo N. epíscopo nostro
misericórdiæ tuæ imploráta cleméntia,
ut Christi, in quo sperávit et quem prædicávit,
ætérnum cápiat, his sacrifíciis, consórtium.
Per Christum.

B. Pro alio Episcopo

Collecta

Deus, qui inter apostólicos sacerdótes
fámulum tuum N. epíscopum (vel cardinálem)
pontificáli fecísti dignitáte vigére,
præsta, quǽsumus,
ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio.
Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, quǽsumus,
pro fámulo tuo N. epíscopo (vel cardináli)
quas tibi offérimus hóstias,
ut, cui in hoc sǽculo pontificále donásti méritum,
in cælésti regno
Sanctórum tuórum iúbeas iungi consórtio.
Per Christum.

Post communionem

Quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus,
ut fámulum tuum N. epíscopum (vel cardinálem),
quem in terris pro Christo legatióne fungi tribuísti,
his emundátum sacrifíciis,
consedére fácias in cæléstibus cum ipso.
Per Christum.

3. PRO SACERDOTE

A

Collecta

Præsta, quǽsumus, Dómine,
ut fámulus tuus N. sacérdos,
quem in hoc sǽculo commorántem
sacris munéribus decorásti,
in cælésti sede gloriósus semper exsúltet.
Per Dóminum.

Super oblata

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut fámulus tuus N. sacérdos,
per hæc sancta mystéria,
conspéctu semper claro conspíciat
quæ hic fidéliter ministrávit.
Per Christum.

Post communionem

Sumptis salutáribus sacraméntis,
implorámus, Deus, cleméntiam tuam,
ut fámulum tuum N. sacerdótem,
quem fecísti mysteriórum tuórum dispensatórem in terris,
eórum fácias in cælis apérta veritáte nutríri.
Per Christum.

B

Collecta

Preces nostras, quǽsumus, Dómine,
quas pro fámuli tui N. sacerdótis salúte
supplíciter deférimus,
propitiátus exáudi,
ut, qui nómini tuo ministérium fidéle depéndit,
perpétua Sanctórum tuórum societáte lætétur.
Per Dóminum.

Super oblata

Quǽsumus, Dómine, cleméntiam tuam,
ut hoc sacrifícium servitútis nostræ,
pro fámulo tuo N. sacerdóte oblátum,
ipsi nunc prosit ad véniam,
qui illud in Ecclésia devóta tibi mente exhíbuit.
Per Christum.

Post communionem

Mensæ cæléstis alimónia refécti,
te, Dómine, supplíciter exorámus,
ut, huius virtúte sacrifícii,
fámulus tuus N. sacérdos
ante conspéctum tuum semper exsúltet,
qui in Ecclésia tua fidéliter ministrávit.
Per Christum.

4. PRO DIACONO

Collecta

Concéde, quǽsumus, miséricors Deus,
fámulo tuo N. diácono felicitátis ætérnæ consórtium,
cui donásti in Ecclésia tua cónsequi ministérium.
Per Dóminum.

Super oblata

Propitiáre, Dómine, fámulo tuo N. diácono,
pro cuius salúte hoc tibi sacrifícium offérimus,
ut, sicut Christo Fílio tuo ministrávit in carne,
cum fidélibus servis exsúrgat in glóriam sempitérnam.
Per Christum.

Post communionem

Munéribus sacris repléti,
te, Dómine, humíliter deprecámur,
ut per hoc sacrifícium fámulum tuum N. diáconum,
quem inter servos Ecclésiæ tuæ vocásti,
a mortis vínculis absolútum,
cum iis qui bene ministravérunt partem recípere
et in gáudium tuum intráre benígne concédas.
Per Christum.

5. PRO RELIGIOSO

Collecta

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus N.,
qui pro Christi amóre perféctæ caritátis viam percúrrit,
in advéntu glóriæ tuæ lætétur,
et cum frátribus suis
de regni tui beatitúdine gáudeat sempitérna.
Per Dóminum.

6. PRO UNO DEFUNCTO

A

Collecta

Deus, apud quem mórtui vivunt
et in quo Sancti tui plena felicitáte lætántur,
præsta supplicántibus nobis,

ut fámulus tuus N.,
qui nunc temporáli huius mundi lúmine caret,
ætérnæ tuæ lucis solátio perfruátur.
Per Dóminum.

Super oblata

Pláceat tibi, Dómine, sacrifícii præséntis oblátio,
ut fámulus tuus N.,
peccatórum véniam, quam quæsívit,
te miseránte invéniens,
cum Sanctis tuis semper exsúltet,
et glóriam tuam in ætérnum colláudet.
Per Christum.

Post communionem

Suméntes dona cæléstia, grátias tibi, Dómine, reférimus,
humíliter deprecántes, ut fámulus tuus N.,
per Fílii tui passiónem a peccatórum vínculis absolútus,
felíciter váleat ad te perveníre.
Per Christum.

B

Collecta

Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ,
et fámulum tuum N. gáudia ætérna suscípiant,
ut, quem ad imáginem tuam creáre dignátus es
et adoptiónis partícipem fecísti,
iúbeas hereditátis tuæ esse consórtem.
Per Dóminum.

Super oblata

Oblatiónem nostram, quǽsumus, Dómine,
quam pro fámulo tuo N. fidénter exhibémus,
placátus accípias.

ut ei per hoc sacrifícium,
quod cunctis esse remédium singuláre voluísti,
salútem tríbuas sempitérnam. Per Christum.

Post communionem

Recreáti sacri múneris alimónia, quǽsumus, Dómine,
ut frater noster N., mortis vínculis absolútus,
resurrectiónis Fílii tui participatióne lætétur.
Per Christum.

C

Collecta

Inclína, Dómine, précibus nostris aures tuæ pietátis,
et fámulo tuo N.
remissiónem ómnium tríbue peccatórum,
ut in resurrectiónis die vivat,
et in lucis amœnitáte requiéscat.
Per Dóminum.

Super oblata

Omnípotens sempitérne Deus,
cuius Fílius panem vitæ nobis præbuit semetípsum,
et Sánguinem suum in póculum salútis effúdit,
miserére fámuli tui N.,
ut, quod tibi offérimus, sit illi causa salútis.
Per Christum.

Post communionem

Ætérnæ pignus vitæ capiéntes,
te, Dómine, humíliter implorámus pro fámulo tuo N.,
ut, mortálibus néxibus expedítus,
redemptórum possit adunári consórtio.
Per Christum.

7. PRO IUVENE DEFUNCTO

Collecta

Deus, qui ómnium hóminum vitam
moderáris et témpora,
hunc fámulum tuum N.,
quem consummátum in brevi deflémus,
tibi humíliter commendámus,
ut in beatitúdine domus tuæ
perénni fácias iuventúte vigére.
Per Dóminum.

8. PRO DEFUNCTO QUI IN SERVITIO EVANGELII LABORAVIT

Collecta

Misericórdiam tuam, Dómine,
pro fámulo tuo N. súpplices deprecámur,
ut, qui pro Evangélio dilatándo allaborávit assíduus,
ad prǽmia regni mereátur intráre secúrus.
Per Dóminum.

9. PRO DEFUNCTO POST LONGAM INFIRMITATEM CONSUMPTO

Collecta

Deus, qui fámulo tuo N. dedísti
in ærúmnis tibi et infirmitáte servíre,
concéde, quǽsumus,
ut, qui Fílii tui secútus est patiéntiæ documéntum,
eiúsdem glóriæ consequátur et prǽmium.
Per Dóminum.

10. PRO DEFUNCTO REPENTINA MORTE SUBLATO

Collecta

Imménsam, Dómine, tuæ bonitátis osténde virtútem,
ut, qui fratrem nostrum N.
repentína flemus morte sublátum,
ad tuum confidámus transísse consórtium.
Per Dóminum.

11. PRO PLURIBUS DEFUNCTIS

A

Collecta

Propitiáre, Dómine, fámulis tuis N. et N.,
ut, quos regeneratiónis fonte mundásti,
ad cæléstis vitæ beatitúdinem fácias perveníre.
Per Dóminum.

Super oblata

Pro fámulis tuis N. et N., Dómine,
tibi sacrifícium offeréntes,
súpplices exorámus,
ut ad tuam misericórdiam illis conferéndam perpétuam
dignánter vota nostra perfícias.
Per Christum.

Post communionem

Sumptis, Dómine, cæléstibus sacraméntis,
tuam cleméntiam humíliter deprecámur,
ut fámuli tui,
percipiéntes hoc múnere véniam peccatórum,
regnum tuum introíre,
teque in ætérnum mereántur collaudáre.
Per Christum.

B

Collecta

Tibi, Dómine, commendámus fámulos tuos N. et N.,
ut defúncti sæculo tibi vivant,
et quæ, per fragilitátem carnis, peccáta
in mundi conversatióne commisérunt,
tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge.
Per Dóminum.

Super oblata

Propitiáre, quæsumus, Dómine,
fámulis tuis N. et N.,
pro quibus tibi hóstias placatiónis offérimus,
et quia in hac vita tibi mansérunt fidéles,
apud te pia illis retribútio donétur.
Per Christum.

Post communionem

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus,
ut fámulos tuos, per huius sacraménti virtútem,
in congregatióne iustórum
ætérnæ beatitúdinis iúbeas esse consórtes.
Per Christum.

C

Collecta

Omnípotens sempitérne Deus,
cui numquam sine spe misericórdiæ supplicátur,
propitiáre fámulis tuis N. et N.,
ut, qui de hac vita in tui nóminis confessióne discessérunt,
Sanctórum tuórum número fácias aggregári.
Per Dóminum.

Super oblata

Dómine Deus, cuius Fílius
se tibi óbtulit hóstiam vivam,
áccipe, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ sacrifícium,
ut fámuli tui N. et N., a peccátis ómnibus absolúti,
ad prǽmium immortalitátis mereántur pertíngere.
Per Christum.

Post communionem

Puríficent nos, quǽsumus,
omnípotens et miséricors Deus,
sacraménta quæ súmpsimus, et præsta,
ut hoc sacrifícium sit nobis intercéssio ad véniam,
sit fragílium fortitúdo,
sit in ómnibus firmaméntum,
sit vivis atque defúnctis remíssio ómnium peccatórum,
et pignus redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

12. PRO CONIUGIBUS DEFUNCTIS

Collecta

Fámulos tuos N. et N.,
quǽsumus, Dómine, miserátus absólve,
ut, quos coniugális amor in hac vita fidéliter sociávit,
in ætérna, tuæ caritátis plenitúdo coniúngat.
Per Dóminum.

Vel (pro uno tantum coniuge defuncto):

Fámulum tuum (Fámulam tuam) N.,
quǽsumus, Dómine,
miserátus absólve,
et fámulam tuam (fámulum tuum) N.

contínua pietáte custódi,
ut, quos coniugális amor in hac vita fidéliter sociávit,
in ætérna, tuæ caritátis plenitúdo coniúngat.
Per Dóminum.

13. PRO PARENTIBUS

Collecta

Deus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti,
miserére cleménter patri et matri meæ
(paréntibus nostris),
eorúmque peccáta dimítte,
meque (nosque) eos in ætérnæ claritátis gáudio
fac vidére.
Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe sacrifícium, Dómine,
quod tibi pro patre et matre mea
(paréntibus nostris) offérimus,
eísque gáudium sempitérnum
in regióne vivórum concéde,
meque (nosque) cum illis
felicitáti Sanctórum coniúnge.
Per Christum.

Post communionem

Cæléstis participátio sacraménti,
quǽsumus, Dómine,
patri et matri meæ (paréntibus nostris)
réquiem et lucem obtíneat perpétuam,
meque (nosque) cum illis glória tua sátiet sempitérna.
Per Christum.

14. PRO DEFUNCTIS FRATRIBUS, PROPINQUIS ET BENEFACTORIBUS

Collecta

Deus, véniæ largítor et humánæ salútis amátor,
quǽsumus cleméntiam tuam,
ut nostræ congregatiónis fratres,
propínquos et benefactóres,
qui ex hoc sǽculo transiérunt,
beáta María semper Vírgine intercedénte
cum ómnibus Sanctis tuis,
ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.
Per Dóminum.

Super oblata

Deus, cuius misericórdiæ non est númerus,
súscipe propítius preces humilitátis nostræ,
et animábus fratrum,
propinquórum et benefactórum nostrórum,
per hæc sacraménta salútis nostræ,
cunctórum remissiónem tríbue peccatórum.
Per Christum.

Post communionem

Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus,
ut ánimæ fratrum, propinquórum
et benefactórum nostrórum,
pro quibus hoc sacrifícium laudis
tuæ obtúlimus maiestáti,
per huius virtútem sacraménti
a peccátis ómnibus expiátæ,
lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem.
Per Christum.

Lectio prima

1

Scio quod Redemptor meus vivit

Léctio libri Iob 19, 1. 23-27 a

Respóndens Iob dixit: « Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in libro stilo férreo, et plumbi lámina vel celte sculpántur in sílice?

Scio enim quod redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum. Et rursum circúmdabor pelle mea et in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 26, 1. 4. 7 et 8 b et 9 a. 13-14 (℟.: 13)

℟. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

1 Dóminus illuminátio mea et salus mea, quem timébo?
Dóminus protéctor vitæ meæ, a quo trepidábo? ℟.

4 Unum pétii a Dómino, hoc requíram:
ut inhábitem in domo Dómini
ómnibus diébus vitæ meæ,
ut vídeam voluptátem Dómini et vísitem templum eius. ℟.

7 Exáudi, Dómine, vocem meam qua clamávi,
miserére mei et exáudi me.
8 Fáciem tuam, Dómine, requíram.
9 Ne avértas fáciem tuam a me. ℟.

13 Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.
14 Exspécta Dóminum, viríliter age,
et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum. ℟.

2

* *Quasi holocausti hostiam accepit illos.*

Léctio libri Sapiéntiæ 3, 1-9

Iustórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori, et æstimáta est affíctio éxitus illórum, et quod a nobis est iter, extermínium; illi autem sunt in pace.

Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est.

In paucis vexáti in multis bene disponéntur, quóniam Deus tentávit eos et invénit illos dignos se.

Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum.

Fulgébunt iusti et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent; iudicábunt natiónes et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Qui confídunt in illo intéllegent veritátem, et fidéles in dilectióne acquiéscent illi, quóniam donum et pax est eléctis eius. — Verbum Dómini.

---

vel brevior

Léctio libri Sapiéntiæ 3, 1-6. 9

Iustórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori, et æstimáta est afflíctio éxitus illórum, et quod a nobis est iter, extermínium; illi autem sunt in pace.

Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est.

In paucis vexáti in multis bene disponéntur, quóniam Deus tentávit eos et invénit illos dignos se.

Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum.

Qui confídunt in illo intéllegent veritátem, et fidéles in dilectióne acquiéscent illi, quóniam donum et pax est eléctis eius. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 114, 5 et 6; 115, 10-11. 15-16 ac (℟.: Ps 114, 9)

℟. Ambulábo coram Dómino in regióne vivéntium.
vel Allelúia.

5 Misericors Dóminus et iustus,
et Deus noster miserétur.
6 Custódiens párvulos Dóminus;
humiliátus sum, et salvum me fáciet. ℟.

10 Crédidi, étiam cum locútus sum:
« Ego humiliátus sum nimis ».
11 Ego dixi in trepidatióne mea:
« Omnis homo mendax ». ℟.

15 Pretiósa in conspéctu Dómini
mors sanctórum eius.
16 O Dómine, ego servus tuus.
Dirupísti víncula mea. ℟.

3

Ætas senectutis vita immaculata.

Léctio libri Sapiéntiæ 4, 7-15

Iustus, si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit; senéctus enim venerábilis est non diutúrna neque annórum número computáta; cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta.

Placens Deo factus est diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est: raptus est, ne malítia mutáret intelléctum eius, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus; fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malítia.

Consummátus in brevi explévit témpora multa; plácita enim erat Deo ánima illíus, propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

Pópuli autem vidéntes et non intellegéntes, nec ponéntes in præcórdiis tália, quóniam grátia Dei et misericórdia est in sanctos eius et respéctus in eléctos illíus. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3. 4. 5. 6 (℟.: 4 a b)

℟. Si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit.
Dedúxit me super sémitas iustítiæ propter nomen suum ℟.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

4

Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 25, 6 a. 7-9

In die illa:

Fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc convívium pínguium.

Et præcipitábit in monte isto fáciem vínculi colligáti super omnes pópulos, et telam quam ordítus est super omnes natiónes.

Præcipitábit mortem in sempitérnum, et áuferet Dóminus Deus lácrimam ab omni fácie, et oppróbrium pópuli sui áuferet de univérsa terra, quia Dóminus locútus est.

Et dicet in die illa: « Ecce Deus noster iste, exspectávimus eum, et salvábit nos; iste Dóminus, sustinúimus eum: exsultábimus et lætábimur in salutári eius ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3. 4. 5. 6 (℟.: 1)

℟. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit.
Dedúxit me super sémitas iustítiæ propter nomen suum ℟.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;

impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

5

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

Léctio libri Lamentatiónum 3, 17-26

Repúlsa est a pace ánima mea, oblítus sum bonórum, et dixi: « Périit finis meus, et spes mea a Dómino ».

Recordáre paupertátis et transgressiónis meæ, absínthii et fellis; memória memor ero et tabéscet in me ánima mea: hæc récolens in corde meo, ídeo sperábo.

Misericórdiæ Dómini, quia non sumus consúmpti, quia non defecérunt miseratiónes eius. Novi dilúculo, multa est fides tua.

« Pars mea Dóminus », dixit ánima mea; proptérea exspectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum; bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 24, 6-7 bc. 17-18. 20-21 (℟.: 3 b)

℟. Qui sústinent te, Dómine, non confundéntur.

6 Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,
et misericordiárum tuárum, quóniam a sǽculo sunt.
7 Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu,
propter bonitátem tuam, Dómine. ℟.

17 Diláta angústias cordis mei,
et de necessitátibus meis érue me.
18 Vide humilitátem meam et labórem meum,
et dimítte univérsa delícta mea. ℟.

20 Custódi ánimam meam, et érue me;
non erubéscam, quóniam sperávi in te.
21 Innocéntia et ǽquitas custódiant me,
quia sustínui te. ℟.

6

Qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt.

Léctio libri Daniélis prophétæ 12, 1-3

In diébus illis, ego Dániel lugébam, et audívi hoc verbum Dómini: « In témpore illo consúrget Míchael princeps magnus, qui stat pro fíliis pópuli tui; et véniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœpérunt usque ad tempus illud.

Et in témpore illo salvábitur pópulus tuus, omnis qui invéntus fúerit scriptus in libro.

Et multi de his qui dórmiunt in terræ púlvere evigilábunt: álii in vitam ætérnam, et álii in oppróbrium, ut vídeant semper.

Qui autem docti fúerint fulgébunt quasi splendor firmaménti, et qui ad iustítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes ». — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 41, 2. 3. 5 bcd (℟.: 3 a)

℟. Sitívit ánima mea ad Deum vivum.

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum,
ita desíderat ánima mea ad te, Deus. ℟.

3 Sitívit ánima mea ad Deum, Deum vivum:
quando véniam et apparébo ante fáciem Dei? ℟.
5 Quóniam transíbam in locum tabernáculi admirábilis
usque ad domum Dei,
in voce exsultatiónis et confessiónis. ℟.

7

Bene et religiose de resurrectione cogitans.

Léctio libri secúndi Machabæórum 12, 43-46

In diébus illis:

Facta collatióne, duódecim mília drachmas argénti misit Iudas, princeps Israel, Ierosólyman offérri pro peccátis mortuórum sacrifícium, bene et religióse de resurrectióne cógitans (nisi enim eos, qui cecíderant, resurrectúros speráret, supérfluum viderétur et vanum oráre pro mórtuis), et quia considerábat quod hi, qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repósitam grátiam.

Sancta ergo et salúbris est cogitátio pro defúnctis exoráre, ut a peccátis solvántur. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 102, 8 et 10. 13-14. 15-16. 17-18 (℟.: Ps 36, 39 a)

℟. Salus iustórum a Dómino.

8 Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
10 Non secúndum peccáta nostra fecit nobis,
neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis. ℟.
13 Quómodo miserétur pater filiórum,
misértus est Dóminus timéntibus se.

14 Quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum,
recordátus est quóniam pulvis sumus. ℟.
15 Homo sicut fenum dies eius,
tamquam flos agri sic efflorébit.
16 Spirat ventus in illum, et non subsístet,
et non cognóscet eum ámplius locus eius. ℟.
17 Misericórdia autem Dómini ab ætérno
et usque in ætérnum super timéntes eum,
et iustítia illíus in fílios filiórum;
18 in eos qui servant testaméntum eius,
et mémores sunt mandatórum ipsíus ad faciéndum ea. ℟.

Lectio secunda

1

Iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 5, 5-11

Fratres:

Spes non confúndit, quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis. Adhuc enim Christus, cum adhuc infírmi essémus, secúndum tempus pro ímpiis mórtuus est. Vix enim pro iusto quis móritur; nam pro bono fórsitan quis et aúdeat mori.

Comméndat autem suam caritátem Deus in nos, quóniam, cum adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est.

Multo ígitur magis iustificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum.

Si enim, cum inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii eius, multo magis reconciliáti salvi érimus in vita ipsíus. Non solum autem, sed et gloriámur

in Deo per Dóminum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus.
Verbum Dómini.

2

Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 5, 17-21

Fratres:

Si unius delícto mors regnávit per unum, multo magis qui abundántiam grátiæ et donatiónis iustítiæ accípiunt, in vita regnábunt per unum Iesum Christum.

Igitur, sicut per uníus delíctum in omnes hómines in condemnatiónem, sic et per uníus iustítiam in omnes hómines in iustificatiónem vitæ.

Sicut enim per inobœdiéntiam uníus hóminis, peccatóres constitúti sunt multi, ita et per uníus obœditiónem iusti constituéntur multi. Lex autem subintrávit ut abundáret delíctum.

Ubi autem abundávit peccátum, superabundávit grátia; ut, sicut regnávit peccátum in morte, ita et grátia regnet per iustítiam in vitam ætérnam, per Iesum Christum Dóminum nostrum. — Verbum Dómini.

3

* *In novitate vitæ ambulemus.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 6, 3-9

Fratres:

Ignorátis quia quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu, in morte ipsíus baptizáti sumus? Consepúlti ergo sumus cum illo per baptísmum in mortem, ut, quem-

ádmodum suscitátus est Christus a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus.

Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis eius, sed et resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes quia vetus homo noster simul crucifíxus est, ut destruátur corpus peccáti, et ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, iustificátus est a peccáto.

Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum eo, sciéntes quod Christus suscitátus ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominátur. — Verbum Dómini.

---

vel brevior

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 6, 3-4. 8-9

Fratres:

Ignorátis quia quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu, in morte ipsíus baptizáti sumus? Consepúlti ergo sumus cum illo per baptísmum in mortem, ut, quemádmodum suscitátus est Christus a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus.

Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum eo, sciéntes quod Christus suscitátus ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominátur. — Verbum Dómini.

4

Exspectantes redemptionem corporis nostri

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános 8, 14-23

Fratres:

Quicúmque Spíritu Dei agúntur, hi fílii Dei sunt.

Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timórem, sed accepístis Spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: « Abba, Pater ». Ipse Spíritus testimónium reddit una cum spíritu nostro, quod sumus fílii Dei.

Si autem fílii, et herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi; si tamen compátimur, ut et conglorificémur.

Exístimo enim quod non sunt condígnæ passiónes huius témporis ad futúram glóriam, quæ revelánda est in nobis. Nam exspectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspéctat.

Vanitáti enim creatúra subiécta est, non volens sed propter eum qui subiécit, in spe; quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei.

Scimus enim quod omnis creatúra congemíscit et compárturit usque adhuc. Non solum autem, sed et nos ipsi primítias Spíritus habéntes, et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum exspectántes, redemptiónem córporis nostri.

Verbum Dómini.

5

Quis nos separabit a caritate Christi?

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
8, 31 b-35. 37-39

Fratres:

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum, quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donábit?

Quis accusábit advérsus eléctos Dei? Deus qui iustíficat. Quis est qui condémnet? Christus Iesus, qui mórtuus est, immo qui suscitátus est, qui et est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

Quis nos separábit a caritáte Christi? tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius?

Sed in his ómnibus supervíncimus per eum qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors neque vita, neque ángeli neque principátus, neque instántia neque futúra, neque virtútes, neque altitúdo neque profúndum, neque ália quælibet creatúra póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Iesu Dómino nostro. — Verbum Dómini.

6

Sive vivimus sive morimur, Domini sumus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
14, 7-9. 10 b-12

Fratres:

Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus; sive mórimur, Dómino mórimur: sive ergo vívimus sive mórimur, Dómini sumus. In hoc enim Christus et mórtuus est et vixit, ut et mortuórum et vivórum dominétur.

Omnes stábimus ante tribúnal Dei. Scriptum est enim: « Vivo ego, dicit Dóminus, mihi flectétur omne genu, et omnis lingua confitébitur Deo ».

Itaque unusquísque nostrum pro se ratiónem reddet Deo. — Verbum Dómini.

7

* *In Christo omnes vivificabuntur.*

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 15, 20-24 a. 25-28

Fratres:

Nunc Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium; quóniam enim per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum.

Sicut enim in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur. Unusquísque autem in suo órdine: primítiæ Christus, deínde hi qui sunt Christi in advéntu eius. Deínde finis, cum tradíderit Regnum Deo et Patri.

Opórtet autem illum regnáre, « donec ponat omnes inimícos sub pédibus eius ». Novíssima autem inimíca destruétur mors; « ómnia enim subiécit sub pédibus eius ».

Cum autem dicat: « Omnia subiécta sunt », sine dúbio præter eum qui subiécit ei ómnia. Cum autem subiécta fúerint illi ómnia, tunc ipse Fílius subiéctus erit illi, qui sibi subiécit ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus. — Verbum Dómini.

---

vel brevior

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Corínthios 15, 20-23

Fratres:

Nunc Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium; quóniam enim per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum.

Sicut enim in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur. Unusquísque autem in

suo órdine: primítiæ Christus, deínde hi qui sunt Christi in advéntu eius. — Verbum Dómini.

8

Absorpta est mors in victoria.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 15, 51-57

Fratres:

Ecce mystérium vobis dico: Non omnes quidem dormiémus, sed omnes immutábimur.

In moménto, in ictu óculi, in novíssima tuba; canet enim, et mórtui suscitabúntur incorrúpti, et nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptélam, et mortále indúere immortalitátem.

Cum autem corruptíbile hoc indúerit incorruptélam, et mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est: « Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? »

Stímulus autem mortis peccátum est, virtus vero peccáti Lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Verbum Dómini.

9

Quæ videntur, temporalia sunt;
quæ autem non videntur, æterna sunt.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 4, 14 — 5, 1

Fratres:

Scimus quóniam qui suscitávit Dóminum Iesum,

et nos cum Iesu suscitábit, et constítuet vobíscum. Omnia enim propter vos, ut grátia, abúndans per multos, gratiárum actiónem abundáre fáciat in glóriam Dei.

Propter quod non defícimus; sed, licet is qui foris est noster homo corrúmpitur, tamen is qui intus est noster renovátur de die in diem. Id enim, quod in præsénti est leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitátem ætérnum glóriæ pondus operátur nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur: quæ enim vidéntur temporália sunt quæ autem non vidéntur ætérna sunt.

Scimus enim quóniam, si terréstris domus nostra huius tabernáculi dissolvátur, ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cælis. — Verbum Dómini.

10

Habemus domum æternam in cælis.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 5, 1. 6-10

Fratres:

Scimus quóniam, si terréstris domus nostra huius tabernáculi dissolvátur, ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cælis.

Audéntes ígitur semper, et sciéntes quóniam, dum præséntes sumus in córpore, peregrinámur a Dómino (per fidem enim ambulámus et non per spéciem), audémus autem et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore et præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus, sive præséntes sive abséntes, placére illi.

Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque pro eis quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum. — Verbum Dómini.

11

Transfigurabit corpus humilitatis nostræ,
conforme fieri corpori gloriæ suæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Philippénses
3, 20-21

Fratres:

Noster municipátus in cælis est, unde étiam Salvatórem exspectámus Dóminum Iesum Christum, qui transfigurábit corpus humilitátis nostræ, confórme fíeri córpori glóriæ suæ, secúndum operatiónem, qua possit étiam subícere sibi ómnia. — Verbum Dómini.

12

Semper cum Domino erimus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Thessalonicénses 4, 13-14. 17 b-18

Nólumus vos ignoráre, fratres, de dormiéntibus, ut non contristémini, sicut et céteri qui spem non habent.

Si enim crédimus quod Iesus mórtuus est et resurréxit, ita et Deus eos qui dormiérunt per Iesum addúcet cum eo.

Et sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

Verbum Dómini.

13

Si commortui sumus, et convivemus.

Léctio Epístolæ secúndæ beáti Pauli apóstoli ad Timótheum 2, 8-13

Caríssime:

Memor esto Iesum Christum resuscitátum esse a mórtuis, ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula quasi male óperans; sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Iesu, cum glória ætérna.

Fidélis sermo; nam, si commórtui sumus, et convivémus; si sustinémus, et conregnábimus; si negábimus, et ille negábit nos; si non crédimus, ille fidélis manet: negáre enim seípsum non potest.

Verbum Dómini.

14

Videbimus eum sicuti est.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 3, 1-2

Caríssimi:

Vidéte qualem caritátem dedit nobis Pater, ut fílii Dei nominémur: et sumus! Propter hoc mundus non cognóscit nos, quia non cognóvit eum.

Caríssimi, nunc fílii Dei sumus, et nondum maniféstum est quid érimus. Scimus quóniam, cum ipse apparúerit, símiles ei érimus; quóniam vidébimus eum sícuti est. — Verbum Dómini.

15

Transivimus de morte in vitam,
quoniam diligimus fratres.

Léctio Epístolæ primæ beáti Ioánnis apóstoli 3, 14-16

Caríssimi:

Nos scimus quóniam transívimus de morte in vitam, quóniam dilígimus fratres. Qui non díligit manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum homicída est, et scitis quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in se manéntem.

In hoc nóvimus caritátem: quóniam ille pro nobis ánimam suam pósuit, et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. — Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Mt 25, 34

℟. Allelúia. ℣. Veníte, benedícti Patris mei,
dicit Dóminus;
possidéte parátum vobis Regnum
a constitutióne mundi. ℟. Allelúia.

Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra
copiosa est in cælis.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
5, 1-12 a

In illo témpore:

Videns Iesus turbas ascéndit in montem, et, cum

sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius, et apériens os suum docébat eos dicens:

« Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.

Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.

Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur.

Beáti misericórdes, quia ipsi misericórdiam consequéntur.

Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

Beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur.

Beáti qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam, quóniam ipsórum est Regnum cælórum.

Beáti estis, cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis ».

Verbum Dómini.

2

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater,
Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Venite ad me, ... et ego reficiam vos.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
11, 25-30

In illo témpore, respóndens Iesus dixit: « Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis.

Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo; et nemo novit Fílium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre.

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos.

Tóllite iugum meum super vos, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde; et " inveniétis réquiem animábus vestris "; iugum enim meum suáve, et onus meum leve est ». — Verbum Dómini.

3

Alleluia Phil 3, 20

℟. Allelúia. ℣. Conversátio nostra in cælis est,
unde étiam Salvatórem exspectámus,
Dóminum nostrum Iesum Christum.
℟. Allelúia.

Ecce Sponsus, exite obviam ei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 25, 1-13

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: « Símile erit Regnum cælórum decem virgínibus, quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso. Quinque autem ex eis erant fátuæ et quinque prudéntes; fátuæ enim accéptis lampádibus suis non sumpsérunt óleum secum; prudéntes vero accepérunt óleum in vasis cum lampádibus suis.

Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt.

Média autem nocte clamor factus est: "Ecce sponsus, exíte óbviam ei". Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ et ornavérunt lámpades suas.

Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: "Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur".

Respondérunt prudéntes dicéntes: "Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes et émite vobis".

Dum autem irent émere, venit sponsus, et quæ parátæ erant intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est iánua.

Novíssime autem véniunt et réliquæ vírgines dicéntes: "Dómine, Dómine, áperi nobis". At ille respóndens ait: "Amen dico vobis, néscio vos".

Vigiláte itaque, quia nescítis diem neque horam».

Verbum Dómini.

4

Alleluia — Mt 25, 34

℟. Allelúia. ℣. Veníte, benedícti Patris mei,
dicit Dóminus;
possidéte parátum vobis Regnum
a constitutióne mundi. ℟. Allelúia.

Venite, benedicti Patris mei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
25, 31-46

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: «Cum vénerit Fílius hóminis in glória sua, et omnes ángeli cum eo, tunc sedébit super thronum glóriæ suæ. Et congregabúntur ante eum omnes gentes; et separábit eos ab ínvicem,

sicut pastor ségregat oves ab hædis, et státuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinístris.

Tunc dicet Rex his qui a dextris eius erunt: “ Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis Regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre; sitívi, et dedístis mihi bíbere; hospes eram, et collegístis me; nudus, et operuístis me; infírmus, et visitástis me; in cárcere eram, et venístis ad me ”.

Tunc respondébunt ei iusti dicéntes: “ Dómine, quando te vídimus esuriéntem et pávimus, aut sitiéntem et dédimus tibi potum? quando autem te vídimus hóspitem et collégimus, aut nudum et cooperúimus? quando autem te vídimus infírmum aut in cárcere et vénimus ad te? ”

Et respóndens Rex dicet illis: “ Amen dico vobis, quámdiu fecístis uni de his frátribus meis mínimis, mihi fecístis ”.

Tunc dicet et his qui a sinístris erunt: “ Discédite a me, maledícti, in ignem ætérnum, qui præparátus est diábolo et ángelis eius. Esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre; sitívi, et non dedístis mihi potum; hospes eram, et non collegístis me; nudus, et non operuístis me; infírmus et in cárcere, et non visitástis me ”.

Tunc respondébunt et ipsi dicéntes: “ Dómine, quando te vídimus esuriéntem aut sitiéntem aut hóspitem aut nudum aut infírmum vel in cárcere, et non ministrávimus tibi? ”

Tunc respondébit illis dicens: “ Amen dico vobis, quámdiu non fecístis uni de mínimis his, nec mihi fecístis ”.

Et ibunt hi in supplícium ætérnum, iusti autem in vitam ætérnam ». — Verbum Dómini.

5

Alleluia Io 11, 25 a

℟. Allelúia. ℣. Ego sum resurréctio et vita,
dicit Dóminus;
qui credit in me,
non moriétur in ætérnum.
℟. Allelúia.

Adulescens, tibi dico: surge

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 7, 11-17

In illo témpore:

Abiit Iesus in civitátem, quæ vocátur Naim, et ibant cum illo discípuli eius et turba copiósa.

Cum autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris suæ; et hæc vídua erat, et turba civitátis multa cum illa.

Quam cum vidísset Dóminus, misericórdia motus super ea, dixit illi: « Noli flere ».

Et accéssit et tétigit lóculum. Hi autem qui portábant stetérunt.

Et ait: « Aduléscens, tibi dico: surge ». Et resédit qui erat mórtuus; et cœpit loqui, et dedit illum matri suæ.

Accépit autem omnes timor, et magnificábant Deum dicéntes: « Prophéta magnus surréxit in nobis » et « Deus visitávit plebem suam ». Et éxiit hic sermo in univérsam Iudǽam de eo, et omnem circa regiónem.

Verbum Dómini.

6

Alleluia Phil 3, 20

℟. Allelúia. ℣. Conversátio nostra in cælis est,
unde étiam Salvatórem exspectámus,
Dóminum nostrum Iesum Christum.
℟. Allelúia.

Et vos estote parati.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 12, 35-40

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei.

Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes; amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis.

Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt illi. Hoc autem scitóte quia, si sciret paterfamílias qua hora fur veníret, non síneret perfodíri domum suam.

Et vos estóte paráti, quia qua hora non putátis Fílius hóminis venit ». — Verbum Dómini.

7

Alleluia Ap 14, 13

℟. Allelúia. ℣. Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur:
requiéscant a labóribus suis;
ópera enim illórum sequúntur illos.
℟. Allelúia.

Hodie mecum eris in paradiso.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam
23, 33. 39-43

Postquam venérunt mílites in locum qui vocátur Calváriæ, ibi crucifixérunt Iesum et latrónes, unum a dextris et álterum a sinístris.

Unus autem de his qui pendébant latrónibus blasphemábat eum dicens: « Nonne tu es Christus? salvum fac temetípsum et nos ».

Respóndens autem alter increpábat illum, dicens: « Neque tu times Deum, quod in eádem damnatióne es? Et nos quidem iuste, nam digna factis recípimus; hic vero nihil mali gessit ».

Et dicébat: « Iesu, meménto mei cum véneris in Regnum tuum ».

Et dixit illi Iesus: « Amen dico tibi: Hódie mecum eris in paradíso ». — Verbum Dómini.

8

Alleluia Ap 1, 5-6

℟. Allelúia. ℣. Iesus Christus
est primogénitus mortuórum;
ipsi glória et impérium
in sǽcula sæculórum. Amen.
℟. Allelúia.

* *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam
23, 44-46. 50. 52-53; 24, 1-6 a

Erat fere hora sexta, et ténebræ factæ sunt in uni-

vérsa terra usque in horam nonam. Et obscurátus est sol, et velum templi scissum est médium.

Et clamans voce magna Iesus ait: « Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum ». Et hæc dicens exspirávit.

Et ecce vir, nómine Ioseph, qui erat decúrio, vir bonus et iustus, accéssit ad Pilátum et pétiit corpus Iesu; et depósitum invólvit síndone et pósuit eum in monuménto excíso, in quo nondum quisquam pósitus fúerat.

Prima autem sabbatórum, valde dilúculo, venérunt mulíeres ad monuméntum, portántes quæ paráverant arómata, et invenérunt lápidem revolútum a monuménto. Et ingréssæ non invenérunt corpus Dómini Iesu.

Et factum est, dum mente hæsitárent de isto, ecce duo viri stetérunt secus illas in veste fulgénti.

Cum timérent autem et declinárent vultum in terram, dixérunt ad illas: « Quid quǽritis vivéntem cum mórtuis? Non est hic, sed surréxit ».

Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

23, 44-46. 50. 52-53

Erat fere hora sexta, et ténebræ factæ sunt in univérsa terra usque in horam nonam. Et obscurátus est sol, et velum templi scissum est médium.

Et clamans voce magna Iesus ait: « Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum ». Et hæc dicens exspirávit.

Et ecce vir, nómine Ioseph, qui erat decúrio, vir

bonus et iustus, accéssit ad Pilátum et pétiit corpus Iesu; et depósitum invólvit síndone et pósuit eum in monuménto excíso, in quo nondum quisquam pósitus fúerat. — Verbum Dómini.

9

Alleluia Io 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum
ut Fílium suum unigénitum daret;
omnis qui credit in eum
habet vitam ætérnam.
℟. Allelúia.

* *Nonne hæc oportuit pati Christum,*
et intrare in gloriam suam?

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam 24, 13-35

Ecce duo ex discípulis Iesu ibant ipsa die prima sábbati in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Ierúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus quæ accíderant. Et factum est, dum fabularéntur et secum quǽrerent, et ipse Iesus appropínquans ibat cum illis; óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent.

Et ait ad illos: « Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes? » Et stetérunt tristes.

Et respóndens unus, cui nomen Cléopas, dixit ei: « Tu solus peregrínus es in Ierúsalem, et non cognovísti quæ facta sunt in illa his diébus? »

Quibus ille dixit: « Quæ? »

Et illi dixérunt ei: « De Iesu Nazaréno, qui fuit vir prophéta, potens in ópere et sermóne coram Deo et omni pópulo, et quómodo eum tradidérunt summi sacerdótes et príncipes nostri in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum.

Nos autem sperabámus quia ipse esset redemptúrus Israel; at nunc super hæc ómnia tértia dies hódie quod hæc facta sunt.

Sed et mulíeres quædam ex nostris terruérunt nos; quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum et, non invénto córpore eius, venérunt dicéntes se étiam visiónem angelórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum, et ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum vero non vidérunt ».

Et ipse dixit ad eos: « O stulti et tardi corde ad credéndum in ómnibus quæ locúti sunt prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, et intráre in glóriam suam? »

Et incípiens a Móyse et ómnibus prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant.

Et appropinquavérunt castéllo quo ibant, et ipse se finxit lóngius ire. Et coegérunt illum dicéntes: « Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est iam dies ». Et intrávit ut manéret cum illis.

Et factum est, dum recúmberet cum illis, accépit panem, et benedíxit ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum; et ipse evánuit ab eis.

Et dixérunt ad ínvicem: « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loquerétur in via et aperíret nobis Scriptúras? » Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Ierúsalem; et invenérunt congregátos Undecim et eos qui cum ipsis erant, dicéntes: « Surréxit Dóminus vere et appáruit Simóni ».

Et ipsi narrábant quæ gesta erant in via, et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.
Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

24, 13-16. 28-35

Ecce duo ex discípulis Iesu ibant ipsa die prima sábbati in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Ierúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus quæ accíderant. Et factum est, dum fabularéntur et secum quǽrerent, et ipse Iesus appropínquans ibat cum illis; óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent.

Et appropinquavérunt castéllo quo ibant, et ipse se finxit lóngius ire. Et coegérunt illum dicéntes: « Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est iam dies ». Et intrávit ut manéret cum illis.

Et factum est, dum recúmberet cum illis, accépit panem, et benedíxit ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum; et ipse evánuit ab eis.

Et dixérunt ad ínvicem: « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loquerétur in via et aperíret nobis Scriptúras? » Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Ierúsalem; et invenérunt congregátos Undecim et eos qui cum ipsis erant, dicéntes: « Surréxit Dóminus vere et appáruit Simóni ».

Et ipsi narrábant quæ gesta erant in via, et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.
Verbum Dómini.

10

Alleluia Mt 25, 34

℟. Allelúia. ℣. Veníte, benedícti Patris mei,
dicit Dóminus;
possidéte parátum vobis Regnum
a constitutióne mundi. ℟. Allelúia.

Qui verbum meum audit et credit,
... transiit a morte in vitam.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 5, 24-29

In illo témpore:

Respóndit Iesus Iudǽis: « Amen, amen dico vobis: Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam ætérnam, et in iudícium non venit, sed tránsiit a morte in vitam.

Amen, amen dico vobis: Venit hora, et nunc est, quando mórtui áudient vocem Fílii Dei, et qui audíerint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetípso, sic dedit et Fílio vitam habére in semetípso, et potestátem dedit ei iudícium fácere, quia Fílius hóminis est.

Nolíte mirári hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monuméntis sunt, áudient vocem eius; et procédent qui bona fecérunt in resurrectiónem vitæ, qui vero mala egérunt in resurrectiónem iudícii ». — Verbum Dómini.

11

Alleluia Io 6, 39

℟. Allelúia. ℣. Hæc est volúntas Patris mei,
ut omne, quod dedit mihi,
non perdam ex eo,
sed resúscitem illud in novíssimo die,
dicit Dóminus. ℟. Allelúia.

Qui credit in Filium habet vitam æternam,
et resuscitabo ego eum in novissimo die.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 6, 37-40

In illo témpore:

Dixit Iesus turbis: « Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet; et eum, qui venit ad me, non eíciam foras. Quia descéndi de cælo, non ut fáciam voluntátem meam, sed voluntátem eius qui misit me. Hæc est autem volúntas eius, qui misit me, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resúscitem illud in novíssimo die.

Hæc est enim volúntas Patris mei, ut omnis qui videt Fílium et credit in eum, hábeat vitam ætérnam; et resuscitábo ego eum in novíssimo die ».

Verbum Dómini.

12

Alleluia Io 6, 51-52

℟. Allelúia. ℣. Ego sum panis vivus,
qui de cælo descéndi, dicit Dóminus;
si quis manducáverit ex hoc pane,
vivet in ætérnum. ℟. Allelúia.

Qui manducat hunc panem habet vitam æternam,
et ego resuscitabo eum in novissimo die.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 6, 51-59

In illo témpore:

Dixit Iesus turbis: « Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum, panis autem quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ».

Litigábant ergo Iudǽi ad ínvicem dicéntes: « Quómodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducándum? »

Dixit ergo eis Iesus: « Amen, amen dico vobis: Nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis et bibéritis eius sánguinem, non habétis vitam in vobismetípsis.

Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem habet vitam ætérnam, et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Caro enim mea verus est cibus, et sanguis meus verus est potus. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me.

Hic est panis qui de cælo descéndit. Non sicut manducavérunt patres et mórtui sunt.

Qui mandúcat hunc panem vivet in ætérnum ».

Verbum Dómini.

13

Alleluia Io 11, 25 a. 26

℟. Allelúia. ℣. Ego sum resurréctio et vita,
dicit Dóminus;
qui credit in me, non moriétur in ætérnum.
℟. Allelúia.

* *Ego sum resurrectio et vita.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 11, 17-27

In illo témpore:

Venit Iesus Betháníam, et invénit Lázarum quáttuor dies iam in monuménto habéntem. Erat autem Be-

thánia iuxta Hierosólymam quasi stádiis quíndecim. Multi autem ex Iudǽis vénerant ad Martham et Maríam, ut consolaréntur eas de fratre.

Martha ergo, ut audívit quia Iesus venit, occúrrit illi; María autem domi sedébat.

Dixit ergo Martha ad Iesum: « Dómine, si fuísses hic, frater meus non esset mórtuus; sed et nunc scio quia quæcúmque popósceris a Deo dabit tibi Deus ».

Dicit illi Iesus: « Resúrget frater tuus ».

Dicit ei Martha: « Scio quia resúrget in resurrectióne, in novíssimo die ».

Dixit ei Iesus: « Ego sum resurréctio et vita; qui credit in me, et si mórtuus fúerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me non moriétur in ætérnum. Credis hoc? »

Ait illi: « Utique, Dómine; ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei, qui in mundum venísti ».

Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

11, 21-27

In illo témpore:

Dixit Martha ad Iesum: « Dómine, si fuísses hic, frater meus non esset mórtuus; sed et nunc scio quia quæcúmque popósceris a Deo, dabit tibi Deus ».

Dicit illi Iesus: « Resúrget frater tuus ».

Dicit ei Martha: « Scio quia resúrget in resurrectióne, in novíssimo die ».

Dixit ei Iesus: « Ego sum resurréctio et vita; qui credit in me, et si mórtuus fúerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me non moriétur in ætérnum. Credis hoc? »

Ait illi: « Utique, Dómine; ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei, qui in mundum venísti ».
Verbum Dómini.

14

Alleluia Io 3, 16

℟. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum
ut Fílium suum unigénitum daret;
omnis qui credit in eum
habet vitam ætérnam. ℟. Allelúia.

Lazare, veni foras.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 11, 32-45

In illo témpore:

Cum venísset María, soror Lázari, ubi erat Iesus, videns eum cécidit ad pedes eius, dicens ei: « Dómine, si fuísses hic, non esset mórtuus frater meus ».

Iesus ergo, ut vidit eam plorántem et Iudǽos, qui vénerant cum ea, plorántes, frémuit spíritu et turbávit seípsum, et dixit: « Ubi posuístis eum? »

Dicunt ei: « Dómine, veni et vide ». Lacrimátus est Iesus.

Dicébant ergo Iudǽi: « Ecce quómodo amábat eum! »

Quidam autem dixérunt ex ipsis: « Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci, fácere ut et hic non morerétur? »

Iesus ergo rursum fremens in semetípso venit ad monuméntum. Erat autem spelúnca, et lapis superpósitus erat ei.

Ait Iesus: « Tóllite lápidem ». Dicit ei Martha, so-

ror eius qui mórtuus fúerat: « Dómine, iam fetet, quatriduánus enim est ».

Dicit ei Iesus: « Nonne dixi tibi quóniam, si credíderis, vidébis glóriam Dei? »

Tulérunt ergo lápidem; Iesus autem, elevátis sursum óculis, dixit: « Pater, grátias ago tibi quóniam audísti me. Ego autem sciébam quia semper me audis; sed propter pópulum, qui circúmstat, dixi, ut credant quia tu me misísti ».

Et hæc cum dixísset, voce magna clamávit: « Lázare, veni foras ». Pródiit qui fúerat mórtuus ligátus pedes et manus ínstitis, et fácies illíus sudário erat ligáta.

Dicit Iesus eis: « Sólvite eum et sínite eum abíre ».

Multi ergo ex Iudǽis, qui vénerant ad Maríam et víderant quæ fecit, credidérunt in eum.

Verbum Dómini.

15

Alleluia — Ap 14, 13

℟. Allelúia. ℣. Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur:
requiéscant a labóribus suis;
ópera enim illórum sequúntur illos.
℟. Allelúia.

* *Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert.*

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 12, 23-28

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Venit hora ut glori-

ficétur Fílius hóminis. Amen, amen dico vobis: Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet; si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert.

Qui amat ánimam suam perdit eam, et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódiet eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur; et, ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater.

Nunc ánima mea turbáta est. Et quid dicam? Pater, salvífica me ex hora hac? Sed proptérea veni in horam hanc. Pater, glorífica tuum Nomen ».

Venit ergo vox de cælo: « Et glorificávi, et íterum glorificábo ». — Verbum Dómini.

---

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

12, 23-26

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Venit hora ut glorificétur Fílius hóminis. Amen, amen dico vobis: Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet; si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert.

Qui amat ánimam suam perdit eam, et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódiet eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur; et, ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater.

Verbum Dómini.

16

Alleluia Io 6, 40

℟. Allelúia. ℣. Hæc est volúntas Patris mei,
ut omnis qui credit in me
hábeat vitam ætérnam,
et ego resuscitábo eum in novíssimo die,
dicit Dóminus. ℟. Allelúia.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 14, 1-6

In illo témpore:

Dixit Iesus discípulis suis: « Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum, et in me crédite. In domo Patris mei mansiónes multæ sunt. Si quo minus dixíssem vobis, quia vado paráre vobis locum?

Et, si abíero et præparávero vobis locum, íterum vénio et accípiam vos ad meípsum, ut, ubi sum ego, et vos sitis. Et quo ego vado, scitis viam ».

Dicit ei Thomas: « Dómine, nescímus quo vadis, et quómodo póssumus viam scire? »

Dicit ei Iesus: « Ego sum via et véritas et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me ». — Verbum Dómini.

17

Alleluia Io 6, 39

℟. Allelúia. ℣. Hæc est volúntas Patris mei,
ut omne, quod dedit mihi,
non perdam ex eo,
sed resúscitem illud in novíssimo die,
dicit Dóminus. ℟. Allelúia.

Volo ut, ubi ego sum, et illi sint mecum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
17, 24-26

In illo témpore:

Sublevátis Iesus óculis in cælum, orávit dicens: « Pater, quod dedísti mihi, volo ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut vídeant glóriam meam, quam dedísti mihi; quia dilexísti me ante constitutiónem mundi.

Pater iuste, et mundus te non cognóvit; ego autem te cognóvi, et hi cognovérunt quia tu me misísti. Et notum feci eis Nomen tuum et notum fáciam, ut diléctio, qua dilexísti me, in ipsis sit, et ego in ipsis ».

Verbum Dómini.

18

Alleluia Io 11, 25 a. 26

℟. Allelúia. ℣. Ego sum resurréctio et vita,
dicit Dóminus;
qui credit in me, non moriétur in ætérnum.
℟. Allelúia.

Inclinato capite, tradidit spiritum.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
19, 17-18. 25-30

In illo témpore:

Báiulans sibi crucem, exívit Iesus in eum qui dícitur Calváriæ locum, quod hebráice dícitur Gólgotha, ubi eum crucifixérunt; et cum eo álios duos, hinc et hinc, médium autem Iesum.

Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius María Cléopæ, et María Magdaléne.

Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus »; deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Póstea sciens Iesus quia iam ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dicit: « Sítio ». Vas pósitum erat acéto plenum; spóngiam ergo plenam acéto hyssópo circumponéntes obtulérunt ori eius. Cum ergo accepísset Iesus acétum, dixit: « Consummátum est ».

Et, inclináto cápite, trádidit spíritum.

Verbum Dómini.

V. IN EXSEQUIIS PARVULORUM

A. In exsequiis parvuli baptizati

1

Ant. ad introitum — Mt 25, 34

Veníte, benedícti Patris mei, dicit Dóminus:
percípite regnum, quod vobis parátum est
ab orígine mundi.

Collecta

Clementíssime Deus, qui sapiéntiæ tuæ consíliis
hunc párvulum, in ipso vitæ límine, ad te vocásti,
preces nostras benígnus exáudi, et præsta,
ut cum ipso,
quem baptísmatis grátia adoptiónis tibi fílium effecísti,
et in regno tuo iam crédimus commorári,
nos étiam ætérnæ vitæ tríbuas esse aliquándo consórtes.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1870-1877.

Super oblata

Hæc múnera, tibi, Dómine, obláta sanctífica,
ut, quem paréntes a te donátum tibi reddunt infántem,
ipsum læti in regno tuo mereántur amplécti.
Per Christum.

Præfatio de defunctis, pp. 779-783.

Ant. ad communionem — Cf. Rom 6, 4. 8

Consepúlti cum Christo per baptísmum in mortem,
crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo.

Post communionem

Córporis, Dómine,
et Sánguinis Fílii tui communióne percépta,
te fidéliter deprecámur,
ut, quos in spem vitæ ætérnæ
sacris dignátus es nutríre mystériis,
in huius tríbuas vitæ mæróribus confortári.
Per Christum.

2. Aliæ orationes

Collecta

Deus, qui mæróre scis corda nostra cómprimi
propter huius infántis excéssum,
præsta, ut, quem iam hac vita defúnctum,
te disponénte, deflémus,
ætérnam in cælo sedem credámus adéptum.
Per Dóminum.

Super oblata

Hanc oblatiónem, Deus,
dignáre in nostræ signum devotiónis excípere,
ut, qui tuæ providéntiæ consíliis
submíttimur confidéntes,
tuæ quoque pietátis dulcédine sublevémur.
Per Christum.

Post communionem

Divíno múnere satiáti, te, Dómine, deprecámur,
ut, qui hunc infántem
ad mensam tríbuis regni cæléstis accúmbere,
eándem et nos participáre concédas.
Per Christum.

Lectio prima

1

Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 25, 6 a. 7-9

In die illa:

Fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc convívium pínguium.

Et præcipitábit in monte isto fáciem vínculi colligáti super omnes pópulos, et telam quam ordítus est super omnes natiónes.

Præcipitábit mortem in sempitérnum, et áuferet Dóminus Deus lácrimam ab omni fácie, et oppróbrium pópuli sui áuferet de univérsa terra, quia Dóminus locútus est.

Et dicet in die illa: « Ecce Deus noster iste, exspectávimus eum, et salvábit nos; iste Dóminus, sustinúimus eum; exsultábimus et lætábimur in salutári eius ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius Ps 22, 1-3. 4. 5. 6 (℟.: 1)

℟. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

1 Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
2 in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
3 ánimam meam refécit.
Dedúxit me super sémitas iustítiæ
propter nomen suum. ℟.

4 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. ℟.

5 Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. ℟.

6 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. ℟.

2

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

Léctio libri Lamentatiónum 3, 22-26

Misericórdiæ Dómini, quia non sumus consúmpti, quia non defecérunt miseratiónes eius. Novi dilúculo, multa est fides tua.

« Pars mea Dóminus », dixit ánima mea; proptérea exspectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum; bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 24, 4 bc-5 ab. 6 et 7 bc. 20-21 (℟.: 1 b)

℟. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam.

4 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi,
et sémitas tuas édoce me.
5 Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus salútis meæ. ℟.

6 Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,
et misericordiárum tuárum, quóniam a sǽculo sunt.
7 Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu,
propter bonitátem tuam, Dómine. ℟.
20 Custódi ánimam meam, et érue me;
non erubéscam, quóniam sperávi in te.
21 Innocéntia et ǽquitas custódiant me,
quia sustínui te. ℟.

Lectio secunda

1

Credimus quia simul vivemus cum Christo.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
6, 3-4. 8-9

Fratres:

Ignorátis quia quicúmque baptizáti sumus in Christo Iesu, in morte ipsíus baptizáti sumus? Consepúlti ergo sumus cum illo per baptísmum in mortem, ut, quemádmodum suscitátus est Christus a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus.
Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum eo, sciéntes quod Christus suscitátus ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominátur. — Verbum Dómini.

2

Sive vivimus sive morimur, Domini sumus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Romános
14, 7-9

Fratres:

Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus; sive mórimur, Dó-

mino mórimur: sive ergo vívimus sive mórimur, Dómini sumus.

In hoc enim Christus et mórtuus est et vixit, ut et mortuórum et vivórum dominétur.

Verbum Dómini.

3

In Christo omnes vivificabuntur.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios 15, 20-23

Fratres:

Nunc Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium; quóniam enim per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum.

Sicut enim in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur. Unusquísque autem in suo órdine: primítiæ Christus, deínde hi qui sunt Christi in advéntu eius. — Verbum Dómini.

4

Elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Ephésios 1, 3-5

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spiritáli in cæléstibus in Christo; sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritáte; qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Iesum Christum in ipsum, secúndum beneplácitum voluntátis suæ.

Verbum Dómini.

5

Semper cum Domino erimus.

Léctio Epístolæ primæ beáti Pauli apóstoli
ad Thessalonicénses 4, 13-14. 17 b-18

Nólumus vos ignoráre, fratres, de dormiéntibus, ut non contristémini, sicut et céteri qui spem non habent.
Si enim crédimus quod Iesus mórtuus est et resurréxit, ita et Deus eos qui dormiérunt per Iesum addúcet cum eo.
Et sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.
Verbum Dómini.

Evangelium

1

Alleluia Cf. Mt 11, 25

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus es, Pater,
Dómine cæli et terræ,
quia mystéria Regni párvulis revelásti.
℟. Allelúia.

Venite ad me, ... et ego reficiam vos.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum
11, 25-30

In illo témpore, respóndens Iesus dixit: « Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis.
Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo; et nemo novit Fílium,

nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre.

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos.

Tóllite iugum meum super vos, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde; et " inveniétis réquiem animábus vestris "; iugum enim meum suáve, et onus meum leve est ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia Io 6, 39

℟. Allelúia. ℣. Hæc est volúntas Patris mei,
ut omne, quod dedit mihi,
non perdam ex eo,
sed resúscitem illud in novíssimo die,
dicit Dóminus. ℟. Allelúia.

* *Hæc est voluntas Patris mei*
ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 6, 37-40

In illo témpore:

Dixit Iesus turbis: « Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet; et eum, qui venit ad me, non eíciam foras. Quia descéndi de cælo, non ut fáciam voluntátem meam, sed voluntátem eius qui misit me.

Hæc est autem volúntas eius, qui misit me, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resúscitem illud in novíssimo die.

Hæc est autem volúntas Patris mei, ut omnis qui videt Fílium et credit in eum hábeat vitam ætérnam; et resuscitábo ego eum in novíssimo die ».

Verbum Dómini.

vel brevior

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioannem

6, 37-39

In illo témpore:

Dixit Iesus turbis: « Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet; et eum, qui venit ad me, non eíciam foras. Quia descéndi de cælo, non ut fáciam voluntátem meam, sed voluntátem eius qui misit me.

Hæc est autem volúntas eius, qui misit me, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resúscitem illud in novíssimo die.

Verbum Dómini.

3

Alleluia 2 Cor 1, 3 b-4 a

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus Pater misericordiárum
et Deus totíus consolatiónis,
qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra. ℟. Allelúia.

Si credideris, videbis gloriam Dei.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

11, 32-38. 40

In illo témpore:

Cum venísset María, soror Lázari, ubi erat Iesus, videns eum cécidit ad pedes eius dicens ei: « Dómine, si fuísses hic, non esset mórtuus frater meus ».

Iesus ergo, ut vidit eam plorántem et Iudǽos, qui vénerant cum ea, plorántes, frémuit spíritu et turbávit se ipsum, et dixit: « Ubi posuístis eum? »

Dicunt ei: « Dómine, veni et vide ». Lacrimátus est Iesus.

Dicébant ergo Iudǽi: « Ecce quómodo amábat eum! »

Quidam autem dixérunt ex ipsis: « Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci, fácere ut et hic non morerétur? » Iesus ergo rursum fremens in semetípso venit ad monuméntum. Erat autem spelúnca, et lapis superpósitus erat ei.

Dicit Iesus Marthæ: « Nonne dixi tibi quóniam, si credíderis, vidébis glóriam Dei? »

Verbum Dómini.

4

Alleluia — 2 Cor 1, 3 b-4 a

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus Pater misericordiárum
et Deus totíus consolatiónis,
qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra. ℟. Allelúia.

Ecce mater tua.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 25-30

In illo témpore:

Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius María Cléopæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus »; deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Póstea sciens Iesus quia iam ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dicit: « Sítio ». Vas pósitum erat acéto plenum; spóngiam ergo plenam acéto hyssópo circumponéntes obtulérunt ori eius. Cum ergo accepísset Iesus acétum, dixit: « Consummátum est ».

Et, inclináto cápite, trádidit spíritum.

Verbum Dómini.

B. In exsequiis parvuli nondum baptizati

Si quis parvulus, quem parentes baptizari volebant, ante baptismum mortuus fuerit, Ordinarius loci, adiunctis pastoralibus consideratis, permittere potest ut eius exsequiæ celebrentur in ipsa domo defuncti, aut etiam iuxta illum typum exsequiarum, qui de more pro ceteris in regione adhibetur.

In huiusmodi exsequiis habeatur de more liturgia verbi, prouti in Rituali describitur. Si tamen opportuna aliquando iudicatur Missæ celebratio, adhibeantur textus qui sequuntur.

In catechesi autem advigilandum est, ne doctrina de necessitate baptismi in mentibus fidelium obscuretur.

Ant. ad introitum — Ap 21, 4

Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum,
et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor,
neque dolor erit ultra, quia prima transiérunt.

Collecta

Fidélium tuórum, Dómine, súscipe vota,
ut, quos permíttis infántis sibi erépti desidério déprimi,
eósdem concédas
in tuæ spem miseratiónis fidénter attólli.
Per Dóminum.

Vel:

Scrutátor córdium, Deus, et piíssime consolátor,
qui horum paréntum fidem novísti,
præsta, ut infántem suum,
quem plorant hac vita defúnctum,
tuæ séntiant divínæ pietáti commíssum.
Per Dóminum.

Lectiones ut infra, pp. 1880-1883.

Super oblata

Hanc oblatiónem, Deus,
dignáre in nostræ signum devotiónis excípere,
ut, qui tuæ providéntiæ consíliis submíttimur confidéntes,
tuæ quoque pietátis dulcédine sublevémur.
Per Christum.

Præfatio de defunctis, pp. 779-783.

Ant. ad communionem — Is 25, 8

Præcipitábit Dóminus mortem in sempitérnum,
et áuferet Deus lácrimam ab omni fácie.

Post communionem

Córporis, Dómine,
et Sánguinis Fílii tui communióne percépta,
te fidéliter deprecámur,
ut, quos in spem vitæ ætérnæ
sacris dignátus es nutríre mystériis,
in huius tríbuas vitæ mæróribus confortári.
Per Christum.

Lectio prior

1

Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ 25, 6 a. 7-8 a

In die illa:

Fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc convívium pínguium.

Et præcipitábit in monte isto fáciem vínculi colligáti super omnes pópulos, et telam quam ordítus est super omnes natiónes.

Præcipitábit mortem in sempitérnum, et áuferet Dóminus Deus lácrimam ab omni fácie.

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 24, 4 bc-5 ab. 6 et 7 bc. 17 et 20 (℟.: 3 b)

℟. Qui sústinent te, Dómine, non confundéntur.

4 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi,
et sémitas tuas édoce me.
5 Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus salútis meæ. ℟.

6 Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,
et misericordiárum tuárum, quóniam a sǽculo sunt.
7 Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu,
propter bonitátem tuam, Dómine. ℟.

17 Diláta angústias cordis mei,
et de necessitátibus meis érue me.
20 Custódi ánimam meam, et érue me;
non erubéscam, quóniam sperávi in te. ℟.

2

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

Léctio libri Lamentatiónum 3, 22-26

Misericórdiæ Dómini, quia non sumus consúmpti, quia non defecérunt miseratiónes eius. Novi dilúculo, multa est fides tua.

« Pars mea Dóminus », dixit ánima mea; proptérea exspectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quæténti illum; bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. — Verbum Dómini.

Psalmus responsorius
Ps 24, 4 bc-5 ab. 6 et 7 bc. 17 et 20 (℟.: 1 b)

℟. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam.

4 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi,
et sémitas tuas édoce me.
5 Dírige me in veritáte tua et doce me,
quia tu es Deus salútis meæ. ℟.

6 Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine,
et misericordiárum tuárum, quóniam a sæculo sunt.
7 Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu,
propter bonitátem tuam, Dómine. ℟.

17 Diláta angústias cordis mei,
et de necessitátibus meis érue me.
20 Custódi ánimam meam, et érue me;
non erubéscam, quóniam sperávi in te. ℟.

Evangelium

1

Alleluia Ap 1, 5-6

℟. Allelúia. ℣. Iesus Christus
est primogénitus mortuórum;
ipsi glória et impérium
in sǽcula sæculórum. Amen.
℟. Allelúia.

Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 11, 27-30

In illo témpore: Respóndens Iesus dixit:

« Omnia mihi trádita sunt a Patre meo, et nemo novit Fílium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre.

Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite iugum meum super vos et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde; et inveniétis réquiem animábus vestris; iugum enim meum suáve, et onus meum leve est ». — Verbum Dómini.

2

Alleluia 2 Cor 1, 3 b-4 a

℟. Allelúia. ℣. Benedíctus Pater misericordiárum
et Deus totíus consolatiónis,
qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra. ℟. Allelúia.

Ecce mater tua.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem
19, 25-30

In illo témpore:

Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius María Cléopæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Iesus matrem et discípulum stantem quem diligébat, dicit matri: « Múlier, ecce fílius tuus »; deínde dicit discípulo: « Ecce mater tua ».

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Póstea sciens Iesus quia iam ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dicit: « Sítio ». Vas pósitum erat acéto plenum; spóngiam ergo plenam acéto hyssópo circumponéntes obtulérunt ori eius. Cum ergo accepísset Iesus acétum, dixit: « Consummátum est ».

Et, inclináto cápite, trádidit spíritum.

Verbum Dómini.

APPENDIX

ORDO AD FACIENDAM ET ASPERGENDAM AQUAM BENEDICTAM

1. Ritus benedictionis et aspersionis aquæ benedictæ fieri potest in omnibus Missis dominicæ, iis etiam quæ horis vespertinis sabbati anticipantur, in omnibus ecclesiis et oratoriis.

Huiusmodi ritus locum tenet actus pænitentialis initio Missæ peragendi.

2. Post salutationem, sacerdos, stans ad sedem, ad populum conversus, habens ante se vas cum aqua benedicenda, populum ad orandum invitat his vel similibus verbis:

Dóminum Deum nostrum,
fratres caríssimi, supplíciter deprecémur,
ut hanc creatúram aquæ benedícere dignétur,
super nos aspergéndam in nostri memóriam baptísmi.
Ipse autem nos adiuváre dignétur,
ut fidéles Spirítui, quem accépimus, maneámus.

Et post brevem pausam silentii prosequitur, manibus iunctis:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui voluísti ut per aquam,
fontem vitæ ac purificatiónis princípium,
étiam ánimæ mundaréntur
æternæque vitæ munus excíperent,
dignáre, quǽsumus, hanc aquam ✠ benedícere,
qua vólumus hac die tua, Dómine, communíri.
Fontem vivum in nobis tuæ grátiæ renovári
et ab omni malo spíritus et córporis
per ipsam nos deféndi concédas,
ut mundis tibi córdibus propinquáre
tuámque digne salútem valeámus accípere.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Vel:

Dómine Deus omnípotens,
qui es totíus vitæ córporis et ánimæ fons et orígo,
hanc aquam, te quǽsumus, ✠ benedícas,
qua fidénter útimur
ad nostrórum implorándam véniam peccatórum
et advérsus omnes morbos inimicíque insídias
tuæ defensiónem grátiæ consequéndam.
Præsta, Dómine, ut, misericórdia tua interveniénte,
aquæ vivæ semper nobis sáliant in salútem,
ut mundo tibi corde appropinquáre possímus,
et omnis córporis animǽque perícula devitémus.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

3. Ubi locorum condicio aut populi traditio suadet ut salis commixtio in benedictione aquæ servetur, sacerdos sal benedicit, dicens:

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus,
ut hanc creatúram salis
benedícere ✠ tua pietáte dignéris,
qui per Eliséum prophétam in aquam mitti eam iussísti,
ut sanarétur sterílitas aquæ.
Præsta, Dómine, quǽsumus,
ut, ubicúmque hæc salis et aquæ commíxtio
fúerit aspérsa,
omni impugnatióne inimíci depúlsa,
præséntia Sancti tui Spíritus
nos iúgiter custódiat.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Deinde sal immittit in aquam, nihil dicens.

4. Postea, accepto aspersorio, sacerdos aspergit se et ministros, deinde clerum et populum, pro opportunitate transeundo per ecclesiam.

Interim peragitur unus e cantibus qui sequuntur, vel alius cantus aptus.

Ant. 1 Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor: lavábis me, et super nivem dealbábor (Ps 50, 9).

Ant. 2 Effúndam super vos aquam mundam,
et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris,
et dabo vobis cor novum, dicit Dóminus (Ez 36, 25-26).

Hymnus. Benedíctus Deus
et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui secúndum misericórdiam suam magnam
regenerávit nos in spem vivam,
per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis,
in hereditátem incorruptíbilem,
in cælis conservátam nobis
in salútem témpore novíssimo revelándam!
(cf. 1 Petr 1, 3-5).

5. Ad sedem reversus, et cantu expleto, sacerdos, stans versus ad populum, manibus iunctis, dicit:

Deus omnípotens nos a peccátis puríficet,
et per huius Eucharístiæ celebratiónem
dignos nos reddat,
qui mensæ regni sui partícipes efficiámur.
℟. Amen.

6. Deinde, quando præscribitur, cantatur vel dicitur hymnus Glória in excélsis Deo.

SPECIMINA FORMULARUM PRO ORATIONE UNIVERSALI

1. FORMULA GENERALIS, I

A - Admonitio prævia

Ad Deum Patrem omnipoténtem,
qui vult omnes hómines salvos fíeri
et ad agnitiónem veritátis veníre,
tota mentis nostræ, fratres caríssimi, dirigátur orátio.

B - 1ª series intentionum

Pro Ecclésia sancta Dei;
ut eam Dóminus custodíre et fovére dignétur,
Dóminum deprecémur.
Participatio populi: ℟. Præsta, ætérne omnípotens Deus.

C - 2ª series intentionum

Pro totíus orbis pópulis;
ut inter eos Dóminus concórdiam serváre dignétur,
Dóminum deprecémur.
℟. Præsta, ætérne omnípotens Deus.

D - 3ª series intentionum

Pro ómnibus qui váriis premúntur necessitátibus;
ut omnes Dóminus subleváre dignétur,
Dóminum deprecémur.
℟. Præsta, ætérne omnípotens Deus.

E - 4ª series intentionum

Pro nobismetípsis ac pro nostra communitáte;
ut nos omnes Dóminus hóstiam sibi acceptábilem
admíttere dignétur,
Dóminum deprecémur.
℟. Præsta, ætérne omnípotens Deus.

F - Oratio sacerdotalis conclusiva

Deus, refúgium nostrum et virtus,
adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus,
auctor ipse pietátis, et præsta,
ut, quod fidéliter pétimus,
efficáciter consequámur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

2. FORMULA GENERALIS, II

A

Fratres, in hac pública et commúni oratióne
quam nunc incípimus,
non quisquis pro se, nec tantum pro necessáriis suis,
sed omnes pro toto pópulo orémus Christum Dóminum.

B

1. Pro cuncto pópulo christiáno,
divínæ bonitátis abundántiam deprecémur.
℟. Christe, audi nos vel Exáudi, Christe.

2. Pro ómnibus nondum credéntibus,
largitórem spiritálium múnerum implorémus.
℟. Christe, audi nos.

C

1. Pro rei públicæ moderatóribus,
Dómini poténtiam implorémus.
℟. Christe, audi nos.

2. Pro áëris tempérie ac frúctuum ubertáte,
rectórem mundi Dóminum implorémus.
℟. Christe, audi nos.

D

1. Pro frátribus nostris,
qui huic sacro cœtui interésse non possunt,
inspectórem ómnium implorémus.
℟. Christe, audi nos.

2. Pro refrigério fidélium animárum,
univérsæ carnis iúdicem implorémus.
℟. Christe, audi nos.

E

1. Pro nobis ómnibus plena fide supplicántibus
et Dómini misericórdiam poscéntibus,
Salvatóris cleméntiam implorémus.
℟. Christe, audi nos.

2. Pro nobis et necessáriis nostris
bonitátem Dómini exspectántibus,
Christi Dómini misericórdiam implorémus.
℟. Christe, audi nos.

F

Précibus nostris, quǽsumus, Dómine,
aures tuæ pietátis accómmoda,
et oratiónes súpplicum benígnus exáudi.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

3. TEMPORE ADVENTUS

A

Advéntum Dómini nostri Iesu Christi,
fratres caríssimi, votis ómnibus præstolántes,
ipsíus misericórdiam impénsius implorémus,
ut, sicut ipse ad evangelizándum paupéribus
et sanándos contrítos corde venit in mundum,
ita, nostris quoque tempóribus,
cunctis egéntibus velit præbére salútem.

B

1. Ut Ecclésiam suam sanctam vísitet sempérque custódiat,
Dóminum deprecémur.
℟. Kýrie, eléison.

2. Ut Románum Pontíficem,
Antístitem nostrum, universúmque órdinem episcopátus
donis répleat spirituálium gratiárum,
Dóminum deprecémur.
℟. Kýrie, eléison.

C

1. Ut témpora nostra sint, ipsíus protectióne, tranquílla,
Dóminum deprecémur.
℟. Kýrie, eléison.

2. Ut mentes eórum, qui nos in potestáte regunt,
secúndum voluntátem suam dírigat
ad ómnium bonum promovéndum,
Dóminum deprecémur.
℟. Kýrie, eléison.

D

1. Ut morbos áuferat,
famem depéllat,
omnémque tribulatiónem avértat,
Dóminum deprecémur.
℟. Kýrie, eléison.

2. Ut omnes persecutióne vexátos
misericórditer liberáre dignétur,
Dóminum deprecémur.
℟. Kýrie, eléison.

E

1. Ut caritátis suæ testes coram ómnibus homínibus
in veritáte maneámus,
Dóminum deprecémur.
℟. Kýrie, eléison.

2. Ut nos in suo advéntu vigilántes invéniat,
Dóminum deprecémur.
℟. Kýrie, eléison.

F

Omnípotens sempitérne Deus,
qui salvas omnes et néminem vis períre,
exáudi preces pópuli tui et præsta,
ut et mundi cursus pacífico nobis tuo órdine dirigátur,
et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

4. TEMPORE NATIVITATIS

A

Hac die (hac nocte, hoc témpore), fratres caríssimi,
qua appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei,
non in opéribus iustítiæ nostræ,
sed in eius misericórdia confidéntes,
preces Deo nostro súpplices effundámus.

B

Pro Ecclésia Dei;
ut íntegra fide sustíneat et lætánter excípiat
quem immaculáta Virgínitas
verbo concépit et ineffabíliter generávit,
Dóminum deprecémur.
℟. Dómine, miserére.

C

Pro univérsi orbis proféctu et tranquillitáte;
ut temporále donum in præmium tránseat sempitérnum,
Dóminum deprecémur.
℟. Dómine, miserére.

D

Pro iis, qui fame, infirmitáte vel solitúdine tribulántur;
ut per mystérium Nativitátis (manifestatiónis) Christi
tam mente quam córpore sublevéntur,
Dóminum deprecémur.
℟. Dómine, miserére.

E

Pro congregatiónis nostræ famíliis;
ut, Christum recipiéntes,
illum étiam in paupéribus discant excípere,
Dóminum deprecémur.
℟. Dómine, miserére.

F

Quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut fidélium tuórum supplicatiónes apud te ipsa comméndet,
quæ Deum et hóminem castis viscéribus méruit baiuláre.
Per Christum.

9. TEMPORE « PER ANNUM », I

A

In unum congregáti, fratres caríssimi,
ad Dei nostri benefícia recolénda,
rogémus eum, ut ipse nobis vota subíciat,
quæ digne possit audíre.

B

Pro Pontífice nostro N., et Antístite nostro N., et omni clero
cum pópulo ipsórum gubernáculis commendáto,
Dóminum deprecémur.

C

Pro moderatóribus rerum publicárum eorúmque minístris
bonum commúne curántibus,
Dóminum deprecémur.

D

Pro navigántibus, iter agéntibus,
et captívis vel in carcéribus deténtis,
Dóminum deprecémur.

E

Pro nobis ómnibus,
fide, devotióne et Dei dilectióne ac timóre
in hac aula sacratíssima congregátis,
Dóminum deprecémur.

F

Fiant, Dómine, tuo grata conspéctui vota
supplicántis Ecclésiæ,
ut tua nobis misericórdia conferátur
quod nostrórum non habet fidúcia meritórum.
Per Christum.

10. TEMPORE « PER ANNUM », II

A

Omnes huc convénimus, fratres caríssimi,
ad Redemptiónis nostræ recolénda mystéria;
rogémus ergo Deum omnipoténtem,
ut mundus univérsus
his totíus benedictiónis et vitæ fóntibus irrigétur.

B

Pro ómnibus qui seípsos Deo vovérunt,
ut, illo adiuvánte, propósitum suum in fidelitáte custódiant,
Dóminum exorémus.

C

Pro pace géntium,
ut, omni perturbatióne remóta,
líberis ipsi méntibus pópuli servíre mereántur,
Dóminum exorémus.

D

Pro sénibus, qui solitúdine vel infirmitáte labórant,
ut fratérna nostra caritáte firméntur,
Dóminum exorémus.

E

Pro nobis hic congregátis,
ut sic sciámus bonis uti præséntibus,
quibus nos Deus fovére non désinit,
ut iam possímus inhærére perpétuis,
Dóminum exorémus.

F

Adsit, Dómine, quǽsumus, propitiátio tua pópulo supplicánti,
ut, quod te inspiránte fidéliter éxpetit,
tua céleri largitáte percípiat. Per Christum.

Tempore « per annum » adhiberi possunt etiam formularia generalia supra proposita, nn. 1-2.

11. IN MISSIS DEFUNCTORUM

A

Deum Patrem omnipoténtem,
qui Christum Fílium suum suscitávit a mórtuis,
pro salúte vivórum atque mortuórum fidéliter invocémus.

B

Ut pópulum christiánum in fide et unitáte stabíliat,
Dóminum deprecémur.

C

Ut ab omni bellórum nequítia orbem éruat univérsum,
Dóminum deprecémur.

D

Ut frátribus qui carent ópere, victu vel tecto,
se patrem dignétur osténdere,
Dóminum deprecémur.

E

1. Ut huic defúncto N.,
qui olim per Baptísmum ætérnæ vitæ semen accépit,
perpétuam velit societátem donáre Sanctórum,
Dóminum deprecémur.

2. Ut eum, qui manducávit Corpus Christi,
panem vitæ ætérnæ,
resúscitet in novíssimo die,
Dóminum deprecémur.

(Vel pro presbytero):

Ut eum, qui in Ecclésia sacerdótii munus exércuit,
fáciat cæléstis partícipem liturgíæ,
Dóminum deprecémur.

3. Ut animábus fratrum, propinquórum
et benefactórum nostrórum
mercédem labóris attríbuat,
Dóminum deprecémur.

4. Ut omnes, qui dormiérunt in spe resurrectiónis,
in lúmine sui vultus accípiat,
Dóminum deprecémur.

5. Ut fratres nostros, qui in afflictióne versántur,
ádiuvet et propítius consolétur,
Dóminum deprecémur.

6. Ut omnes, qui huc in fide et devotióne convenérunt,
in gloriósum suum regnum congregáre dignétur,
Dóminum deprecémur.

F

Animábus, quǽsumus, Dómine, famulórum
famularúmque tuárum
orátio profíciat supplicántium,
ut eas et a peccátis ómnibus éxuas,
et tuæ redemptiónis fácias esse partícipes.
Qui vivis.

RITUS AD DEPUTANDUM MINISTRUM S. COMMUNIONIS AD ACTUM DISTRIBUENDÆ

1. Ordinarii locorum facultate fruuntur permittendi singulis sacerdotibus sacra munera exercentibus ut deputare valeant personam idoneam, quæ in casibus veræ necessitatis, ad actum, S. Communionem distribuat.

2. Personam quæ, iis in casibus, ad S. Communionem distribuendam ad actum deputatur, mandatum accipere expedit iuxta ritum qui sequitur.

3. Dum fractio panis et immixtio peraguntur, qui S. Communionem distribuere debet ad altare accedit et coram celebrante sistit. Expleta invocatione **Agnus Dei,** sacerdos eum benedicit his verbis:

Benedícat ✠ te Dóminus
ad Corpus Christi frátribus tuis nunc ministrándum.

Et ipse respondet:

Amen.

4. Postquam vero sacerdos de more Sacramentum sumpsit, S. Communionis ministrum, si hic SS. Eucharistiam suscepturus sit, communicat; ac deinde pyxidem vel vas cum hostiis ei porrigit, et una cum eodem ad S. Communionem fidelibus ministrandam accedit.

PRÆPARATIO AD MISSAM

Oratio S. Ambrosii

Ad mensam dulcíssimi convívii tui, pie Dómine Iesu Christe,
ego peccátor de própriis meis méritis nihil præsúmens,
sed de tua confídens misericórdia et bonitáte,
accédere véreor et contremísco.
Nam cor et corpus hábeo multis crimínibus maculátum,
mentem et linguam non caute custodítam.
Ergo, o pia Déitas, o treménda maiéstas,
ego miser, inter angústias deprehénsus,
ad te fontem misericórdiæ recúrro,
ad te festíno sanándus,
sub tuam protectiónem fúgio;
et, quem Iúdicem sustinére néqueo,
Salvatórem habére suspíro.
Tibi, Dómine, plagas meas osténdo,
tibi verecúndiam meam détego.
Scio peccáta mea multa et magna, pro quibus tímeo:
spero in misericórdias tuas, quarum non est númerus.
Réspice ergo in me óculis misericórdiæ tuæ,
Dómine Iesu Christe, Rex ætérne, Deus et homo,
crucifíxus propter hóminem.
Exáudi me sperántem in te:
miserére mei pleni misériis et peccátis,
tu qui fontem miseratiónis numquam manáre cessábis.
Salve, salutáris víctima,
pro me et omni humáno génere in patíbulo Crucis obláta.
Salve, nóbilis et pretióse Sanguis,
de vulnéribus crucifíxi Dómini mei Iesu Christi prófluens,
et peccáta totíus mundi ábluens.
Recordáre, Dómine, creatúræ tuæ,
quam tuo Sánguine redemísti.
Pænitet me peccásse,
cúpio emendáre quod feci.
Aufer ergo a me, clementíssime Pater,

omnes iniquitátes et peccáta mea,
ut, purificátus mente et córpore,
digne degustáre mérear Sancta sanctórum.
Et concéde,
ut hæc sancta prælibátio Córporis et Sánguinis tui,
quam ego indígnus súmere inténdo,
sit peccatórum meórum remíssio,
sit delictórum perfécta purgátio,
sit túrpium cogitatiónum effugátio
ac bonórum sénsuum regenerátio,
operúmque tibi placéntium salúbris efficácia,
ánimæ quoque et córporis
contra inimicórum meórum insídias firmíssima tuítio.
Amen.

Oratio S. Thomæ de Aquino

Omnípotens sempitérne Deus,
ecce accédo ad sacraméntum unigéniti Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi:
accédo tamquam infírmus ad médicum vitæ,
immúndus ad fontem misericórdiæ,
cæcus ad lumen claritátis ætérnæ,
pauper et egénus ad Dóminum cæli et terræ.
Rogo ergo imménsæ largitátis tuæ abundántiam,
quátenus meam curáre dignéris infirmitátem,
laváre fœditátem, illumináre cæcitátem,
ditáre paupertátem, vestíre nuditátem,
ut panem Angelórum, Regem regum
et Dóminum dominántium,
tanta suscípiam reveréntia et humilitáte,
tanta contritióne et devotióne, tanta puritáte et fide,
tali propósito et intentióne, sicut éxpedit salúti ánimæ meæ.
Da mihi, quæso, domínici Córporis et Sánguinis
non solum suscípere sacraméntum,
sed étiam rem et virtútem sacraménti.
O mitíssime Deus,
da mihi Corpus unigéniti Fílii tui,

Dómini nostri Iesu Christi,
quod traxit de Vírgine María, sic suscípere,
ut córpori suo mýstico mérear incorporári
et inter eius membra connumerári.
O amantíssime Pater,
concéde mihi diléctum Fílium tuum,
quem nunc velátum in via suscípere propóno,
reveláta tandem fácie perpétuo contemplári:
Qui tecum vivit et regnat
in sǽcula sæculórum.
Amen.

Oratio ad B. Mariam Virginem

O Mater pietátis et misericórdiæ, beatíssima Virgo María,
ego miser et indígnus peccátor
ad te confúgio toto corde et afféctu,
et precor pietátem tuam,
ut, sicut dulcíssimo Fílio tuo in Cruce pendénti astitísti,
ita et mihi, mísero peccatóri, et sacerdótibus ómnibus,
hic et in tota sancta Ecclésia hódie offeréntibus,
cleménter assístere dignéris,
ut, tua grátia adiúti,
dignam et acceptábilem hóstiam
in conspéctu summæ et indivíduæ Trinitátis offérre valeámus.
Amen.

Formula intentionis

Ego volo celebráre Missam,
et confícere Corpus et Sánguinem Dómini nostri Iesu Christi,
iuxta ritum sanctæ Románæ Ecclésiæ,
ad laudem omnipoténtis Dei totiúsque Cúriæ triumphántis,
ad utilitátem meam totiúsque Cúriæ militántis,
pro ómnibus qui se commendavérunt oratiónibus meis
in génere et in spécie,
et pro felíci statu sanctae Románæ Ecclésiæ.
Amen.

Gáudium cum pace,
emendatiónem vitæ, spátium veræ pæniténtiæ,
grátiam et consolatiónem Sancti Spíritus,
perseverántiam in bonis opéribus,
tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus.
Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM

Oratio S. Thomæ de Aquino

Grátias tibi ago,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
qui me peccatórem, indígnum fámulum tuum,
nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ
satiáre dignátus es pretióso Córpore et Sánguine Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi.
Et precor, ut hæc sancta commúnio
non sit mihi reátus ad pœnam,
sed intercéssio salutáris ad véniam.
Sit mihi armatúra fídei, et scutum bonæ voluntátis.
Sit vitiórum meórum evacuátio,
concupiscéntiæ et libídinis exterminátio,
caritátis et patiéntiæ, humilitátis et obœdiéntiæ,
omniúmque virtútum augmentátio:
contra insídias inimicórum ómnium,
tam visibílium quam invisibílium, firma defénsio:
mótuum meórum, tam carnálium quam spiritálium,
perfécta quietátio:
in te uno ac vero Deo firma adhǽsio,
atque finis mei felix consummátio.
Et precor te, ut ad illud ineffábile convívium
me peccatórem perdúcere dignéris,
ubi tu, cum Fílio tuo et Spíritu Sancto,
Sanctis tuis es lux vera, satíetas plena,
gáudium sempitérnum, iucúnditas consummáta
et felícitas perfécta.
Per Christum Dóminum nostrum.
Amen.

Aspirationes ad Ss.mum Redemptorem

Anima Christi, sanctífica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inébria me.
Aqua láteris Christi, lava me.
Pássio Christi, confórta me.
O bone Iesu, exáudi me.
Intra tua vúlnera abscónde me.
Ne permíttas me separári a te.
Ab hoste malígno defénde me.
In hora mortis meæ voca me.
Et iube me veníre ad te,
ut cum Sanctis tuis laudem te
in sǽcula sæculórum.
Amen.

Oblatio sui

Súscipe, Dómine, univérsam meam libertátem.
Accipe memóriam, intelléctum atque voluntátem omnem.
Quidquid hábeo vel possídeo, mihi largítus es:
id tibi totum restítuo,
ac tuæ prorsus voluntáti trado gubernándum.
Amórem tui solum cum grátia tua mihi dones,
et dives sum satis, nec áliud quidquam ultra posco.

Oratio ad D. N. Iesum Christum Crucifixum

En ego, o bone et dulcíssime Iesu,
ante conspéctum tuum génibus me provólvo,
ac máximo ánimi ardóre te oro atque obtéstor,
ut meum in cor vívidos fídei, spei et caritátis sensus,
atque veram peccatórum meórum pæniténtiam,
eáque emendándi firmíssimam voluntátem velis imprímere;
dum magno ánimi afféctu et dolóre
tua quinque vúlnera mecum ipse consídero
ac mente contémplor,

illud præ óculis habens,
quod iam in ore ponébat tuo David prophéta de te,
o bone Iesu:
Fodérunt manus meas et pedes meos:
dinumeravérunt ómnia ossa mea (Ps 21, 17).

Oratio universalis sub nomine Clementis Pp. XI vulgata

Credo, Dómine, sed credam fírmius;
spero, sed sperem secúrius;
amo, sed amem ardéntius;
dóleo, sed dóleam veheméntius.

Adóro te ut primum princípium;
desídero ut finem últimum;
laudo ut benefactórem perpétuum;
ínvoco ut defensórem propítium.

Tua me sapiéntia dírige,
iustítia cóntine, cleméntia soláre,
poténtia prótege.

Offero tibi, Dómine, cogitánda, ut sint ad te;
dicénda, ut sint de te;
faciénda, ut sint secúndum te;
feréndа, ut sint propter te.

Volo quidquid vis, volo quia vis,
volo quómodo vis,
volo quámdiu vis.

Oro, Dómine: intelléctum illúmines,
voluntátem inflámmes,
cor emúndes, ánimam sanctífices.

Défleam prætéritas iniquitátes, repéllam futúras tentatiónes,
córrigam vitiósas propensiónes,
éxcolam idóneas virtútes.

Tríbue mihi, bone Deus, amórem tui, ódium mei,
zelum próximi, contémptum mundi.

Stúdeam superióribus obœdíre,
inferióribus subveníre,
amícis consúlere, inimícis párcere.

Vincam voluptátem austeritáte,
avarítiam largitáte, iracúndiam lenitáte,
tepiditátem fervóre.

Redde me prudéntem in consíliis,
constántem in perículis, patiéntem in advérsis,
húmilem in prósperis.

Fac, Dómine, ut sim in oratióne atténtus,
in épulis sóbrius,
in múnere sédulus, in propósito firmus.

Curem habére innocéntiam interiórem,
modéstiam exteriórem, conversatiónem exemplárem,
vitam regulárem.

Assídue invígilem natúræ domándæ,
grátiæ fovéndæ, legi servándæ,
salúti promeréndæ.

Discam a te quam ténue quod terrénum,
quam grande quod divínum,
quam breve quod temporáneum,
quam durábile quod ætérnum.

Da, ut mortem prævéniam,
iudícium pertímeam,
inférnum effúgiam, paradísum obtíneam.
Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio ad B. Mariam Virginem


O María, Virgo et Mater sanctíssima,
ecce suscépi dilectíssimum Fílium tuum,
quem immaculáto útero tuo concepísti,
genuísti, lactásti atque suavíssimis ampléxibus strinxísti.
Ecce, cuius aspéctu lætabáris et ómnibus delíciis replebáris,
illum ipsum tibi humíliter et amánter repræsénto et óffero,

tuis brácchiis constringéndum, tuo corde amándum,
sanctissimǽque Trinitáti in suprémum latríæ cultum,
pro tui ipsíus honóre et glória
et pro meis totiúsque mundi necessitátibus, offeréndum.
Rogo ergo te, piíssima Mater,
ímpetra mihi véniam ómnium peccatórum meórum,
uberémque grátiam ipsi deínceps fidélius serviéndi,
ac dénique grátiam finálem,
ut eum tecum laudáre possim per ómnia sǽcula sæculórum.
Amen.

CANTUS IN ORDINE MISSÆ

I. AD RITUS INITIALES


Ad signum crucis



In nómine Patris, et Fi- li- i, et Spí-ri-tus Sancti. ℟. Amen.

Ad salutationem


1



Grá-ti- a Dómini nostri Iesu Christi, et cá-ri-tas De- i, et communi-




cá- ti- o Sancti Spi-ri-tus sit cum ómnibus vo- bis. ℟. Et cum spí- ri-tu



tu- o.

2




Grá-ti- a vo-bis et pax a De- o Patre nostro et Dómi-no Iesu



Chri- sto. ℟. Bene-díctus De- us et Pater Dómi-ni nostri Iesu Chri- sti.

3



Dóminus vobíscum. [Pax vobis.] ℟. Et cum spi-ri-tu tu- o.

Vel



Dóminus vobís-cum. [Pax vo-bis.] ℟. Et cum spí-ri-tu tu- o.

II. PRO ORATIONIBUS

A

Post collectam




... per ómni- a sǽcu- la sæcu-ló-rum. ℟. Amen.

Post alias orationes



Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Vel



Qui vi- vit et regnat in sǽcu-la sæcu-lórum. ℟. Amen.


B

Post collectam




... per ómni- a sǽcu-la sæcu- ló-rum. ℟. Amen.

Post alias orationes



Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Vel




Hic tonus B aptius convenit cum oratione super oblata, ad inducendam salutationem Dóminus vobíscum ante præfationem.

III. AD LITURGIAM VERBI

Post lectionem I



Post lectionem II vel unicam ante Evangelium




Hæc lectio potest etiam cantari in tono præcedenti (lectionis I).


Ad Evangelium

A

Ante Evangelium








Post Evangelium




Verbum Dómi-ni. ℟. Laus tibi, Christe.

B


Ante Evangelium



Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spí-ri-tu tu- o.



Lécti- o sancti Evangé- li- i secúndum Mattǽ- um. ℟. Glóri- a ti-bi,



Dómi-ne.

Post Evangelium



Verbum Dómini. ℟. Laus tibi, Christe.

C

Ante Evangelium



Dóminus vobís-cum ℟. Et cum spí- ri-tu tu- o.




Lécti- o sancti Evangé- li- i secúndum Mattǽ- um. ℟. Gló-ri- a tibi,




Dómine.

Post Evangelium



Ad orationem universalem


Post unamquamque intentionem





IV. AD PRECEM EUCHARISTICAM

Toni præfationum

A. Tonus simplex







Cum, ob auctum numerum præfationum, difficile sit pro unaquaque earum integrum textum melodiis ornatum præbere, hic exhibetur tantummodo exemplar unius præfationis in tono simplici et in tono sollemni, super quo melodiæ aliarum extrui possunt.

Præfatio II de Adventu

Ve-re dignum et iustum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos ti-bi semper et

u-bíque grá- ti- as á-ge-re: Dómine, sancte Pa-ter, omni-po-tens æ-tér-

ne De- us: per Christum Dóminum nostrum. Quem præ-dixé-runt cunc-

tó-rum præcó-ni- a prophe-tá-rum, Virgo Ma-ter in-effá-bi-li di- lecti- ó-

ne susti-nu- it, Io- ánnes cé-ci-nit affu-tú-rum et adésse monstrá-vit.

Qui su- æ na-ti-vi-tá-tis mysté- ri- um trí-bu- it nos præve-ní-re gaudén-

tes, ut et in o-ra-ti- ó-ne pervi-gi-les et in su- is invé-ni- at láudi-

bus exsultántes. Et í-de- o cum Ange-lis et Archánge-lis, cum Thro-


nis et Domi-na-ti- ó-nibus, cumque omni mi- lí- ti- a cæ-léstis ex-érci-

tus, hymnum gló-ri- æ tu- æ cá-nimus, sine fi-ne di-céntes:

B. Tonus sollemnis




Dóminus vo-bíscum. ℟. Et cum spí-ri-tu tu- o.




℣. Sursum corda. ℟. Ha-bémus ad Dóminum.



℣. Grá- ti- as a-gámus Dómino De- o nostro. ℟. Dignum et iustum est.




Ve-re dignum et iustum est, æquum et sa-lu- tá-re, nos ti-bi semper




et u-bíque grá- ti- as á-ge-re: Dómine, sancte Pa-ter, omni-po-tens æ-




térne De- us: per Chri-stum Dó-minum nostrum. Quem præ-dixé-runt




cunctórum præcó-ni- a prophe- tá-rum, Virgo Ma-ter in-effá-bi- li di-



lecti- óne su-stí-nu- it, Io-ánnes cé-ci-nit affu-tú-rum et adés- se mon-



strá-vit. Qui su- æ na-ti-vi- tá-tis mysté-ri- um tribu- it nos præve-ní-re



gaudéntes, ut et in o-ra-ti- óne per-ví- gi- les et in su- is invé-ni- at

láudi-bus exsultántes. Et í-de-o cum Ange-lis et Archánge-lis, cum

Thro-nis et Domi-na-ti- ó-nibus, cumque omni mi-lí-ti- a cæ-léstis ex-

ér-ci-tus, hymnum gló-ri- æ tu- æ cá-nimus, si-ne fi- ne di-céntes:

PREX EUCHARISTICA I

Quam obla-ti- ónem tu, De- us, in ómni-bus, quǽsumus, bene-díctam, ad-

scríptam, ra-tam, ra-ti- oná-bi- lem acceptabi- lémque fá-ce-re digné-ris:

ut nobis Corpus et Sanguis fi- at di- lectíssimi Fí- li- i tu- i, Dómini

nostri Iesu Chri- sti. Qui prí-di- e quam pa-te-ré-tur, accé-pit panem

in sanctas ac vene-rá-bi-les manus su- as, et e-le-vá-tis ócu- lis in cæ-

lum ad te De- um Patrem su- um omnipo-téntem, ti-bi grá-ti- as a-gens

bene-dí-xit, fre-git dedítque discípu- lis su- is, di-cens: ACCI-PI-TE ET

MANDUCATE EX HOC OMNES: HOC EST ENIM CORPUS ME- UM, QUOD

PRO VOBIS TRADE- TUR. Sími- li modo, postquam cená-tum est, accí-pi-

ens et hunc præclá-rum cá- li-cem in sanctas ac vene-rá-bi- les manus

su- as, i- tem ti-bi grá-ti- as a-gens bene-dí-xit dedítque discí-pu-lis

su- is, di-cens: ACCI- PI-TE ET BI-BI-TE EX E- O OMNES: HIC EST E-

NIM CA-LIX SANGUI-NIS ME- I, NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI, QUI PRO

VO-BIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSI- ONEM PECCATO-RUM.

HOC FA-CITE IN ME- AM COMMEMORA-TI- O-NEM.

Celebrans calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat. Deinde cantat:

Mysté-ri- um fí-de- i: vel Mysté-ri- um fí- de- i:

Et populus prosequitur, acclamans:

℟. Mortem tu-am annunti- ámus, Dómi-ne, et tu- am resurrecti- ónem confi-témur do-nec véni- as.

Unde et mémo-res, Dómine, nos servi tu- i, sed et plebs tu- a sanc-ta, e-iúsdem Christi Fí- li- i tu- i, Dómi-ni nostri, tam be- á-tæ pas-si- ó-nis, necnon et ab ínfe-ris resurrecti- ó-nis, sed et in cælos glo-ri- ó-sæ ascensi- ó-nis: offé- rimus præcláræ ma-iestá-ti tu- æ de tu- is donis ac da- tis hósti- am pu-ram, hósti- am sanctam, hósti- am imma-cu-lá-tam, Panem sanctum vitæ ætérnæ et Cá-li-cem sa-lú- tis perpé-tu- æ.

Supra quæ pro-pí- ti- o ac se-réno vultu respí-ce-re digné-ris: et accép-ta habé- re, síc-u-ti accépta habé-re digná-tus es múne- ra pú- e-ri tu-

i iusti Abel, et sacri- fí-ci- um Patri- árchæ nostri Abrahæ, et quod

ti-bi óbtu- lit summus sa-cérdos tu-us Melchí-sedech, sanctum sacri- fí-

ci- um, imma-cu-lá-tam hósti- am.

Súppli-ces te rogámus, omnipo- tens De- us: iube hæc perférri per ma-

nus sancti Ange- li tu- i in sublíme altá-re tu- um, in conspéctu di-

vínæ ma-iestá- tis tu- æ; ut, quotquot ex hac altá-ris parti- ci-pa-ti- ó-

ne sacro-sánctum Fí- li- i tu- i Corpus et Sánguinem sumpsé-rimus,

omni bene-dicti- óne cæ-lésti et grá- ti- a reple- ámur. [Per e- úndem

Christum Dóminum nostrum. Amen.]

PREX EUCHARISTICA II

Qui cum passi- óni vo-luntá-ri- e trade-ré-tur, accépit panem et grá-ti-

as a-gens fre-git, dedítque discípu- lis su- is, di-cens: ACCI-PI-TE ET

MANDUCATE EX HOC OMNES: HOC EST ENIM CORPUS ME- UM, QUOD

PRO VOBIS TRADE- TUR. Sími- li modo, postquam cená-tum est, accí-

pi- ens et cá- li-cem, í- te-rum grá- ti- as a-gens de-dit discí-pu- lis su- is,


di-cens: ACCI-PITE ET BI-BI-TE EX E- O OMNES: HIC EST ENIM CA-

LIX SANGUINIS ME- I NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI, QUI PRO VO-BIS


ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSI- ONEM PECCATO- RUM. HOC

FACI-TE IN ME- AM COMMEMORATI- O- NEM.


Celebrans calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat. Deinde cantat:





Et populus prosequitur, acclamans:












PREX EUCHARISTICA III





ET MANDUCATE EX HOC OMNES: HOC EST E-NIM COR-PUS ME-UM,

QUOD PRO VO-BIS TRADE-TUR. Simi-li modo, postquam ce-ná-tum est,

accí-pi-ens cá-li-cem, et ti-bi grá-ti-as a-gens bene-dí-xit de-dítque

discí-pu-lis su-is, di-cens: ACCI-PITE ET BI-BI-TE EX E-O OMNES:

HIC EST E-NIM CALIX SANGUINIS ME-I, NOVI ET ÆTERNI TESTAMEN-


TI, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSI-ONEM PEC-

CATO-RUM. HOC FACI-TE IN ME-AM COMMEMORATI-O-NEM.

Celebrans calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat. Deinde cantat:


Mysté-ri-um fí-de-i: vel Mysté-ri-um fi- de-i:

Et populus prosequitur, acclamans:















PREX EUCHARISTICA IV







dítque discí-pu-lis su- is, di-cens: ACCI-PITE ET MANDUCATE EX HOC

OMNES: HOC EST ENIM CORPUS ME-UM, QUOD PRO VOBIS TRADE- TUR.

Sími- li modo accí-pi- ens cá-li-cem, ex ge-ními-ne vi- tis replé-tum,

grá- ti- as e-git de-dítque discípu- lis su- is, di- cens: ACCI-PITE ET BI-

BI-TE EX E- O OMNES: HIC EST ENIM CA-LIX SANGUINIS ME- I

NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUN-


DETUR IN REMISSI- ONEM PECCATO- RUM. HOC FACITE IN ME- AM COM-


MEMORA-TI- O- NEM.


Celebrans calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat. Deinde cantat:


Mysté-ri- um fide- i: vel Mysté-ri- um fí- de- i:


Et populus prosequitur, acclamans:




















Toni doxologiæ Precis eucharisticæ

A. Tonus simplex



ténti, in u-ni-tá-te Spí-ri-tus Sancti, omnis honor et gló-ri- a per

ómni- a sǽcu-la sæ-cu-ló-rum. ℟. Amen.

B. Tonus sollemnis

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est ti-bi De- o Patri omnipo-

ténti, in u-ni-tá-te Spí-ri- tus Sancti, omnis ho- nor et gló-ri- a per

ómni- a sǽcu- la sæcu- ló- rum. ℟. Amen.

V. AD RITUS COMMUNIONIS

Toni orationis dominicæ

A

Præcéptis sa-lu-tá-ri-bus mó-ni- ti, et di-vi-na insti-tu-ti- óne formá-ti,

audémus dí-ce-re:

Pa-ter noster, qui es in cæ-lis: sancti- fi-cé-tur nomen tu- um: Advé-

ni- at regnum tu- um: Fi- at vo-lúntas tu- a, sic-ut in cæ-lo, et in

terra. Panem nostrum co-ti-di- ánum da no-bis hódi- e: Et dimít-te

nobis dé-bi-ta nostra, sic-ut et nos dimíttimus de-bi-tó-ribus nostris.

Et ne nos indú-cas in tenta-ti- ó- nem; sed lí-be-ra nos a ma- lo.

Líbera nos, ut infra p. 1928.

B

Præcéptis sa-lu-tá-ribus mó-ni-ti, et di-ví-na insti-tu-ti- óne formá- ti,

audémus dí-ce-re:

Pa-ter noster, qui es in cæ- lis: sancti- fi-cé-tur nomen tu- um: Ad-

vé-ni- at regnum tu- um: Fi- at vo-lúntas tu- a, sic-ut in cæ-lo, et in

ter- ra. Panem nostrum co-ti-di- ánum da no-bis hódi- e: Et dimítte



nobis dé-bi-ta nostra, sic-ut et nos dimíttimus de-bi-tó-ribus nostris.




Et ne nos indúcas in tenta- ti- ó- nem; sed lí-be-ra nos a ma-lo.

Líbera nos, ut infra p. 1928.


C




Præcéptis sa-lu-tá-ribus mó-ni- ti, et di-ví-na insti-tu- ti- óne formá-ti,



audémus dí-ce-re:



Pa-ter noster, qui es in cæ-lis: sancti-fi-cé-tur nomen tu- um: Ad-




vé-ni- at regnum tu- um: Fi- at vo-lúntas tu- a, sic-ut in cælo, et in



ter- ra. Panem nostrum co-ti-di- ánum da nobis hó-di- e: Et dimít-



te no-bis dé-bi-ta nostra, sic-ut et nos dimít-timus de-bi-tó-ribus no-



stris. Et ne nos indú-cas in tenta- ti- ónem; sed líbe-ra nos a ma- lo.

Ad embolismum

Líbe-ra nos, quǽsumus, Dómine, ab ómnibus ma- lis, da pro-pí- ti- us pa-cem in di- ébus nostris, ut, ope mi-se-ri-córdi- æ tu- æ adiú-ti, et a peccá-to simus semper lí-be-ri, et ab omni perturba-ti- óne se- cú-ri: exspectántes be- á-tam spem, et advéntum Salva-tó-ris nostri Iesu Chri- sti.

℟. Qui- a tu- um est regnum, et po-téstas, et gló-ri- a in sǽcu- la.

Ad pacem

Post orationem

... Qui vi-vis et regnas in sǽcu-la sæcu-ló- rum. ℟. Amen.

Pax Dómi-ni sit semper vobís-cum. ℟. Et cum spí-ri-tu tu- o.

Offérte vobis pa- cem.

VI. AD RITUS CONCLUSIONIS

Ad benedictionem simplicem


A



Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spi-ri-tu tu- o.




Bene- dí-cat vos omnipo- tens De-us, Pa- ter, et Fi- li- us, et Spí-ri-tus



Sanctus. ℟. Amen.


B



Dóminus vobís-cum. ℟. Et cum spi- ri-tu tu- o.




Bene- di-cat vos omnipo-tens De-us, Pa-ter, et Fí- li- us, et Spí- ri- tus




Sanctus. ℟. Amen.

Ad benedictionem sollemnem et orationes super populum

A





Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spí-ri-tu tu- o.




Incliná-te vos ad benedi-cti- ónem.


Post unamquamque invocationem










B






Post unamquamque invocationem









Ad benedictionem episcopalem


A




Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spí-ri-tu tu-o.



℣. Sit nomen Dómi-ni bene-díctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sǽ-




cu-lum. ℣. Adiutó-ri- um nostrum in nómine Dómi-ni. ℟. Qui fe-cit



cæ-lum et terram.




Bene- dí-cat vos omní-po-tens De- us, Pater, et Fí- li- us, et Spí-ri-tus



Sanctus. ℟. Amen.


B





Dóminus vobís-cum. ℟. Et cum spí- ri-tu tu- o.




℣. Sit nomen Dómi-ni bene-díctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sǽ-










Ad dimittendum populum



INDICES

INDEX ALPHABETICUS CELEBRATIONUM

INDEX LECTIONUM

Genesis

Exodus

Leviticus

Numeri

Deuteronomium

Siracides

Isaias

[Isaias]

Daniel

Osee

Ioel

Ionas

Michæas

Sophonias

Zacharias

Malachias

Matthæus

[MATTHÆUS]

Marcus

[MARCUS]

Lucas

[Lucas]

[IOANNES]

Actus Apostolorum

[Actus Apostolorum]

Ad Romanos

Ad Ephesios

Ad Philippenses

Ad Colossenses

Ad Hebræos

Iacobus

[IACOBUS]

1 PETRI

2 PETRI

1 Ioannis

Iudas

Apocalypsis

INDEX LECTIONUM QUÆ MAGIS CONVENIUNT ALIQUIBUS MISSIS SANCTORUM

INDEX PSALMORUM ET CANTICORUM

Cantica Veteris Testamenti

Cantica Novi Testamenti

ALLELUIA

INDEX PRÆFATIONUM

A. DE TEMPORE

B. In festis et mysteriis Domini

C. In festis Sanctorum

D. In Missis ritualibus

E. In variis celebrationibus

INDEX GENERALIS

PROPRIUM DE TEMPORE

ORDO MISSÆ

PROPRIUM DE SANCTIS

COMMUNIA

MISSÆ RITUALES

MISSÆ ET ORATIONES PRO VARIIS NECESSITATIBUS

III. In variis circumstantiis publicis

IV. Pro quibusdam necessitatibus particularibus

MISSÆ VOTIVÆ

MISSÆ DEFUNCTORUM

APPENDIX

INDICES